

PAULI
AD ROMANOS EPISTOLA.

RECENSUIT

ET

CUM COMMENTARIIS PERPETUIS

EDIDIT

D. CAR. FRID. AUGUST. FRITZSCHE

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI PROFESSOR THEOLOGIAE ORDINARIUS.

TOMUS II.

HALIS SAXONUM

SUMTIBUS GEBAUERIIS

1839.

Ne mea dona, tibi studio disposta fideli
Intellecta priusquam sint, contempta relinquas.

LUCRETIUS.

VIRO

NOBILISSIMO ILLUSTRISSIMO

DOCTISSIMO

CAROLO DE ROTH

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS

PROCANCELLARIO SPLENDIDISSIMO

VIRO DE UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI

PRAECLARE MERITO ET MERENTI

SUAM OBSERVANTIAM ET PIETATEM

PUBLICE TESTARETUR

HOC VOLUMEN

S. D. D.

SCRIPTOR.

PRAEFATIO.

Quum primum hujus commentarii, quo Pauli epistolam ad Romanos illustrarem, volumen ederem me inchoatum opus perbrevi tempore absoluturum esse declaravi T. I. p. VI. Hui! Quattuor fere anni ab hâc meâ affirmatione intercesserunt priusquam secundum volumen publicare mihi liceret, quum ego totidem mensibus reliquam laboris partem exhauriri posse credidissem. Cujus tantae tamque improvisae morae causa eo magis mihi afferenda est, quo minus eam viri doctae librorum sacrorum interpretationis studiis dediti aequo animo ferre visi sunt, qui promissum otii mei fructum postquam dies exierat partim dolenter desiderarunt, partim amice flagitarunt. Nam quum, ne nimia libri mei magnitudo fieret, me minus impedita ultimorum capitum loca paucis expositurum esse l. c. dixissem, permulti me, in his viri doctrinae ubertate meritorumque praestantiâ excellentes, ut quâ subtilitate et diligentiâ sex prima egregiae epistolae capita explicassem, eâdem cetera quoque aequaliter pertractare studerem publice privatimque adhortati sunt. Nefas enim duxerunt vel minimum de curâ in eorum capitum expositione remitti, quibus res continerentur maximâ disputationis contentione a Theologis nunc ipsum vestigari solitae. Neque in paraeneticâ epistolae parte, in quâ multo pauciores, quam in dogmaticis quae praecedunt Pauli disputationibus salebrae interpretem retinere crederentur, levi brachio negotium a me agi satis rectum esse docuerunt, et quia illam tantum non omnes interpretes laboriosâ difficillimae literarum Paullinarum partis tractatione defatigati mire neglexissent, turpe autem esset qui in ceteris partibus stetisset, eum tanquam malum actorem in extremo actu corruere, et quoniam in illâ ipsâ epistolae parte, cujus expedita ratio vulgo celebraretur, aliquot difficiles nodi invenirentur. Impulit animum virorum, quos prout meriti essent maximi aestimare deberem, nomen

et auctoritas impulsumque inclinavit causae quae ageretur bonitas, oblata de literis bene merendi opportunitas, denique multis satisfaciendi quâ incensus sum alacritas. Neque haec cogitatio animum non subiit, metuendum mihi esse, ne qui, ut ex multis neque ambiguis favoris et benevolentiae signis cognovissem, meâ gravissimae epistolae explicatione a viris doctis gratiam inissem, ingratus esse viderer, si meum studium ad eorum rationes accommodare noluissem. Itaque, quasi Penelope telam retexens contractiorem meam et breviorem interpretationem sustuli uberioreque filo quo exorsus eram totum opus eâ diligentiâ pertexui, quam fides, fama resque mea postularet. Nunc quinque capitum, quibus in toto N. T. tum ob ipsorum obscuritatem tum propter multorum interpretum, qui Pauli sententias ad suas opiniones redigere, quam se ad Paulum fingere maluerunt, cupiditatem nihil perplexius est, expositionem hoc volumine cum viris doctis communicavi: cujus magnitudo quoniam verborum illustrandorum rerumque diluciandarum copiâ et varietate satis crevit, quinque ultima epistolae capita tertio volumine explicabo, quod proximo anno edetur. Nam quamquam omnes nervos contendam, ne meâ culpâ operae cessare cogantur, tamen verendum est, ne locupletissimorum indicum confectio, quam vir doctissimus mihique amicissimus recepit, libri editionem non nihil temporis remoretur.

Scribebam Rostochii ix Calendas Octobres a. MDCCCXXXIX.

EMENDANDA.

P. 14. l. 28. lege socero
— 19. — 10. *ἀπεθ ανόντος*
— 24. — 33. *Ap*. et l. 34. *alia hic* pro *et hic a*.
— 29. — 33. l. *f*actum
— 47. — 30. l. congruent*ia* pro congruent*es*,
— 48. — 18. post *convenire* haec v. exciderunt: *ne male contendere*
— 51. — 43. l. corrobor*a*ret pro corroboret
— 75. — 42. l. *κατε ν άρκησα*
— 92. — 23. post nisi excidit *ut*
— 101. — 9. l. infirm*a*
— 103. — 5. l. poti*us*
— 105. — 17. l. *ἐλ ά μβανον*
— 111. — 20. l. *κρείσσων· τί* pro *κρείσσων τί*.
— 113. — 46. l. *a*bsolveretur
— 123. — 44. l. *ὅθμπολητὸς*
— 127. — 6. l. *πληροφο ρήθητι*, ibid. l. 20. l. *οὐ κ* et l. 30. *a* nd
— 141. — 27. אָבִי
— 142. — 31. gubernari
— 151. — 12. beatitatem
— 180. — 20. l. *v. Fritzschiorum Opuscula* pro *v. Exc. II.*
— 181. — 25. l. יַחְדָּו
— 184. — 38. l. e*t* pro *e*
— 185. — 26. l. *ἐλαιηρ ῆ ς ἐκμεθύσασα*
— 187. — 39. l. *σεμνῶν καὶ* pro *σημνῶν*.
— 19?. — 46. l. *ἕρπει*
— 200. — 13. l. *τιμ ωρήσασθαι* et l. 24. *προγιγνώσκων*
— 207. — 4. l. be*a*re pro be*n*e
— 213. — 1. l. *ὅ,τι ἂν* et l. 20. *δικαι ῶ ν*
— 215. — 15. l. *iri* pro *in* et l. 35. *ἀποθαν ὼ ν*
— 218. — 45. l. eosque
— 22?. — ?. l. consternar*e*
— 223. — 26. l. 35
— 227. — 28. l. profund*um*
— 238. — 15. l. qu*a*m
— 244. — 9. l. *δι'*
— 249. — 21. l. dilectum et l. 42. *χ ω ριζόμενον*
— 265. — 5. l. sat*u*, et l. 22. imminueret
— 268. — 46. *ἔλεο ν* et l. 48. *ἐξέ χεεν*
— 269. — 20. l. הַקָּדוֹשׁ
— 279. — 38. l. *θεῶ ν*
— 284. — 30. l. Ge*sen*.
— 293. — 40. l. fabul*am*
— 307. — 32. l. trist*es*
— 324. — 43. l. *Φαρα ὼ*
— 327. — 40. l. *τί*
— 339. — 32. l. *ἀπορῆσαι τῶν* pro *ἀπορῆσαι· τῶν* et l. 34. l. *σκηνῆς*
— 348. — 2. l. *τῶνδ ρ ες*, ibid. l. 24. advolvat pro advolat et l. 42. *βίβλο ν*
— 349. — 15. l. שֵׁבֶת צְדָקָה pro שֵׁבֶת צְדָקָה

P. 362. l. 43. l. *κεχηνέναι καὶ* pro *κεχηνέναι. καὶ*
— 363. — 20. l. fallet
— 371. — 12. l. Diod.
— 380. — 23. l. *le*
— 414. — 43. l. *ῥῆμα*
— 415. — 30. l. prius, quam pro prius - quam
— 434. — 46. l. aut
— 441. — 44. l. *Μολόχ*
— 443. — 16. l. dictum
— 450. — 15. l. *ἐπιτεύξει.* ibid. l. 26. l. *τούτῳ* et l. 27. *υἱός*
— 451. — 19. l. (9, 30. sqq.) *Meyerus*; pro (9, 30. sqq.). *Meyerus:*
— 459. — 10. l. *θήρευμα*
— 468. — 35. l. significantur
— 469. — 14. dele virgulam post Rom. 11, 25.
— 470. — 8. pone virgulam post *βοσκήμασιν*
— 472. — 4. l. הָאוּרִים, ibid. l. 8. l. *οὐκ*
— 476. — 37. l. constitutum
— 480. — 13. l. *εἰπών*
— 485. — 17. l. Tholucc. ibid. l. 45. l. *v.* 5. pro *v. s.*
— 488. — 21. l. *ἱερεῦσι*
— 489. — 17. l. *φύραμα*
— 492. — 17. l. fuerint
— 496. — 9. l. *ἑλληνικῶς* et l. 31. contendit
— 505. — 18. l. *ἐφείσατο*
— 511. — 1. l. *διαβαλῶ*
— 515. — 7. adde *Ἀμήν*
— 517. — 35. l. graece
— 541. — 20. l. Win. *Gr.* p. 147.

Nonnulla admodum levia peccata, quae nemo non typothetae errori attribuat, non tetigimus.

COMMENTARII

IN

PAULI EPISTOLAM AD ROMANOS.

CAP VII.

ARGUMENTUM.

Sed ne homines christ. legi mos. subjectos esse temere negasse videar (6, 14.), vitam iis, quam ad legem mos. referrent, eo ademtam esse quod Christus interfectus est, nunc ostendam. Legem mos. homini *usque ad ejus mortem* imperare constat (v. 1.). Sic, ut hoc utar, maritata uxor mariti morte conjugii lege solvitur licetque ei mortuo marito imaginariam, quâ matrimonio valediceret, mortem passae in alius manum venire sine opprobrio (v. 2. 3.). Jam quum divina Mosis instituta Christianorum res per ambages monstrent certumque sit, imaginariam mortem eo quod Christus interfectus est vobis illatam esse, hinc vos quoque nece quae vitam vobis legi mos. consecrandam adimeret (ut qui *mortem* occubueritis v. 1.) per necatum Christi corpus affecti estis (quippe qui *imaginariam* mortem adieritis physicâ alterius morte vobis oblatam v. 2. 3.), et sic in Christi post reditum in vitam viventis manum venistis, ut nos qui sumus Christo addicti *opera Deo grata* ederemus (v. 4.). Nam quum illâ morte nondum oppetitâ voluptarii corporis carcere inclusi essemus, appetitus peccata gignentes, *qui valente lege mos. vigent*, tumultum in membris nostris faciebant, ut opera ederemus *Plutoni jucunda* (v. 5.). Nunc autem ejus legis vinculis prorsus exsoluti sumus, quoniam ei quae nos constrictos tenebat mortui sumus, et servimus (cf. 6, 16 sq.) divini spiritus novitatem, non scriptorum elementorum vetustatem moderatricem sequentes (v. 6.). — Non eo, quod appetitus peccata gignentes *valente lege mos. vigere solere* dixi (v. 5.), legem mos. *peccatricem* esse declaravi. Imo Peccatum non cognovisses nisi lex mos. intercessisset; nam pravam Cupiditatem, Peccati matrem, non cognovisses, nisi lex mos. hoc praeceptum daret: noli concupiscere. (Qui igitur lex mos. Peccati naturam habeat i. e. rei et *post* legem mos. natae *neque ex lege mos.*, sed e Cupiditate, quam illa lex movisset, procreatae? v. 7.). Impetu autem sumto Peccatus, improbus daemon, per div. praeceptum, quod totum illud *prave concupiscere* hominis vetuit effecit in te malam cujusvis generis cupiditatem. Ita enim res comparata est, ut sine Mosis lege Peccatui vita et vis et nervi desint (v. 8.). Confirmat quae in universum dixi v. 8., *historia*. Nam praecepto de vitandis pravis cupiditatibus promulgato Peccatus spirare coepit, homines, ut commissa peccata luerent, exspirarunt et interdictum ut vitam haberent promulgatum in *mortem* iis cedere usu cognitum est (v. 9. 10.).

Peccatus enim impetu sumto per interdictum, per quod impuras cupiditates iis movisset, eos decepit et quum pravas cupiditates per id inflammari passi peccassent, morte physicâ, quâ poenâ Deus peccata vindicat, eos affecit (v. 11.). Itaque Mosis quidem lex sancta est ejusque de vitandis pravis cupiditatibus interdictum sanctum et integrum et bonum est, sed *Peccatus* impurus est (v. 12.). Itaque, quum tu Mosis interdictum *bonum* esse affirmaris v. 12., *bona* res mihi *mortis* causa fuit, dicat aliquis? Imo Peccatus qui per turpem interdicti abusum irritatâ libidine maximas peccatorum, quae morte punirentur, sementes fecerit (v. 8—11.) exitio tibi fuit, neque id sine numine. Nempe Deus Peccatum summum peccatorem esse ex eo cognosci voluit, quod ille sanctissimum atque optimum interdictum in hominum pestem convertisset (v. 13.). Non Mosis interdictum, sed *Peccatum* mortem tibi creasse affirmabam (v. 13.). Nam legem mos. sanctam esse constat; ego autem huic legi subjectus Iudaeus corpori deditus sum *Peccatusque mancipium* vivo (v. 14.). Temere enim et caeco potius animi hero obnoxii impetu, quam deliberatâ ratione facio quae perpetro; neque enim quod expeto facio, sed quod detestor hoc perago (v. 15.). Ita autem faciendo concedo Mosis Legi, eam praeclaram esse (v. 16). Atqui non jam ego quod displicet perago, sed qui in me habitat Peccatus (v. 17.). Scio enim, non habitare in me, h. e. in corpore meo, probum dominum. Hoc enim ex eo cognosco, quod voluntas mihi in promtu est, honesti effectionem frustra circumspicio (v. 18.). Neque enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum id perago (v. 19.). Si autem quod nolo, id facio, non jam ego id perpetrare existimandus sum, sed qui in me habitat Percatus (v. 20. cf. v. 17.). Quae quum ita sint, mihi qui legem mos. observare, h. e. honesta exsequi velim, inhonesta in promtu esse intelligo (v. 21. cf. v. 14—20.). Nam intus laetitiam ex Dei lege percipio, quatenus ex mente consto (v. 22.). Video autem (ut mihi, qui legem mos. observare, h. e. honesta perficere velim, *inhonesta in promtu esse* fatearis v. 21.) aliam legem in membris meis bellum gerere adversus legem meae Mentis et captivum me abducere legi Peccatus, quae in membris meis est (v. 23.). Miser ego homo sum! Ecquis me eripiet ex corpore, in quod haec, quae ante oculos obversatur, Mors tyrannidem exercet? (v. 24.). Grates Deo dicantur tristissimâ rerum conditione Christi interventu sublatâ! (v. 25.) — Itaque ergo (h. e. quum mea Judaei conditio talis sit, qualem supra dixi v. 14—24.) ipse ego (qui meam fortunam deploravi v. 14—24.) mecum discors mente legi Dei, corpore legi, quam dat Peccatus, obtempero tantumque infortunium habeo, quantum me habere supra declaravi (v. 25.). Hinc (i. e. quum Christus divino instituto pestem quae Judaeos vexat averterit, v. v. 25.) nulla Christi alumnis damnatio ad mortem metuenda est, sed ex iis malis illi liberati sunt, quibus Judaei succumbunt (8, 1.).

Vs. 1. Ἢ ἀγνοεῖτε, ἀδελφοί, (γινώσκουσι γὰρ νόμον λαλῶ) ὅτι ὁ Νόμος κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου ἐφ᾿ ὅσον χρόνον ζῇ; 2. Ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνὴ τῷ ζῶντι ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ, κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός. 3. Ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ· ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ, ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τοῦ νόμου, τοῦ μὴ εἶναι αὐτὴν μοιχαλίδα, γενομένην

ἀνδρὶ ἑτέρῳ. 4. Ὥστε, ἀδελφοί μου, καὶ ὑμεῖς ἐθα-
νατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, εἰς
τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ, τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι, ἵνα
καρποφορήσωμεν τῷ Θεῷ. 5. Ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ
σαρκὶ τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου
ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ
Θανάτῳ· 6. νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου ἀπο-
θανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα, ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν
καινότητι πνεύματος καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος.

V. 7. Τί οὖν ἐροῦμεν; ὁ Νόμος ἁμαρτία; μὴ
γένοιτο· ἀλλὰ τὴν Ἁμαρτίαν οὐκ ἔγνων, εἰ μὴ διὰ Νό-
μου· τήν τε γὰρ Ἐπιθυμίαν οὐκ ᾔδειν, εἰ μὴ ὁ Νόμος
ἔλεγεν οὐκ ἐπιθυμήσεις. 8. Ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα
ἡ Ἁμαρτία διὰ τῆς Ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν
ἐπιθυμίαν· χωρὶς γὰρ Νόμου Ἁμαρτία νεκρά. 9. Ἐγὼ
δὲ ἔζων χωρὶς Νόμου ποτέ· ἐλθούσης δὲ τῆς Ἐντολῆς ἡ
Ἁμαρτία ἀνέζησεν, 10. ἐγὼ δὲ ἀπέθανον, καὶ εὑρέθη
μοι ἡ Ἐντολὴ ἡ εἰς ζωήν, αὕτη εἰς θάνατον. 11. Ἡ γὰρ
Ἁμαρτία ἀφορμὴν λαβοῦσα διὰ τῆς Ἐντολῆς ἐξηπάτησέ
με καὶ δι' αὐτῆς ἀπέκτεινεν. 12. Ὥστε ὁ μὲν Νόμος
ἅγιος, καὶ ἡ Ἐντολὴ ἁγία καὶ δικαία καὶ ἀγαθή. 13. Τὸ
οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος; μὴ γένοιτο, ἀλλὰ ἡ
Ἁμαρτία, ἵνα φανῇ ἁμαρτία, διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι
κατεργαζομένη θάνατον, ἵνα γένηται καθ' ὑπερβολὴν
ἁμαρτωλὸς ἡ Ἁμαρτία διὰ τῆς Ἐντολῆς. 14. Οἴδαμεν
γὰρ ὅτι ὁ Νόμος πνευματικός ἐστιν· Ἐγὼ δὲ σαρκικός
εἰμι, πεπραμένος ὑπὸ τὴν Ἁμαρτίαν. 15. Ὃ γὰρ κα-
τεργάζομαι οὐ γινώσκω· οὐ γὰρ ὃ θέλω πράσσω, ἀλλ' ὃ
μισῶ, τοῦτο ποιῶ. 16. Εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω, τοῦτο ποιῶ,
σύμφημι τῷ Νόμῳ ὅτι καλός. 17. Νυνὶ δὲ οὐκέτι ἐγὼ
κατεργάζομαι αὐτό, ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ Ἁμαρτία.
18. Οἶδα γὰρ ὅτι οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοί, τουτέστιν ἐν τῇ
σαρκί μου, ἀγαθόν· τὸ γὰρ θέλειν παράκειταί μοι, τὸ
δὲ κατεργάζεσθαι τὸ καλὸν οὐχ εὑρίσκω. 19. Οὐ γὰρ
ὃ θέλω ποιῶ ἀγαθόν, ἀλλ' ὃ οὐ θέλω κακόν, τοῦτο
πράσσω. 20. Εἰ δὲ ὃ οὐ θέλω, τοῦτο ποιῶ, οὐκέτι
ἐγὼ κατεργάζομαι αὐτό, ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ Ἁμαρ-
τία. 21. Εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ

ποιεῖν, τὸ καλόν, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται. 22. Συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον· 23. βλέπω δὲ ἕτερον Νόμον ἐν τοῖς μέλεσί μου ἀντιστρατευόμενον τῷ Νόμῳ τοῦ Νοός μου καὶ αἰχμαλωτίζοντά με τῷ Νόμῳ τῆς Ἁμαρτίας τῷ ὄντι ἐν τοῖς μέλεσί μου. 24. Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος· τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ Θανάτου τούτου; 25. Χάρις δὲ τῷ Θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. Ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοῒ δουλεύω νόμῳ Θεοῦ, τῇ δὲ σαρκὶ Νόμῳ Ἁμαρτίας.

Dixerat Ap. 6, 14., se sperare, fore ut Romani Peccati dominatu se teneri non paterentur, quoniam homines Christiani facti *non legi mos.*, sed div. clementiae subditi viverent. Deinde quod qui hanc vocem cupide arripuisset improbe objicere poterat: hoc ipso hominibus christ. peccatorum impunitatem propositam esse, quod *non a leg. mos.*, severâ imperatrice, sed a div. clementiâ, benignissimâ dominâ, gubernarentur: praeclare ita refellerat, ut hominem christ. non Peccati, sed Honestatis ministrum constitutum esse ostenderet 6, 15. sq.. Manca igitur et imperfecta Pauli disputatio fuisset, nisi argumentum, quo et suam de honestis Romanorum studiis spem fulcire 6, 14. et improbam objectionem niti voluerat 6, 15: *non subjectos esse homines christ. legi mos.*, accurate firmasset. Metuendum enim erat, ne quis hoc argumentum nullum esse diceret propterea, quod homines christ. simul div. clementiam, *simul legem mos.* gubernatricem haberent. Itaque quod 6, 14. ad impii obtentus mentionem 6, 15. properans non ostenderat, improbâ objectione refutatâ 6, 16—23., ut disputatio sua perfecta sit et expleta, h. l. demonstrat. Docet enim, ut homines christ. legi mos. non subesse appareat, vitam iis, quam ad legem mos. referrent, eo ademtam esse, quod Christi corpus interfectum esset 7, 1—4.. Sic recte *Clarius*, *Kopp.*, *Morus*, *Koelln.* al.. Lapsi sunt, qui 7, 1. sq. arcte cum 6, 23. cohaerere putarunt, v. c. *Reich.*, qui Pauli expositionem 7, 1. sq. a verbis 6, 23. *ἐν Χρ. Ἰ. τῷ κυρίῳ ἡμῶν*, quae 7, 1. muniri *κυριεύει*, quo vocabulo verborum *τῷ κυρίῳ ἡμ.* ratio habeatur, doceat, proficisci opinatur. Ponderosa igitur esse voluit v. *τῷ κυρίῳ ἡμ. per Chr. J.*, *quem nos dominum habemus.* At *Χριστὸς Ἰ. ὁ κύριος ἡμῶν* formula est pietatem et reverentiam, quâ homines christ. in Christum ducuntur, simpliciter atque ita testificans, ut *ὁ κύριος ἡμ.* sine ullâ emphasi dicatur: Chr. Jesus, unser Gebieter. Accedit, quod P., si hanc disputationem ex v. *τῷ κυρίῳ ἡμῶν* nexuisset, eam totam, ut ejus ratio et acumen cognosci posset, ad illa vocc. accommodare debuisset, ut v. 2. scriberet *τῆς γὰρ ὑπάνδρου γυναικὸς ὁ ζῶν ἀνὴρ κυριεύει κατὰ τὸν νόμον* et v. 4. diceret — *εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ κυρίῳ* —.

V. 1. Ponit P. hoc vs. sententiam generalem, quâ exemplo illustratâ v. 2. 3., deinde ad homines christ. accommodatâ nullam eos, quam legi mos. consecrent, vitam habere h. e. solutos eos esse lege mos. ostendat v. 4. — Falluntur, qui voce *ἀδελφοί* Romanos, qui olim Judaei fuissent, compellari idque a P. ipso parenthesi *γινώσκουσι*

γὰρ νόμον λαλῶ indicari credunt: carissimi, qui aliquando Judaei fuistis (peritos enim legis mos. alloquor), *Beza*, *Heum.*, *Wetst.*, *Morus* al.. Nam I. ἀδελφοί benevola appellatio est omnium promiscue lectorum ut hominum christ. (1, 13. 10, 1. 11, 25. 12, 1. 15, 14. 30. 16, 17. al.), non eorum tantummodo, qui aliquando Judaei fuissent, quos P. ita suos fratres vocat, ut se de generis et nationis cognatione loqui moneat 9, 3. Praeterea II. λαλεῖν τινι non *compellare aliquem* notat, sed *loqui ad aliquem* 1 Cor. 14, 6. 28. 2 Cor. 7, 14. Eph. 5, 19.. Si P. Romanos, qui olim Mosis alumni fuissent, affatus esset, haec v. posuisset: ἢ ἀγνοεῖτε οἱ τὸν νόμον γινώσκοντες, ὅτι —. (Gal. 4, 21. Jac. 4, 13. 5, 1). Imo omnes promiscue Romani voculâ ἀδελφοί compellantur, parenthesis autem γινώσκουσι γ. ν. λ. non ad ἀδελφοί pertinet, sed ad formulam ἢ ἀγνοεῖτε, h. e. illud excusat, quod P. sententiam, quâ suam argumentationem niti vult, tralatitiam esse et in vulgus notam significaverit (v. not. ad 6, 3. I, 358.). *Fugitne vos*, *carissimi*, (*ad ejusmodi enim homines loquor* [per has literas], *qui legis mos. gnari sint*), *Legem mos.* [quae persona hic inducitur, ut Gal. 3, 8. ἡ Γραφή] *imperium habere in hominem*, *quamdiu vivat* (scil. non ὁ Νόμος, sed ὁ ἄνθρωπος, id quod verborum ordo et disputationis ratio pariter docet; v. infra)? *) Νόμος et ὁ Νόμος legem *mos.* declarat eamque totam. Nam primo νόμος eam vim 6, 14. 15. habet, qui l. hanc disputationem peperit. Deinde 7, 4., quo vs. generalis v. 1. sententia ad homines christ. transfertur, ὁ νόμος est *lex mos.*. Postremo ὁ νόμος eâdem potestate pollet in proximis vs. 5. 6. 7. sqq., quorum sententiae a vs. 4. argumento suspensae sunt. Sententia cum eâ concordat, quam supra I, 388. ex judaico libro attuli. Quam talem commemorari, quam nemo in coetu romano recte nesciat, non mirum est. Res enim ipsa eam cuivis offerre debebat. Neque enim Moses usquam perscripsit, teneri suis legibus

---

*) Male *Rueck.* *non nisi* mente adjiciendum esse perhibet, quoniam P. non *quamdiu lex mos. in hominem dominetur*, sed *quo tempore nullum jam lex mos. in homines imperium habeat* dicere constituerit: *an nescitis — legem mos. non nisi tam diu homini imperare*, *quamdiu vivat?* Illud *non nisi* graece sic enuntiandum fuerat: — ὅτι ὁ Νόμος οὐ κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ; Sponte autem intelligitur, si lex mos. homini quamdiu in vitâ sit imperet, tempore, quod positum est, praeterlapso h. e. post hominis mortem non eam diutius homini dominari, ut recte Ap. ex hâc sententiâ: *regit hominem lex mos, usque ad ejus mortem* (v. 1.) versu 4. *quia homines christ. per interfectum Christi corpus vitâ legi mos. dicandâ privati sint*, *eos legis mos. imperio jam liberatos esse* collegerit.

mortuos et plurima Mosis praecepta ejusmodi sunt, ut qui ea mortuus observare possit, non intelligas. Quamquam tametsi P. sententiam ex interioribus Judaeorum literis depromtam pro notâ et quam Christiani, qui olim pagani fuissent, non recte ignorarent posuisset, non magnopere offenderer. Nam quum relligionis christ. decreta ab apostolis argumentis e V. T. repetitis potissimum confirmarentur, fieri non potuit, quin nemo non cordatorum Christianorum ad divinorum V. T. librorum lectionem invitaretur, quumque invenirentur, qui, ut P., Theologiam jud. in relligionis christ. commendationem transferrent, magistri ad eam rem idonei ut idem facerent moti sunt, indocta quidem plebecula hunc fructum ex his studiis cepit, ut nonnullas ex Judaeorum Theologiâ haustas et ad relligionem christ. accommodatas sententias de magistris disceret. — Graves interpretum injurias hic l. v. 1 — 4. accepit propterea, quod illi versu 1. ut nos fecimus exposito, exemplum v. 2. 3. non aptum esse sententiae v. 1. exemplo illustrandae opinati sunt, qui error alios errores genuit versu 4., ubi versus 1. sententia ad homines christ. applicatur, commissos. Commenta optime tacentur. *Beng.*, *Carpzov.* al.: *an ignoratis — legem matrimonii* (sic! v. supra) *imperare homini* (i. e. uxori!), *quamdiu vivat lex.* Beng. (*Carpz. quamdiu vivat ὁ ἄνθρωπος, h. e. maritus*)?! *Hammondus*, *Clericus*, *Elsn.* al. hyperbato, quod ratione destituitur, admisso v. ὁ νόμος τοῦ ἀνθρώπου consociant: — Legem hominis (mariti) dominari, quamdiu ipse vivat?! Sed ex eodem fonte error manavit ad multos pertinens, quo ad vocc. ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ mente addunt ὁ νόμος: *an nescitis — legem mos.*, *quamdiu vigeat, homini imperare?* (*Erasm.*, *Vatabl.*, *Grot.*, *Kopp.* al.). *Vivere* enim metaphorice dicuntur quae sunt aut vim exercent, *consenescere* quae vergunt ad interitum, *mori* denique quae abolentur et intereunt. V. Soph. Antig. 452. *Herm.* οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ᾽ ἀεί ποτε | ζῇ ταῦτα (θεῶν νόμιμα) —. interpretes ad Philoct. 1429. ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς. Demosth. contra Macartatum 1070. 16. Reisk. Joseph. c. Ap. 2, 38. Cic. de Or. I, 58, 247. — non vides, veteres leges aut ipsâ suâ vetustate *consenuisse*, aut —? II, 23, 94. — tamdiu genus illud dicendi studiumque *vixit* —. in Vatinium 9, 23. — quae (sanctissimae leges) — etiam inter Sullana arma *vixerunt* —. Post Red. in Sen. 2, 3. — quo (tempore) vestrorum in nos beneficiorum memoria ac fama *moriatur* —? Philipp. II, 5, 12. Quae quidem interpretatio vana est non propterea, quod hanc tautologiam inferat: *lex valet quamdiu valet* (*Beza*, *Elsn.*, *Koelln.*, *de Wettius* al.); imo hanc, quâ nihil sanius

est, sententiam gignit: lex mos. hominis ejusque factorum moderatrix est quamdiu vigeat ut legis vim habeat), neque idcirco, quod ea sententia nimis plana eoque jejuna sit (*Reich.*; nam planissima quoque sententia tum enuntianda est, quum ex eâ argumentari decreveris), sed duas ob causas. Nam primum quidem P., nisi forte ambiguitatem captavit, verba sic ordinare debuerat: — ὅτι ὁ Νόμος ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ (sive ὅτι ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ ὁ Νόμος) κυριεύει τοῦ ἀνθρώπου; (Gal. 4, 1.). Deinde Ap. disputatio non huic sententiae tanquam fundamento superstructa est: legem mos. hominem gubernare *quamdiu vivat neque abolita sit*, sed hâc enuntiatione fundata est: legem mos. *homini quamdiu vivat* h. e. *usque ad ejus mortem* imperare. Docent igitur vss. 2—6., versum 1. sic capiendum esse: ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ scil. ὁ ἄνθρωπος. Id primo intelligitur e verbis ad ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ v. 1. relatis, τῷ ζῶντι ἀνδρί v. 2. et ζῶντος τοῦ ἀνδρός v. 3., quibus opponuntur v. ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ v. 2. 3.. Nam quum matrimonium mutua mariti et uxoris societas sit, quae alterutro mortuo ita dissolvatur, ut neque mortuus neque mortuo superstes matrimonii vinculis constrictus sit, recte sane P. universalem sententiam: lege mos. *hominem quamdiu vivat* regi: hoc exemplo explicuit: maritatam mulierem *vivo marito* adstrictam esse lege: quandoquidem mariti morte *tum maritus* tum uxor matrimonii lege solvitur. Quod autem Ap. marito mortuo *uxorem* potius *marito superstitem* non amplius matrimonii lege teneri, quam *mortuum maritum* jam eâ lege solutum esse disputavit, non reprehendendum est, tum quoniam maritus mortuus non minus moriendo matrimonii vinculo liberatus est, quam ejus morte uxor est ei superstes liberata, tum quia P. idoneâ causâ ductus levari illo vinculo mariti morte *uxorem ei superstitem*, non maritum mortuum suâ morte liberari exposuit (v. not. ad v. 2. 3.). Deinde Paulum v. 1. gubernari lege mos. *hominem quamdiu vivat* dixisse e v. 4. cognoscimus, ubi eam sententiam ad homines christ. applicans *v i t a m iis, quam legi mos. dicarent, per occisum Christi corpus ablatam esse* monet. Postremo v. 5. et 6. rem comprobant, ubi Ap. sententiam v. 4. prolatam firmans tempus, quo homines christ. *in vitâ fuerint legi mos. consecratâ* (εἶναι ἐν τῇ σαρκί v. 5.) tempori opponit, *quo ex illâ vitâ abierint* (ἀποθανεῖν τῷ νόμῳ v. 6.). V. *Koellnerum.*

V. 2. 3. Sententiam v. 1. propositam: *legem mos. i n h o m i n e m q u a m d i u v i v a t dominari*, P. hoc exemplo illustrat: *legem praecipere, ut maritata mulier v i v o m a r i t o adstricta sit; sed mortuo marito eum lege de marito latâ prorsus solutam esse.* Voculae γάρ, quia omnino ex-

plicandi vim habet *nempe*, ibi quoque locus est, ubi exempla quae rem exponant afferuntur. Hom. Il. 24,68. Jac. 2,2.. Sed idcirco *γάρ* talibus in l. *exempli causâ* minime significat (*Heum.*). Mulierem *maritatam* Graeci vocarunt *ὕπανδρον* (v. Lexx. et *Wetst.* II,55.) *marito subjectam*. Convenit enim in viri, cui nupsisset, manum. Respondere formulae *γυνὴ ὕπανδρος* Num. 5,29. אִשָּׁה תַּחַת אִישָׁהּ male multi dixerunt (*Chr. Fr. Schmid.*, *Rueck.*, *Reich.*, *de Wettius* al.). Nam תַּחַת אִישָׁהּ ibi a verbo תִּשְׂטֶה pendet. Dicunt Hebraei תַּחַת אִישָׁהּ (Ez. 23,5. זָנוֹת) שָׂטוֹת (Num. 5,19. 20.) *moechari marito suo subjectam*, h. e. *m. in matrimonio locatam aut maritatam*, als Verheirathete. ' Bene LXX Num. 5,29. (cl. v. 20.) *οὗτος ὁ νόμος τῆς ζηλοτυπίας, ᾧ ἂν παραβῇ ἡ γυνὴ ὕπανδρος οὖσα.* Hos. 4,12. וַיִּזְנוּ מִתַּחַת אֱלֹהֵיהֶם praegnans est loquutio: *moechantur matrimonii vinculis Deo suo juncti, ita ut ab eo discedant.* — Mulier maritata *vivo marito devincta est* (1 Cor. 7,27.) *νόμῳ* h. e. legis mos. vi atque imperio. Non enim ea matrimonium dissolvendi potestatem fecit mulieribus, quae nisi forte a maritis repudiarentur Deut. 24,1. usque ad maritorum mortem conjugii vinculis constringebantur. Kidduschin f. 2,1. mulier possidet se ipsam per libellum repudii et per mortem mariti. P. rationem, quâ plerorumque matrimonia solvebantur, tantummodo commemorat, suo praesertim consilio v. 1. 4. unice appositam; jus uxoribus repudium remittendi a paucioribus maritis usurpatum consulto non tangit. *κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τ. ἀ.*] Exponere solent cum Syro, Oecum. al. *liberata est* (*ἠλευθέρωται*) *a* — moti verbis v. 3. *ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπὸ τ. ν.*. Male. Patet enim, *ἀπό* non regi a v. *καταργεῖσθαι*, sed structuram esse praegnantem: *καταργεῖσθαι καὶ χωρίζεσθαι ἀπό* — (2 Cor. 11,3. *φθείρεσθαι ἀπό* —). Praeterea *καταργεῖν*, quod v. P. frequentat, *grave* huic scriptori vocabulum est, quippe quod ei *exstinguere*, *abolere* declaret, 3,3. 1 Cor. 13,11. 2 Cor. 3, 11. sq. 2 Th. 2,8. 2 Tim. 1,10. al.. (Raro Graeci hoc voc. usurparunt: v. Eur. Phoen. 753. *ἀλλ' εἶμ', ὅπως ἂν μὴ καταργῶμεν χέρα* h. e. aut — ne inertem faciamus (esse sinamus) manum, aut, quod magis poëticum, — ne segnes simus quod ad manum (pugnam) attinet, ut *καταργεῖν* idem sit quod *ἀργεῖν*, nisi quod paullo fortius. Aliquoties *καταργεῖν* apud LXX legitur active, *καταργεῖν τινα* i. q. *ἀργόν τινα ποιεῖν* (Luc. 13,7.), hoc quidem sensu *inertem aliquem facere* i. e. *ab opere eum avocare* Esr. 4,21.23. 5,5.) Quamobrem *καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ νόμου exstingui et a lege avelli* non simpliciter a lege liberari, sed *prorsus* ab eâ liberari ac penitus divelli valet. Cf. v. 6. et Gal. 5,4. *κατηργήθητε*

ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ οἵτινες etc. nulli estis redditi et a Christo avulsi i. e. prorsus ab eo dimoti —. Temere ut καταργεῖσθαι ἀπό — idem quod ἐλευθεροῦσθαι ἀπό — notare efficias, ad v. 3. ἐλευθέρα ἐστὶν ἀπό — provoces. Postquam enim P. mulierem mortuo marito a lege ad maritum pertinente *prorsus* liberatam esse v. 2. graviter enuntiaverat, in conclusione, quâ haec sententia illustraretur, hoc dici satis erat: mortuo marito feminam *a lege liberatam* esse (v. 3.). ὁ νόμος τοῦ ἀνδρός *lex ad maritum pertinens, de eo lata.* V. LXX Lev. 14,2. οὗτος ὁ νόμος τοῦ λεπροῦ 7,1. τοῦ κριοῦ 12,7. τῆς τικτούσης ἄρσεν ἢ θῆλυ, Num. 6,13,21. τοῦ εὐξαμένου, Lev. 15,32. τοῦ γονοῤῥυοῦς, Lev. 14,57. τῆς λέπρας, Num. 5,29. τῆς ζηλοτυπίας cl. Lev. 11,46. οὗτος ὁ νόμος περὶ τῶν κτηνῶν καὶ τῶν πετεινῶν etc. Demosth. contra Midiam 525,13. Reisk. ἦν ὁ τῆς βλάβης ὑμῖν νόμος πάλαι, ἦν ὁ τῆς αἰκίας, ἦν ὁ τῆς ὕβρεως. (cf. 527,28. πρῶτον μὲν τοίνυν οἱ περὶ τῆς βλάβης νόμοι πάντες, ἵν' ἐκ τούτων ἄρξωμαι etc.) Cic. de Or. I, 58,246. Manilianas venalium vendendorum leges ediscere. *Bezae* et *Chr. Fr. Schmidii* interpretatio *lex quam vir dat, viri imperium, potestas* h. l. non apta est. *Mori* autem, *Rueck.*, *de Wettii* al. expositio *lex quae mulierem marito devincit* liberior sensus descriptio est, non accurata interpretatio. Optime haec sibi invicem opponuntur: *vivo marito adstrictam esse* **legis mos.** *vi* et *mortuo marito prorsus liberatem esse a* **lege ad maritum pertinente**, quandoquidem νόμῳ non tota Mosis lex, sed ea pars quae de marito agit indicatur. Fallitur, ut saepe in hoc genere, *Rueck.*. V. 3. V. χρηματίζω serioribus scriptoribus, Polybio, Diod. Siculo, Plutarcho, Straboni al., designare *nuncupari* in vulgus constat (v. Lexx. et *Wetst.* II, 55.). Profectus est hic usus ab eo verbi significatu, quo *negotia publica gerere* notat. Quare χρηματίζω βασιλεύς, ἰμπεράτωρ primo quidem declaravit *negotia publica ago rex, imperator*, ich trete auf als König etc. regis nomen et dignitatem mihi indo, sum et vocor rex. Sed hujus ratio structurae postea ita exolevit, ut χρηματίζω καρχηδόνιος, Χριστιανός etc. nihil nisi *vocor* Carthaginiensis etc. denotaret. Johannes Malalas, cujus extrema est barbaria, etiam dixit χρηματίζειν (i. q. καλεῖν) **ἑαυτόν** *se vocare* Chronogr. p. 149., 225., 268. ed. *L. Dind.*. Duplicem Hebraismum in v. χρηματίσει interpretes olim rimati sunt. Nam χρηματίζειν, quemadmodum καλεῖσθαι, valere *esse* sibi persuaserunt (at v. not. ad Matth. p. 32.) et Futurum adducti verbis ἐλευθέρα **ἐστὶν** ἀπό — Praesentis vim habere putarunt (*Heum.*). Imo Futurum in sententiâ generali recte ponitur, quandoquidem rei quae in nullum tempus non con-

venire videatur, etiam futuro tempore locum futurum esse jure sumitur. Cf. Jes. 54, 6., ubi vitium a scriptore commissum esse *Hitzigio*, viro egregio, non concedimus, Jac. 2, 10.. Et hoc quidem l. aperta est Futuri ratio. Nam quum Judaei ad legis mos. normam etiam tum vitam dirigerent, quod futurum erat praevideri poterat, ut mulier judaica, quae vivo marito ad alium se virum applicuisset, adultera ab hominibus vocaretur. *ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ*] *si alii se viro tradiderit*, sive matrimonio, quum maritum deseruerit, inito, sive furtivo viro quaesito. *Γίνεσθαι ἀνδρί*, הָיוֹת לְאִישׁ, et *γίνεσθαι ἀνδρός* in universum est *in viri potestatem venire*, *concedere ut vir te potiatur*. Quare et de legitimo matrimonio (matrimonii lege viro jungi Lev. 22, 12. Jud. 14, 20. Ruth. 1, 12. Achill. Tat. 5, 18. Terent. Hec. 3, 5, 59. deliberet renuntietque hodie mihi velitne an non, ut alii si huic non est, siet.) et de furtivis amoribus usurpatur (adultero se potiundam praebere, vid. *Elsn.* et *Kypk.*). *ἀπὸ τοῦ νόμου*] Dicit *τὸν νόμον τοῦ ἀνδρός* v. 2. Vulg. Ambrosiaster *a lege viri* e glossem. *τοῦ μὴ* —] v. ad Math. p. 845.. Sed parum idoneum exemplum a P. v. 2. 3. allatum videri potest, quod sententiam v. 1. explicet. Nam eo te lege mos. solvi, *quod ipse moriaris* Ap. v. 1. declaraverat; sed v. 2. 3. non suâ, *sed mariti* morte mulierem matrimonii vinculis levari illam sententiam v. 1. illustraturus monuit *). Quamobrem ne exemplum claudicaret v. 2. aut ita scribendum fuisse *ὁ γὰρ ἀνὴρ ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ τῇ γυναικὶ δέδεται νόμῳ, ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς γυναικός*, aut sic dicendum; *ἡ γὰρ ὕπανδρος γυνὴ ἐφ᾽ ὅσον χρόνον ζῇ τῷ ἀνδρὶ δέδεται νόμῳ, ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ κατήργ. ἀ. τ. ν. τοῦ ἀνδρός* aliquis existimet. Illud vero affirmari non poterat vel propterea, quod Moses marito uxorem repudiandi jus dederat. Neutrum autem satis aptum fuisset, quia exempli perspicuitatem non habuisset, sed jejunam orationem intulisset; lex hominem gubernat usque ad ejus mortem. Sic, ut hoc utar, maritus (uxor) matrimonii lege solvitur moriendo. Quam jejunitatem eo vehementius lectores sensissent, quod matrimonii dissolutio ex

---

*) Falso *Rueck.* et *Usterius* Entwick. etc. p. 176. exemplum in versum 4. idcirco parum convenire perhibent, quod *maritum mulieri imperantem*, non mulierem viro subjectam morientem inducat v. 2. 3.. Non cogitarunt, v. 4. *Christum*, hominibus christ. *majorem*, mortem *physicam* adire eamque efficere, ut Christi alumnis magistro minoribus *imaginaria* mors afferatur, neque illud considerarunt, utrum aptum sit exemplum sententiae exemplo exponendae, h. e. *versui* 1., an non aptum, prae ceteris h. l. quaeri.

jure novum matrimonium ineundi vulgo censetur 1 Cor. 7, 39.. Absurda igitur sententia in lectorum animis excitata esset: maritus (uxor) *moriendo* e matrimonii vinculis eximitur, ut nihil jam obstet, quominus novum matrimonium ineat. Deinde exemplum a P. positum eo excusari potest, quod matrimonium maris et feminae conjunctio est, quae alterutrius morte sic divellitur, ut neque mortuus neque superstes societatis legibus teneatur. Itaque mariti morte non solum uxorem ei superstitem, verum etiam ipsum *maritum* matrimonii legibus solvi res quemvis docet. Tum sapienter P. exemplum quo videmus modo conformavit. Nam rationem, quâ sententiam v. 1. ad homines christ. translaturus esset v. 4., mente complexus, curavit, ut exemplum in conclusionem quadraret eoque idoneum ab accommodandâ sententiâ v. 1. ad locum ubi accommodanda esset v. 4. transitum pararet. Nempe v. 1. de *physicâ* morte agitur, quae te lege mos. solvat. Sed v. 4. de *imaginariâ* morte in eo positâ, ut vitam quam alicui rei consecres, nullam habeas, sermo instituitur, quâ homines christ., quum lucem intuerentur, *per physicam Christ. mortem* affecti fuerint. Ad hunc vs. positum v. 2. 3. exemplum optime congruit. Nam maritata mulier marito superstes *physicâ* mariti morte conjugii lege solvitur h. e. *imaginariam*, quae ad τὸν νόμον τοῦ ἀνδρός spectet, mortem subit. Postremo Ap. quod in suâ disputatione inconcinnum videri potest et sensit ipse et vel mitigavit vel correxit, conclusione v. 4. tum ad sententiam v. 1. tum ad exemplum v. 2. 3. acutissime accommodatâ. Nam verbis v. 4. ὥστε καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ ad v. 1. respicitur, vocabulis διὰ τοῦ σώματος τ. Χρ. εἰς etc. exempli ratio habetur (cf. ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ — v. 2. 3.). *Allegoriam* versu 2. et 3. contineri multi precario sumserunt. Sic *Beza* maritum *corruptionem nativam*, uxorem *hominem carnalem et qualis nascatur*, *Reichius* contra mulierem *genus humanum*, maritum morientem *Christum* et τὸν νόμον *legem mos.* dici putavit. At verbis ὁ ἀνήρ et ἡ ὕπανδρος γύνη aliud quidpiam quam *maritum* et *maritatam mulierem* dici P. ne verbo quidem indicavit et ipsa conclusio v. 4. ex v. 1—3. instituta habere v. 2. 3. vim exempli documento est. Quare fieri non potuit, quin qui allegoriam versui 2. et 3. subesse opinati sunt in toto h. l. caecutirent et Ap. argumentationem everterent. — V. 4. Jam rationem P. concludit; itaque vos quoque *vitâ* legi mos. dicandâ *privati estis per corpus Chr.* h. e. *eo quod Christi corpus vitâ privatum aut nece affectum est.* Quae quidem conclusio tum quod e vs. 1. tum quod e vs. 2. et 3. consequatur conficit. Eam si P. tantummodo e vs. 1.

duxisset, contentus fuisset verbis *ὥστε — καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ, itaque vos quoque morte legi mos. erepti estis.* ac niteretur haec enuntiatio his duabus quas pro certis et a nemine non concedendis sententiis posuisset *illatam esse hominibus christ. aliquam mortem* et quam vim *physica* mors habeat eandem habere *mortem imaginariam*. Sin e solis vss. 2. et 3. Ap. argumentatus esset, sic loquutus esset: *ὥστε — καὶ ὑμεῖς κατηργήθητε ἀπὸ τοῦ νόμου διὰ τοῦ θανάτου* (cf. v. 2. 3. *ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνήρ*) *τ. Χριστοῦ, εἰς* etc. *quare vos quoque prorsus soluti estis lege mos. eo quod Christus mortuus est, ita ut* etc.. Hujus conclusionis fundamentum sententia esset, quam ut nulli dubitationi obnoxiam P. sumsisset: *legis mos. institutum, quo mulier mariti morte matrimonii vinculis levetur, communem et quae etiam ad Christianorum res pertineat regulam ab ipso quidem Deo propositam continere, ut physica alicujus mors vincula tibi demat, quibus alicui legi adstrictus fueris.* Lege autem *mos.* homines antequam Christus mortuus est tenebantur Col. 2,20.. Sed P. conclusionem simul ad sententiam v. 1. simul ad exemplum v. 2. 3. accommodaturus ita argumentatus est: *ὥστε — καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ διὰ τ. σ. τ. Χρ., εἰς* etc. *ergo vos quoque neci ad legem mos. referendae dediti eo estis, quod Christi corpus necatum est, ita ut* etc.. Nam verbis *ὥστε καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ* ad vs. 1. spectari, proximis autem vocc. *διὰ τοῦ σώματος τ. Χρ., εἰς* etc. versus 2. et 3. rationem duci in promtu est. Duabus autem, quas et certas neque lectoribus ignotas esse P. sumsit, sententiis conclusio nititur, unâ *legis mos. regulis, quarum ratio haec sit, ut moriendo lege mos. solvaris* v. 1. *et quum sis maritata mulier mariti morte matrimonii vinculo leveris etiam in Christianorum rebus, quas divina Mosis lex per ambages monstret, vim et usum esse* Col. 2,17. Hebr. 10,1., alterâ *aliquam, h. e. imaginariam, mortem homines christ. eo occubuisse, quod Christus physicâ morte affectus esset.* Quamobrem P. argumentatio haec est: *quia homines lege mos. moriendo solvuntur* v. 1., et, ut hoc utar, *maritata mulier mariti morte conjugii lege solvitur* v. 2. 3., *hinc vos quoque* (valent enim divina legis mos. instituta etiam in vestris rebus neque imaginariam mortem eo quod Christus interfectus est, vobis illatam esse ignoratis) *nece quae vitam vobis legi mos. dicandam privaret* (ut qui mortem oppetieritis v. 1.) *per necatum Christi corpus affecti estis* (quippe qui imaginariam mortem adieritis physicâ alterius morte vobis oblatam v. 2. 3.). Quae argumentatio aliter refelli nequit, nisi ut sententias, quibus conclusio superstructa est, male sumtas esse do-

ceas. Minime eo refutatur, quod in generali sententiâ v. 1. de morte *physicâ*, in conclusione v. 4. de *imaginariâ* morte sermo instituatur et quam *illa* habeat vim *hanc* quoque exercere male colligatur (*Usterius* l. c. p. 177. et *Reich.*). Recte enim se hoc sumsisse P. putavit, quia Mosis institutis res christ. divinitus praesignificarentur. Neque *Rueck.* collineavit hoc in P. telo intorto: „ex eo, quod mors *officium* tollit v. 1., mortem *ad legem mos.* pertinentem ab aliquo oppetitam esse v. 4. non sequitur" (!!). At versu 1. obsequium *legi mos.* praestandum morte tolli P. indicaverat. Praeterea totius argumentationis rationem *Rueck.* non perspexit. — Homines christ. eo, quod Christi corpus necaretur, vitâ, quam legi mos. consecrarent, privatos esse h. e. Christi mortem effecisse, ut sub legis mos. imperio esse desinerent, simpliciter h. l. P. dixit Col. 2, 14. 20., ut neque quî id Christi morte effici potuisset Gal. 3, 13. Eph. 2, 15., neque cur hominibus christ. legis mos. jugum demendum esset Gal. 3, 14. 2. 4, 1 — 7. exponeret. *Profunda Usterii* l. c. et *Tholuccii* cogitata, quibus Paulo liberaliter suppeditatis explicarent, quo pacto fieret, ut homines christ. lege mos. solverentur, ne sana quidem sunt, ne dum Paullina (v. *Reich.* II, 15.). Ceterum imaginaria Christianorum mors, de quâ hîc agitur, ab eâ diversa est, quae 6, 2. sq. commemorata est. Haec vitam *peccatis* dicandam, illa vitam *legi mos.* consecrandam adimit. Nunc de verbis dicam. Absurde *Grot.*, *Vitringa*, *Kopp.* al., quum v. 1. male sic explicuissent ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ sc. ὁ νόμος, v. 4. ὥστε καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ trajectum esse putarunt pro ὥστε καὶ ὑμῖν ὁ νόμος ἐθανατώθη. Nihilo sapientius *Theodoret.*, *Schol. Matth.*, *Clarius* al. Paulum, qui ὥστε καὶ ὑμῖν ἐθανατώθη ὁ νόμος scribere debuisset, ὥστε καὶ ὑμεῖς ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ dicere maluisse, ne jud. stirpis Christianos, legis mos. admiratores, offenderet perhibuerunt. Non solum meticulosum, verum etiam inconsideratum scriptorem P. fecerunt, apud quem offensionis metus non eo valuisset, ut totam argumentationem revocaret revocatamque ita ut offensio tolleretur formaret, sed hanc vim habuisset, ut prima quae integra sivisset iis continuaret, quae primis non responderent. Et ἐγὼ ἐθανατώθην τῷ νόμῳ *sensu* cum ἐθανατώθη μοι ὁ νόμος congruit. Ἐθανατώθητε τῷ νόμῳ δ. τ. σ. τ. Χρ. P. scripsit non aliam ob caussam, quam quod Christus non in lectulo mortem obierat, sed *nece* affectus fuerat 1 Petr. 3, 18.. *Nece, quâ Christi corpus interfectum est*, *imaginariae neci quae ad legem mos. pertineret dati estis.* Falso *Rueck.* verbo ἐθανατώθητε homines christ. vitâ legi mos. dicandâ *divinitus* (unde hoc?)

privatos esse indicari jecit. *Εἰς* h. l. non finem (*Koelln.*, *Reich.*) indicat, sed *ita ut* valet. Hoc e vs. 6. *ὥστε δ. ἡ* patet, ubi v. 4. munitur. *εἰς τὸ γενέσθαι ὑμᾶς ἑτέρῳ*] *ut in alius potestatem veneritis.* Hanc cogitationem P., ut suam disputationem acueret, iis v. concepit, quae vocabulis in exemplo v. 3., e quo h. l. argumentatur, positis responderent, sed quae aliter quam v. 3. capi vellet. (Latine Pauli orationem sic licet imiteris: ita ut *in alius manum* veneritis). Eandem ob causam Ap., quamquam arcta quae cum Christo conjungitur societas dispar ei est, quae cum meretrice conflatur, tamen 1 Cor. 6,17. sic scripsit *ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστι* h. e. ut pondus adderet sententiae verbis ad praecedentia vocc. v. 16. — *ὁ κολλώμενος τῇ πόρνῃ ἓν σῶμά ἐστιν* formatis. Non igitur P. exemplo v. 3. in allegoriam verso homines christ. nece ad legem mos. referendâ affectos *in Christi matrimonio* locatos esse dixit. Has nuptias qui adornarunt interpretes (v. *Tholucc.*) — *ita ut vos in alius mariti* Eph. 5,25. (*sponsi* 2 Cor. 11,2.) *manum veneritis* h. e. *ejus qui post reditum in vitam vivit, ut partus enitamur Deo* (socero!), non solum jejunam et obscoenam, quâ mollis et effeminata pietistarum natio mire delectatur, sententiam Paulo, viro casto et generoso, placere potuisse temere sumserunt, verum etiam in verborum explicatione peccarunt. Neque enim verbis *ἵνα καρποφορήσωμεν τ. Θ.* ad *partus*, quos mulier vel marito vel socero edat, alluditur, nisi forte pravi Judaeorum appetitus Plutoni liberos pepererunt, soceri suo vel marito v. 5.! *τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι*] Appositio (Gal. 5,14.) paene necessaria. Is enim, in cujus potestatem homines christ. imaginariâ illâ morte oppetitâ venissent, idem erat Christus, qui physicam mortem adeundo imaginariâ morte suos discipulos affecerat. Itaque ne P. disputatio repugnare videretur *vitam agens* Christus a Christo *mortuo* distinguendus erat. Hinc v. *τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι* valent *in vitam reverso ac proinde viventi. Calv.*: qui postquam revixit *aeternam* vitam degit. Hoc e vocc. extricari nequit et haustum est ex 6,9.. *Grot.*: *qui factus ipse homo novus vitam etiam novam postulat* (eodem verbosa *Rueckerti* expositio recidit), *Tholucc.*: *qui post reditum in vitam homines christ. beandi jus et facultatem adeptus est* Col. 3,1. sq., *Reich.*: *quem Messiam esse et dominum, cui recte pareamus, ex eo cognoscimus, quod in vitam rediit* Rom. 1,4.. Haec omnia verbis *τῷ ἐκ νεκρῶν ἐγερθέντι* non dilucide indicata sunt; sunt potius longe repetita et a P. disputatione remota. *Καρποφορεῖν* et *καρπὸν φέρειν*, quae v. Graeci de *terrâ* et *plantis* ponunt, sa-

eri N. T. scriptores per metaphoram *ad homines* transferunt *opera edere* Math. 13,23. Col. 1,10. Joh. 15,5—16.. Referenda sunt igitur haec vocc. ad *technicas* Christianorum formulas (v. supra I,216.). Col. 1,6. καρποφορεῖσθαι non Medium est (v. *Wahl.* et *Bretschn.*) *fructus fero quod ad me attinet*, seinerseits Früchte tragen, (expende Col. 1,10.), sed Passivum *fructibus augeri*, mit Früchten gesegnet werden. Cf. ῥιζοῦν *radices agere*, ῥιζοῦσθαι *radicibus muniri, firmari.* Theophr. de causis pl. 3,2,7. καρποφορεῖν τινι *fructus ferre alicui* (Dativus commodi) h. e. quos aliquis demetat, ergo ei gratos. Male *Kopp.* et *Rosenm.* vocc. ἵνα καρποφορήσωμεν τ. θ. ab appositione τῷ ἐκ νεκρ. ἐγερθ. suspendunt: *qui ex inferis in vitam restitutus est, ut opera edamus Deo accepta.* Nam hoc pacto Paulus haec v. vs. 5. sic exponere debuisset: *nam antequam Christus in vitam rediit opera edebamus Plutoni grata.* Et ratione illi ducti sunt omni vi destitutâ, quod P. καρποφορήσωμεν, non καρποφορήσετε exaraverit. Licebat enim Paulo rei ad omnes omnino Christianos, non solum ad eos qui Romae viverent pertinenti se ipsum immiscere Gal. 3,14. Imo verba ἵνα καρποφορ. τ. θ. cum totâ sententiâ ὥστε καὶ ὑμ. ἐθαν. τ. ν. δ. τ. σ. τ. X. εἰς τ. γ. ὑ. ἑ. cohaerent: itaque vos quoque *morte ad legem mos. pertinente affecti estis* eo quod Christi corpus interfectum est *et sic in alius, qui post reditum in vitam vivit, potestatem venistis, ut* nos qui sumus Christo addicti *opera Deo jucunda ederemus.* Cf. v. 5. et 6.. V. 5. et 6.. Quod P. vs. 4. contenderat *eo consilio* homines christ. per interfectum Christi corpus legi mos. enectos in Christi potestatem venisse *ut facta Deo grata ederent*, id vere se dixisse ex eo intelligi monet, quod iis illâ morte nondum oppetitâ legis mos. vitio affectus tumultum in corpore fecerint ut opera ederentur Plutoni jucunda v. 5., illâ morte affectis lex mos. malos appetitus evocans nihil jam incommodet eaque locum fecerit spiritui div., virtutis monitori v. 6.. — ὅτε ἦμεν ἐν τῇ σαρκί] Horum v. sententia iis dubia esse non potest, qui quidnam h. l. Paulo enuntiandum fuerit satis attenderint. Cui quum *neci* Christianis illatae consilium quod ipse attulisset subfuisse demonstrandum esset, vocabula ὅτε ἦμεν ἐν τ. σ. sententiam notioni verbo ἐθανατώθητε v. 4. comprehensae oppositam contineant necesse est idque confirmat ἀποθανόντες v. 6., voc. nostris verbis ex adverso locatum (v. *Rueck.* et *Koelln.*). Quocirca *quum viveremus* valent. Sed ἡ σάρξ h. l. corpus simpliciter minime designat (2 Cor. 10,3. Phil. 1,22. 24. 1 Petr. 4,2.). Nam ὅτε γ. ἦμ. ἐν τῇ σαρκί sic idem declararet quod ὅτε γ. ἦμ. ἐν τῷ σώματι (Hebr. 13,3. 2 Cor. 5,6. 8.), quod

absurde diceretur propterea, quia homines christ. eo quod τῷ νόμῳ ἐθανατώθησαν e corporis custodiâ minime evolarunt. Itaque P. se mortem et vitam quae ad legem mos. referatur *imaginariam* dicere, ut adumbratâ suâ morte exstinctus nihilo secius vivat et spiret, significare debebat. Hoc sic Ap. instituit, ut quaesitâ ambiguitate toti loquutioni *εἶναι ἐν τῇ σαρκί vivendi* notionem, ut opponeretur verbis *θανατοῦσθαι* et *ἀποθανεῖν* (v. 4. 6.), illigaret, sed *τὴν σάρκα* non ipsum corpus, sed quatenus prava studia aleret (I, 380.) h. e. corporis ad peccandum invitamenta diceret: *nam quum voluptarii corporis carcere inclusi essemus.* Aptissima est autem haec vitae legi mos. dicatae descriptio quia ea lex P. auctore corpus ad perversa studia proclive, quamquam non suâ sed hominum perversitate, mire fovit, ut hoc corpus deposuisse videri possent qui lege mos. soluti essent. Qui *τὴν σάρκα corpus libidinosum* ita interpretati sunt, ut totam formulam *εἶναι ἐν τῇ σαρκί* simul *vitae quâ fruaris* cogitationem verborum *θανατωθῆναι* et *ἀποθανεῖν* notioni oppositam complectionem agnoscerent (*ὅτε γ. ἦμ. ἐ. τ. σ.* i. q. *ὅτε γὰρ ἦμεν σαρκικοὶ καὶ οὔπω πνευματικοί* 8, 4—8.. *Orig.*, *Chrys.*, *Beza*, *Calv.*, *Calov.*, *Vatabl.*, *Beng.*, *Heum.*, *Usterius* l. c. p. 69. al.) P. argumentationem postulare, ut *εἶναι ἐν τῇ σαρκί vivendi* notionem exprimat, non considerarunt. Ii autem, qui *τὴν σάρκα legem mos.* notare perhibuerunt (*Theodoret.*, *Oec.*, *Schol. Matth.* *τῇ σαρκί*] *τῇ κατὰ νόμον πολιτείᾳ*, *Grot.*, *Carpz.*, *Kopp.* al. *nam quum legi mos. subjecti essemus*), et voci *τῆς σαρκός legis mos.* significatum affinxerunt et in errorem eo inducti sunt, quod verbis *ὅτε γ. ἦμ. ἐ. τ. σ.*, ad quae v. 6. *ἀποθανόντες* refertur, opponi vocc. v. 6. *νυνὶ δὲ κατηργ. ἀ. τ. ν.* male putarunt. *De Wettius τὴν σάρκα* simul *vitam quam legi mos. adstrictus degas*, simul *libidinem per legem mos. irritatam* (!) declarare jecit. Quos hujus commenti auctores nominavit, ii *τὴν σάρκα* non aliter quam Orig. (v. supra) vel ceperunt vel capere debuerunt et ut tempus, quo homines legi mos. subessent, verbis *ὅτε γ. ἦμ. ἐν τῇ σαρκί* commode indicari appareret, partim *observarunt*, partim *observare voluerunt*, qui adhuc *σαρκικοί* sint, necdum *πνευματικοί* aut renati Joh. 3, 5., eos, quippe nondum *τῆς χάριτος* participes factos 8, 15., diris quas lex mos. imprecetur Gal. 3, 13. etiamnum obnoxios vivere aut esse *ὑπὸ νόμον* Rom. 5, 14. (v. *Calv.*, *Calov.*, *Fr. Schmid.*, *Rosenm.*, *Tholucc.*). *τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν*] *affectus* (Gal. 5, 24.) *qui peccatorum sunt* np. *quatenus peccata pariunt* (v. 7. Jac. 1, 15.), ergo *appetitus peccata gignentes.* *τὰ διὰ τοῦ νόμου*] Simplicissima et quae cuivis, qui interpretes nondum

dum contulerit, primum se offerat, *Lockii* interpretatio est, qui διά de statu cepit: qui sub lege (h. e. quum es legi mos. adstrictus, valente lege mos.) vigent (v. I, 138.). Haec ratio valde eo commendatur, quod *de tempore* h. l. agitur (ὅτε γ. ἦμεν ἐ. τ. σ. v. 6. νυνὶ δ. κ. ἀ. τ. ν.. 6,20,22.), neque ei obest v. 7. ὁ νόμος ἁμαρτία; Nam quod sibi hic Ap. ipse objicit, etiam ex hâc sententiâ nascitur: florere solere malos appetitus *dum subsis legi mos.*, quippe quae in hunc sensum accipi potuerit, *legis mos.*, *quia non sancta sit*, *vitio* vigere pravos appetitus in hominibus ex ejus legis regulâ viventibus. Sed longe plerique explicatores διά *per* interpretantur. Quod si magis placuerit, illud concedas necesse est, *ambigua* esse v. τὰ διὰ τ. ν.: qui (affectus) *per legem mos.* excitantur, quum duo declarare possint, unum, vim exercere malos appetitus *vitio legis*, quoniam ita praecepta sua formaverit, ut vel bono viro vetitorum desiderium injiciant, alterum, vigere illos *hominum culpâ*, in quibus tanta vis libidinis sit, ut gravibus sanctissimae legis interdictis ad prava studia et male facta se invitari patiantur, neque aliam ob causam Paulum posteriorem sententiam sibi placere v. 7. sqq. exposuisse, quam ne quis ambigua vocabula τὰ διὰ τ. ν. in priorem sententiam interpretaretur. Inconsiderate igitur *Chrys.*, *Theodoret.* al. (cf. *Tholucc.*) de industriâ Paulum τὰ διὰ τ. ν. (Chrys. temere supplet φαινόμενα, γνωριζόμενα: verba τὰ παθήματα τ. ἁ. τὰ διὰ τ. ν. nihil valent nisi *)**: appetitus peccata parientes qui per legem mos. excitantur**, idque sola per sese) scripsisse, ut *homines sanctâ Mosis lege abusos esse* significaret, perhibuerunt: nam si *legis mos. vitio* affectus vigere dicere voluisset, eum haec v. collocaturum fuisse: τὰ παθήματα τ. ἁ. τὰ ὑπὸ τοῦ νόμου γινόμενα. ἐνηργεῖτο ἐν τ. μ. ἡ.] *appetitus operabantur*, *vim suam exercebant*, *in corporis membris*, *tanquam in suâ officinâ* (6, 12. 7, 18. 23.). Ἐνεργεῖν, h. e. ἐνεργὸν εἶναι, absolute positum in universum notat *gnavum esse*, *operari*, Eph. 2, 2. Polyb. 4, 40, 4., cum Accusat. rei copulatum *aliquid facere*, *peragere* 1 Cor. 12, 6.. (Cum Accus. personae sensu obscoeno dicitur, ἐνεργεῖν γυναῖκα, subagitare feminam, Alciphr. ep. 3, 55.). *Erasmi*, *Vatabli* al. opinio, qui hoc v., quia *occultam* vim subindicet, designare putant *secreto agere* innumerabilibus l. refellitur, v. c. Polyb. l. c. et 27, 1. 12.

*) Non minus licenter alii (v. c. *Knapp.* Opusc. p. 404.) supplent ἀφορμὴν λαβόντα e v. 8. et 11., quod etiam propterea probari nequit, quia v. 8. et 11. διὰ τῆς ἐντολῆς cum ἀφορμὴν λαβοῦσα non cohaeret (v. ibi).

Diod. S. 1,35. Phil. 2,13.. Paulus etiam Medium, quod alias non legitur (nam Polyb. 2,6.7. jam dudum ἐνεργασάμενοι correctum est), identidem usurpavit, sed ut id ab Activo distingueret. Nam ἐνεργεῖν *vim exercere* de *personis*, ἐνεργεῖσθαι *ex se* (aut *suam*) *vim exercere* de *rebus* collocavit Gal. 5,6. Col. 1,29. 1 Thess. 2,13. al.; ut h. l.. Passivo (cf. ἐνεργεῖται πόλεμος Polyb. 1,13,5. Joseph. A. J. 15,5, 3.) nunquam P. usus est. Male igitur Tertull. de monogamiâ c. 14. *Chrys.* et *Outhovius* Bibl. Brem. Cl. IV, 471. ἐνηργεῖτο Passivum esse crediderunt, quum praesertim id h. l. ineptum sit. Inepte enim *Chrys.* argutatur, Paulum ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμ. quam ἐνήργει τὰ μέλη ἡμῶν dicere maluisse, ut τῆς πονηρίας τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν ἐνεργούντων λογισμῶν, οὐκ ἀπὸ τῶν ἐνεργουμένων μελῶν proficisci declararet, opinatus. Nam si ἐνηργεῖτο passive sumseris, l. sic explicandus est τὰ παθήμ. τ. ἁμ., τὰ δ. τ. ν., ἐνηργεῖτο (scil. διὰ τοῦ νόμου) ἐν τ. μ. ἡμ.. Ceterum hîc quoque nonnulli (*Calv.*, *Limb.*, *Reich.*) τὰ μέλη intellectum et voluntatem complecti temere putarunt (v. Col. 3,5. cl. I,386.). εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ Θανάτῳ] ὁ θάνατος h. l., sicut in hâc totâ P. disputatione 5,12. sqq., *mors physica* est, sed pro personâ hîc inducitur: *ita ut* (*affectus*, τὰ παθήματα: neque enim P. posuit εἰς τὸ καρποφορῆσαι ἡμᾶς τ. Θ. ita ut fructus *ferremus* Deo) *fructus ferrent Morti* i. e. *Plutoni*. Ibi enim Pluto metit, ubi pravi appetitus peccata severint h. e. mire gaudet Pluto peccatis, quoniam ii tantummodo qui peccaverint in ejus ditione futuri sunt 5, 12. 6,23. 1 Cor. 15,56.; Deus contra messem facit quum quis pie vixerit aut probe factis unice delectatur, quippe qui nihil malit quam pietatem vitâ sempiternâ remunerari 6,22 sq.. *De Wettius* quum τὸν θάνατον *miseriam peccatis contractam* male explicuisset, parum accurate ab Ap. τὸν θάνατον τῷ Θεῷ v. 4. opponi sibi persuasit. V. 6. ἀποθανόντες] Conformatio recepta ἀποθανόντος. Hoc enim *Beza Chrysostomi* auctoritate motus dederat. At *Chrys.* ἀποθανόντες et legit et interpretatus est. Nam postquam Paulum consulto κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, non κατηργήθη ὁ νόμος aut ἡ σάρξ scripsisse observavit, haec adjecit: καὶ πῶς ἡμεῖς κατηργήθημεν; τοῦ κατεχομένου παρὰ τῆς ἁμαρτίας ἀνθρώπου παλαιοῦ ἀποθανόντος καὶ ταφέντος· τοῦτο γὰρ ἐδήλωσεν εἰπών· ἀποθανόντες ἐν ᾧ κατειχόμεθα, ὡσανεὶ ἔλεγεν, ὁ δεσμὸς δι' οὗ κατειχόμεθα ἐνεκρώθη καὶ διεῤῥύη, ὥστε τὸν κατέχοντα μηδὲν κατέχειν λοιπόν, τουτέστι τὴν ἁμαρτίαν. Dixit igitur nos e P. sententiâ lege mos. prorsus solutos eo esse, quod *impura*, *quam olim gessissemus*, *persona Peccati vin-*

culis constricta (h. e. pristina nostra impuritas cf. 6, 6.) mortua esset et sepulta idque Paulum ipsum indicasse verbis ἀποθανόντες ἐν ᾧ κ., quorum haec sententia esset: vinculum, in quo fuissemus, *h. e. Peccatum*, interisse. Quare hanc structuram iniit: ἀποθανόντες ἐκείνῳ s. τούτῳ, ἐν ᾧ κατ. et dici putavit τοῦτο, ἐν ᾧ κατ. *Peccatum*. Ne multa; loquutus est de παλαιῷ ἡμῶν ἀνθρώπῳ aut de Peccato mortuo, non de *mortua Mosis lege*. Si *Chrys*. ἀποθανόντος vel legisset vel interpretando expressisset, non solum ἀποθονόντος τοῦ κατέχοντος νόμου pro τοῦ κατεχομένου παρὰ τῆς ἁμαρτίας ἀνθρώπου παλαιοῦ ἀποθανόντος scribere (v. *Wetst.* ad h. l.), verum etiam τοῦτο (s. ἐκεῖνο), ἐν ᾧ κατ. non de τῇ ἁμαρτίᾳ, sed de τῷ νόμῳ, ut fecit *Theophyl.*, exponere debuisset. Imperite *Tholucc.* tum *Chrysostomum* verba sic struxisse putavit ἀποθανόντες πρὸς ἐκεῖνο, ἐν ᾧ κατ. (*!*), deceptus nimirum Theophylacti verbis πρὸς ἐκεῖνο τὸ πρᾶγμα, ἐν ᾧ κατ., quae non vidit a vocc. ἀκίνητοι γενόμενοι regi, tum *Theophylacti* explicationem a *Chrys*. enarratione non differre opinatus est. Omnino ἀποθανόντος *lectionis* vim minime habet. Nam legitur tantummodo in cd. Viennensi (v. *Mill.* et *Beng.* in Appar.) et in ed. Euth. utrobique, ut videtur, scribae vitio. Certe in Euth. ed. addita interpretatio ἀποθανόντες firmat (v. *Matth.* ed. min.). Quamquam si in aliquot Cdd. ἀποθανόντος compareret mirum non videretur. Multi enim interpretes Paulum vel de legis mos. vitâ et morte h. l. loquutum esse, vel quominus de ea loqueretur jud. stirpis Christianorum metu deterritum esse putarunt; v. not. ad v. 1. 4.. Hic quoque nonnulli caute Paulum, ne Christianos qui olim Judaei fuissent offenderet, κατηργήθημεν ἀ. τ. ν. pro κατηργήθη ἡμῖν ὁ νόμος exarasse putarunt (*Theodoret.*, *Theophyl.*, *Vitringa*, *Wolf.*, *Kopp.* al.). Sed etiamsi ἀποθανόντος permulti cdd. offerrent, tamen vitio creatum esset. Praeterquam enim quod P. nunquam legem mos. mortuam esse, semper nos esse legi mos. mortuos affirmavit Gal. 2, 19. Col. 2, 20., h. l. ut sibi constaret (v. 1. 4. 5.) posterius dicere debuit, prius vir secum concordans ne potuit quidem dicere. Scilicet ἀποθανόντος aliter exponi non potest, nisi sic: νυνὶ δὲ κατηργ. ἀ. τ. ν. ἀποθανόντος (np. αὐτοῦ) ἐν ᾧ κατ.. Tum τοῦ θανάτου pro ἀποθανόντες continent D. E. F. G. It. Vulg. cdd. ap. Ruf. Tert. Hier. Aug. Ambrosiast. Vigil. taps. Sedul. Beda. Hoc impense placuit *Reichio*. At manifestum glossema est vocis ἀποθανόντες, quod qui, moti, ut videtur, verbis v. 5. εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ et v. 10. ἐγὼ δὲ ἀπέθανον (cf. v. 13.) parum accurate explanatis ad *miseriam* quam lex

mos. apportavisset rettulissent, quum voce. sic struxissent: *νυνὶ δὲ κατηργ. ἀ. τ. ν., ἐν ᾧ κατειχόμεθα, ἀποθανόντες* s. *νυνὶ δὲ ἀποθανόντες κατηργ.* etc. *nunc autem prorsus soluti sumus lege mos. quâ tenebamur, miseri per eam facti* s. *postquam ejus miseriam degustavimus*, loci sententiam hanc esse *nunc autem prorsus liberati sumus a lege mortis* (h. e. quae miseriam in nos derivavit), *quâ tenebamur* verbis ex 8,2. sumtis declararunt. *Koellnerus τοῦ θανάτου* glossema esse existimat, quod verbis *ἀπὸ τοῦ νόμου* primo adjectum deinceps verbi *ἀποθανόντες* locum occupaverit. Non assentior viro doctissimo. Nam si ita res acta esset, subsidia haberemus, quae *ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ θανάτου ἀποθανόντες* conjunctim praeberent. At qui libri *ἀποθανόντες* habent, *τοῦ θανάτου* excludunt et vicissim. Praeterea *τοῦ θανάτου* vera lectio esse nequit propterea, quod eâ susceptâ vocabulo destituimur verbis in argumentatione primariis v. 5. *ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκί* opposito. Eandem ob causam *Semleri* conjectura, qui tum *ἀποθανόντες* tum *τοῦ θανάτου* librariis tributo P. *νυνὶ δὲ κ. ἀπὸ τοῦ νόμου ἐν ᾧ κατειχ.* dedisse censebat, rejicienda est. Recte plerique editores (recentius *Beng.*, *Griesb.*, *Matth.*, *Knapp.*, *Tittm.*, *Lachm.*) et interpretes Paulo vindicarunt *ἀποθανόντες*, quod omnium, quae *τοῦ θανάτου* non praebent (v. supra), subsidiorum auctoritate munitum necessariam ad *ὅτε γ. ἦμεν ἐν τ. σ.* v. 5. oppositionem infert. Sed quaeritur de verborum constructione. *Rueck.*, *Reich.*, *de Wettius*, *Win.* gr. 150. ed. 4. quum *ἀποθανόντες* arcte cum v. *κατηργήθημεν* consociassent, ut modum quo lege mos. soluti essemus (*Win.*) declararet, *ἐν ᾧ κ.* cum *ἀπὸ τοῦ νόμου* copularunt. Obstat iis et verborum ordo (nam *ἀποθανόντες* hoc pacto aut post *νυνὶ δέ* aut post *κατειχόμεθα* collocandum fuisset) et sententia, quandoquidem non diutius homines christ. lege mos. teneri *postquam* aut *quia* mortui essent, Paulo dicendum erat (v. 5.), non ratio commemoranda, quâ legis mos. imperio erepti essent. Itaque *ἀποθανόντες* aut constructionem continuat (*κατηργήθημεν ἀ. τ. ν. καὶ ἀπεθάνομεν αὐτῷ, ἐν ᾧ κατειχ.* 2,4.), aut, quod praefero, vulgare Participium est rei verbis *κατηργ. ἀ. τ. ν.* declaratae causam afferens: *ἀποθανόντες τούτῳ* s. *αὐτῷ* (licet etiam *ἀπὸ τούτου* supplere, quia etiam *ἀποθνήσκειν ἀπό τινος*, *demori de* re, Col. 2,20. dicitur v. I,357.), *ἐν ᾧ κατειχ.* (v. I,425. Eurip. El. 33.). Rectius P. *νυνὶ δὲ ἀποθανόντες κατηργ.* etc. scripsisset, ut *ἀποθανόντες* verbis v. 5. *ὅτε γ. ἦ ἐ. τ. σ.* ipso loco suo responderet judice *Rueckerto*. Atque ita P. dixisset, nisi *severae* nos *imperatrici* morte subtractos esse (*ἀποθ. ἐν ᾧ κατειχ.*) addere voluisset, quod

apte adjecit tum propter v. κατηργ. ἀπὸ τ. ν. tum ob ea quae v. 1—3. leguntur. Nempe lex mos. homines in arctam quandam custodiam inclusos vinctosque nervo continuit, donec venisset Christus, salutis per fidem obtinendae auctor Gal. 3,23 sq. 4,3.. Optime autem haec argumentatio comparata est: *nece nobis illatâ* enecti sumus legi mos. — (v. 4.). *Nam quum viveremus ejus legis vim sentiebamus* (v. 5.); *nunc autem ejus legis vinculis prorsus exsoluti sumus* (neque ullam, ut quivis videt, ejus vim sentimus), *quoniam ei quae nos constrictos tenebat mortui sumus.* Quod P. ait ὥστε κ. τ. λ. *ita ut serviamus* (h. e. atque ita servimus) hâc nititur sententiâ: in legis mos. locum div. spiritum, qui homines gubernaret, successisse 8,15. Gal. 4,6.. δουλεύειν] Quanquam *Deus* is est, cui servitur, perperam tamen interpretes τῷ θεῷ cogitando addunt 6,22.. Absolute enim Ap. δουλεύειν (i. q. δούλους εἶναι) collocavit, partim in disputationis conclusione memoriam eorum, quae 6,16—22. de τῇ δουλείᾳ disseruerat, renovaturus, partim verborum ἐν ᾧ κατειχ. ratione habitâ hoc indicaturus, mansisse τὴν δουλείαν, sed ejus rationes prorsus immutatas esse, quippe quae ad novi spiritus nutum, non ad obsoletae legis normam serviatur. ἡμᾶς] om. tantummodo B. F. G.. Hinc *Lachm.* [ἡμᾶς]. Exclusâ voce nimis nuda est oratio. Alia est conditio l. 1 Cor. 10,13.. Servire *in* div. spiritus novitate neque *in* scripti vetustate h. l. valet servire quum spiritus novitatem, neque scripti vetustatem *habeas* et sequaris. Structurâ congruunt, sensu partim discrepant haec l. LXX. Ps. 2,11. 99,1. Luc. 1,75. Rom. 1,9. 2,12. 14,18.. Πνεῦμα P. dixit div. spiritum (8,2—17. Gal. 3,2—5. 4,6.), γράμμα Mosis legem literis consignatam 2 Cor. 3,6.. Et illum quidem, qui regeret homines christ., duabus rebus hanc vincere, quae eos Mosis disciplinae addictos olim gubernasset, Ap. significavit. Unam voci γράμματος illigavit. Lex mos. γράμμα, *scriptum*, est non quod Judaeorum animos ad honestatis studium *extrinsecus* impellat, quum div. spiritus *intus* in Christianorum animis virtutis studium accendat et alat (*Win.* ad Gal. p. 144.), sed quia res muta est, quae torpens ipsa torpore homines afficiat, quum div. spiritus et ipse vigeat et potentes eos reddat, quorum animos occupaverit 8,15. 15,19. Joh. 6,63. Eph. 3,16.. Fortem igitur gubernatorem ignavae rectrici Ap. opponit, satis recte, ut mihi quidem videtur (v. *Reich.*). Alteram rem et quam hic potissimum spectandam duxit verbis καινότης et παλαιότης Ap. inclusit. Gravius enim dicitur καινότης πνεύματος et παλαιότης γράμματος, quam καινὸν πνεῦμα et παλαιὸν γράμμα (v. 1,

367.). Sed quum div. spiritui *καινότητα*, legi mos. *παλαιότητα* P. tribueret, illum, quippe nuper demum hominibus suppeditatum Gal. 4,4. sq., et virere et aptum, qui tum temporis hominibus imperaret, dominum esse, hanc *priscis* hominibus datam jam obsolevisse significavit Hebr. 8,13.. (Eur. Hel. 1056. *παλαιότης γὰρ τῷ λόγῳ γ' ἔνεστί τις*, ubi v. *Tyrwhittus*.) Itaque verbis *καινότης πνεύματος* et *παλαιότης γράμματος* spiritum div. *juvenilem* et fortem moderatorem, legem mos. *vetulam* rectricem et ignavam esse indicavit. Argute *Bengel*, quem non contulisse videntur *Rueck.* et *Reich.*, qui eum *ἐν* pro notâ Dativi sumsisse dictitarint (v. *Flatt.* cl. *Win.* gr. 195.): „Observa etiam *in* semel, non *bis*, positum. *Vetustati* servivimus, non Deo (Gal. 4,9.), nunc non novitati, sed *in novitate* servimus Deo (6,22.).“ Tollit haec interpretatio manifestam oppositionem, quae intercedit v. *ἐν καινότητι πνεύματος, οὐ* (i. e. *οὐκ ἐν* Col. 2,13.) *παλαιότητι γράμματος*. Accedit, quod, ut *Deum scripti vetustati* opponi cognosci posset, Ap. orationem sic formare debuisset: *ὥστε δ. ἡ. ἐν κ. πν. τῷ θεῷ, καὶ οὐ δουλεύειν τῇ παλαιότητι τ. γρ.* Sed duobus vitiis P. argumentatio v. 5. 6. laborat *Reichio* judice. Nam quum ille homines *eo consilio legi mos. enectos* et in Christi potestatem redactos esse, *ut facta Deo grata ederent* v. 4., ex eo intelligi contendisset, quod *experientiâ* teste legi mos. subjecti impure vixissent, legis mos. vinculis exsoluti flagitiosam vitam agere desiissent v. 5. 6., perperam illum primo, initum in abrogatâ Mosis lege *consilium* ex abrogationis *eventu* vitiose argumentatum, quae hominum culpa fuisset in legem mos. contulisse 7,12. 14., deinde non considerasse, tum temporis, ut in recenti re, nondum liquido affirmari potuisse, efficere Christi doctrinam quod Mosis disciplina efficere non potuisset. Verum enim vero Ap. suam argumentationem experientiae testimonio superstruxisse nego et pernego. Imo sententiam v. 4. propositam duobus argumentis fulsit. Ac primum quidem ad *hominum indolem* provocavit, quâ fieri non potuisset, quin *promulgatâ Mosis lege* ad peccandum invitarentur (v. 5. et 6. init.). Tantam enim hominum impotentiam non illam naturâ iis insitam, sed extraordinario Dei instituto effectam (v. not. ad v. 13.), esse putavit, ut Mosis lex, quamvis sanctissima v. 12., tamen perversos homines non posset non ad malas cupiditates accendere v. 7 sq.. Deinde suae sententiae v. 4. veritatem *tum ex legis Mos. tum ex spiritus div. indole* cognosci contendit. Esse enim illam vetulam atque inertem rectricem, hunc juvenilem moderatorem potentemque pietatis monitorem Gal. 5,22—25.,

Quare qui Paulum refellere constituerit duo doceat necesse est, unum non minus Christi praeceptis Christianos ad peccandum sollicitari, quam Judaei lege mos. sollicitati sint, alterum, non antecedere div. spiritum Mosis legem iis virtutibus, quas illi P. tribuerit.

Qui libero et qui in praejudicatam opinionem non propendeat animo locum 7,7. — 8,17. diligenter consideraverit, eum commentarios complecti, quibus ante dicta 7,5. 6. tum illustrentur tum corroborentur, non potest non intelligere. Docet enim expositionis ad v. 5. relatae exordium v. 7—12., planum facit dissertationis 7,7—8,17. argumentum, demonstrat bipartitae disputationis (altera enim v. 7—25. ad v. 5. spectat, altera 8,1—17. ad 7,6. pertinet) ratio et conclusio (v. 7,25. cl. v. 5., et 8,1. 13. sq. cl. 7,6.). Dicendi exordium P. capit a sanctitatis, ob quam legem mos. rectissime reverearis, defensione 7,7—12.. Nam verba v. 5. *τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου* impuritatem, quâ pravos appetitus foverit et ad malas actiones homines pellexerit, legi mos. exprobrare videri poterant. Ostendit igitur P., Peccati monstrum, quod Mosis lege nondum latâ tanquam sopitum jaceret, legis mos. quod malas cupiditates alere vetaret interdicto expergefactum suae impuritatis virus expromsisse, quum per sanctissimum praeceptum, quod pravas cupiditates hominibus interdixisset, malas omnis generis cupiditates hominibus accendisset iisque quum capti cupiditatum lenociniis peccassent mortem peperisset. Quae sic P. eloqui potuisset, ut diceret: non impuram esse Mosis legem, quod ex v. v. 5. aliquis argumentetur, facile patet. Nempe Peccatum quod lege mos. nondum promulgatâ somno sepultum est excitat lata lex, quippe suum furorem effundendi materiam ei suppeditans. Vitâ igitur destitutum erat Peccatum quum Mosis lex nondum lata esset, sed vivere coepit hoc praecepto promulgato: noli male concupiscere. Nam praecepto, quod ut pravae cupiditates frangerentur datum esset divinitus, Peccatum abusum est, quum motis per sanctum praeceptum pravis cupiditatibus peccata gigneret iisque qui peccassent mortem afferret. Quamobrem et recte *ὅτε ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ τὰ παθ. τ. ἁ. τὰ διὰ τοῦ νόμου ἐνηργεῖτο ἐ. τ. μ. ἡ. εἰς τὸ καρπ. τ. Θ.* supra contendi et ita contendi, ut rei culpam in legem mos. non conferrem. Sed maluit Ap. quae tum de hominum genere v. 8. 9., tum de iis hominibus, qui ante Mosis legem et post eam ita ut ei subjecti essent vixissent v. 9—11. *in universum* dicere potuisset, rem oculis magis subjecturus sic enuntiare, ut primâ personâ usus eorum partes ageret, de quibus valerent quae

dicerentur. Non intercessisset inter *me* (*hominem*) et Peccatum usus, nisi etc. v. 7. *Ego* autem vivebam aliquando sine lege mos. (*genus humanum — vivebat*) etc. v. 9. sq.. Frequentat hoc schema P. (v. 1, 163.). Ejus ratio haec est, ut vim ac vigorem orationi conciliaturus in te transferas, quae vel in neminem non vel in certum hominum genus conveniant *). Scilicet nonnihil languoris oratio trahat necesse est, quum multa diu generatim et impersonaliter loquendo exponas. Sed ut illud schema a quovis deprehendatur, ita semper formanda oratio est, ut et qui loquatur non de se dicere videri possit neque quorum hominum personam aliquis sibi imposuerit attentum lectorem praetereat. Horat. de A. P. 24. Maxima pars *vatum*, pater et juvenes patre digni, | decipimur specie recti; *brevis esse laboro*, | *obscurus fio* —. ibid. 83. sq. 265. sq. Thucyd. 6, 78.. Hanc regulam P. hic quoque observavit. Sunt enim quae v. 7—11. continentur tum sola per sese spectata tum cum proxime dictis v. 5. collata ejusmodi, ut neque in Paulum conveniant, neque nisi partim omnibus hominibus v. 7. 8. partim iis qui primum ante legem mos. vixissent deinde Mosis disciplinae subjecti mortis acerbitatem degustassent v. 9—11. apta considerato lectori videri possint. Sed quum Ap. rationem concludens Mosis praeceptum *bonum* esse dixisset v. 12., haec sibi hominum Peccati per Mosis legem irritati importunitatem expertorum personâ susceptâ objecit; ergo bonum Mosis praeceptum mortis pestem mihi attulit? Paucis verbis haec diluit v. 13. ἀλλὰ ἡ Ἁμαρτία. Nam *Peccatum* vitali praecepto abusum mortem hominibus peperisse ex

---

*) Si huic schemati nomen ponendum est, non impedio quo minus *ἰδίωσις* appelletur. Male permulti *metaschematismi* nomen illi indiderunt, nisi loco 1 Cor. 4, 6.. Neque enim illud schema ibi obtinet, quandoquidem non *rhetoricâ* ductus ratione quae de omnibus doctoribus christ. valerent per primam personam Ep. enuntiavit. Imo *et hic* a ratione motus quae de magistris christ. in universum dici potuissent, v. c. non esse eos, nisi ministros, qui prout cuique Deus rei facultatem dedisset, homines ad Christi sacra adducerent, aut procuratores, qui arcana divinitus commissa administrarent (3, 5. 4, 1.), mutatâ orationis formâ in se et Apollonium, *Corinthiorum magistros* 3, 6., transtulit, ut hos ipsos non majorem, praeter quam Christi ministrorum et Dei procuratorum dignitatem sibi assumere doceret (3, 5. — 4, 6.). Voluit enim Corinthios *a magistris suis* modestiam discere atque efficere, ne porro ferocirent, quum alterum magistrum inique extollerent, alterum temere contemnerent (4, 6. cf. 1, 12. 3, 4.). Non intellexit hunc l. *Rueckertus* ita Paulum orationem formasse, tanquam quâ admonitione soli Corinthii indigerent, *ea tum ipse egeret tum Apollonius*, opinatus!

superius dictis 7—11. nemo non intelligere potuit. Illud accurate exposuit, sapientissime Deum rem sic instituisse, ut Peccatum per bonam legem homines in orcum praecipitaret. Voluisse enim eum homines docere, quanta Peccati esset improbitas v. 13.. Insigniter enim improbus sit necesse est, qui non solum prava et nocentia in aliorum perniciem convertat, verum etiam ex salutaribus et bonis rebus pestem aliis machinetur. Quibus dictis primariam v. 13. sententiam (non lex mos., sed Peccatum mortem *mihi attulit*) ita firmat, ut eorundem hominum, quorum nomine objectionem v. 13. proposuit, partes agat. Quamobrem non potest non praesenti tempore uti v. 14. *ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι* — v. 25.. Mortem enim homines (Judaei), quorum causam P. agit, sibi a Peccato per legem mos. paratam esse vident et quoniam eo destituuntur, qui pestem ab se propulset, impraesentiarum suae calamitati ingemiscunt. Sic igitur disputat: Non optima Mosis lex, sed Peccatum mortem *mihi* apportavit v. 13.. Nam quum legem mos. spiritus divini indolem habere nemo ignoret, *ego* (Judaeus) libidinosi corporis mancipium sum menteque probo Dei legem, corpore, in quo, quemadmodum immanis bellua in suâ caveâ, Peccatum saevit, ei legi obsecundo, quam dat Peccatum. Quis tandem servator exsistet, qui corpore hanc quae mihi imminet mortem afferente me liberet! (v. 14—24.) Quae omnia sententiam v. 5. egregie illustrant. Praeterea multae loquutiones exponi versum 5. documento sunt. Vid. v. c. v. 14. *ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι*, v. 18. *οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοί, τουτέστιν ἐν τῇ σαρκί μου, ἀγαθόν*, v. 23. *ὁ νόμος τῆς Ἁμαρτίας ὁ ὢν ἐν τοῖς μέλεσί μου* (v. 5. *τὰ παθ. τ. ἁ. — ἐνηργ. ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν*), v. 24. *τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώμ. τοῦ θανάτου τούτου*; (v. 5. *εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ Θανάτῳ*). Jam quod P. illam pestem Deum Christi interventu ab hominibus depulisse pie fatetur v. 25. atque inde nullam jam damnationem ad mortem hominibus christ. metuendam esse argumentatus 8, 1. duci Christi discipulos vitali Dei spiritu et fracto Peccati dominatu causâque ob quam lex mos. ad promovendam hominum pietatem nihil potuisset amotâ tam praeclaro magistro usos divinae legis praeceptis satisfacere exponit 8, 2. sq., manifesta est explicatio loci 7, 6.. Quamquam vel ratio, quâ P. ab hominibus sub lege mos. per Peccatum miseris ad homines christ. per div. spiritum beatos (cf. 7, 6. — *ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι Πνεύματος*) transiit, rem comprobat. Vid. 8, 1. *οὐδὲν ἄρα νῦν* (Christo ad homines misso et interfecto 7, 25. 8, 3.) *κατ.* etc. cl. 7, 5. 4, 8, 3.. Certum est igitur, Paulum ver-

su 5. et 6. enuntiata illustraturum capite 7. infelicem hominum qui Mosis disciplinae subditi vixissent conditionem describere, cap. 8, 1. — 17. fortunatum Christianorum quibus ex illâ miseriâ exemtis div. spiritus impertitus esset statum referre. Sic recte de hoc l. judicaverunt Iren. adv. Haer. 3,20,3. cl. 2., Tertull. de pudic. c. 17. (ed. Froben. p. 761.) Chrys., Theodoret., Theophyl., Erasm., Castalio, Faustus Socinus, Grot., Limb., Turretin., Beng., Baumgartenus, Heum., Wetst., Knapp. scripta v. arg. p. 402 sq., Rueck., Koelln., Reich. et multi alii. Cf. *Whitbyum* de commentariis patrum p. 249., *Heum.* ad v. 14. et *Knapp.* l. c.. Neque aliter de hoc l. sensit Augustinus nondum motâ controversiâ cum Pelagianis (v. Expositio quarundam propositionum ex ep. ad Rom. XLIV. ad c. 7. v. 19. 20. „— Nunc enim homo describitur sub lege positus ante gratiam." XLV. ad c. 7. v. 25. „Deinde [h. e. a verbis ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ etc.] incipit describere hominem sub gratiâ constitutum."). Sed quum Pelagiani humanam naturam improbo Adami facinore non ita depravatam esse, quin homines nondum renati et velle possent honeste agere et honestate delectarentur ex h. l. (v. 16. — 22.) docuissent, Augustinus „*posse quemque sanctum jam sub gratiâ positum dicere ista omnia, quae ipse antea dixisset verba hominis esse nondum sub gratiâ positi, sed sub lege*" (Retractat. l. I. c. 23.), Mosis autem alumnis, quippe nondum renatis, non apta esse quae v. 17. et 22. leguntur (adv. duas ep. Pelagianorum 2,10. 11.) facile sibi persuasit. Itaque hominibus renatis cum impuris studiis, imminutis illis quidem Christi beneficio sed non exstinctis, atrociter conflictandum esse, ut, licet inviti *neque consentientes* v. 15. peccent, peccent tamen, Paulum suo exemplo ostendere c. 7., tum quae hanc minime laetam et a summâ perfectione remotam eorum conditionem consolentur, Dei indulgentiam et spiritum s. in divini amoris pignus iis datum, persequi contendit. Augustino Lutherus, Calvinus et Beza assensi sunt. Itaque in ecclesiis evangelicis seculo 16. et 17. plerique explicatores seculo 18. ineunte et medio satis multi (v. c. *Schoettg.*, *Wolf.*, *Carpz.*). Augustini interpretationem tam certam esse tantoque piorum qui inde a rei christ. primordiis Pauli epistolam enarrassent virorum consensu firmatam crediderunt, ut qui ab Augustino dissentiret novas res moliri et impium facinus committere videretur. De hoc inter illos parum convenit, utrum P. suo exemplo Christianorum cum pravis affectibus luctationem illustrasset, an Christianorum, qui *peccati originalis* irritamenta deplorarent, personam sibi imposuisset 7,7 — 25.. Est autem

Augustini explicatio ab Ap. disputatione et mente tam aliena, ut ejus verba ne potuisse quidem pejus perverti videantur. Nam ne argumenta, quibus Patrum gr. explanationem supra stabilivimus, singula Augustini opinionem evertere moneam, apparet, si quae v. 7 — 25. perscripta sunt vel in P. caderent vel in homines christ. conferri possent, ne potuisse quidem Apostolum quanta esset malarum cupiditatum in hominibus christ. vehementia et importunitas loco magis alieno describere. Qui quum *τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν* in Christianis *quamdiu Mosis alumni fuissent* grassata esse sed lege mos. solutos servire *ἐν καινότητι πνεύματος* modo affirmasset v. 5. 6., aptissime sane suam disputationem ita continuavit, ut tum quanta Judaeorum miseria fuisset tum quanta Christianorum esset felicitas exponeret (v. supra), sed pessime crudelissimam tyrannidem pravas cupiditates in homines christ. *exercere* adjecisset, quam *exercuisse* illas in eos quum Judaei fuissent contendisset, *exercere* in Christianos ultimis v. negasset v. 5. 6.. Sed quam sibi qui loquens inducitur perversitatem non sine gemitu exprobrat c. 7., ea neque in homines quadrat, quos solos P. Christianos appellandos esse judicavit, neque in P. cadit, virum integerrimum et optimum. Scilicet qui v. 7. tristem suam conditionem dolet, quod Peccato emancipatus sit queritur et quum officii sanctitatem tum mente cernat tum intus revereatur tamen se voluptarii corporis irritamentis instinctum facere quod contra officium sit fatetur certissimamque mortem sibi imminere ait 7, 14 — 24.. Enimvero Christianos neque ignavos homines Ap. animo informavit, qui quum vitiorum illecebris se dedidissent malarum cupiditatum (veteris Adami) importunitatem cum ejulatione accusarent suamque impuritatem Dei placatione per Christum factâ consolarentur, quales Christianos esse pietistae volunt, sed fortes homines, qui adjutore div. spiritu cum Peccato atrocissimum bellum gererent, neque miseros esse finxit, quos Mors praedaretur, sed fortunatos esse praedicavit, quod sempiternae vitae participes futuri essent. Nempe Paulo judice homo christ. e vitâ discessit peccatis dicatâ 6, 2. sq., quippe qui libidinosum corpus cum pravis quos fovet affectibus tanquam crucis supplicio enecuerit Gal. 5, 24. cl. 6, 6.. Quare non regit eum voluptarium corpus, sed div. spiritus 8, 2. sq., qui sede suâ in eo positâ eum lustrat 1 Cor. 3, 16. 6, 19. Rom. 8, 11.. Qui postquam in Christi se disciplinam tradidit affectibus, quos corpus excitat, indulget, aut *σαρκικός* est, nomine Christianus est, non re tantumque a perfectione, quae ut sis Christianus requiritur, abest, quantum a viri maturitate

infans 1 Cor. 3,1—4.. Non sunt homines christ. existimandi, qui div. spiritu non ducuntur Rom. 8,9., contra sunt, quos ille moderatur Rom. 8,14.. Hi ad spiritus s., cui pietatem et probitatem commendare antiquum est, mores suos accommodant Gal. 5,22—23., quare fieri non potest, quin Christi praecepta in eorum animis vim exerceant Rom. 8,9. 10. Gal. 2,20., tum summi, quo se Deus amplexus sit, amoris testem divinitus datum virtutis monitorem existimant ideoque non dubitant, quin se, quos Deus misso div. spiritu dilectos suos filios esse declaraverit, in sempiternae vitae beatitate collocaturus sit Rom. 5, 2. sqq. 8,15. Gal. 4,6. sq. Eph. 1,14. al.. Ex his manifestum est, qui Augustinum sequuti sunt interpretes Pauli formulam pessime pervertisse, et commisisse, ut P. ea diceret, quae non solum iis repugnarent quae aliis hominibus alio tempore scripsisset, verum etiam contraria essent eorum, quae paullo ante c. 6. Romanis exposuisset. Minus etiam in *Paulum* convenit hominum, quorum infelix conditio 7,14. sq. describitur, lamentatio. Neque enim eum tam levem, tam libidinosum, tam impurum fuisse, ut animo et moribus similis esset iis, qui 7,14. sq. suam mentem voluntatemque nudant et explicant, ab hominibus fide dignis accepimus, et ipse tum in hoc saepe laetatur, quod Deus spiritum s. sibi largitus sit 1 Cor. 7,40. 2 Cor. 10,3. Rom. 15,19., tum se frui conscientiâ optimae mentis ingenue fatetur Act. 23,1. 1 Cor. 4,4. 2 Cor. 1,12. *) Ceterum

---

*) Ne hoc quidem concedimus, quod quum alii judicaverunt, tum *Rueck.* perhibuit, miserae hominum legi mos. subjectorum conditionis descriptionem Paulum e status, in quo ipse olim fuisset, memoriâ ita hausisse, ut qui id teneret tum summam viri, cujus votis lex mos. minime satisfecisset, contentionem ob oculos haberet, tum idoneam causam videret, quâ ductus P. subito in Christi se disciplinam dedisset. Recte *Reich.* II,28. hanc opinionem rejecit. Nam primum quidem Lucas in Actis nullo verbo aut elemento subindicavit, displicuisse olim Paulo legem mos., quod neque virtutis studium adjuvaret neque *τῆς δικαιοσύνης* sitim expleret. Deinde non magis P. ipse hanc rem adsignificavit; dixit potius se *κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ ἄμεμπτον* fuisse Phil. 3,6. Deumque celebravit, non quod se libidini, quam lex mos. mirum in modum nutrivisset, ereptum in div. spiritus, qui homines in honestatis studio contineret, clientelam tradidisset, sed quia se, hominem improbum, qui divinam Christi disciplinam vexasset, benigne et Christi alumnum et Apostolum constituisset 1 Cor. 15,7. sq. 1 Tim. 1,12. sqq.. Postremo *Rueckerti* hariolationi Pauli ingenium repugnat, qui quicquid ageret totâ mente agere soleret. Itaque Judaeus Mosis disciplinam ita admiratus est, ut aliquid melius aut perfectius ne optandum quidem, nedum sperandum esse putaret; Christianus factus rem unam omnium praeclarissimam censuit divinam Christi doctri-

Augustini imitatores ut praeconceptam opinionem defenderent totum hunc l. contorserunt et certissimas loquendi leges saepe conculcarunt. Mediam quandam viam post Schomerum, Buddeum aliosque nuper ingressus est *Tholuccius*, describi ab Ap. ejusmodi hominum, qui *legi mos. subditi sanctitatis studio flagrarent*, contentionem arbitratus. Qui si non nisi hoc sibi voluisset, Paulum nullâ eorum Judaeorum, qui nomine tantum Judaei fuissent, ratione habitâ homines, quorum nomine loquatur, fingere honesti studio inflammatos, aliquid dixisset, sed quod neque ii negassent qui Patres gr. sequuti sunt (cf. v. c. *Knapp*. l. c. p. 403. not. 12.) et res ipsa postularet. Nam quum alicujus disciplinae vel commoda vel incommoda persequimur eos tantummodo vel laetantes vel dolentes inducimus, qui disciplinâ, in quâ omnem suam spem reposuerunt, delectantur, eorum nullam omnino rationem ducendam esse existimamus, quorum animus friget et qui utrum fructuosa an detrimentosa disciplina sit ad suas res nihil pertinere putant. Sed immiscuit *Tholuccius*, ut Augustini de homine non renato opinionem quadamtenus tueretur, p. 250. gratiam Dei *praevenientem*, quum div. spiritus opus esse

---

nam. Ceterum infirmissimis argumentis suam opinionem *Rueck.* superstruxit. Diutius, inquit, quam alias solet schemate P. usus est, quo quae de aliis hominibus valerent ad se transtulit. Nimirum postquam objectionem v. 13. ex ante dictis v. 7 — 12. natam ita formaverat, ut schema superius usurpatum retineret, ne poterat quidem prius ab eo discedere, quam illam objectionem refellisset recteque eam ab se refutatam esse ostendisset v. 13 — 25.. At tempora praesentia v. 14. sq. praejudicatam opinionem corroborant. Minime (cf. supra et ad v. 14. not.). Scilicet tam perturbatum scriptorem Paulum fuisse, ut quum eum narrare oportuisset, quanta hominum qui legi mos. parerent impuritas fuisset, quoniam se nunc quoque, Christianum actum, libidine duci sensisset, *praesenti tempore usus de se loqueretur seque hominem christ. cum Judaeis confunderet*, *quorum querelas referret*, *Rueck.* p. 297. sq. et 308. opinatus est (!!). At enim ultima, quibus Augustini commentum pseudothyro *Rueck.* intromisit, non concordant cum primis (supra enim dixit, Paulum eam conditionem, in quâ fuisset *priusquam ad Christi sacra transiisset*, in homines contulisse, quorum statum referret p. 289.) summaeque negligentiae culpam *Rueckerti* opinatio in Paulum confert, virum consideratum et prudentem. Imo P. summâ christ. disciplinae, quod dato div. spiritu homines a pravarum cupiditatum tyrannide liberasset, quam lex mos. attulisset, admiratione imbutus non quam vel ipse olim Judaeus sensisset vel vulgo Judaei sentirent calamitatem, sed quam tum temporis, quum libidinem per Mosis legem irritatam Christi disciplinam sopivisse malefactorum quibus olim christ. disciplinam vexasset conscientiâ stimulatus 1 Cor. 15, 9. 1 Tim. 1, 13. firme crederet, non posse eos, qui legi mos. addicti viverent, non sentire existimasset persequutus est.

diceret, quod qui loqueretur voluntate in honestum propenderet et div. lege delectaretur v. 15. sq. 22.. Quo quidem invento aperte impugnavit Apostolum, quo auctore lex mos. quantumvis irae, severitatis et dirarum, div. gratiae nihil habet (4,15. 2 Cor. 3,6. Gal. 3, 11. sq. 4,5.), quippe quam *Christus* hominibus attulerit 5,15. 6,14. sq.. Et quamquam Mosis lex divinae fuit originis, nusquam tamen P. vel docuit vel adsignificavit, pios Judaeos pietatis studio vel Deum extraordinario instituto imbuisse, vel spiritum divinum. Hunc enim non habent nisi homines gratiae div. participes facti, h. e. homines christ. 7,6. 8, 3. sq.. Praeterea quod *Tholucc.* non posse legem mos. homines probos et pios reddere Paulum h. l. ostendere affirmavit, Apostoli consilium disputationisque argumentum cum eâ sententiâ confudit, quam e P. disputatione recte aliquis colligat. Scilicet Paulus sententiam versu 5. comprehensam tum explanaturus tum firmaturus, pravis cupiditatibus per legem mos. Dei vel nutu quodam vel instituto accensis tam improbe homines vixisse demonstravit, ut praesentissima in eos mors impenderet. Hinc sane *argumentando* efficias, non potuisse legem mos. ad vitae sanctitatem homines adducere; sed idcirco id P. neque h. l. docuit neque docere voluit. — Non minus autem, quam Augustinus, hunc l. pervertit *Koppius* cum suis assectatoribus. Putavit enim Apostolum h. l. sibi accidisse queri, quae tum sibi accidissent, tum cuivis homini, ne optimo quidem viro legumque divinarum amantissimo excepto, accidere solerent. At primum quidem his vulgaribus sententiis: *accenditur interdicto prava cupiditas vel optimo cuique saepeque is doleat quod cupiditate elatus officium, cujus sanctitatem et mente perspexisset et animo reveritus esset, deseruerit* eo loco nullus locus erat, quo Ap. quae proxime de miseriâ per legem mos. importatâ et de felicitate eorum qui Christi essent alumni facti scripserat v. 5. 6. illustrare voluit. Deinde mirum sit, si Ap. illas minime reconditas sententias tanto verborum apparatu tantoque animi motu enuntiarit, quanto eum h. l. uti videmus. Tum quae hîc dicuntur non quadrant in omnes promiscue, sed pleraque non nisi de hominibus insigniter improbis valent (v. 14. sqq.), in homines christ., qui vere sic appellentur, prorsus non cadunt (v. supra). Postremo *Koppius* summâ sane levitate et inconstantiâ in h. l. explicando versatus acutas Apostoli sententias obtudit, graves extenuavit aptasque ad aliquam perversitatem, ut a P. consilio institutoque abhorrerent, detorsit. Sed falsa *Koppii* opinio vel nuper nonnullis interpretibus aliquam erroris nebulam objecit. Sic *de Wet-*

tius Paulum h. l. hominum, qui tum ante legis mos. promulgationem vixissent tum Mosis legi adstricti fuissent, conditionem exponere recte fassus hoc tamen adjecit, *simul Pauli dictis ea contineri*, *quae ipse expertus esset*, *inde cognosci*, *quod ea comprehendant quae nemo non experiatur* (sed cf. superius dicta et nostram loci explanationem).

V. 7. et 8. Versus 7—12. nuper explicuit V. *Winzerus* docto programmate Lips. 1832. 14. 4. — Quamquam P. nonnulla supra scripsit, quae, quum hominibus malevolis et legis mos. studiosis tollere ejus legis sanctitatem videri possent, ne secus intelligerentur apte ab Ap. explicarentur, ut nihil esse Mosis disciplinâ sanctius ostenderet, tamen ut quod v. 7. legimus sibi ipse objiceret non illis locis motus est (5,20. 6,14. Chrys., Theophyl. al.), sed sententiâ v. 5. enuntiatâ. Scilicet totus l. 7,7—8,17. explanationem 7, v. 5. et 6. continet (v. supra). Hinc manifestum est, *τὸν νόμον* et *νόμον* in hâc totâ disputatione esse *legem mos.* (cf. 6,14 — 7,6.). Confirmant rem locus e lege mos. depromtus v. 7., verborum et sententiarum perspicuitas v. 7 — 13. 8,3. 4. Gal. 3,10., diserta vox Apostoli 7,22. et disputationis consilium et ratio (v. supra). Perverterunt igitur Pauli disputationem qui *τὸν νόμον* vel de praecepto Adamo in paradiso dato Gen. 2,17. vel de lege quam ratio cuivis praescribat ceperunt, id quod bene docuit Phot. ap. Oec., neque minus ii, qui Paulum h. l. *de lege mos.* agere fassi tamen ea tantummodo tetigisse putarunt, quae in nullam legem non caderent. Quamquam enim quae hîc dicuntur in omnes leges transferri possent, tamen P., qui nonnisi de Mosis lege h. l. disputavit, quae exposuit neque ipse ad alias leges accommodavit, neque a nobis accommodanda esse adsignificavit (v. *Reich.* II, 90.). *τί οὖν ἐρ.* ;] v. not. ad 3,5.. *ὁ νόμος ἁμαρτία* ;] *Calv.*, *Beza*, *Grot.*, *Rueck.*, *Reich.* et multi alii: num lex mos. *peccati causa* est? Scilicet recte res aut persona *res esse* tum dicitur, quum causa rei ita alicui vel rei vel personae tota inesse cogitatur, ut absque eâ non exstare res posse videatur (metonymiam rei pro rei causâ appellant). Exempla pete e *Matthiae* Ausf. gr. Gr. II, p. 611. Cic. pro P. Sextio 17,38.. — C. Marium, *terrorem hostium*, *spem subsidiumque patriae* —. Adde e N. T. 1 Cor. 1,30. 15,56. Rom. 7,13. 13,3. Joh. 1,4. 11,25. Eph. 2,14. Col. 1,27. 3,4.. Quare non debebat hoc schema in commentitiis grammaticorum figuris numerare *Harlessius* ad Eph. 2,144.. Differt tamen quod certatim h. l. afferunt Mich. 1,5. מִי־פֶּשַׁע יַעֲקֹב הֲלוֹא שֹׁמְרוֹן Nam dicere prophetam peccatorum quae Jacobi posteri committant *arcem* (das Centrum) esse Sama-

riam membrum docet quod sequitur וּמִי בָּמוֹת יְהוּדָה הֲלוֹא יְרוּשָׁלִָם: quo Hierosolymas sacellorum idolis dedicatorum arcem esse affirmat. Sed illam interpretationem repudio has ob causas: I. Non postulant eam v. v. 5. τ. π. τ. ἁ. τὰ διὰ τοῦ νόμου, ut ejus auctores sibi persuaserunt. Recte enim vocc. ὁ νόμος ἁμ.; ad v. 5. referuntur, si hanc sententiam contineant: non esse Mosis legem *impuram*. II. Mosis legem peccatorum causam esse non potest P. eo loco *in universum* negare, quo eam peccata hoc peperisse, quod licet invita tamen peccandi occasionem hominibus praebuisset, disputavit v. 7 — 11.. Causae quâ res *pro suâ indole et necessario* aliquid efficiat, cogitationem *Reich.* vocabulo obtrusit. III. Ostendit hujus disputationis v. 12., ubi superius dicta colliguntur, conclusio, verbis ὁ νόμος ἁμ.; contrarium contineri eorum, quae vocabulis v. 12. insunt ὥστε ὁ μὲν νόμος ἅγιος. Ne multa; Lex mos. *persona*, quemadmodum in proximis v. ἡ Ἁμαρτία, inducitur, ἁμαρτία autem Abstracto locato pro Concreto (2 Cor. 5,21. 1 Joh. 4,10.) *peccatricem* notat (v. *Bretschn.* Lex I,59.). Nempe ut *Reichii* dubitationi occurram, scripsisset P. ὁ νόμος ἁμαρτωλός, s. κακός; nisi, ut solet, sententiarum acumen verborum delectu adjuvare voluisset: ὁ ν. ἁμαρτία; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ τὴν Ἁμαρτίαν οὐκ ἔγν. etc. num Lex mos. *peccatrix* est? Minime vero; imo in *Peccati* notitiam non veneram, nisi per Mosis legem venissem etc. Acute igitur Ap. non esse legem mos. *peccatricem* ex eo apparere ait, quod *Peccati monstrum* per Cupiditatem *ipsa* pepererit, quandoquidem absurdum sit existimare, aliquem *indolem rei* habuisse ante *rem natam*. Firmat hanc interpretationem v. 13., ubi P. Dei instituta monstrans probrum a lege mos. h. l. depulsum in Peccatum confert — ἵνα γέν. κ. ὑ. ἁμαρτωλὸς ἡ Ἁμ. διὰ τ. ἐ.. Ceterum Mosis lex peccatrix esset, si v. c. quae prava sunt honeste fieri doceret, si nonnullis peccatis aut nullas aut justo mitiores poenas constitueret, si homines probos nullâ laude nulloque praemio afficeret. (v. v. 14.) Re nobiscum congruunt qui ἁμαρτίαν h. l. *quod per se pravum est* valere putarunt (*num lex est res prava et mala? Winzer.* p. 5.), sed vocabulum abstractum non recte resolverunt. Ἀλλά, quod ad μὴ γένοιτο referendum est, *imo* valet. Nempe P. se legem mos. peccatricem esse vere negasse ita probavit, ut rem incidisse moneret, quâ factâ legem mos. esse peccatricem temere crederes. *Rueck.* quum Paulum sententiam quam vocibus μὴ γένοιτο abominatus esset refutaturum aut γάρ ponere solere (9,14. 11,1.) aut alias argumentorum consequutionem indicantes voculas (3,6.) observaret, non reputavit, sententiam

tiam falsam esse sic quoque effici posse, ut eam potius sententiam veram esse, quae naturâ suâ illam excludat, contendas (3,31. 11,11.). Ἡ ἁμαρτία *peccatum* declarat, quod hîc et in vss. sqq. personae dignitatem habet. *Γινώσκειν τὴν Ἁμ.* P. dixit quo modo *γινώσκειν ἄνθρωπον* usurpatur Lucian. D. Mort. 11, 1. Matth. 7, 23.. Cognoscit autem Peccatum qui peccat eique est Peccati notitia qui peccavit 2Cor.5,21.. Particula *ἂν* (unus Mt.8. habet *οὐκ ἂν ἔγνων*) rhetorice omissa est. Nimirum rem *longe certissimam* esse Graeci significaturi quod ob conditionem non impletam non est factum omisso *ἂν* sine conditione ut factum ponunt (v. *Herm.* De particula *ἂν* l. I, c. 13. Opusc. IV, 70. sq.). Eandem figuram Romani frequentarunt: Cic. ad Fam. 12, 24, 2. Nondum legati *redierant* — nisi legatorum nuntio paruisset. Fortius igitur dicitur *τὴν Ἁμ. οὐκ ἔγνων, εἰ μὴ* — Peccatum *non cognoram* (h. e. haud dubie non cognovissem) nisi, —, quam diceretur *τὴν Ἁμ. οὐκ ἂν ἔγν., εἰ μὴ* — P. non *cognovissem*, nisi —. Ne in N. quidem T. talibus in l. *ἂν* promiscue nunc additur, nunc praetermittitur, sed obtinet hîc quoque figura quod dixi pondus sententiae adjiciens Joh. 8, 39. 9, 33. 19, 11. Act. 26, 32.. *εἰ μὴ διὰ νόμου*] sc. *ἔγνων αὐτήν*. *Imo Peccatum mihi* (generi humano) *non innotuisset* (h. e. minus innotuisset), *nisi per legem mos. innotuisset* i. e. detractâ prosopopoeiâ: imo *nulla* genus humanum peccata patrasset (h. e. *multo pauciora* g. h. peccata patrasset: *comparate* enim Ap. loquitur, quandoquidem lege mos. nondum promulgatâ peccata ab hominibus commissa sunt 5, 14.), nisi per legem mos. (non vitio ejus legis, sed impuritatis humanae, ut deinceps explicat) ad peccandum sollicitatum fuisset (i. e. si *minus* p. l. m. a. p. sollicitatum fuisset). Plerique interpretes (nuper *Rueck.*, *Koelln.*, *Reich.*, *de Wettius*, *Daehnius* Entwickel. p. 41.) hunc l. sic exposuerunt: imo *peccati rationes non cognoram* (h. e. minus accurate cognoram 2, 12. sq.), nisi per legem mos. cognovissem. Nempe aut honeste aut minus honeste nonnulla fieri putassem, quae improbe committi Mosis lex ostendit. At haec sententia satis inepte verbis a P. locatis enuntiata esset, quae his v. apte et dilucide concipi potuisset *ἀλλὰ τὸ πονηρὸν* (s. *τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ* 2, 18.) *οὐκ ἔγνων* etc. Accedit quod ἡ Ἁμαρτία eam vim et notionem habeat necesse est, quam v. 8—11. obtinet. Sed disputant illi interpretes, utrum ut quantum *emolumenti* (Theodoret., Heum. et multi alii) an quantum *detrimenti* (*Rueck.*, *Koelln.*, *Reich.*) lex mos generi humano attulisse declararet Ap. *ἀλλὰ — διὰ νόμου* scripserit. Quae disputatio vel propterea inanis est, quod falsâ nititur ver-

borum explanatione. Praeterea priori Theodoreti sententiae illud nocet, quod P. non ornamenta quae Mosis lex in homines contulerit persequitur, sed quo modo Peccatum Libidinem et Libido peccata pepererit demonstrat v. 7—11.; posterior *Rueckerti* opinio et quia ἀλλά non valet aber freilich (i. e. ὅμως μέντοι τὴν ἁμ. οὐκ ἔγν. Joh. 12, 42., s. οὐ μέντοι τὴν ἁμ. ἔγν. Joh. 4, 27.) intolerabilis est et ferri nequit propterea, quod P. quo loco ἡ Ἁμαρτία incusanda fuerat perperam legem mos. culpasset. — Munit P. sententiam vocabulis τὴν Ἁμ. οὐκ ἔγν., εἰ μὴ δ. ν. expressam proximis v. τήν τε γὰρ Ἐπ. — οὐκ ἐπιθ.. Τε γάρ (denn — ja) fortius est, quam γάρ solum. Scilicet τε istud „non copulat, sed lenius affirmat quam τοι, unde natum est." v. *Herm.* ad Soph. Trach. 1015.. Loca collegit *Schaeferus* ad Dionys. Hal. p. 409., ad Demosth. II, 579. et ad Plut. IV, 324.. Τὴν ἐπιθυμίαν h. l. *pravam cupiditatem* dici et res docet (neque enim nisi pravae cupiditates peccata pariunt) et qui citatur locus V. T. οὐκ ἐπιθυμήσεις, quo ne prave concupiscamus prohibemur. Personam autem P. fecit τὴν Ἐπιθυμίαν et posuit εἰδέναι τὴν Ἐπιθυμίαν quo sensu εἰδέναι ἄνθρωπον (v. Joh. 6, 42. cl. Gal. 4, 8.). εἰ μὴ ὁ νόμος ἔλεγεν] Exod. 20, 17. Deut. 5, 21.. Hinc sola v. οὐκ ἐπιθυμήσεις (non tu, opinor, concupisces, h. e. noli concupiscere; v. ad Marc. p. 524. et *Win.* gr. p. 289.) Ap. repetiit. Scilicet Mosis praeceptum, quo, ne *cupiditatem* ad animum admitteremus, interdictum est, fecisse ut notitia nobis *cum Cupiditate* esset P. ostendere voluit. Quare *rerum*, quas Moses illis locis Judaeos concupiscere noluisset, mentio a P. consilio aliena est. Perperam igitur et *Grot.* ex illis l. mente adjecit τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου etc. et *Tholucc.* suppletum voluit καὶ τὰ ἑπόμενα.! P. sic disputavit: non est lex mos. peccatrix; minime; imo (quâ re haec suspicio tollitur) Peccatum non cognoveram, nisi per legem mos. cognovissem; sane enim pravam Cupiditatem (Peccati matrem Jac. 1, 15.) non cognoveram, nisi lex mos. hoc praeceptum daret: noli concupiscere. (Ineptum sit enim statuere, Mosis legem peccatricem esse, quum ipsa genuerit Peccatum neque id ex se fuderit sed ex Cupiditate, quam peperisset, susceperit. Quî igitur Mosis lex Peccati naturam habeat, h. e. rei et post legem mos. natae neque ex lege mos., sed e Cupiditate, quam illa lex movisset, procreatae? Dilucidius suam sententiam exponit Ap. v. 8. sq.). Demtâ prosopopoeiâ haec dixit: non est Mosis lex impura; imo multo pauciora peccata homines commisissent quam commiserunt, nisi libido per legem mos. irritata eos ad peccandum stimulasset. (Ergo libidinis, non

legis mos., impuritas accusanda est.). Beza, *Jac. Cappellus*, *Grot.*, *Wolf.*, *Heum.*, *Carpz.* al. sic interpretati sunt: nam (ut rem exemplo illustrem, v. not. ad v. 2.) pravam cupiditatem *peccatum esse* nesciveram, nisi etc.. Fuisse enim inter Judaeos, qui cogitatione et libidine, quam effectus non sequeretur, non peccari existimarent. At praeterquam quod haec explicatio e falsâ praecedentium v. enarratione (*peccati rationes* non cognoveram, nisi etc. v. supra) fluxit, et commentitia est verborum εἶναι ἁμαρτίαν (post ᾔδειν) ellipsis et τὴν Ἁμαρτίαν εἰδέναι plena est loquutio, quemadmodum τὴν Ἁμαρτίαν γινώσκειν.

V. 8. Sequitur praecedentis sententiae v. 7. expositio. — Permulti interpretes τὴν ἁμαρτίαν vel *peccandi consuetudinem* (*Grot.*), vel *propensionem ad peccata* (*Chr. Fr. Schmid.*, *Kopp.*, *Mor.*, *Winz.*), vel *facultatem peccandi* (*Rueck.*) explicuerunt contra usum loquendi (v. I, 289 sq. et *Schulzius* Was heißt glauben etc. p. 266.). Nempe τὴν ἁμαρτίαν *peccatum* h. l. valere non posse ex eo cognosci putarunt, quod peccata ex pravis cupiditatibus nascantur (v. 7. Jac. 1, 15.), non vicissim malae cupiditates a peccatis pariantur (*Winz.* p. 8.). At enim vero τὴν Ἁμαρτίαν per προςωποποιΐαν jam numen P. facit v. 8 — 20. peccatis praepositum Genes. 4, 7., quod et favere par est flagitiis et operam dare ut peccata patrentur, sicut Virtus virtutem fovet, Concordia concordiam gignit, Mors mortem parit (5, 12. Senserunt rem qui τὴν Ἁμ. *Diabolum* dici contenderunt, v. *Theophyl.*). Recte igitur P. Peccatum, ut peccata fierent, per div. interdictum pravas cupiditates peperisse, peccatorum genitrices, v. 8. sq. indicavit. Quod audaciâ prope poëticâ dictum si simpliciter enuntiare volueris hanc sane vim habet: *malam hominum voluntatem* (quippe quae in vetitum niteretur) per div. interdictum pravas cupiditates genuisse, unde peccata nata essent. Sed idcirco ἡ Ἁμαρτία nihil aliud significat, quam *Peccatum*. Illud quoque facile intelligitur, non pugnare hunc vs. cum vs. 7., ubi Cupiditatem Peccati, cujus notus et familiaris fias *peccando*, matrem esse Ap. declaravit. Ἀφορμὴν *causam* potius aut *impetum* verte, quam *occasionem*. Hoc enim voc., quum loquutioni cum vi in periodi initio positae ἀφορμὴν λαβεῖν opponatur νεκρὸν εἶναι, sententiam non explet (v. *Reich.*). *Causam* igitur (2 Cor. 11, 12. Gal. 5, 13.) et quidem *vivendi* h. e. *sese commovendi* ἀφορμή valet. Plerique convertunt impetu *accepto*, pauci (ut *Beza*) impetu *sumto* (Polyb. 4, 58, 8.). Hoc non prorsus displicet. Nam sic indicatur, τὸν κακοδαίμονα, ut animum expleret, rem, bonam illam quidem, sed quam ad procreandam libidinem idoneam vi-

disset, cupide arripuisse v. 13.. Vocc. διὰ τῆς ἐντολῆς non cum v. ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἡ Ἁμ. (*Syr.*, *Theodoret.*, *Luther.*, *Beza*, *Kopp.*, *Reich.* al.), sed cum v. κατειργάσατο ἐ. ἐ. π. ἐ. (*Calv.*, *Bengel.*, *Knapp.*, *Rueck.*, *Winz.* al.) consocianda esse primo e v. 11. perspicitur (nam si ibi διὰ τῆς ἐντολῆς cum ἀφορμὴν λαβοῦσα cohaereret P. deinceps scripsisset ἐξηπάτησέ με δι' αὐτῆς καὶ ἀπέκτεινεν), deinde e v. 13. — διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη θάνατον cognoscitur, tum e verborum ordine intelligitur (alioquin enim Ap. διὰ τῆς ἐντολῆς verbis ἡ Ἁμαρτία praeposuisset), postremo e praepositione διά discitur. Graeci enim ἀφορμὴν λαμβάνειν ἐκ et παρά τινος, non διά τινος dicere solent; v. *Wetst.* et *Kypk.*. Apud Polyb. 3, 7, 5. (non 6, 38.) ἕκαστα τῶν πραγμάτων cohaerere, non τῶν πραγμάτων a formulâ ἀφορμὴν λαμβάνειν regi *Reich.* non vidit. Τὴν ἐντολήν. Ap. dicit vs. 8. sq. praeceptum, seu interdictum potius, modo memoratum οὐκ ἐπιθυμήσεις (*Syr.*, *Ch. Fr. Schmid.*, *Koelln.*, *Winz.*), non universam Mosis legem (*Reich.*). Nam ἐντολή unum quoddam praeceptum est ὁ νόμος praeceptorum corpus (Eph. 2, 15. ὁ νόμος τῶν ἐντολῶν). Et ut recte Mosis disciplinam unam quandam Dei praeceptionem animo informes (v. *Morus* ad v. 12.), nemo tamen, nisi fallor, (nam male ad Hebr. 7, 18. provocatur, cf. ibi v. 16. 19. et 25.) legem mos. simpliciter τὴν ἐντολὴν vocavit. Accedit quod v. 12. ὁ νόμος et ἡ ἐντολή discernuntur eamque quam probavi interpretationem totus l. recipit. Sententia haec est: impetu *autem* (i. e. ut rem explanem) accepto (s. sumto, capto) Peccatum per praeceptum, quod totum illud *prave concupiscere* me vetuit v. 7., effecit in me malam *cujusvis generis* et quae in res diversissimas versa esset cupiditatem. Quam sententiam illustraturus haec adjecit: nam sine lege mos. Peccatum vitam habet nullam nullumque impetum. Paulo hîc locum Gen. 3, 1. sq. obversatum esse contendere non audeo (*Rueck.*, *de Wettius*). Neque enim haec suspicio verbis v. 11. ἐξηπάτησέ με cl. 2 Cor. 11, 3. Gen. 3, 13. satis munitur, et quae Ap. v. 8. dicit ab iis nonnihil discrepant quae Gen. c. 3. perscripta sunt. Nempe serpens ut Evam corrumperet non vetiti pomi desiderium Evae commovit, sed impunitatis spem ei fecit eâque re incensa libido est Gen. 3, 1—6.. νεκρά] F. G. Mt. g. Syr. It. Vulg. et nonnulli PP. lat. νεκρὰ ἦν | 13. 26. et pauci PP. lat. (v. *Sabat.*) νεκρά ἐστιν. Sunt glossemata. Nimirum qui νόμον de lege mos. ceperunt ἦν adsperserunt, contra ἐστιν addiderunt qui νόμον ad quamcunque legem rettulerunt. Sed ad P. vocc. χ. γ. ν. Ἁμ. νεκρά utique ἐστίν supplendum est, ἦν mente addere non licet

(*Beza*, *Beng.*, *Reich.*), quod *scribere* P. debuerat, si a lectoribus cogitari voluerat. *Lachm.* interpunxit: *Χωρὶς γὰρ νόμου ἁμαρτία νεκρά, ἐγὼ δὲ ἔζων χωρὶς νόμου ποτέ·* Quem et prius membrum male explicuisse patet quum *ἦν* post *νεκρά* suppleret, et verborum *ἐγὼ δὲ ἔζων* etc. rationem parum percepisse in promtu est. *Νόμον* autem interpretare *legem mos.*, non legem quamcunque. Nam praeterquam quod in proximis vocc. v. 9., quibus nostrorum verborum ratio habetur, *νόμος* legem *mos.* declarat, legem *mos.* Peccato vitam ac robur suppeditasse constans Pauli sententia est 1 Cor. 15, 56. Gal. 3, 19. Rom. 5, 20. idque h. l. ei ostendendum erat. Et quoniam Ap. nullum tempus fuisse, quo homines nullâ lege tenerentur, statuit 2, 14., jejuna sane esset haec observatio: nam nullâ lege latâ Peccatum vitâ destituitur. Imo hoc dicit: nam ita res comparata est, ut sine Mosis lege Peccato vita et vis et nervi desint (v. Jac. 2, 17. 26. et not. ad 7, 1.). Ceterum Pauli sententia perspicua est. Affirmat enim legem mos. eo tot peccatorum ab Judaeis patratorum matrem exstitisse, quod iis, qui negata cuperent, vitia irritasset vetando. Sed Pauli sententiam neque experientiae testimonium, ad quod interpretes vulgo provocant, illustrat, neque loca planam faciunt, quae in hanc rem citant. Scilicet nihil homines facere malle quam nefas observant, tum quia, quum legum latores secundarum rerum florem sibi invidere putarint, jucundas sibi et utiles res per invidentiam negari opinentur (Genes. 3, 5. Ovid. Am. 3, 4, 17. Nitimur in vetitum *semper* [?] cupimusque negata; | Sic interdictis imminet aeger aquis.), tum quoniam animus humanus naturâ contumax sit ipsisque vinculis, sicut fera bestia, irritetur (Liv. 34, 4. Seneca de Clem. 1, 23. 24.), tum quia homines rerum arduarum et periculosarum fortunam lubenter tentent (Hor. Od. 1, 3. 36.). Hinc parum profici legibus, quippe quae neque hominum animos emendent et improbos viros ad scelus etiam invitent (v. Thucyd. 3, 45. Diod. Sic. 1, 2. — *τὴν δὲ νομοθεσίαν κολάζειν, οὐ διδάσκειν* (*συμβαίνει*) —.). At tantam, quantam P. hoc capite miseratur, Judaeorum nequitiam eamque tam late patentem tamque constantem vulgaris ille hominum in vetita nisus efficere non potuit. Quippe lex „*neque probos frustra jubet aut vetat*, nec improbos jubendo aut vetando movet" (Lactant. Inst. 6, 8. e Cic. de Rep. l. III.). Et qui v. 13. 5, 20. 1 Cor. 15, 56. Gal. 3, 19. sq. animo a praejudicatis opinionibus libero expenderit, is Paulum in hâc sententiâ fuisse facile intelligat: Deum *praeter naturae legem* instituisse, ut *extraordinaria* quaedam *per Mosis disciplinam* in hominibus excitaretur vetitorum libi-

do. Nam voluisse eum homines sentire, nihil Peccato, ut quod optimâ Mosis lege pessime abuteretur, foedius inveniri v. 13.; neque salutem per Christum clementer ferri potuisse nisi miseris et qui acerbos Peccati fructus degustassent 5, 20. sq. Gal. 3, 19 sq. 1 Cor. 15, 56. sq.. Quare P. non rem proposuit, quae cum vulgari hominum consuetudine aut perversitate congrueret, sed *mysterium* lectoribus aperuit, quod humanae intelligentiae vim et notionem fugit.

V. 9. et 10. Non iteratur sententia vs. 8., sed confirmatur. Crede *autem*, inquit, quae dicta sunt v. 8. utramque fortunam *experto*. *Ego vivebam* aliquando lege mos. nondum latâ; quae postquam promulgata est *Peccatum vivere* (vim exercere) *coepit*, *ego vivere desii*. — ἔζων] Moeris: ἔζην, ἀττικῶς· ἔζων, ἑλληνικῶς. Imo meliorem formam ἔζων esse, deteriorem ἔζην recte contendit Etym. 413, 8. 410, 41. sq.. Nam quum κατὰ κρᾶσιν Δωρικὴν pro ἔζαες, ἔζας dictum esset, ἔζης, ἔζη, formarunt etiam ἔζην tanquam a ζῆμι ductum pro ἔζων vivebam. Documento est ἔζων, constans forma tertiae personae pluralis: v. *Buttm.* Ausf. gr. Sprachl. II, 144.. — P. hic quoque non suas res narrat, sed generis humani fortunam exponit. Illud qui putarunt sic explicuerunt: ego autem vivebam sine legis mos. notitiâ *aliquando* (puer in Gamalielis disciplinam nondum traditus Act. 22, 3. *Mor.*, *Anton.*, *Winz.* p. 11.: quum essem Pharisaeus, *Carpz.* al.); sed quum praeceptum *mihi venisset*, i. e. *innotuisset* etc.. At contra usum loquendi ἐλθούσης δὲ τῆς ἐντολῆς enarrarunt. Venit enim res quum primum esse incipit et exsistit, ergo lex quum *fertur* 5, 20., ἡ πίστις Gal. 3, 23. 25. quum primum ad habendam fidem homines provocantur, τὸ τέλειον quum sublatis imperfectis homines christ. in perfecto statu collocantur 1 Cor. 13, 10., res *gesta* h. e. rei gestae nuntius, quum res gesta nuntiatur Thuc. 8, 96. cl. 97., epistola, quum redditur. Cf. ad Marc. p. 129.. Ergo ἐλθούσης δὲ ἐμοὶ τῆς Ἐντ. sic Paulo scribendum fuisset. Accedit quod praegressa hanc explanationem postulant: vivebam sine lege mos. (h. e. eâ *nondum latâ*) aliquando, sed interdicto (v. 7.) *promulgato* etc. Nam v. 9. 10. cum v. 7. 8. cohaerent, ubi Ap. tum quae non facta essent, nisi lex mos. lata esset v. 7., tum quae accidissent lege promulgatâ v. 8. declaravit. Quin P. hoc dicit: *ego autem vivebam* (genus humanum vivebat) sine Mosis lege *aliquando* h. e. πρὸ Μωσέως (Chrys.). Vocabula ἔζων, v. 10. ἀπέθανον et εἰς θάνατον, et v. 11. ἀπέκτεινεν *proprie*, non figurate (de felicitate et miseriâ) capienda sunt. Nam morte *physicâ* peccata puniri, Christum

autem paratâ peccatorum veniâ illam mortem in sempiternam vitam convertisse P. constanter docet 5, 12. 6, 23. 1 Cor. 15, 56. sq. 2 Tim. 1, 10.. Jam quum lex mos. Deo moderante eo valuerit, ut peccata mirum in modum augerentur 5, 20. Gal. 3, 19. sq., fieri non potuit, quin per illam Ditis regnum frequentaretur 2 Cor. 3, 6. 1 Cor. 15, 54. sq. (v. I, 293. et *Usterii* Entwick. p. 49.). Easdem sententias Paulum h. l. enuntiare in propatulo est; v. v. 13. 24. 8, 1. 2. 10. 11. 13. sq.. Quod multi haud dubie vidissent, nisi ineptum esse putassent, referre qui loquens inducitur *ipsum* mortis *quam occubuerit* rationes v. 9—11. 13. (v. *Winz.* p. 12.). Absonum hoc esset, si P. h. l. *sua* fata narraret. At *genus humanum*, cujus personam P. suscepit, hîc loquitur. Id quae efficiunt hominum aetates sane intereunt, *ipsum* non moritur. Potest igitur genus humanum simul hominum qui morte absumti sint ratione habitâ suam mortem deplorare v. 9—13., simul in homines qui nunc vivant intuitum ejulare, quia sibi moriendum sit; (v. 24.) sine ullâ repugnantiâ. Ceterum qui illa v. translato sensu intellexerunt ea diversimode exposuerunt; ἔζων] *felix eram* ἀπέθανον] *miser sum redditus Kopp. Boeckel.* al. | ἔζων] *beatus eram, quum innocenter et caste viverem* ἀπέθανον] „mortem *moralem* oppetii" *Seml. Rueck.* al. | ἔζων] vivere mihi *videbar.* ἀπέθανον] mortuum me esse *cognovi* (1 Cor. 4, 8.) *Augustin.*, *Beza*, *Carpz.* al. quod et ipsum ab aliis aliter exponitur. ἀνέζησεν] „*revixit* sicut vixerat, quum per Adamum intrasset in mundum" (5, 12.) *Beng.*. At enimvero ἀναζῆν h. l. valere nequit *reviviscere*, quum Ap. τὴν Ἁμαρτίαν *nullum* impetum et vitam *nullam* lege mos. nondum promulgatâ habuisse v. 8. perspicue indicaverit. Imo ἀναζῆν, ut vernaculum auf leben vivere *incipere* denotat. Nempe ἀνά verbis praepositum, ut nostrum auf-, eo quod motum ex inferiori loco in superiorem locum fieri declarat (ἀναπηδάω, ἀνάλλομαι, ἀναθυμιάω), aptum est, quod actionis *initium* exprimat aut rem primo exsistere indicet. Cf. ἀναβλέπω Joh. 9, 11—18., ἀναθάλλω, ἀναβλαστάνω, ἀναβρύω, ἀναβοάω, ἀνατρίζω al.. Quum igitur Nonnus ambiguum esse vidisset verbum ἀναζῆν, ut quod tum reviviscere, tum vivere incipere notare posset identidem αὖτις ἀναζῆν *reviviscere* dixit in metaphr. Ev. Joh., p. 48, 109. ed. *Passov. Rueck.* Paulum ut ἀνέζησεν *revixit* scriberet verbis v. 8. χ. γ. ν. Ἁμ. νεκρά adductum esse opinatur. Non posse enim homines mortua cogitare, nisi quae aliquando vixerint. *Mortua* metaphorice dici quae *vita aut vi destituantur*, non solum quae a vitâ aliquamdiu discesserint aut vim suam aliquando amiserint in vulgus constat (Jac. 2, 17.). Jam per-

spicuum est, Paulum tum ἐγὼ δὲ in periodi initio collocasse, ut oppositio (ἡ Ἁμαρτία ἀνέζ.) indicaretur, tum acumen orationi quaesivisse verbo simplici ἔζων a composito ἀνέζησε discreto, cui rursus non sine acumine opponeret ἀπέθανον. *Ego* autem (ne fictas res a me prolatas esse suspiceris v. 8.) *vitâ fruebar* absque Mosis lege aliquando, sed quum Mosis interdictum (v. 7.) venisset, *Peccatum* (numen peccatis propositum v. 8.) *spirare coepit* (lebte auf), ego autem *ex*spiravi (starb ab). Quocirca neque lectioni ἔζησεν 48. 72., quae *Grotio*, *Millio* Prol. §. 1106. („Mutatum videtur simplex ἔζησεν in ἀνέζησεν, quod supra dixerat Ap. χωρὶς νόμου ἁμ. νεκρά v. 8." *sic* v. supra) et *Semlero* placuit, quidquam tribuendum est, quae aut eorum *correctio* sit, quos ἀνέζησεν offendisset, aut *glossema* eorum qui ἀναζῆν h. l. non esse *revi*viscere monerent, et *Hemsterhusii* conjectura ἀνέζεσεν *efferbuit* inanis est. *Rueck.* hunc l. sic explicuit: Quemadmodum Adamus vitâ fruebatur prius quam Deus ei praeceptum dedit Genes. 2, 17., sic ego quoque *fortasse* (?) *nonnihil* vitae (?) *servassem* (ἔζων quum neque ad ποτέ et ἐλθούσης δὲ τ. Ἐ. etc. attendisset neque totum l. expendisset pro ἔζων ἂν v. 7. positum esse putavit, quod foret *viverem*, non *vitam servassem*), nisi lex mos. promulgata esset (! χωρὶς νόμου); sed latâ lege — vita mea prorsus exstincta est (i. e. *Κἀγὼ δέ, ὥςπερ ὁ Ἀδάμ, ἔζησα ἄν ποτε, εἰ μὴ ἡ Ἐντολὴ ἦλθεν· ἐλθούσης δὲ* etc.)!! ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωήν] *praeceptum* (interdictum) *ut vitam haberem promulgatum* scil. quum praecepto obsequutus neque prave concupivissem neque peccassem eoque mortem devitassem, quâ peccata puniuntur (v. supra). Nihil hûc pertinet quod vulgo ut v. ἡ εἰς ζωήν illustrent interpretes observant, pollicitum esse Mosen Israelitis qui div. praecepta accurate observaturi essent *vitam* (eamque et longam et in Palaestinâ transigendam) Lev. 18, 5. Deut. 5, 33. Gal. 3, 12.. De *interdicto* enim, quod et peccata et mortem peperit, P. h. l. loquitur v. 7. sq. καὶ εὑρέθη — εἰς θάνατον] et interdictum ut *vitâ* fruerer, propositum, *hoc* (αὕτη: *id* h. e. αὐτή, quod *Griesbachio* probatum ed. 4. *Knappii* habet) in mortem mihi cedere (εἰς θάνατον sc. οὖσα 1 Petr. 1, 7.) *usu cognitum est* (v. not. ad Matth. p. 38. et *Win.* gr. 557.). Αὐτός et οὗτος sic collocantur, ut praegressi Substantivi memoriam fortiter redintegrent eique pondus addant (v. *Kuehneri* Ausf. Gr. d. gr. Spr. II, 330.). Sed h. l. Paulum αὕτη dedisse τοῦτο docet v. 15. 16. 19. 20.. Si quod P. poëtice dixit in pedestrem orationem resolveris haec exsistit sententia: quae v. 8. affirmavi *expertum* est genus humanum. Nam quum homines per eam legem quae ad pravas cupiditates

restinguendas promulgata esset, malas cupiditates accendi sivissent, fieri non potuit, quin mortis, quae peccatorum poena est, vis *augeretur*. Nempe *comparate* h. l. P. loquitur, quomodocunque eum explanaveris.

V. 11. Nexus: Interdictum *mortem* mihi creavit v. 10. *Nam* etc. v. 11. Verba διὰ τῆς ἐντολῆς cum vocc. ἐξηπάτησέ με, non cum v. ἀφορμὴν λαβοῦσα consocianda sunt (v. not. ad v. 8.). Daemonem peccatis propitium (τὴν Ἁμαρτίαν v. ad v. 8.) fraudulentum quendam insidiatorem, qui fallacias in eos intenderet, quos corrumpendos sibi sumsisset (Gen. 4, 7.) Ap. h. l. finxit. Ea res fecit, ut illius fraudes indicaturus ἐξηπάτησέ με scriberet: locum Gen. 3, 13. (v. 2 Cor. 11, 3.) ei obversatum esse sine idoneâ causâ cum *Seml.*, *Rueck.* al. existimes (v. *Reich.*). διὰ τῆς Ἐντ.] *per interdictum* i. e. eo, quod ille Daemon ad peccandum me adacturus impuras cupiditates per eam personam (τὴν Ἐντολήν) in me inflammavit, quae ut illae sedarentur divinitus missa venerat. καὶ δι' αὐτῆς ἀπέκτ.] et *per interdictum* (quum pravas cupiditates per id inflammari passus peccassem) morte (physicâ, quâ poenâ Deus peccata vindicat) *me affecit*. Non est ἀποκτείνω h. l. *miserum reddere* (v. Achill. Tat. 3, 10. et Jacobs. ad 1, 7. II, 433. cl. not. ad v. 9.). Detracto colore poëtico sententia haec est: auxit vim mortis Dei praeceptum: noli concupiscere (v. 10.). Nam mala Judaeorum voluntas et quae in iis fuit irreverentia legis per illud libidinem peperit, tum libido peccata genuit, peccata *mortem* crearunt.

V. 12. Jam disputatio v. 7—11. concluditur. Itaque *lex quidem mos.* sancta (i. e. innocens et quam rectissime verearis, non impura aut peccatrix, οὐχ ἁμαρτία v. not. ad v. 7.) est. Quippe invita hominibus peccandi materiam praebuit. Deest δέ, quod voci μέν respondeat (*Win.* gr. 500.). Nempe P. voce ἀγαθή ad infirmandam objectionem, quae ex illâ moveri posset, abreptus v. 13., alterum membrum, cujus spem voce γάρ fecerat, prorsus non addidit. Patet tamen e praecedente disputatione, quidnam dicere voluerit, scil. non ἡ δὲ σάρξ μου ἁμαρτωλός ἐστιν (*Win.*), neque *sed homines div. lege in suam sibi perniciem abutuntur* (*Rueck.*), sed ἡ δὲ Ἁμαρτία πονηρά s. ἁμαρτωλός ἐστιν *sed Peccatum improbum est*. Quippe id egerat P., ut τῆς Ἁμαρτίας daemonem per Mosis interdictum pravas cupiditates et per impuras cupiditates peccata improbe sevisse ostenderet v. 8. sq.. Ne *quodammodo* quidem quod P. non adjecit versui 13. inest (*de Wettius*). Ibi enim P. *Numen peccatis propitium* (dicetur a me postea *Peccatus*) non improbitatis accusat (τὸ οὖν ἀγαθὸν – ἀλλὰ ἡ Ἁμαρτία)

sed *pestem* hominibus apportavisse monet. Studiosius etiam, quam totius legis mos. innocentiam defendit, interdicti οὐχ ἐπιθυμήσεις castitatem testificatus est *tribus*, quibus integritatis notionem exhauriret, vocabulis usus (2, 7.). Nimirum illis potissimum Mosis verbis οὐχ ἐπιθυμήσεις Peccatus fraudulenter abusus est, quibus libidinem, peccatorum procreatricem, evocaret v. 8—11.. Sanctum igitur (purum et venerabile) et justum (integrum) et bonum (in quo nihil recte reprehendas) interdictum P. nuncupavit. Multi (schol. *Matth.*, *Flatt.*, *Reich.* al.) voce ἀγαθή praeceptum *salutare* dici putant. Non recte. Nam praeterquam quod vocem ἀγαθή sententiâ ab ἁγία et δικαία distare parum probabile est, contexta oratio docet, verbum ἀγαθός v. 12. 13. idem quod πνευματικός v. 14. et καλός v. 16. declarare.

V. 13. Quam ultimum v. 12. voc. ἀγαθή dubitationem alicui injicere potuit, eam P. ipse movit et nullam esse declaravit. Bona *igitur* (quum tu Mosis praeceptum *bonum* esse contenderis v. 12.) res mihi mors (i. e. mortis causa: v. not. ad v. 7.) exstitit, dicat aliquis? Nempe repugnare videtur, esse rem simul bonam simul exitiabilem. γέγονε] om. F. G., quibus nulla est auctoritas, probante *Reichio* | ἐγένετο (mihi mortis caussa *exstabat*) A. B. C. D. E. 47. 73. 80. Method. Damasc. Hoc dedit *Lachm.* | *est* Clar. Boern. Ambrosiast. Hier. Ruf.. Hos γέγονε sic vertisse, non ἐστί in Codd. invenisse existimo. P. γέγονε scripsit, ἐγένετο quod sequitur μὴ γένοιτο peperit altasque radices egit, quoniam ἀπέθανον v. 10. et ἀπέκτεινεν v. 11. id commendare videbantur. Jam quum alii libri γέγονε, alii ἐγένετο continerent, a nonnullis scribis neutrum voc. susceptum est. Sed verbo sane opus est. Nimis enim nudum est: τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ θάνατος; Jam *Peccatum*, non Interdictum, mortem attulisse simpliciter P. asseveravit (μ. γ. ἀλλὰ ἡ Ἁμαρτία scil. ἐμοὶ γέγονε θάνατος). Plana enim res erat, postquam Peccatum per turpem interdicti abusum irritatâ libidine maximas peccatorum, quae morte punirentur, sementes fecisse Ap. ostenderat v. 8—11.. Illud accurate dixit, sapientissime Deum res ita moderatum esse, ut Peccatus per interdictum homines tum ad peccandum pelliceret, tum per peccata in orcum praecipitaret (ἵνα φανῇ — διὰ τῆς Ἐντολῆς). Male *It.*, *Vulg.*, *Luther.*, *Heum.*, *Carpz.*, *Boehm.* al verba sic copularunt: ἀλλὰ ἡ Ἁμαρτία, ἵνα φ. ἁ., διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη (sc. ἦν) θάνατον sed *Peccatum*, ut peccatum, i. e. turpe et perniciosum esse appareret, *per bonam rem mihi mortem peperit*, ut —. Precario enim, ut Participium vim verbi finiti haberet, ἦν

cogitando addiderunt (v. Dissert. meam ad 2. ad Cor. ep. II, 43. sq.). P. hoc pacto *κατειργάζετο* scripsisset. Non melius *Erasm.*, *Elsn.* al. *κατεργαζομένη* a *φανῇ* suspenderunt: ἀλλὰ ἡ Ἁμαρτία (np. ἐμοὶ γέγονε θάνατος), ἵνα φανῇ Ἁμαρτία διὰ τοῦ ἀγαθοῦ μοι κατεργαζομένη θάνατον imo Peccatum mortem mihi procreavit, ut Peccatum *per bonam rem* mortem mihi apportavisse pateret. Nam sic ἡ Ἁμαρτία pro ἁμαρτία P. ponere debuerat. (Lege v. quae proxime praecedunt et sequuntur.) Temere autem ἡ Ἁμαρτία ex 67. Mt. m. et Chrys. recipias, quum praesertim Chrys. in commentariis ἵνα φανῇ ἁμαρτία et legisse et recte explicuisse videatur. Verissime hunc l., si a paucis discesseris, explanaverunt *Syr.*, *Beza*, *Turretin.*, *Rueck.*, *Koelln.*, *de Wettius* al.. ἵνα finem indicat, quod *Reich.* male veritus, ne absurda sententia oriretur, frustra negavit. Ἁμαρτία Praedicatum est, Subjectum autem ἡ Ἁμαρτία ex antecedentibus v. petendum. Cf. Apoc. 13, 18. ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου (scil. ὁ ἀριθμός) ἐστί. not. ad Matth. p. 662. sq. *Pflugk.* ad Eur. Andromach. v. 181. ἐπίφθονόν τι χρῆμα θηλειῶν ἔφυ —. et *Blomfield.* ad Aesch. Pers. v. 340. ἁμαρτία] i. e. ἁμαρτωλός, id quod e v. καθ᾽ ὑπερβολὴν ἁμαρτωλός intelligitur (v. not. ad v. 7.). cf. *Theodoret.* Perperam *Rueck.* peccatum] Dei adversaria et hominum pestis. Sententia: imo Peccatus mihi fuit exitio, ut Peccatus peccator exsisteret, quia *per bonam rem* (vocc. διὰ τοῦ ἀγαθοῦ pondus habent) mortem mihi pararet. Sed his v. non satis graviter quod dicere voluisset dictum ab se esse Ap. sensit. Itaque, ut in tali causa facere consuevit (Gal. 3, 14. 4, 5. 2 Cor. 9, 3. Eph. 6, 19. sq. 2 Cor. 12, 20. Rom. 3, 26.) eandem sententiam repetiit verbis ad declarandam rem magis appositis ἵνα γένηται — διὰ τῆς Ἐντολῆς ut fieret (hominum judicio i. q. ut censeretur 3, 4.) *supra modum peccator* (ejusmodi peccator qui *incredibiliter* peccaret) *Peccatus per Interdictum* (quod quum optimum esset in hominum pestem vertisset, v. supra). Turpissimus enim et supra quam credi potest impurus sit necesse est qui ex *sanctâ* re perniciem hominibus machinetur. Recte autem P. τὴν Ἁμαρτίαν ἁμαρτωλόν vocavit, quia Peccatum *personam* induxit (v. *Erasm.* *Beza.*) καθ᾽ ὑπερβολὴν ἁμαρτωλός] *supra modum peccator* i. e. insignis peccator. Polyb. 9, 22, 8. ὠμὸς καθ᾽ ὑπερβολήν· Diod. Sic. 17, 47. πένης καθ᾽ ὑπερβολήν. v. *Wetst.* II, 57.. Qui ἵνα γένηται etc. vel a Participio κατεργαζομένη (*Beng.*) vel a totâ quae antecedit sententiâ ἵνα φανῇ — θάνατον suspenderunt, neque quid Pauli consuetudo et res ipsa postularet cogitarunt et tum syntaxin contorserunt tum sententiam. Jam quod P. ait, Deum *extraordi-*

nariam (v. not ad v. 8.) quandam vim in Judaeos Peccatui concessisse, *ut incredibilem ejus improbitatem, qui per sanctum interdictum mortem sibi strueret, intelligerent* demtâ prosopopoeiâ hûc redit: Deus rem sic instituit, ut hominum malitia per sanctum interdictum vehementius quam vulgo legibus fieri solet irritata tum in peccata tum in exitium rueret. Voluit enim homines nihil esse malitiâ turpius, quippe quae sanctas res in pestem converteret, sentire atque ita efficere, ut quum improbitatem et malitiam *abominari*, innocentiam et virtutem *diligere* didicissent ejus desiderio tenerentur, quem Deus τῆς Ἁμαρτίας depulsorem mittere decrevisset. Schol. Matth. ἀλλ' ἡ ἁμ.; ἵνα φανῇ] τουτέστι, διὰ τοῦτο οὕτω τοῦτο προέβη, ἵνα αὐτὴ ἑαυτὴν ἐλέγξῃ, ὅπως μιαρά τέ ἐστι καὶ πολλῆς γέμουσα τῆς ἰταμότητος, καὶ ἵνα ὅλην τὴν ἑαυτῆς πικρίαν ἐκκαλύψῃ. Falso *Rueck.* et *de Wettius* Paulum hoc dixisse perhibent: Deum rem quo legimus modo moderatum esse, ut hominibus ejus viri desiderium faceret, qui se *ex eâ miseriâ liberaret*, *cui se ipsi eximere non potuissent.* Nam hoc pacto P. *miseriam*, in quam Peccatus homines conjecisset (v. 24.), non *Peccatus impuritatem et turpitudinem* (ἵνα φανῇ — διὰ τῆς Ἐντ.) *exaggerare* debuerat. Ceterum Ap. personam, cui τῆς Ἁμαρτίας nomen imposuit, fecit malam voluntatem, sanctae legis irreverentiam (*Koelln. intemperantiam* dixit *div. leges susque deque habentem*, Chrys. τὴν ῥᾴθυμον προαίρεσιν, τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον ὁρμήν, τὴν διεφθαρμένην γνώμην), uno verbo *malitiam.* Quae sanctitatis contemtrix per libidinis irritamenta quae corpori insunt 6, 6. libidinem parit; tum e libidine pullulant peccata (v. 8. — 11.).

V. 14. Stabilitur sententia verbis v. 13. comprehensa: τὸ οὖν ἀγαθὸν ἐμοὶ γέγονε θάνατος; μὴ γένοιτο, ἀλλὰ ἡ Ἁμαρτία h. r.: non Mosis interdictum, sed Peccatus mortem mihi creavit (v. 13.). Nam legem mos. sanctam esse constat (quare ne interdictum quidem, quod in Mosis lege perscriptum est, impurum est aut quod hominibus, quos ad peccata sollicitasset, interitum paraverit); Ego autem corpori deditus sum, Peccatusque mancipium vivo (itaque Peccatus, herus meus, qui me ad peccandum adigere soleat, mortem mihi parit v. 14.). Quem sententiarum nexum qui perspexerit, is duo, de quibus valde dubitatum est, nulli esse dubitationi obnoxia facile intelligat: unum, eorundem hominum partes v. 14. sqq. ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι Apostolum agere, quorum personam sibi a vs. 7. — 13. accommodaverat, h. e. hominum qui legi mos. subjecti degerent: alterum, non potuisse Paulum tempore praesenti v. 14. ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι — v. 24. non uti, quum eorum hominum

nomine loqueretur, *qui adhuc Peccatui servirent necdum a Christo in libertatem vindicati essent* (v. v. 24.). Praeteriit haec res vel praestantissimos interpretes. Cf. *Beng.*, *Heum.* et *Knapp.* Opusc. p. 405.. οἴδαμεν γὰρ] *Seml.*, *Kopp.*, *Flatt.*, *Reich.* al. conjecerunt οἶδα μὲν γάρ, quemadmodum alii Joh. 21, 24. καὶ οἶδα μέν fecerunt ex καὶ οἴδαμεν. Quae conjectura non solum inutilis est, verum etiam vana. Optime enim habet οἴδαμεν γάρ, sive Paulum verbis οἴδαμεν γὰρ, ὅτι ὁ N. πν. ἐστιν Judaeorum rationem habuisse (scimus quotquot quae dicta sunt experti sumus v. 8. sq. h. e. inter nos constat Judaeos), tum schemate quo supra usus est statim repetito *ego autem*, qui Judaeorum personam teneo, *corpori deditus sum* (i. e. *nos* a. c. *dediti* sumus Judaei) addidisse existimes, sive *Chrysostomo* (ὡμολογημένον τοῦτο καὶ δῆλον ἐστιν ὅτι πνευματικός ἐστι) assensus Apostolo οἴδαμεν nihil nisi *constat* valuisse judices. Accedit quod *Semleri* conjectura vel propterea improbabilis est, quod P. istud οἴδαμεν admodum frequentavit 2, 2. 3, 19. 8, 28.. Denique quid sibi velit μέν parum intelligo. Cum οἶδα inquit, copulatum est μέν quod ad ὁ Νόμος [ὁ μὲν Νόμος] pertinet. Cf. 1. Cor. 5, 5. ἐγὼ μὲν γὰρ ὡς ἀπὼν τῷ σώματι, παρὼν δὲ τῷ πνεύματι etc., ubi μέν ad ἀπών referendum est, Act. 22, 3. et *Win.* gr. 514.. At Paulum v. 14. non hoc dixisse: novi enim, *tum* Mosis legem puram, *tum* me impurum esse, Peccatus servum: ex eo cognoscitur, quod v. 15. non totum vs. 14., sed ultima hujus vs. v. munivit. Perspicuum est igitur, Paulum a verbis ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι novam et quae sui juris sit sententiam ordiri et falli *Rueckertum*, qui ad Eph. 5, 8. p. 228. Apostolum more suo μέν ante νόμος (ὁ μὲν Νόμος) reticuisse contendit (v. not. ad 10, 19.). Et ut οἴδαμεν nihil praeterquam *constat* Paulo declaraverit, aspera tamen et inconcinna fuerit haec loquendi *forma*: οἴδαμεν γὰρ, ὅτι ὁ μὲν Νόμος πνευματικός ἐστιν, ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι. Nam significatu quidem οἴδαμεν notat *novimus*, quamvis usus eo valuerit, ut nihil nisi *constat* cogitaretur. οἴδαμεν γὰρ] A. D. E. et pauci alii οἴδαμεν δὲ *constat autem* (i. e. ut praecedentem sententiam explicem.) Vocabulum πνευματικός, quod ita Paulum h. l. posuisse ut ne ipse quidem ejus vim satis perceptam haberet *Rueck.* statuit (!), ei planum sit necesse est, qui tum τὸν Νόμον *personam* induci, tum voci πνευματικός vocem σαρκικός opponi, quae verbis πεπραμένος ὑπὸ τὴν Ἁμαρτίαν exponatur animadverterit. Jam πνευματικοί sunt qui *spiritu s.* ducuntur 1 Cor. 3, 1. 12, 1. Gal. 6, 1.. Quamobrem errarunt et qui πνευματικός ad *Deum* (Grot.: lex *a Deo profecta est*, qui est *spiritus purus nul-*

iisque malis affectibus obnoxius Joh. 4, 24., *Turretin.* al.) et qui ad *mentem humanam* rettulerunt (*Beza*: mentem et interiorem hominem respiciens. *de Wettius*: quam mente tantummodo intelligas et exsequaris). Et quoniam *τῷ Νόμῳ* homo *impurus Peccatusque servitium* opponitur, in promtu est, Legem, Judaeorum gubernatricem, h. l. *πνευματικήν* vocari, quod *a div. spiritu*, *integritatis magistro*, *regi se passa*, *sancta sit et innocens* 1 Cor. 3, 1. sq.; quam sanctitatem (v. 12.) ostendit justa et recta jubendo et prohibendo contraria (v. not. ad v. 7.). Non recte igitur Theodoret: *πνευματικός*] *θείῳ γάρ, φησιν, ἐγράφη πνεύματι· ταύτης μετέχων τῆς χάριτος ὁ μακάριος Μωσῆς τὸν νόμον συνέγραψεν.* Et h. l. *cujusmodi* sit Mosis lex, non unde sit Paulo dicendum est. Vocabuli sensum utcunque expresserunt, non vocis vim enuclearunt qui *πνευματικός praeclarus, egregius* explicuerunt (*Kopp.*, *Flatt.* al.). *σαρκικός*] A. B. C. D. E. F. G. Mt. E. 17. 61. 67. 73. 80. 87. Mt. a. ** Cyrillus VI, 6. 90. (v. *Matthaei* ed. min.) al. *σάρκινος* continent, quod quum *Griesb.* et *Lachm.* h. l. et 1 Cor. 3, 1. Hebr. 7, 16. recepissent nuper permulti, qui Pauli epistolas explicuerunt, formam *σάρκινος* probarunt (h. l. *Rueck.*, *Reich.*, *Koelln.*, *de Wettius*). Ego nunc quoque *σάρκινος*, ubicunque tum in N. T. tum in PP. eccles. aut mortalis et imperfecti aut, ut h. l., impuri et qui corpori deditus sit hominis notione opus sit, librariorum errori attribuo. *Σάρκινος* nihil nisi *carneus*, fleischern, *corpulentus*, *pinguis*, fleischig et *corporeus* fleischlich ut id sit leiblich, körperlich denotat. Vide quae ad Marc. p. 797. sq. dixi et qui mihi assentitur *Win.* gr. p. 91. *). Sed non satis gravia Paulo *v. ἐγὼ δὲ*

*) Adjectiva proparoxytona, quae in formam *ῖνος* exeunt, materiam declarant, ex quâ aliquid confectum sit; cf. *ὀστράκινος*, *ἐλεφάντινος*, *δερμάτινος*, *ἀδαμάντινος*, *πήλινος*, *οἰσύϊνος* (*γέῤῥα οἰσύϊνα* Lucian. Dial. Mort. 14, 2.); *σύκινος* (Luc. adv. Jud. 6.), *λάϊνος*, *πέτρινος*, *κέδρινος* Eur. Alcest. 160., *ποτὴρ κίσσινος* ibid. 756., *μελίϊνος*, *κρανέϊνος*, et *Buttm.* Ausf. gr. Sprachl. II, 340.. Hûc pertinet *σάρκινος*, quatenus *e carne constantem* significat. Vide Theocrit. Id. 21, 66.. ubi *σάρκινος ἰχθύς*, quo famem expleas, ab aureo pisce distinguitur, de quo aliquis somniavit, Aristot. Eth. Nicom. 3, 12. (II, 1117. *Bekker.*) *τοῖς γὰρ πύκταις τὸ μὲν τέλος ἡδύ, οὗ ἕνεκα, ὁ στέφανος καὶ αἱ τιμαί, τὸ δὲ τύπτεσθαι ἀλγεινόν, εἴπερ σάρκινοι, καὶ λυπηρόν, καὶ πᾶς ὁ πόνος.* 2 Cor. 3, 3. Sirac. 17, 16. Ezech. 11, 19. 36, 26. 2 Par. 32, 8. *μετ' αὐτοῦ βραχίονες σάρκινοι* (rettulerunt enim LXX. זְרוֹעַ בָּשָׂר ad multos milites, quibus Sanheribus fretus est). Ab hoc significatu profectus *σάρκινος* i. q. *σαρκικός* valere posse nunquam effeceris. At quo jure *ἀδαμάντινος* (*ferreus*) *durum* notat (Plat. Gorg. 138. — *σιδηροῖς καὶ ἀδαμαντίνοις λόγοις*), eodem *σάρκινος fragilem* et *impurum* designet. Mi-

σαρκικός εἰμι visa sunt. Itaque suam sententiam fortioribus vocabulis explicuit πεπραμένος ὑπὸ τὴν Ἁμαρτίαν. Formulas Πιπράσκεσθαί τινι נִמְכַּר לְ Lev. 25, 39. et הִתְמַכֵּר לְ Deut. 28, 68. *servum vendi alicui hero* (Demosth. c. Eubul. 1304. 8. Reisk. Lucian. vitarum auctio c. 21. Baruch. 4, 6.), quarum persimilis est Pauli loquutio πιπράσκεσθαι ὑπό τινα *servum alicujus heri arbitrio venditione subjici* (cf. δουλοῦσθαι ὑπό τι Gal. 4, 3.) interpretes conferre debuerant, non tralatas loquutiones 2 Reg. 17, 17. הִתְמַכֵּר לַעֲשׂוֹת הָרַע 1 Macc. 1, 15. πιπράσκεσθαι τοῦ ποιῆσαι τὸ πονηρὸν *perpetrando sceleri se emancipare, totum tradere* et πιπράσκειν ἑαυτόν (Demosth. or. de foedere cum Alexandro 215. 6. de male gestâ leg. 345, 6.) *operam suam vendere, corrumpi.*

---

nime. Nam *ferreus* sine dubio *durus* est, contra *carneus* non continuo *imbecillis*, *irritabilis*, *improbus* est. Potest ex illo significatu ea vocis σάρκινος vis derivari, quâ *pinguem* et *corpulentum* (i. q. εὔσαρκος, πολύσαρκος) denotat. Cf. Pollux II, 233., qui ex Aristophane affert ὡς οὐχ ἕτερον ἄνδρα σάρκινον et ex Eupolide σαρκίνη γυνή, et Polyb. 29, 2. 7. ἦν μὲν οὖν (Hasdrubal) καὶ φύσει σάρκινος, τότε δὲ καὶ κοιλίαν εἰλήφει —. Quidni enim Graeci hominem pinguem *carneam molem* mente conceperint? Sed quoniam σάρκινος etiam *corporeus* declarat (Orig. Selecta e Psalmis II, 548. οἱ δὲ τὸν σωτῆρα θλίβοντες σαρκίνως οἱ Ἰουδαῖοι οἱ κεκραγότες αἶρε, αἶρε τὸν τοιοῦτον ἀπὸ τῆς γῆς *)), quae potestas e primâ significatione (e carne constans) duci nequit, sic censeo, voci σάρκινος, quae *pinguis* et *corporeus* valet, cum vocabulo σάρκινος, quod *e carne constantem* denotat, nullam cognationem esse, sed ita a σάρξ formatam esse, quemadmodum a Substantivis Adjectiva proparoxytona in -ινος formantur significatu cum Adjectivis oxytonis in -ικός tantum non congruentes; cf. ἀνθρώπινος, ἀνθρωπικός, ἀνθρώπειος, αἱμάτινος, αἱματικός, γαλάκτινος, γαλακτικός, ἀέριος, ἀέρινος, ἀερικός (τὸ ἀερικόν). Quare per analogiam nihil obstat, quominus σάρκινος *quoquo modo cum carne aut corpore cohaerens* tum *pinguem*, tum *corporeum*, tum *imbecillem* et *impurum* valeat, neque est, quod formas σαρκικός et σάρκινος serioribus temporibus a plebe confusas esse cum *Win.* l. c. suspiceris. At multa quae per analogiam licuerant usu non recepta sunt. Sic σαρκικός, quod sit *fragilis*, *irritabilis*, *impurus*, tam altas radices in N. T. (v. not. ad Marc.) et in PP. eccles. egit, ut eos has notiones nunquam voce σάρκινος enuntiasse, perquam credibile sit, et peccavisse videantur librarii, qui vicinas formas σάρκινος et σαρκικός semper commiscent, ubicunque illo sensu σάρκινος legatur. Quamobrem Rom. 7, 14. et 1 Cor. 3, 1. sq. σάρκινος ferri posse etiamnum nego; tolerari potest Hebr. 7, 16. ἐντολὴ σαρκίνη (lex de corpore, quod ab Aarone satum esse debuerit, praecipiens); nihilominus ἐντολὴ σαρκικὴ mordicus teneo, tum quia me parum movent alterius formae auctores, tum quia ἐντολὴ σαρκικὴ (mancum atque infirmum praeceptum v. v. 18.) optime in hunc l. quadrat, tum quoniam scriptores s. ibi quoque σαρκικός ponunt, ubi notionem *corporeus*, leiblich exprimunt Rom. 15, 27.. In libris s. σάρκινος nihil nisi *carneus*, fleischern, denotat.

Fingitur enim Peccatus *herus*, is qui loquens inducitur *servus*. Noli exponere: *a Deo* (*per legem mos.* v. 8), aut *per meam socordiam* servus, qui Peccatui obediam, venditus. Nam nunc quidem se non in suâ sed in Peccatus potestate esse qui loquitur narrat v. 15—24., non illud explicat, qui factum sit ut jam suo arbitrio careat. Inconsiderate autem *Rueck.* p. 312. tum hominum sortem, quod tanta in iis sit quantam P. h. l. describat impuritas et nequitia, flebiliter deplorat, tum iis Theologis iram suam denuntiat, qui neminem non tam improbum et turpem esse, quam is se qui loquitur profiteatur, negarunt. Summam enim quae h. l. exponitur levitatem et perversitatem non nisi in *Judaeos* cadere P. dicit eamque non naturâ isti hominum generi insitam, sed extraordinario Dei instituto, quum ut id fieret Dei consilia postularent, in illo accensam esse indicat (v. not. ad v. 13.). Ab hominibus *christ.* istam nequitiam P. ipse abjudicat (v. supra) neque eam nisi in homines *pessimos* convenire ullis vel argumentis vel *locis* *) ostendas.

V. 15.

---

*) Locis a *Grotio*, *Wetstenio* aliisque citatis, quae recentiores interpretes ambitiose h. l. exscribere consueverint, neque Pauli sententiam illustrari, neque homines naturâ ita praecipites in nefas ferri, iis ut nihil deformius aut spurcius cogitari possit, effici bene intellexit *Reichius* II, 54.. Partim enim non nisi hanc vulgarem sententiam continent: *quia ratio ad honestatis studium impellat*, *appetitus grata cupiant*, *ingrata fugiant*, *fieri non posse*, *quin in contrarias partes distrahamur virtusque efficiatur*, *quum ratio appetitus coërcuerit*, partim hoc dicunt, *homines vanâ bonorum spe deceptos inhonesta pro bonis amplecti*, partim hoc docent, *ubi amori*, *iracundiae aliisque perturbationibus indulseris*, *ita quas obedire par sit regnare*, *ut vehementiore animi motu abreptus flagitia committas*, *quorum turpitudinem minime ignores*. Ad primum locorum genus refer l. Senecae ep. 52. init. *Quid est hoc, Lucili, quod nos alio tendentes alio trahit et eo unde recedere cupimus impellit? Quid colluctatur cum animo nostro nec permittit nobis quidquam semel velle? Fluctuamus inter varia consilia, nihil libere volumus*, *nihil absolute*, *nihil semper*. *Stultitia*, *inquis*, *est*, *cui nihil constat*, *nihil diu placet*. Hanc sanari posse ostendit tum animi robore, quod tibi ipse assumseris, tum eorum virorum disciplinâ, qui quum dixerint quid faciendum sit id probent faciendo. Eurip. Hippol. 380. *τὰ χρήστ᾽ ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν, | οὐκ ἐκπονοῦμεν δ᾽ οἱ μὲν ἀργίας ὕπο, | οἱ δ᾽ ἡδονὴν προθέντες ἀντὶ τοῦ καλοῦ | ἄλλην τιν᾽.* Sententiâ congruit Xen. Cyr. 6, 1, 41., nisi quod Araspas, Persa, qui tum bonum tum malum Deum coleret, perturbationes ex impuro animo, quem improbum numen condidisset, manare putavit: *Δύο γὰρ σαφῶς ἔχω ψυχάς, — Οὐ γὰρ δὴ μία γε οὖσα ἅμα ἀγαθή τέ ἐστι καὶ κακή, οὐδ᾽ ἅμα καλῶν τε καὶ αἰσχρῶν ἔργων ἐρᾷ, καὶ ταὐτὰ ἅμα βούλεταί τε καὶ οὐ βούλεται πράττειν· ἀλλὰ δῆλον, ὅτι δύο ἐστὸν ψυχά, καὶ ὅταν μὲν ἡ ἀγαθὴ κρατῇ τὰ καλὰ πράττεται, ὅταν δὲ ἡ πονηρά, τὰ αἰσχρὰ ἐπιχειρεῖται. Νῦν δέ, ὡς σὲ σύμμαχον*

V. 15. Primis hujus vs. verbis ὃ γὰρ κατεργάζομαι οὐ γινώσκω ultima praecedentis vs. vocc. πεπραμένος ὑπὸ τὴν Ἁμαρτίαν communiuntur: — *Peccatus sum mancipium* (v. 14.). *Nam quod perpetro nescio* h. e. temere et caeco potius animi hero obnoxii impetu quam deliberatâ ratione facio quae perpetro. Servorum est enim dominorum mandata exsequi qualiacunque sint, non ea examinare, ut obsequium praestent si honesta imperata fuerint, sin minus obedientiam dominis denegent. Dicimus autem in populari sermone *quae faciant nescire* eos, qui ita aliquid faciunt, ut temere potius et quadam animi perturbatione, quam consilio et cogitatione id peragere videantur (v. Luc. 23, 34.). Sic recte hunc l. multi ceperunt praeeunte Chrys.: σκοτοῦμαι, φησί, συναρπάζομαι, ἐπήρειαν ὑπομένω, οὐκ οἶδα πῶς ὑποσκελίζομαι. At nullus affectus sine assensu mentis neque ulla actio libera sine cognitione et conscientiâ agentis locum habet. Non negavit hoc Ap. (v. Chrys. et Theophyl.); illud non philosophorum subtilitatem aemulatus, sed cum vulgo

---

ἔλαβε, κρατεῖ ἡ ἀγαθὴ καὶ πάνυ πολύ. Ad secundam locorum classem pertinet Arrian Epict. 2, 26. (cf. 1, 28.) — ἐπεὶ γὰρ ὁ ἁμαρτάνων οὐ θέλει ἁμαρτάνειν, ἀλλὰ κατορθῶσαι, δῆλον, ὅτι ὃ μὲν θέλει οὐ ποιεῖ. Τί γὰρ ὁ κλέπτης θέλει πρᾶξαι; τὸ αὐτῷ συμφέρον. Οὐκοῦν, εἰ ἀσύμφορον αὐτῷ ἐστι τὸ κλέπτειν ὃ μὲν θέλει οὐ ποιεῖ. Tertium locorum genus ea l. faciunt, in quibus homines perditi, postquam ignaviâ suâ commiserunt, ut ratio principatu dejiceretur, dominatum pravi appetitus occuparent, quam non sint potentes sui fatentur, quod hodieque eos in scenâ facere audias. Medea ap. Eur. Med. 1078. καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά· | θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων, | ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς. Phaedra in Senecae Hippolyto 177. Quae memoras scio | vera esse, nutrix: sed *furor* cogit sequi | pejora. Vadit animus in praeceps sciens, | remeatque, frustra sana consilia appetens. Lesbonides in Plauti Trin. 3, 2, 31. Scibam ut esse me deceret, facere non quibam miser. | Ita *vi Veneris* victus, otio captus in fraudem incidi. Medea ap. Ovid. Met. 17, 17. Excute virgineo conceptas pectore flammas | si potes, infelix. Si possem, *sanior* essem, | deo trahit invitam nova vis; aliudque *Cupido*, | Mens aliud suadet. Video meliora proboque; | deteriora sequor. Minime haec atque similia loca naturâ ita comparatum esse, ut libido in hominibus dominetur, ratio et consilium serviant, testantur neque quidquam probant, nisi quod intelligens rerum humanarum existimator facile concesserit, in bonis viris nonnunquam, quum sibi a voluptatum blanditiis non satis caverint, perturbationes *temporarium* dominatum habere (mox enim oppressa ratio praesidiis collectis jus suum atque imperium recuperat), in impuris hominibus et qui malas cupiditates in se saevire quam a ratione regi ipsi maluerint *stabilem*. Postremo illa l. nihil lucis Pauli disputationi affundunt, quippe qui *mysterium* lectoribus promens summam Judaeorum nequitiam *extraordinariam* fuisse et quae a vi quadam Dei atque efficacitate repetenda sit perspicuis verbis doceat (v. supra).

loquens asseveravit, Judaeos legi mos. subjectos Peccatui adeo emancipatos fuisse, ut inconsulta facerent quae ille dominus iis imperasset h. e. illud hominum genus temere ad quae mala voluntas et pravarum cupiditatum ardor compulisset perpetrasse potius, quam Dei mandata ratione usum et consilio conficeret. Male etiam hoc objicias, ut temeritas uni alterive recte crimini detur, male tamen eam tot hominibus exprobrari quot hominum nomine P. h. l. loquatur (*Reich.*). Nam hoc argumento *Paulus* oppugnatur, qui non sine numine factum esse docuerit, ut qui legi mos. parerent et pessime sentirent et spurcissime viverent (v. 13.). *Augustin.*, *Beza*, *Drusius*, *Grot.*, *Elsner.*, *Turretin.*, *Flatt.*, *Reich.* al. *οὐ γινώσκω* explicant *non approbo*, contra usum loquendi. Non recte eos, ut hanc interpretationem firmarent, quum ad alia l. tum ad haec Hos. 8, 2. Sirac. 28, 18. Matth. 7, 23. Joh. 10, 14. Am. 3, 2. 1 Cor. 8, 3. Gal. 4, 9. provocasse apparet. Sed ne hic quidem l. Ps. 1, 6. *ὅτι γινώσκει* (יָדַע) *κύριος ὁδὸν δικαίων* rem comprobat. Nihil enim hîc *γινώσκειν* notat nisi *scire*. Sed quod numen sanctissimum proborum hominum vitam noverit pro causâ praemiorum, quorum spe illi rectissime ducantur, commemoratur, quemadmodum Job. 35, 15. malefactorum notitia, quam Deus habeat, pro causâ poenarum impiis metuendarum ponitur. *Reich.* quum *οὐ γινώσκω* idem quod *οὐ θέλω* valere e v. 16. patere contenderet, rationem, quâ v. *οὐ γὰρ ὃ θέλω—τοῦτο ποιῶ* cum vocc. *ὃ γὰρ κατεργ. οὐ γινώσκω* cohaerent, parum perspexerat. Nempe haec illis non illustrantur, sed firmantur: temere et inconsulte perpetro quod facio; neque *enim* quod expeto facio, sed quod detestor, hoc perago. (Nempe si sobrie et circumspecte agerem honesta potius quae diligerem quam inhonesta quae abominarer perficerem). *Θέλω, quoniam ei opponitur μισῶ*, ad voluntatem et consilium referri nequit, quod ubi verbo *θέλω* verbum *perficere* declarans ex adverso locatur (v. 18. Phil. 2, 13.) notat, sed *expeto*, *desidero* valet (v. not. ad Marc. p. 547.). Hanc ob causam eorum explicatio repudianda est, qui *θέλω* de imbecillâ voluntate et quae actionem gignere nequeat (Scholastici *velleitatem* dixerunt) exposuerunt, ut *Turretin.*, non propter argutum *Reichii* p. 42. et 114. argumentum hominem neque eodem momento posse idem velle et nolle, neque, quum honesta voluntate complexus fuerit, inhonesta facere. Nam in sermone populari nolle quod velint et velle quod nolint eos dicimus, in quibus plus cupiditatum ardor, quo in scelus ruant, quam ratio possit, quae recta iis et praescribat et commendet. Seneca Hippolyt. 604.. Vos testor omnes coelites, hoc quod

volo me nolle. *τοῦτο πράσσω*] *τοῦτο* recte excludunt D. E. F. G. It. Patr. lat. (v. *Rinck.* Lucubr. crit. p. 118.). Neque enim erat, quod P. h. l. pondere adjecto (*non enim quod expeto hoc facio*), quo non opus erat (non enim quod expeto facio), *τοῦτο πράσσω* scriberet. Convenit hoc pondus tum in sequentem sententiam (v. 19. Matth. 15, 11.), tum in vs. 16., ubi Ap. *οὐ γὰρ ὃ θέλω πράσσω*, ut inde profectus ratiocinetur, graviter repetit (v. v. 20.). Ceterum nostram sententiam v. 19. confirmat, ubi non nisi Arm. Vulg. Hieron. et Ruf. *τοῦτο* e sqq. v. male repetitum adsperserunt: *οὐ γὰρ ὃ θέλω ἀγαθόν, τοῦτο ποιῶ.* Nova sane, sed admodum infelix, *Reichii* interpretatio est. Is Paulum, ut legem mos. eos ad pietatem adducere, quorum animus probus sit, ostendat (II, 43.), h. l. hominem, cujus personam ferat, fingere *nationem jud.*, tum qualis teste historiâ paucis exceptis Judaeis fuerit, impura atque scelesta, tum qualis esse vel potuerit vel debuerit, proba divinorumque praeceptorum reverens, judicat. Hinc necesse esse, ut ille *ego* qui loquens inducatur tum ex probis tum ex improbis Judaeis concretus sit (v. II, 43. 51. 54. 76. 81. 113. sqq.). Quam vana haec opinio sit, ut chartae parcam, exsequi nolo. Hoc unum dico, non posse eam obtineri, nisi aut P. v. incredibiliter contorseris, aut Apostolum ineptissime loquutum esse finxeris (v. *Reich.* p. 116.). Velut hunc vs. in hunc modum *Reich.* pervertit: nam quod (ego, *probus* Judaeus) perpetro, (ego, *improbus* Judaeus) non approbo; neque enim quod (ego, *pius* Judaeus) fieri volo, (ego, *impius* Judaeus) facio, sed quod (ego, *pius* Judaeus) abominor, hoc ego (qui *impius* sum Judaeus) perago. Non sensit *Reich.*, se, quum Subjectum v. 15. sit unum idemque, eâ machinâ, quâ nullam necessitatem logicam non facile eludas, ex uno homine fecisse duos.

V. 16. Resumit Ap. posteriorem vs. 15. partem, ut ex eâ legis mos. sanctitatem, quam ei v. 14. cl. v. 12. tribuerat, efficiat: si autem (quemadmodum confessus sum v. 15.) quod non expeto (sed detestor) hoc perago, concedo Legi, eam praeclaram esse. Quippe mente sancta legis praecepta probo, mea male facta improbo. *Σύμφημι* cum Dativo personae est *assentior*, *concedo*, *largior*. (v. *Wetst.* II, 57. et Lexx. gr.). Nempe *ὁ Νόμος* hîc quoque *persona* fingitur.

V. 17. Munivit Ap. quod v. 14. affirmaverat *ὅτι ὁ Νόμος πνευματικός ἐστι* ita, ut tum vocc. v. 14. *ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι, πεπραμένος ὑπὸ τὴν Ἁμαρτίαν* corroboret v. 15., tum ex iis quae dixisset v. 13. legis mos. sanctitatem recte colligi, moneret v. 16.; nunc se v. 14. *ἐγὼ δὲ σαρκικός εἰμι, πεπραμένος ὑπὸ τὴν Ἁμαρτίαν* jure contendisse *nixus sen-*

tentia v. 16. sumit, ut eo quod ponit v. 17. satis firmato v. 18—20. totam possit rationem concludere v. 21. cl. v. 25. fin.: *atqui* (h. e. quandoquidem vera est quae versu 16. continetur sententia) *non jam ego* quod displicet perpetro (alioquin ego id perpetrare recte judicarer), sed qui in me habitat Peccatus (dominus iste meus v. 14.) h. e. demtâ prosopopoeiâ: atqui quae improbe facio non jam menti meae, quae Mosis legem sanctam esse fateatur v. 16., sed malitiae assignanda sunt, quâ me ad male facta abripi patiar (v. not. ad v. 13.). Voces νυνὶ δέ in assumtione (v. I, 182.) positae sunt, cujus fundamentum est v. 16.. οὐκέτι] οὐκ 33. 55. Syr. Erp. Sedul. Hieron. semel probante *Millio* Proleg. §. 1253., qui ἔτι explicatores adjecisse putat. Imo ἔτι aut correctores oblitterarunt, quos vocis vis fugit, aut, quod mihi veri similius videtur, scribae et interpretes per negligentiam omiserunt ut vocabulum non necessarium (v. Syr. II, 6.). Nunquam non οὐκέτι et μηκέτι idoneam rationem habere, iis qui contextam orationem aut sententiam satis expenderint minime obscuram, et erravisse qui οὐκέτι et μηκέτι nonnunquam i. q. οὐ et μή pollere olim existimarunt (v. *Schleus.* Lex. II, 344.) nunc satis constat (v. *Win.* gr. 560. *). H. l. οὐκέτι in argumentatione positum aliquid *jam non* esse significat, quod ex aliâ re nexum etiamnum esset, nisi res sublata esset, ex quâ id suspensum esset (II, 6. Gal. 3, 18.). Nisi Judaei faciendo ea quae *detestarentur* Mosis legem praeclaram esse confiterentur, jam ipsi nefas facere recte censerentur. Nam eorum mens approbaret quae facerent. Contende v. v. 15. ὃ γὰρ κατεργάζομαι οὐ γινώσκω, quae P. accuratius h. l. constituit. Falluntur qui νυνὶ δὲ ad *tempus* h. l. referunt: nunc autem (*post legem datam*, *Grot.*; *ex quo tempore Christum sequor*, *Kopp.*). Neque enim tempora praeterita antecedunt v. 14. sqq. ἐγὼ δὲ σαρκικός ἦν. ἐγώ] Dicit mentem, quae in sano et quem Peccatus suum mancipium non fecerit homine corpus regit vitamque moderatur (v. 20. 22. 25.). Cic. Somn. Scip. c. 8. — nec enim tu es, quem forma ista declarat, sed mens cujusque is est quisque, non ea figura, quae digito demonstrari potest. ἀλλ' ἡ οἰκ. ἐν ἐμοὶ Ἀμ.]

---

*) De nonnullis l. aliter sentio quam *Win.*, v. c. de Act. 13, 34. ubi — μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν hominem notat, qui non iterum *morti* abnoxius sit. Quippe tum *ad* putredinem, tum *ad* pulverem (Genes. 3, 19. ἀποστρέφειν εἰς τὴν γῆν) revertimur *moriendo*. Quare utraque loquutio nihil nisi *mori* declarat. Arguta *Wineri* aliorumque interpretatio hâc falsâ opinione nititur, valere ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν reverti *in* putredinem, dissolvi.

Peccatus *numen* fingitur, quod regiam sellam in Judaeorum corporibus habuerit. Contra in hominibus christ. stabilem sedem habet div. Spiritus, qui eos regit. (8, 9. 1 Cor. 3, 16. 6, 19.). Interpretes h. l. non nisi ea l. afferre debuerant, in quibus *numen*, quod homines gubernet, in hominibus habitare dicitur. Seneca ep. 41. *Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos*, et paullo post: *In unoquoque virorum bonorum habitat Deus.* Nihil huc ea l. pertinent, in quibus aut res (v. c. virtus) in hominibus habitare (i. e. altas radices egisse) dicitur (v. Col. 3, 16. 2 Tim. 1, 5. et *Wetst.* ad h. l.), aut homines, similitudine a matrimonio repetitâ, cum re habitare (v. c. *συνοικεῖν κακῷ* Achill. Tat. 1, 7., ubi v. *Jacobs.*) i. e. rem semper habere contenduntur. *Reich.*, ut praeconceptam opinionem tueretur (v. not. ad. v. 15.), hunc vs. sic explicuit: atqui jam non ego (*pius* Judaeus) nefas facio, *sed peccatum, quod in me* (*impio* Judaeo) *habitat* (i. q. *sed ego impius Judaeus nefas facio*).

V. 18. Paulus interpretibus, qui v. 18—20. tautologiam invenisse sibi visi sunt (*Tholucc. Rueck.*), multo acutior sententiam verbis v. 17. *ἀλλ' ἡ οἰκ. ἐν ἐμοὶ Ἁμ.* conceptam sibi fulciendam esse v. 18—20. vidit. Itaque hoc effecto ad illa vs. 17. vocc. versu 20. revertitur. Scilicet ex eo quod Judaei quae ipsi abominentur faciant v. 16. hoc sane consequitur, non ipsos nefas facere neque eorum peccata a mente proficisci, minime illud efficitur, *in Peccatu*, qui in eorum corporibus dominetur, peccatorum causam esse (v. 17.). Fingere enim licet, Judaeos non quidem a Peccatu, sed *ab aliâ quadem vi quae iis insit* ad peccata abripi. Quamobrem P., ut Peccatum, impurum corporis inquilinum, Judaeos ad peccata stimulare concedamus (v. 20. cl. v. 17.), tum conscios eos sibi esse, incoli suum corpus non a puro, sed ab impuro domino, monet (*οἶδα γὰρ — ἀγαθόν* v. 18.), tum unde hoc cognoscatur explanat (v. 18. *τὸ γὰρ θέλειν — τοῦτο πράσσω* v. 19.). Ap. *ἐν ἐμοί*, ne secus intelligeretur, verbis *τουτέστιν ἐν τῇ σαρκί μου* h. e. in corpore meo (v. I, 379.) apposuit. Nam paullo ante v. 17. *ἐγώ* ad *mentem* rettulerat. Male vulgo cum *Luthero* vertunt: scio enim mihi *nihil boni* inesse. Neque enim hoc Pauli verbis continetur. Sic pro *ἀγαθόν* aut *οὐδὲν ἀγαθόν* aut saltem *τὸ ἀγαθόν*, quod ex F. G. Mt. l. Cyr. temere recipias, ponendum fuerat. Praeterea non erat, quod Ap. in corpore *quidquam boni* reperiri *h. l.* negaret; illud ostendendum erat, *Peccatum in eo qui loquitur habitare.* Quare verte: scio enim, non habitare in me, h. e. in corpore meo, *bonam rem*; quo *malam* potius rem h. e. Pecca-

tum, peccatorum per corporis libidines (I, 379 sq.) satorem, Judaeo inesse significat. Sequens *γάρ* praecedentem sententiam *οὐκ οἰκεῖ ἐν ἐμοὶ — ἀγαθόν* stabilit. Cognosco, inquit, rem ex eo, quod voluntas mihi in promtu est, honesti effectionem frustra circumspicio. *οὐχ εὑρίσκω.*] *οὔ.* A. B. C. 47. 67.** 80. Cdd. gr. ap. Aug. c. Julian. 3, 26. Copt. et pauci alii. Hanc lectionem, quae *Millio* Prol. §. 791., *Semlero*, *Griesbachio*, *Reichio* al. probata est, recepit *Lachm.* | *οὐ γινώσκω* 73. | *non habeo*, *οὐκ ἔχω*, Aeth.. Nihil vulgatâ scripturâ verius est. Nam primum quidem tam elegans est, ut a librariis male repetatur. Voluntatem (nempe *in honestum versam*; quod ex altero membro intelligitur) *a latere et tamquam ad manum sibi esse* (i. e. demtâ similitudine *prorsus adesse*) is qui loquens inducitur affirmat, honesti effectionem *se reperire aut ubi sit scire* (quippe quae *plane absit*) negat. Contra *Lachmanni* scriptura et jejuna est (nam voluntas mihi *in promtu est*, effectio autem honesti *non*) et inelegans, quia statim sequitur *Οὐ γαρ* etc. et Pauli ingenio tam dissentanea, quam ei vulgata lectio accommodata est (cf. v. 7. 8. *ἔζων — ἀνέζησεν — ἀπέθανον*). Deinde *οὐχ εὑρίσκω* versu 21. *εὑρίσκω* firmat, licet sensu diverso ibi locatum. Scilicet versus 21., ubi ante dicta in summam conferuntur, e vocabulis in praecedente disputatione positis conflatus est. *Εὑρίσκω* (cf. v. 18. *οὐχ εὑρίσκω*), *τὸν νόμον* (cf. v. 14, et 16.), *τῷ θέλοντι* (v. v. 16 — 18.), *τὸ καλὸν* (cf. v. 18.), *τὸ κακὸν* (v. v. 19.), *παράκειται* (v. v. 18.). Denique variantes lectiones manifestus error peperit. Nam quum librariorum oculi ab *οὐχ* ad *οὐ* v. 19. aberrassent verba *οὐχ εὑρίσκω* exciderunt, quo facto mancam sententiam alii aliâ conjecturâ expleverunt (*οὐ γινώσκω*, quod e v. 15. ductum est, honesti effectionem *non didici*, ich verstehe die Vollziehung des Guten nicht; *οὐκ ἔχω* honesti effectione *destituor*, *οὔ*· honesti effectio *non* sc. mihi in promtu est.). Quemadmodum *παράκειται a latere jacet* tralate dicitur pro *πάρεστι adest*, ita etiam vicinum verbum *πρόκειται in conspectu jacet* usurpatur 2 Cor. 8, 12.. Cf. Theognis v. 493. ed. *Welcker*. *Πολλοὶ πλοῦτον ἔχουσιν ἄϊδριες· οἱ δὲ τὰ καλὰ | ζητοῦσιν, χαλεπῇ τειρόμενοι πενίῃ. | Ἔρδειν δ' ἀμφοτέροισιν ἀμηχανίη παράκειται· | εἴργει γὰρ τοὺς μὲν χρήματα, τοὺς δὲ νόος.* Hom. Od. 22, 65. *νῦν ὑμῖν παράκειται ἐναντίον ἠὲ μάχεσθαι | ἢ φεύγειν, ὅς κεν θάνατον καὶ Κῆρας ἀλύξῃ.* Male *Tholucc.* cum nostro l. contendit Judith. 3, 2. *ἰδοὺ ἡμεῖς — παρακείμεθα ἐνώπιόν σου ecce nos adjacemus in tuo conspectu* scil. ad pedes tuos prostrati supplices., Lege sqq. *Heum.*, *Kgpk.*, *Tholucc.* al., *εὑρίσκειν* valere *posse* opinati, converterunt efficere autem

honestum *nequeo.* Quasi vero *εὑρίσκω τι reperio aliquid* declaret *possum aliquid.* Habet enim *τὸ κατεργάζεσθαι τὸ καλόν* vim Substantivi. Inepte *Kypk.*, ut commentum firmaret, tum loquutionem attulit *εὗρέ τι* (הִשִּׂיג et מָצָא) *ἡ χείρ τινος* (Levit 12, 8. 14, 21. 22.) *reperit* (quum *quaesivisset* h. e. *paravit*) alicujus manus, tum loca citavit, in quibus *εὑρίσκειν* (reperire meditando i. q. excogitare, intelligere, scire) cum Infinitivo conjungitur v. c. Arrian. Dissert. Epist. 2, 12, 2. *Δὸς γοῦν ᾧ θέλεις ἡμῶν ἰδιώτην τινὰ τὸν προςδιαλεγόμενον καὶ οὐχ εὑρίσκει χρήσασθαι αὐτῷ.* Cic. Brut. 2, 8. — tum arma sunt ea sumta, quibus illi ipsi, qui *didicerant* eis uti gloriose, quemadmodum salutariter uterentur *non reperiebant. Reich.* hunc vs. sic explicat: scio enim (*probus* Judaeus) honestum (h. e. *τὸ ἀγαθόν*) non mihi i. e. deteriori mei parti (i. q. Judaeo qualis vulgo est, *improbo Judaeo*) inesse; nam voluntas, quae honestum complectatur, mihi (*pio* Judaeo) in promtu est, honesti effectio non|scil. *impio* Judaeo in promtu est. Cf. not. ad v. 15.

V. 19. Corroborantur v. v. 18. *τὸ γὰρ θέλειν — οὐχ εὑρίσκω* h. m.: *voluntatem* mihi esse, *effectionem* honesti (Phil. 2, 13.) deesse inde intelligo, quod mei mores a voluntate meâ discrepant. Neque enim quod volo facio bonum, sed quod nolo malum id perago. V. 20. Jam postquam Ap. quod v. 17. contenderat *ἀλλ' ἡ οἰκοῦσα ἐν ἐμοὶ Ἁμαρτία* satis munivit versu 18. et 19., ita ad v. 17. redit, ut recte se supra *τὴν Ἁμαρτίαν* culpasse e proximâ v. 19. sententiâ argumenteiur. Si autem quod nolo, id facio (v. 19.), *non jam* (v. not. ad v. 17.) ego id perpetrare existimandus sum, sed qui in me habitat Peccatus. *ὃ οὐ θέλω ἐγώ*] *ἐγὼ* om. B. C. D. E. G. 31. 49. 61. 73. 80. It. Vulg. Chrys. in Mt. 3. Ambr. al.. Post *τοῦτο* ponit Clem., ante *οὐ* Chrys. Recte ineptam stabilique sede destitutam vocem condemnavit *Griesb.*, delevit *Lachm.*. Neque enim, quemadmodum in sequenti membro et supra v. 17. *ἐγὼ* a *τῇ Ἁμαρτίᾳ* distinguitur, sic h. l. *ἐγώ* a nescio quo alio discernitur, sed qui non vult quae facit et facit quae non vult unus idemque est. Cf. v. 15. 16. et 19. Sumtum est *ἐγώ* e membro, quod proxime sequitur. Vide librum m.: Ueber die Verdienste Tholuck's p. 80..

V. 21. Quum veteres interpretes Paulum h. l. vel parum perspicue (*Chrys.*: *Ἀσαφὲς τὸ εἰρημένον*), vel non satis recte et usitate (*Orig.*: Et in his, ut saepe in superioribus commonuimus, non videntur eloquutiones integre explicari, sed conjunctionum vel abundantiâ vel proprietatibus impediri. *Theophyl.*: *Ἀσαφὲς τὸ εἰρημένον, ὡς ἐλλι-*

πῶς ἔχον· ἔδει γὰρ οὕτω λεχθῆναι· etc.) scripsisse putassent, non illi Pauli verbis accurate enarratis quid dixisset docuerunt, sed quid eum dicere aequum judicassent attulerunt. Quorum nugas, quas interpretationes haberi voluerunt, indignas esse quas refutaret recte censuit *Beza*. Veterum interpretum exemplum permulti de recentioribus explicatoribus sequuti sunt, qui aut palam Paulum, ut *Erasmus* et *Rueck.*, quod „hoc sermone balbutiverit nec absolverit quod instituisset" socordiae insimulaverunt, aut hâc criminatione silentio dissimulatâ summam sibi ut in loco negligenter scripto licentiam concessam esse crediderunt *). Mihi nunc non dubium videtur, quin qui tum

*) Quamquam admodum licentur interpretes in constituendâ hujus l. structurâ et sententiâ versati sunt, in duas tamen partes discesserunt. Alii enim *τὸν νόμον legem mos.*, alii *normam* interpretati sunt. In hâc sententiâ permulti de recentioribus explicatoribus fuerunt; illud veteribus interpretibus visum est, quorum nonnulla consilia afferam, ne iniquius de iis judicavisse videar. *Orig.* Paulum si dilucide scripsisset haec dicturum fuisse autumat: „igitur, quia malum mihi adjacet, volens facere bonum invenio legem Dei *et* condelector ei secundum interiorem hominem!". Syri verbosa translatio ad hanc sententiam redit: *invenio* igitur, legem mos. mihi *volenti* facere bonum *conducere*, *quia* malum mihi in propinquo est. Supplevit *ὄντα* post *τὸν νόμον* et *ὅτι quia* vertit, ceterum formulam *ἐστί μοι νόμος* explicuit *prodest mihi lex*. Similiter Chrys.: *reperio* igitur, legem mos. mihi qui *velim* honestum facere patrocinari, *ex eo quod* inhonestum mihi in promtu est. *Theophyl.* perplexam Ap. orationem sic emendat: *εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον συνηγοροῦντά μοι, θέλοντι μὲν ποιεῖν τὸ καλὸν, μὴ ποιοῦντι δὲ διότι ἐμοὶ παράκειται τὸ κακόν.* Cogitando addidit *ὄντα*, tum *ὅτι ἐ. τ. κ. π.* ex verbis *μὴ ποιοῦντι δὲ*, quae Pauli menti obversata esse, ex sede quam *τῷ θέλοντι* occupat (mihi qui *velim*, non faciam) collegit, aptum putavit. Ejusdem generis sunt quae Phot. ap. Oec. excogitavit, v. c. quod primo l. posuit: *ἐξ ὧν εἶπον, φησί, — τοῦτό μοι συμπεραίνεται καὶ τοῦτο εὑρίσκω· ποῖον; τὸ εἶναι τὸν νόμον νόμον μὲν εἰς τὸ καλὸν τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλόν — τὸ γὰρ κακὸν εὑρίσκω ὅτι ὁμοίως ἐμοὶ παράκειται —.* Mente adjecit *νόμον* post *τὸν νόμον* et *ὅτι* (quia) suspendit ab *εὑρίσκω*. Sed melius ei hoc inventum placuit: *εὑρίσκω* (intelligo) *ἄρα τὸν νόμον, τουτέστι κατενόησα καὶ κατελαβόμην τὴν ἰσχὺν καὶ τὴν φύσιν τοῦ νόμου. ἐξεῦρον αὐτὸν ἀκριβῶς, ὅτι οὐδέν μοι βοηθῆσας ἴσχυσε· πόθεν δῆλον· ὅτι θέλοντί μοι ποιεῖν τὸ καλὸν οὐδὲν ἐπικουρεῖ, ἀλλ' ὁμοίως τὸ κακὸν παράκειται, ἄπρακτόν μοι τὸ θέλειν ποιοῦν. Τὸν νόμον legis vim et indolem* exposuit h. r.: intelligo igitur legis vim, *nempe* mihi qui bonum facere velim malum in promtu esse. Non vertit *ὅτι quia*, ut *Tholucc.*, cui v. *πόθεν δῆλον*; fraudem fecerant, perhibuit. Hoc modo nihil non perverti posse recte monuit *Beza*. Adjungo nonnulla recentiorum interpretum aeque insana consilia. *Bengel.*: invenio igitur legem mos. volenti mihi bonum facere *non letalem esse, quia* mihi malum adjacet! *Carpz.*: itaque reperio *per legem* (*τὸν νόμον* positum putat pro *κατὰ τὸν νόμον*,

praecedentem Pauli disputationem perceperit tum ejus verba v. 21. expenderit eam explicationem unice veram esse intelligat, quam a *Theodoreto et Hombergio* (non item ab *Oecumenio*, cujus mentem *Bezae* jam perspectam non assequutus est *Tholucc.*) initam docte defendit b. *Knappius* Opusc. p. 389. sqq. ed. 2.. Vide etiam *Bornemannum* Schol. in Lucae Ev. p. LXVII.. Scilicet v. *ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται* ab *εὑρίσκω ἄρα* suspensa sunt, *τὸ καλὸν* per appositionem illustrat *τὸν νόμον* et Pronomen *ἐμοὶ* iteratum est, ut tot verbis *τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν, τὸ καλόν*, propter suum pondus voci *ὅτι* praepositis lector de constructione moneretur. *Reperio igitur, mihi qui legem mos. observare h. e. honesta exsequi velim, mihi, inquam, inhonesta in promtu esse.* Nisi P. verbis *τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν* ipsâ collocatione pondus adjicere voluisset, vulgarem structuram praeoptasset: *εὑρίσκω ἄρα, ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται, τῷ θέλοντι ποιεῖν τὸ καλόν.* Ceterum haec tenenda sunt. Summam P. hoc versu facit eorum, quae v. 14—20. disputavit. Est igitur *εὑρίσκειν reperire cogitando, intelligere* (Xenoph. Hellen. 7, 4., 2. cf. מָצָא Kohel. 7, 26. sq. et *reperire* Cic. ad. Fam. 12, 3, 1.). Ac potuisset Ap. quod ex superius dictis consequeretur his verbis illigare: *εὑρίσκω ἄρα, ὅτι τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν ἡ Ἁμαρτία βασιλεύει* s. *εὑρίσκω αρα, ὅτι τὸν νόμον ὁ θέλων ἐγὼ ποιεῖν ὑπὸ τὴν Ἁμαρτίαν πεπραμένος εἰμί* (cf. v. 14.). Sed acumen conclusioni ex eo quaesivit, quod iis verbis conciperetur, quae ante dicta, ex quibus colligeretur, lectoribus in memoriam redigerent. Itaque *τὸν νόμον* explicuit verbis *τὸ καλόν* (v. v. 18.), ad quae ut membrum primarium acute referretur *ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν* (v. 19.) *παράκειται* (v. 18.) scripsit. *Τὸν νόμον* esse *legem mos.* longe certissimum est. Docent enim et quae praecedunt et quae sequuntur. Quippe P. h. l. quid Judaeos *in legem mos.* intuitos tum velle se tum facere intelligant ex antegressâ disputatione conficit (cf. v. 14. 16.). Tum versu 22. et 23. sententiam v. 21. explicari in promtu est. Atqui velle eum qui verba facit *legi* satisfacere aut recte agere (*τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν, τὸ καλόν*) versu 22.

---

quod *per* legem mos. interpretatur) mihi bonum facere volenti *inesse* (!) malum! *Chr. Fr. Schmid.*: video igitur, legem ita esse comparatam, ut dum virtuti studeo, nihilo secius mala mihi adsint. Paulum, quum structurâ excidisset, *ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται* pro *ὄντα εἰς κακόν* scripsisse opinatus est plaudente *Rueckerto*. Sed plures hujusmodi nugas, quae optime oblivioni dantur, cumulare nolo.

his v. confirmatur: *συνήδομαι γὰρ τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ κ. τ. ἔ. ἄ.,* quo facto vocc. *ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται* versu 23. muniuntur. Ne illud quidem qui *τὸν νόμον normam* h. l. interpretati sunt reputaverunt, ubicunque P. de aliis rebus praeterquam de lege mos. *νόμου* vocabulum usurpet acute eum ad *legem mos.* alludere (v. v. 23. *ἕτερον νόμον* cl. v. 22. *τῷ νόμῳ τοῦ θεοῦ.* 3, 27. 8, 2. 9, 31.). Non igitur Paulo *ὁ νόμος regulam*, *normam* simpliciter declarat. *Τὸν νόμον ποιεῖν legem observare* proba loquutio est; v. not. ad 2, 13.. Verba *τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν, τὸ καλόν*, quia *τὸν νόμον* praecipuum pondus habere voluit, recte P. ante *ὅτι* collocavit: intelligo igitur mihi qui *legi mos.* satisfacere h. e. recte agere velim inhonestum in tergo haerere. (Cf. 11, 31. 1 Cor. 9, 15. Gal. 2, 10. Joh. 13, 29. 2 Thess. 2, 7. Act. 19, 4.). Voluit autem eximium pondus in v. *τὸν νόμον* recumbere, quia div. legi eam rem opponere decreverat, cui qui loquitur pareret h. e. *τὴν Ἁμαρτίαν* (v. supra). Sed quum *τὸν νόμον* verbis *τὸ καλόν* illustrasset, oppositionem (*τὸ κακόν*) ad appositionem (*τὸ καλόν*) accommodavit. Noli objicere, *τὸν νόμον* non posse non cum v. *εὑρίσκω* arctissime cohaerere (hoc enim precario sumitur), *contorte* v. *τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν, τὸ καλόν* ante vocem *ὅτι* locata esse (cf. supra), *τὸ καλόν* nimio spatio a v. *τὸν νόμον* diremtum esse, non aptam videri appositionem *τὸ καλόν* (v. *Reich.*) et similia. Nimirum verbis *τὸ καλόν* ne potuit quidem alius locus dari, quam quem tenent. Arctissime enim, ut unam sententiam contineant (*τὸν νόμον θέλω ποιεῖν*) vocc. *τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν* cohaerent. Non igitur divelli poterant h. m.: *τὸν νόμον, τὸ καλόν, τῷ θέλ. ἐ. π..* Imo sic *τὸν νόμον τὸν καλὸν τῷ θέλ. ἐ. π.* (v. v. 16.) Ap. scripsisset. Jam ut mira per se videatur appositio *τὸν νόμον, τὸ καλόν* (nemo enim non *τὸν νόμον τὸν καλὸν* sic dicere maluerit), optime tamen ea comparata est, quâ P. *post* v. *τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν* usus est. Hanc enim vim habet: *εὑρίσκω ἄρα, τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν, τουτέστι τὸ καλὸν τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν ὅτι* etc. *intelligo igitur mihi qui legi mos. obedire,* hoc est (quum Mosis disciplina sancta sit v. 16.) *honestum exsequi* (v. 18.) velim, mihi inquam inhonestum in promtu esse. Non igitur *legis notio* appositione *τὸ καλόν* enodatur, sed loquutionis *τὸν νόμον θέλειν ποιεῖν* vis ostenditur (*legi mos. satisfacere velle* idem est quod *honestum exsequi velle* cf. v. 16. — 18.), quo modo infra 8, 23. *υἱοθεσίαν ἀπεκδέχεσθαι* idem valere quod *τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἀπεκδέχεσθαι* Ap. monet. Postremo ne repetito Pronomine *ἐμοί* male offendaris, considerandum est, Pronomina per-

sonalia et demonstrativa tum per negligentiam iterari solere, quum scriptorem positi Pronominis nonnullis adjectis vocabulis oblivio ceperit, tum de industriâ, ut vel orationis perplexiore structurâ nonnihil obscuratae perspicuitas lectoribus de eo de quo exponatur identidem monitis adjuvetur, ut h. l., vel vis orationi istâ repetitione concilietur. Cf. *Matthiae* Ausf. gr. Gr. p. 1312., F. V. *Fritzsche* Quaest. Luc. p. 14., *Kuehneri* Ausf. Gr. II, 331., meam notam ad Marc. p. 14. Matth. 5, 40. 1 Cor. 5, 3—5. 2 Cor. 12, 2.. *Knappii* opinionem (l. c. p. 391. sq.), qui veterem interpretem (v. Theodoret. III, 78. ed. Halens.) et *Zegerum* imitatus ἐμοί prius ad hominis *mentem* (τὸν ἔσω ἄνθρωπον v. 22.), posterius ad *corpus* (τὴν σάρκα v. 18. 23.) spectare putavit et lex grammatica et res ipsa redarguit. Videlicet ob id ipsum Pronomina iterantur, *ne lectores de alio nisi qui jam memoratus sit cogitent.* Confer loca ab iis viris citata quos laudavi. Et ἐγώ hoc vs., (ut v. 14—16. v. 18. fin. v. 19. v. 22. συνήδομαι v. 23. sq.) nisi de *toto* homine explanari nequit. De eo enim dolet, quod qui div. legi obtemperare velit id Peccatus tyrannidi subjectus efficere nequeat. Male *Knappius* suam sententiam versu 22. et 23. corroborari putavit. Neque enim illic ἐμοί prius verbis κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, hîc ἐμοί posterius vocabulis ἐν τοῖς μέλεσί μου exponitur, sed toto vs. 22. sententia, θέλω ἐγὼ ποιεῖν τὸν νόμον, τουτέστι τὸ καλόν, et toto v. 23. enunciatio ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται explicatur. Quae quum ita sint, male *de Wettius* eâ quam probavimus interpretatione linguae leges violari contendit. Simul frustra hunc l. conjecturis tentatum esse emergit. *Hombergius* τὸν νόμον, *Hemsterhusius* τὸ καλόν pro glossemate habuit; *Knappius* autem p. 388. *TON* καλόν conjecit. Non debuerat vir egregius suae conjecturae commendationem e lectione, quam Mosquensis codex vulgatae versionis habet, petere: „invenio igitur legem *bonam*, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet." *Bonam* enim, non quidem librarius lapsus in scribendo adjecit (*Reich.*), sed quum sibi *interpretis* partes sumsisset addidit. Scilicet permulti explicatores h. l. legis mos. *utilitatem* enarrari antiquitus opinati sunt. Cf. notam quam subjecimus et Photium ap. Oec., qui quum alia absurda consilia tum hoc commentum proponit: ἢ καὶ οὕτως· εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον καλόν, ἵνα ᾖ τὸ καλὸν καὶ ἐν ὑπερβάτῳ καὶ ἀπὸ κοινοῦ κείμενον (!). εὑρίσκω, φησί, τὸν νόμον καλὸν ἐμοὶ τῷ θέλοντι ποιεῖν τὸ καλόν· τί οὖν οὐ πράττεις αὐτό; ὅτι τὸ κακόν μοι παράκειται. Neque quidquam codicibus F. G. Boern. tribuendum est, qui ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται excludunt. Nempe

ὄντα cum multis veteribus explicatoribus (v. notam) post τὸν νόμον suppleverunt (invenio igitur, ita me Mosis legem habere, ut honestum exsequi *velim*) verba autem ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται quae multum incommodassent abjecerunt iis deletis praeclare versum 21. cum v. 22. coire opinati. Ceterum a nostrâ explicatione ii proxime abfuerunt, qui τὸν νόμον i. q. κατὰ τὸν νόμον valere finxerunt h. s.: intelligo igitur, volenti mihi bonum facere secundum legis mos. praecepta, adjacere mihi malum (*Phot.* ap. Oec., *Vatabl.*, L. *Ros.* Exerc. p. 108. al.). Restat ut eorum interpretum opinio refellatur, qui τὸν νόμον hîc *normam*, *regulam*, *praescriptum* (*Beng.* ad v. 23. barbare vertit *dictamen*) declarare crediderunt. Quos quamquam erravisse ex iis patet, quibus τὸν νόμον h. l. *legem mos.* utique valere supra ostendimus, tamen eorum inventa cujusmodi sint paullo accuratius exponam propterea, quoniam illo errore optimos explicatores ductos esse video. *Beza* igitur, *Koelln.*, al. quum aut Dativum τῷ θέλοντι ἐμοὶ π. τ. κ. a formulâ εὑρίσκω τὸν νόμον suspendissent, aut ὄντα s. δοθέντα post τὸν νόμον cogitando addidissent, sic enarrarunt: invenio igitur volenti mihi facere bonum hanc legem impositam esse, ut mihi malum adjaceat. At nemo dixit εὑρίσκω ἐμοὶ νόμον pro εὑρίσκω ἐμοὶ νόμον ὄντα s. δοθέντα. Praeterea vel ut ambiguitas evitaretur τοῦτον τὸν νόμον scribendum fuerat verbis sic ordinatis: εὑρίσκω ἄρα τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν τοῦτον τὸν νόμον δοθέντα ὅτι etc.. Multo pejus *Calv.*: *reperio* igitur *aliquam* (tyrannicam) legem [neglexit articulum τὸν νόμον] volenti mihi facere bonum, *quia* (ὅτι) medullis meis et ossibus infixa est vitiositas legi Dei repugnans.! *Grot.*, *Limb.*, *Schoettgen.*, *Wolf.*, *Boehm.*, *Flatt.*, *Ammon.*, *Beneckius*, *Win.* gr. p. 496. al. verba sic struunt: εὑρίσκω ἄρα τὸν νόμον, ὅτι τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν τὸ καλὸν τὸ κακὸν παράκειται. invenio igitur hanc (naturae meae) normam ut volenti mihi bonum facere malum adjaceat. Quo nihil vidi contortius. Nempe proxime admovendum fuerat τὸν νόμον ad ὅτι, quo pertineret (v. Eph. 5, 26., not. ad Marc. p. 391. et Joh. Malalas 380, 10. *Dind.* καὶ ἐκβαλὼν αὐτὸν καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ — ὑπὸ λόγον ὅτι οὔτε ἀποκεφαλίζονται οὔτε σφαγιάζονται ἔπεμψεν αὐτὸν κ. τ. λ.). Credo etiam Paulum τοῦτον τὸν νόμον dicturum fuisse (13, 9.): εὑρίσκω ἄρα τοῦτον τὸν νόμον, ὅτι ἐμοὶ τῷ θέλοντι ποιεῖν τὸ καλὸν τὸ κακὸν παράκειται.

V. 22. Fulcitur sententia verbis v. 21. τὸν νόμον τῷ θέλοντι ἐμοὶ ποιεῖν, τὸ καλόν comprehensa: *legem me velle observare* h. e. honestum facere, dicebam (v. 21.). Nam intus laetitiam ex Dei lege percipio, quatenus interior homo

sum aut ex mente consto. *Συνήδεσθαί τινι tria* declarare potest, *unâ cum homine laetari* (v. Soph. Oed. C. 1400., ubi verbum cum Dativo personae et rei conjungitur, simul cum aliquo *de re* laetari, v. *Matthiae* Ausf. gr. Gr. II, 729., Xen. Cyr. 1, 6, 24.), *unâ cum aliis de re laetari* (Eur. Med. 136. *Pors. οὐδὲ συνήδομαι, γύναι, ἄλγεσι δώματος* neque *unâ cum Medeae inimicis* voluptatem capio, mulier, ex hujus domus malis., Demosth. c. Mid. 579, 19.) et *intus*, *apud animum meum*, *laetitiam ex re capio* (Eur. Hippol. 1286. *Dind. Θησεῦ, τί τάλας τοῖςδε συνήδει—;* cl. 1258. 1260. Rhes. 958. v. I, 120. et not. ad Marc. p. 78.). H. l. neque *una cum aliis* (non minus, quam alii) *lege laetor* interpreter, neque cum *Chrys.* (*ὥσπερ γὰρ ἐγὼ αὐτῷ [τῷ νόμῳ] συνήδομαι, οὕτω καὶ αὐτὸς ἐπαινεῖ τὴν γνώμην τὴν ἐμήν.*) exponam *unâ cum Lege laetor* i. e. de quo laetatur Lex. mos. (de honesto), id mihi quoque laetitiam affert, sed sic enarro: *intus*, apud animum meum, lege Dei laetor. Manifestum est enim, Paulum notionem praeverbio inclusam magis dilucidare verbis *κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον*. *Elsner.*, *Wolf.*, *Morus*, *Schleusn.* Lex., *Reich.* al. locis Eur. Med. 136. Hippol. 1258. certatim abusi *συνήδεσθαι* idem quod *ἥδεσθαι* notare perhibent. Non rectius *Wahl.* et *Bretschn.* *συνήδεσθαι* et *συλλυπεῖσθαι* non nisi gravitate verba simplicia superare credunt, *valde* laetari, dolere. Non enim illa v. *activa* sunt, ut *συντέμνειν*. Esse *τὸν νόμον τ. θ.* legem per Mosen latam contexta oratio docet (v. 21. cl. 14. 25.). Eam P. h. l. verborum perspicuitate adhibitâ legem *Dei* vocat, quoniam ab eâ *ἕτερον νόμον* in corpore grassantem discernere voluit. *Rueck.* *τὸν νόμον τ. θ.* *div. leges quascunque* valere contendit. *κατὰ τ. ἔ. ἄ.*] quod ad eum qui *intus* est hominem attinet, quatenus ex mente consto. *Syrus*: *in* homine interno (cf. homericum *κατὰ θυμόν*), quem imitari noli. Platonis schola formulis *τοῦ ἀνθρώπου ὁ ἐντὸς ἄνθρωπος* (Plato de Rep. l. IX. p. 589.), *ὁ εἴσω ἄνθρωπος* (Plotin. Ennead. 5, 1, 10.), *ὁ ἀληθὴς ἄνθρωπος* (Plotin. 1, 1, 10.), *αὐτὸς ὁ ἄνθρωπος* (Plotin. 7, 1. cl. Phil. de congress. etc. II, 533. *Mang.*), *ὁ πρὸς ἀλήθειαν ἄνθρωπος* (Philo de gig. II, 267. *Mang.*), *ὁ ἡγεμὼν ἄνθρωπος* (Philo de agric. I, 301.), *ἡ ἔνδον ψυχή* (Plotin. 3, 15.) et similibus vocibus dominam omnium hominis partium et reginam *rationem* nuncupavit h. e. animi partem rationis participem (*τὸ λογιστικὸν τῆς ψυχῆς*), quae *intenta in verum atque honestum*, quemadmodum Deus mundum movet, ita tum animi partem rationis expertem (*τὸ ἀλόγιστον*), quae corporis facibus incensa motus turbidos et cupiditatis (*τὸ ἐπιθυμητικόν*) et irae (*τὸ θυμοειδές*) contrarios inimicosque

rationi ciet, tum fragile corpus moderatur et post mortem, quâ corpus dissolvitur, remanet (v. Plato de rep. IV, 439—441., IX, 571. sq. Cic. Tusc. I, 10, 20. II, 21, 47. IV, 5, 10.). Huic meliori hominis parti deteriorem opposuit i. e. *corpus*, quod τὴν ἔξω ἀνθρώπου σκιάν (Plotin. 3, 15.), τὸν ἔξω ἄνθρωπον et similibus formulis notavit (v. *Wetst.* et *Carpz.*). Eadem Paullinarum vocum ὁ ἔσω ἄνθρωπος (1 Petr. 3, 4. ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος *qui in pectore latet homo*) et ὁ ἔξω ἄνθρωπος (2 Cor. 4, 16. Eph. 3, 16.) vis ac notio est. Illa praestantiorem hominis partem h. e. *rationem et conscientiam*, haec deteriorem ejus partem i. e. *corpus* declarat. H. l. τὸν ἔσω ἄνθρωπον idem valere quod v. 23. et 25. τὸν νοῦν et 1 Thess. 5, 23. τὸ πνεῦμα h. e. *rationem* et *conscientiam* perspicuum est (v. *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Oec.*). Non negavit P. quum eas partes tibi imperare siveris, quas rationi obedire par sit, et tenebras menti et callum animo obduci (Rom. 1, 22. Eph. 4, 17. sq.) mentemque et animum contaminari peccando (Tit. 1, 15.). Illud negavit, praestantiorem hominis partem ita degenerare, ut veri honestique vel sensum exuat vel studium deponat. Argumento est hic l., ubi qui loquitur Judaeus non renatus et extraordinario Dei instituto quod homo non capiat Peccatui emancipatus quamquam corporis facibus inflammatus honesta perficere non potest tamen officio satisfacere *cupit* et intus Dei lege delectatur. Quare a P. mente eorum opinio prorsus abhorret, qui hominem non renatum non solum trunco aut lapidi aut statuae vitâ destitutae, quae neque oculorum, neque oris neque ullorum sensuum usum habeat assimilant, verum etiam deteriorem eum trunco esse contendunt, quia truncus ei a quo moveatur non reluctetur, homo non renatus Dei voluntati repugnet (Form. Conc. p. 662. 672. sq.). Quamquam per se credibile est, Paulum hominis non renati *rationem* et *conscientiam* (τὸν ἔσω ἄνθρωπον) *intaminatam* et *in honestum versam* animo informasse. Nam peccatorum illecebras, quemadmodum Plato, a corpore repetiit (v. not. ad 6, 6.) et tres hominis partes distinxit Platonis descriptionem sequutus 1 Thess. 5, 23., τὸ πνεῦμα, animi partem *rationis participem*, τὴν ψυχήν animi partem *rationis expertem* et τὸ σῶμα, *corpus* (cf. etiam Hebr. 4, 12.). Ubi *duas* hominis partes fecit, corpus (τὴν σάρκα) et *mentem* (τὸ πνεῦμα) popularem rationem imitatus *primarias* hominis partes nominavit et τὸ ἀλόγιστον τῆς ψυχῆς quippe arctius cum corpore nexum, quum τὸ θυμοειδὲς in pectore, τὸ ἐπιθυμητικόν subter praecordia locaretur, numerare supersedit (1 Cor. 7, 34. 2 Cor. 7, 1.). Ceterum Ap. *spiritum div.* τῷ ἔσω ἀνθρώπῳ s. τῷ νοΐ (τῷ

λογιστικῷ τῆς ψυχῆς) plus roboris addere censuit, ut ratio divini spiritus vi firmata corpore sub suum arbitrium redacto domitisque libidinibus ut Dei praeceptis ab homine satisfiat multo facilius efficiat (8, 2. Gal. 5, 19—25.). Hinc apparet, ψυχικόν recte vocari qui alias σαρκικός dicitur. Hic enim impuri corporis mancipium vivit 1 Cor. 3, 1., ille animi parti rationis experti obnoxius est h. e. a pravis cupiditatibus se regi patitur 1 Cor. 2, 14. Adde σοφία ψυχική Jac. 3, 15. et σαρκική 2 Cor. 1, 12. i. e. sapientia τοῦ ἀλογίστου τῆς ψυχῆς et pravi corporis studia redolens eoque vana atque impura. (Haec enim interpretatio nunc mihi melius placet, quam quae supra I, 380. proposita est.). Manifestum est etiam, eodem jure τὸν ψυχικόν ei qui div. spiritus robur habeat, τῷ πνευματικῷ, opponi (1 Cor. 2, 14. 15. Jud. 19.), quo σαρκικός τῷ πνευματικῷ ex adverso locatur 1 Cor. 3, 1. Sunt enim quibus div. spiritus nondum obtigerit mancipia corporis et libidinum (v. 14. sq.). Et ut fuisse fingas altae indolis homines, in quibus ὁ νοῦς τὴν ψυχήν et τὸ σῶμα satis coerceret, firmiores tamen ii Paulo videri debuerunt, quibus div. spiritus adjutor datus esset divinitus. Hûc etiam refero σῶμα ψυχικόν i. e. corpus τῇ ψυχῇ, quae in eo habitet, consentaneum, ergo corpus hominum vitae, qui quamdiu ritu mortalium vivunt τῇ ψυχῇ praediti sunt, consentaneum h. e. caducum et dissolubile, et σ. πνευματικόν i. e. corpus vitali Dei Spiritui, qui aptum ibi domicilium habeat, accommodatum, ergo corpus indissolubile, quod Christianis, in quibus τὸ Πνεῦμα habitat, post Christi reditum sub regni messiani initia dabitur 1 Cor. 15, 44. sqq. Paulum formulas ὁ ἔξω ἄνθρωπος et ὁ ἔσω ἄ. e Platonis scholâ hausisse idemque quod Platonicos his loquutionibus declarasse *impie* statui videtur *Elsnero* et *Carpzovio*, *absurde Harlessio* ad Ephes. p. 315., mihi *vere*. Nam quod *Harlessius* formulas ὁ ἔξω ἄνθρωπος et ὁ ἔσω ἄ. Platonicas esse negavit propterea, quod minime reconditae, sed quae cuivis se offerre potuerint loquutiones sint, quibus tum *corporis* tum *mentis* notio apte exprimeretur, id ego quoque concederem tamque ab iis Platonismi suspicionem abesse dicerem, quam ab Jobi voce 10, 11. עוֹר וּבָשָׂר תַּלְבִּישֵׁנִי, ab iis l., in quibus קֶרֶב animum declarat Ps. 5, 10., a celebrato Anaxarchi dicto, qui Nicocreonti tyranno quum crudelissimum supplicium sumeret πτίσσε, inquit, τὸν Ἀναξάρχου θύλακον, Ἀνάξαρχον δὲ οὐ πλήττεις (Diog. Laert. 9, 59.) et a multis multorum vocibus remota est, quae *mentem*, non *corpus*, hominem efficere declarant, nisi multa Platonicam earum formularum originem manifestarent. Et primum quidem ambigua res videretur, si formulae tan-

tummodo Pauli cum Platonicis congruerent. Nam *casu* fieri potuisset, ut P. invitante re corpus quod oculis usurpatur *τὸν ἔξω ἄνθρωπον*, mentem, quae intus in homine est, *τὸν ἔσω ἄνθρωπον* diceret, quemadmodum Plato. Sed concordant *sententiae*. Nam P. quoque mentem puram, corpus, ut quod peccatorum invitamenta contineret, impurum animo informavit (v. supra). Deinde distinctio trium hominis partium 1 Thess. 5, 25. haud dubie Platonica est. Tum usus Adjectivi *ψυχικός* Platonis sententiam redolet. Postremo locus 1 Petr. 3, 4., ubi postulatur, ut mulieres in pectore latitans homo, qui perpetuitate mansuetae et tranquillae mentis cernatur, ornet, colorem habet Platonicum. Cf. Cic. Tusc. IV, 5, 10. — in participe rationis [animi] parte ponunt *tranquillitatem*, i. e. *placidam quietamque constantiam*. Sed cognatas Platonicis tum formulas tum sententias N. T. scriptores non ex ipso fonte h. e. e Platonis aut Platonicorum libris, sed e rivo hauserunt i. e. ex hominum sermone vitâque communi, quo e scholâ abierant (v. *Knapp*. Opusc. p. 392.). Reliquum est, ut falsas nonnullas loquutionis *ὁ ἔσω ἄνθρωπος* explicationes refellam. *Beza* (cf. *Calv.*) *τὸν ἔσω ἄνθρωπον* idem quod *τὸν καινὸν ἄνθρωπον* „hominem quatenus sit gratiâ Dei regeneratus" et *τὸν ἔξω ἄνθρωπον* idem quod *τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον* „quidquid sit homo qualis nascatur" pollere perhibuit. At omnes promiscue homines, sive renati sint (2 Cor. 4, 16.) sive non renati (Rom. 7, 22.), ex interiore et exteriore homine h. e. ex mente et corpore constant; contra homines christ. in crucem acto vetere homine novum hominem induere (Rom. 6, 6. Eph. 4, 24.) decet. Concessit hoc *Olshausenus*, sed quod profundi quid dicturus adjecit, quatenus homo interior novum hominem partu quasi edat h. e. hominis nondum renati *mens* primo renascatur, eatenus *τοῦ ἔσω ἀνθρώπου* vim a *τοῦ καινοῦ ἀνθρώπου* significatu proxime abesse recteque quae Ap. h. l. de homine non renato dixerit paucis mutatis in hominem renatum transferri, id sensum habet nullum. *Vatabl.*, *Elsner.* al. *τὸν ἔσω ἄνθρωπον* mentem spiritus Dei potentissimo opere regenitam vehementique Dei amore inflammatam notare crediderunt *). Similiter *Morus*: „mens melius instituta et for-

*) Male *Elsnerus* et qui eum sequuti sunt ut suam opinionem stabiliant citant Jalkuth Rubeni f. 10. col. 3. עור ובשר הוא מלבוש לאדם ורוח הפנימי נקרא אדם: עבדי כוכבים ומזלות אינם קריים אדם כי נשמתן מרוח הטומאה אמנם ישראל ונשמתן מרוח הקדושה: *cutis et caro vestimentum est homini; spiritus inte-*

formata." Qui formulae nihil nisi *mentem* declaranti alienam notionem affinxerunt. Atque ubi de homine renato agatur, 2 Cor. 4,16., spiritum div. ejus mentem finxisse, contra ubi de homine nondum renato sermo instituatur, ut h. l., spiritum div. ejus mentem nondum formasse nemo non intelligit.

V. 23. Nunc sententiam, quae verbis v. 21. *ὅτι ἐμοὶ τὸ κακὸν παράκειται* continetur, Ap. explicat h. r.: video autem (ut mihi, qui legem mos. observare h. e. honesta perficere velim, *inhonesta in promtu esse* intelligas v. 21.) aliam legem in membris meis bellum gerere adversus legem meae Mentis et captivum me abducere legi Peccatus, quae in membris meis est. *ἕτερον νόμον*] *aliam legem* quam *quae a Deo per Mosen lata* menti meae eximie placet (cf. v. 22.). Dicit *τὸν νόμον τῆς Ἁμαρτίας*, vim quam Peccatus exercet,

---

rioris partis vocatur homo: cultores stellarum et planetarum (i. e. homines christ.; hoc enim Judaei recentiores maledicto Christianos oblique designant, tanquam idololatras) *non voce hominem denotante declarantur, quia eorum animae sunt ab impuro spiritu; Israelitae sane, quum eorum animae sint a sancto spiritu.* Neque enim ibi אדם פנימי *homo interior* commemoratur, qui sit animus spiritus div. operâ *regenitus.* Imo R. Reuben Hoschkei filius, qui vixit seculo decimo septimo, loco citato libri, in quo cabbalisticas nugas in pentateuchum cumulavit, ut nullam Christianis cum Deo similitudinem esse, sed verba Gen. 1, 26. נַעֲשֶׂה אָדָם בְּצַלְמֵנוּ ad solos Judaeos pertinere ostenderet, vocem אָדָם ad perfectos homines (ad Israelitas), qui non solum corpus humanum, verum etiam animam humanam haberent, non ad inchoatos homines (ad idololatras), quibus anima vere humana deesset, referendam esse contendit. Hunc locum ex editione Vilmersdorfiensi (1681. fol.), quam conferre non potui, ab Elsnero allatum in editione Amstelodamensi (1700. fol.), quâ ego utor, totidem verbis perscriptum non inveni, sed sententiae summa non semel ibi enuntiatur, v. c. f. 10. c. 1. infra ad Gen. 1, 26. — ושם האדם הנברא בצלם לא נאמר על הגוף הנברא מטפה סרוחה (e foetido semine) כי רוח הפנימי' נקרא אדם על־כן ישראל קריין אדם: Adde c. l. 3. infra ad Gen. 1, 27. הגוף נקרא לבוש אדם וזהו שנאמר כי ישראל נקרא אדם על שנפשו ירדה לו מאדם עליון אבל לעובדי כוכבים ומזלות שבא נפשם מרוח הטומאה נקרא חזיר ואם כן בשר ודם של עובדי כוכבים ומזלות הוא גוף ונפש של חזיר: Qui paullo post commemorantur אדם חיצוני et אדם פנימי, eorum ille *idololatra* est, quippe non nisi humano corpore praeditus, hominis mente, ut qui *porcinam* mentem habeat, destitutus, hic *Israelita* est, cui mens vere humana h. e. ab Adamo caelesti, sive a spiritu S. profecta, data sit. Quamobrem haec cabbalistica commenta *Elsneri* interpretationem minime confirmant; multo minus ex iis explices, quamnam vim Paulus formulis *ὁ ἔσω ἄνθρωπος* et *ὁ ἔξω ἄνθρωπος* subjecerit.

Hujus modi in locis *νόμου* vocabulum non *normam*, *regulam* significat, sed *legem*. Nempe *res*, quia *persona* inducitur, ut h. l. ὁ *Νοῦς* et ἡ *Ἁμαρτία*, *legem dare* recte dicitur eatenus, quatenus legis vim exercens aliquem gubernat et moderatur. Sic h. l. *verba ὁ νόμος τοῦ Νοός* et ὁ *ν. τῆς Ἁμ.* nihil sane valent nisi *legem*, *quam Mens*, *Peccatus ponit*, sed legis latio neutri jure tribueretur, nisi utrique vis esset et potestas. Sed idcirco non *vim*, *potestatem* et similia ὁ *νόμος* h. l. translate declarat. Imo figurata oratio duplici prosopopoeiâ, tum quâ ὁ *Νοῦς* et ἡ *Ἁμαρτία* personae finguntur, tum eâ quâ *τοῖς Νόμοις*, ut inter se hostiliter concurrant, personarum dignitas tribuitur, continetur, non metaphorico vocis ὁ *νόμος* usu. Qui vocabula *ἐν τοῖς μέλεσί μου* ultimis huius vs. v. decepti cum v. *ἕτερον νόμον* (*Carpz.*, *Reich.* et multi alii) arcte consociarunt et Participio *ἕτερον νόμον* describi putarunt (Lutherus: Ich sehe aber ein ander Gesetz in meinen Gliedern, das da widerstreitet dem Gesetz in meinem Gemüthe) simplicissimam structuram non perceperant. Regitur Participium *ἀντιστρατευόμενον* a *βλέπω* (nam verba *videndi* cum Participio copulantur: v. Diog. Laert. 9, 60. Luc. Charon. 2. et 6. Pisc. 27. 1 Cor. 8, 10. Act. 8, 23. Hebr. 10, 25.), verba autem *ἐν τοῖς μέλεσί μου* arcto vinculo cum Participio *ἀντιστρατευόμενον* cohaerent, ut locus declaretur, ubi ὁ *Νόμος τῆς Ἁμαρτίας τῷ Νόμῳ τοῦ Νοός* hostiliter obsistat. Ceterum vocc. *ἐν τοῖς μέλεσί μου* Participio praeposita sunt, ut oppositio (*κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον* v. 22. — *ἐν τοῖς μέλεσί μου* v. 23.) emineret. Delector, inquit, Dei lege quatenus *ex mente* consto; video autem Legem a Dei lege diversam *in membris meis exercitum ducere* adversus Legem quam Mens mea constituit. — Chr. Fr. Schmid.: „*Membra* h. l. dicere maluit (quam *carnem*) propter metaphoram a bello ductam quae sequitur; nam *membra* corporis ad bellum armantur." Argutiae. Si P. subductâ ratione *ἐν τοῖς μέλεσί μου*, quum *ἐν τῇ σαρκί μου* v. 18. ponere potuisset, scripsit, verbis *ἐν τοῖς μέλεσί μου* ad vocc. v. 5. *τὰ παθήματα τ. α. τ. δ. τ. ν. ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν* respexit. Metaphora a militiâ repetita (*ἀντιστρατευόμενον* cf. Jac. 4, 1. 2 Cor. 10, 3. sq. Eph. 6, 11. sq.) continuatur verbis *καὶ αἰχμαλωτίζοντά με* etc. *Αἰχμάλωτον ποιῶ* et *αἰχμάλωτος γίγνομαι* Attici dixerunt pro *αἰχμαλωτίζω* et *αἰχμαλωτίζομαι*: v. Phryn. ed. *Lob.* p. 442. et Thom. Mag. p. 23. ed. *Bernard.*, ubi recentiorum loca scriptorum, qui *αἰχμαλωτίζω* usurparunt, interpretes citant. Bello capti servierunt victoribus qui eos ceperant. Quare se a vi Peccatus (h. e. Malitiae cf. not. ad v. 13.), quae Mentis edictum bello op-

pugnet, in servitutem abduci, ut quae illi visa fuerint facere cogatur, queritur qui loquens inducitur. Nam Pronomen *με* ad totum hominem pertinere patet. Utrum in hâc servitute nemo non utique futurus sit, an nonnulli homines eam effugere possint *verbo αἰχμαλωτίζειν* definiri *Rueck*. mire negavit. Nempe *res* docet et *contextu oratio* tot hominibus hanc servitutem serviendam esse quot homines legi mos. subjecti vivant. Nam primum quidem sors ejus qui loquitur eorum omnium, quorum personam gerat, h. e. Judaeorum, fortuna sit necesse est. Deinde P. Peccatum per Mosis legem tantam in Judaeos vim nactum esse disputavit, ut Peccatus mancipia viverent (v. 7. sq. v. 14 sq.) idque divino instituto evenisse monuit (v. 13.). Quocum concordat, quod homo qui loquens inducitur de salute desperans quemquam se videre negat, qui se a peste, quam sua sibi membra machinentur, redimat (v. 24.). *τῷ ὄντι ἐν τ. μ. μ.*] Peccatus vis in corporis membris habitat (v. not. ad 6, 6.), neque sedem tantummodo suam ibi habet, verum etiam campum, in quo proelietur. Ibi enim hostem bello infestat victoque propugnatore eum servum abducit, pro quo ille propugnarat (cf. v. praecedentia). Superest, ut utrum, quemadmodum vulgo loquuntur, quattuor, an tres, an duas leges, v. 22. et 23. P. commemoret dispiciamus, h. e. utrum *ὁ νόμος τοῦ θεοῦ* a *τῷ νόμῳ τοῦ νοός* et rursus is quem *ἕτερον νόμον* appellavit a *τῷ νόμῳ τῆς Ἁμ.* discrepet (v. *Oec.* et *Theophyl.*), an quum *ὁ νόμος τοῦ νοός* idem quod *ὁ νόμος τοῦ θεοῦ* valeat, *ὁ νόμος τῆς Ἁμ.* ab eo differat, qui *ἕτερος νόμος* vocatur (*Koelln.*), an *ὁ νόμος τοῦ θεοῦ*, *ὁ νόμος τοῦ νοός* et qui *ἕτερος νόμος* dicitur ita discernantur, ut *τῷ νόμῳ τῆς Ἁμαρτίας vi Peccatus* declaret (*Chrys. Theodoret.*, *Theophyl.*), an denique tum *ὁ νόμος τοῦ νοός* et *ὁ νόμος τοῦ θεοῦ* tum *ὁ νόμος τῆς Ἁμ.* et qui *ἕτερος νόμος* nuncupatur unam eandemque rem designent (v. *Justinianum* p. 214.). Res, quâ non satis perceptâ interpres a P. mente aberret necesse est, ei planissima videri debet, qui ante enuntiata bene assequutus quid Paulo hîc dicendum sit perspexerit. Paulum autem sententiam v. 21., quâ in summam contulit superiorem disputationem v. 14 – 20., ita v. 22. 23. illustrare oportet, ut ante dicta v. 14. sq. tum in brevius contrahat tum magis perspicue enuntiet. Quamobrem sibi qui legi mos. satisfacere h. e. honesta facere velit inhonesta in promtu esse (v. 21.) ex eo constare, quod quum *mente* div. legem approbet se *vis Peccatus mente* oppugnatâ sibi servire cogat (v. 22. 23.) contendat necesse est. Nam jam supra tum mentis, quae divinae legis praecepta probaret, innocentiam indicaverat, tum praepoten-

tem Peccatus in corpore positi vim, quâ ad scelus abriperetur, conquestus erat v. 14—20. Quae quum ita sint, v. 22. et 23. *tres* leges memorantur, ὁ νόμος τοῦ ϑεοῦ, lex Mosis, ὁ νόμος τοῦ νοός, lex quam mens constituit (ὁ φυσικὸς νόμος 2, 14.) quaeque div. legis praecepta laudat et reveretur, et ὁ νόμος τῆς Ἁμαρτίας quem a Dei lege distinguens versus 23. initio ἕτερον νόμον P. vocat, lex quam Peccatus scribit quaeque eo quod τὸν νόμον τοῦ νοός hostiliter invadit simul τὸν νόμον τοῦ ϑεοῦ oppugnat, ne ei homo qui verba facit obediat. Qui τὸν νόμον τοῦ νοός a τῷ νόμῳ τοῦ ϑεοῦ differre negarunt aut non satis clare rem animis informarunt, aut ambigue loquuti sunt. Scilicet nihil inter τὸν νόμον τοῦ ϑεοῦ et τὸν νόμον τοῦ νοός discrepat, quatenus uterque *consentiunt* et hominis mens div. edicta vehementer probat v. 22. Sed *notiones* tamen, de quo uno hîc interpretum contentio est, distant, quandoquidem alius est ὁ ϑεός, prioris lator legis, alius ὁ νοῦς τοῦ ἀνϑρώπου, posterioris legis conditor, ut illa *divina* lex sit, extraordinario Dei instituto hominibus data, haec *humana*, quam homines ratione usi sibi ipsi scribant. At si quis τὸν νόμον τῆς Ἁμ. eundem esse, quam qui antea ἕτερος νόμος dictus est, affirmaverit (h. s.: video autem aliam legem [*legem Peccatus*] in membris meis oppugnare legem meae mentis et me capere *legi Peccatus futurum mancipium*), is multum erraverit. Nam praeterquam quod tum mire hoc pacto P. eandem legem et *capere* hostem et *sibi* eum capere contenderet (*Koelln.*) tum inconcinne illam legem alium (τὸν νόμον τοῦ νοός) adoriri, alium (με, totum hominem) capere perhiberet, jure aliquis ἑαυτῷ pro τῷ νόμῳ τῆς Ἁμ. exspectaret (*Tholucc.*), quamquam ne sic quidem v. αἰχμαλωτίζειν idoneam vim haberet aut ante enuntiatis aliquid adderetur (! *de Wettius*), unde inter τὸν Νόμον τῆς Ἁμ. eumque qui ἕτερος νόμος appellatur nonnihil discriminis intercedere apparet. Nihil horum verum. Nam primo quidem imperatores quos bello ceperunt *sibi* ceperunt, ut ipsi praedam haberent, non aliis praedam pepererunt. Sic h. l. ὁ Νόμος τῆς Ἁμ. τῷ Νόμῳ τοῦ Νοός bellum infert, ut hominem ipse praedetur (v. 14.). Deinde alium vinci, alium capi non mirum est. Saepe imbellis turba tum capta tum omni genere contumeliarum vexata est victis propugnatoribus. Id ipsum hîc Paulo videtur. Nam Mente, quae hominem a Peccatus injuriis defendat, devictâ *hominem* Peccatus mancipium fieri et facere quidquid illi placuerit censet verissime. Tum τῷ Νόμῳ τῆς Ἁμ. Ap. scribere debuit, ut quem ἕτερον νόμον dixisset lectores scirent, quod nescirent, si ἑαυτῷ posuisset (*Rueck.*). Nimirum verbis ἕτερον

νόμον non nisi legis a *Dei lege* v. 22. *diversae* cogitatio subest, quae cujusmodi esset et a quonam condita dilucide declarandum erat, praesertim in disputationis clausulâ (v. v. 14. 17. 20.). Postremo aliud esse: *Peccatus menti bellum infert*, aliud: *Peccatus hominem captivum suum abducit* nimis manifestum est. Ceterum qui τὸν νόμον τῆς Ἁμ. a τῷ ἑτέρῳ νόμῳ differre statuerunt, neque explicari hanc vocem illâ formulâ intellexerunt et discrimina pro arbitrio, alii alia, finxerunt. *Koellnerus* τὸν ἕτερον νόμον *postulata Intemperantiae quae ex corporis libidinibus cognoscantur* et τὸν νόμον τῆς Ἁμ. *Intemperantiam ipsam, illorum matrem dici existimat. Tholucc.* τὸν ἕτερον νόμον *libidinis massam* (!) et τὸν νόμον τῆς Ἁμ. *pravas cupiditates, quas illa pariat*, exponit. *De Wettio* ὁ ἕτερος νόμος *propensionem ad peccandum*, ὁ νόμος τῆς Ἁμ. ὁ ὢν ἐν τοῖς μέλεσιν *peccatum absolutum, consilium peccandi* (!) declarat. PP. graecorum, qui τῷ νόμῳ τῆς Ἁμ. casum instrumentalem esse putarunt (Chrys.: τῷ νόμῳ τῆς ἁμαρτίας, τουτέστι τῇ τυραννίδι, τῇ δυνάμει. v. *Fabricii* Cod. pseudepigr. V. T. I, 529. — καὶ τότε τῷ ἔργῳ αἰχμαλωτίζουσιν.), interpretatio, a *Tholuccio* illa nuper revocata, duobus maxime vitiis affecta est. Nam quum haec oratio: ἕτερος νόμος - αἰχμαλωτίζει με τῷ νόμῳ τῆς ἁμ. *lex a Dei lege diversa — me capit per legem Peccatus* aliter intelligi non posset nisi sic: τὸν ἕτερον νόμον hominem cepisse *alius legis operâ et vi*, male P. quamnam legem ἕτερον νόμον dixisset explicare neglexisset (v. supra). Adde quod P. in disputationis clausulâ et quisnam se, ut ei serviendum esset, cepisset manifestare debuit et neminem qui se vicisset nisi Peccatum et cujus vim verbis ἕτερον νόμον declaraverat nominare potuit. Nam quo superioris disputationis v. 14 — 20. summa rediret h. l. expositurus se contraria eorum quae div. lex postularet facere ex eo perspici, quod *Peccatus* mente, quae div. praeceptis delectaretur, fractâ atque subactâ se in servitutem abduceret dilucide dicere debet (v. v. 14. 17. 20.). *Τῷ νόμῳ τῆς ἁμ.*] ἐν τῷ ν. τ. ἁμ. D. E. F. G. 17. 37. 72. Mt. a. b. c. e. f. g. l. al. Clem. Alex. Theodoret. Copt. It. Vulg. PP. lat. (v. *Sabatier.*). Prava eorum, qui Dativum instrumentalem hîc quaesiverunt, enarratio fecit, ut ἐν intruderetur. Veteres enim interpretes τῷ νόμῳ partim Dativum instrumentalem (v. supra), partim Dativum *normae* esse voluerunt (Act. 15, 1.), ut Methodius ap. Oec., qui explicat *Κατὰ* τὸ ἰδίωμα τῆς ἁμαρτίας, ἐξ ἀναισχυντίας etc.! Causâ incognitâ, ut saepe, judicavit *Mill.* Prol. §. 986. „— quod duriuscula videretur phrasis haec (αἰ-

χμαλωτίζοντά με ἐν τῷ ν. τ. ἁμ.) ejectum in posterioribus libris ἐν."

V. 24. Postquam qui verba facit suis rebus accurate expositis v. 8—20. mala sua in summam contulit v. 21—23. apte sane h. l. tum suam vicem dolet (*miser**) *ego homo sum*! et quidni miserrimus qui servando officio prorsus impar sit?), tum optat, ut calamitatis suae depulsor exsistat (*ecquis me eripiet ἐx corpore hujus Mortis*!). Tantas acerbitates neque vulgo Judaei sibi perferre unquam visi sunt, nec P. ipse, quum esset Judaeus, sed eum suorum malorum sensum Judaeis Ap. tribuit, quem his hominibus tum convenire putavit, quum summâ relligionis christ. admiratione ipse imbutus hanc epistolam scripsit. *Τίς με ῥύσεται — τούτου;*] Exclamatio *optantis*, ut servator sibi exoriatur, quis me eripiet? i. e. *utinam* aliquis me eripiat. Aeschylus Sept. v. 92. τίς ἄρα ῥύσεται, τίς ἄρ' ἐπαρκέσει | θεῶν ἢ θεᾶν; Soph. Oed. C. v. 3. Eur. Alcest. 213. (cf. ibi *Pflugk.*) 2 Sam. 15, 4. τίς με καταστήσει κριτὴν ἐν τῇ γῇ —; Deut. 5, 26. τίς δώσει [מִי־יִתֵּן] εἶναι οὕτως τὴν καρδίαν αὐτῶν ἐν αὐτοῖς, ὥστε φοβεῖσθαί με —; Imperite *Kopp. Flatt.* al. exclamationi τίς με ῥύσεται; Hebraismum מִי־יִתֵּן subesse perhibuerunt. Neque Pauli verbis neminem omnium mortalium servare posse, sed posse Christi *interventu Deum* significatur (*Oec. Olsh.* al.). Nam in hunc l. quadrat exclamatio in miserâ re meliorem conditionem optantis, non interrogatio in difficultate deliberantis. Eur. Med. v. 386. τίς με δέξεται πόλις; | τίς γῆν ἄσυλον καὶ δόμους ἐχεγγύους | ξένος παρασχὼν ῥύσεται τοὐμὸν δέμας; | οὐκ ἔστι. ἐκ τοῦ σώματος τοῦ Θανάτου τούτου] *ex corpore, in quod haec* (quae ante oculos obversatur [Exod. 10, 17. — *καὶ περιελέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸν θάνατον τοῦτον — hanc quam cerno pestem*], sive *quam antea memoravi* v. 5. cl. v. 9. 13.) *Mors tyrannidem exercet.*; *Chrys.*: — σῶμα θανάτου, τουτέστι τὸ θνητὸν σῶμα, τὸ χειρωθὲν ὑπὸ τοῦ θανάτου —. Non mortem qui lamentatur vult oppetere, ut corporis vinculis levetur, sed quocunque modo id corpus deponere cupit, quod Peccatus saevitiam primo expertum tum Morti

---

*) *Olshausenus* Paulum vocem ταλαίπωρος studiose delegisse observat, quippe quâ ex τλάω *sustinere* et ὁ πῶρος *saxum* (!) haud dubie compositâ apte subindicasset, *quantâ mole* homo Peccatui emancipatus *premeretur*! Nempe grammatici quum alia de vocis ταλαίπωρος origine commenti sunt (v. Etym. M. 162, 42 sq.) tum ταλαίπωρον παρὰ τὸ τλῆναι τὸν πῶρον (i. e. τὸ πένθος, v. Hesych. s. v. πωρεῖν et *Hemsterh.* ad Aristoph. Plut. v. 33.) dictum putarunt. Jam *Olshausenus e luctu porum lapidem* fecit, tum magico artificio e poro lapide *ponderosum saxum*!!!

obnoxium sit, Peccatus satelliti: (v. Chrys. cl, v. 7—20.). Qui τὸ σῶμα τοῦ θανάτου τούτου per hebraismum pro τοῦτο τὸ σῶμα τοῦ θανάτου dictum putant, ut nuper *Flatt.*, vehementer errant (v. not. ad Marc. p. 770. sq.), neque minus ii, qui v. sic struunt ἐκ τούτου τοῦ σώματος τοῦ θανάτου (*Syr.*, *Erasm.*, *Calv.*, *Beza*, *Morus*, *Win.* gr. p. 212. al.). Ἐκ τῆς σαρκὸς τοῦ θανάτου ταύτης recte diceretur, quum ipsum genus scriptoris voluntatem manifestaret; ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου pro ἐκ τούτου τοῦ σώματος τοῦ θανάτου verbis ita collocatis, ut nemo non τούτου ad τοῦ θανάτου quam ad τοῦ σώματος referre mallet, perverse scriberetur. Quare τούτου a τοῦ θανάτου male divellitur. Ὁ θάνατος *mors physica* est, quae, ut v. 5., persona fingitur. Nam hoc voc. idem h. l. polleat necesse est, quod v. 5. declaravit. Et confirmat rem tota P. disputatio (cf. v. 10. 11. 13. 8, 2. 6.; tum ad 8, 10. 11. potissimum attende). Pauli disputatio ab iis non percepta est, qui τὸν θάνατον *miseriam*, *pestem* explicuerunt: *corpus huic*, *de quâ exposui* v. 14. sq., *miseriae obnoxium*. Loquutionem autem τὸ σῶμα τοῦ θανάτου non minus multi perverterunt, quam 6, 6. formulam τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας. *Calvino* τὸ σῶμα τοῦ θανάτου *massam peccati vel congeriem*, *ex quâ totus homo conflatus sit*, *Wolfio mortiferam peccati massam*, *quam adhuc in se senserit Paulus*, *Turretino peccatum ipsum et pravos affectus*, *qui quoddam corpus constituerint*, *Schoettgenio* et *Koppio ipsam mortem* (v. not. ad 6, 6.), *Reichio Mortis monstrum* declarat, ut alias aliorum nugas tacitas relinquam.

V. 25. Ut interpretes hunc l. parum intelligerent eo potissimum factum est, quod praegressâ disputatione minime perceptâ neque quidnam sibi hîc vellet gratiarum actio (χάρις δὲ τῷ θεῷ — ἡμῶν) neque quonam pertineret *duplex conclusio* (7, 25. ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ — v. Ἁμαρτίας. et 8, 1. οὐδὲν ἄρα νῦν etc.) assequuti sunt. Auxit autem erroris nebulam capitis octavi, quod aut verbis χάρις δὲ τῷ θεῷ δ. Ἰ. Χρ. τ. κ. ἡ. terminandum, aut usque ad 8, 11. fin. (poterat etiam usque ad 8, 17. fin.) continuandum fuerat, initium alienissimo loco constitutum. — Jam qui Paulum 7, 7. — 8, 11. sententias 7, 5. 6. propositas explanare meminerit (v. supra), is Apostolum postquam hominum, quorum corpora per legem mos. ad pravas cupiditates inflammata fuerint, ut facta ederentur Plutoni grata (v. 5.) miseriam descripserit v. 7 — 24., *res esse prorsus commutatas* dicere debere, ut quam vim habeat quod v. 6. scripserit a *lege mos. liberatos Deum ita venerari, ut div. spiritu novo rectore utantur*, deinceps explicet facile intelliget. Ac miseras res in

laetas conversas esse Christi operâ divinitus gratiarum actione v. 25. apte indicat. Quo facto ex ante dictis tum quae hominum legi mos. subjectorum conditio sit (v. 25. *ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ — ν. Ἁμαρτίας*) e *totâ disputatione* v. 14 — 24. colligit, tum in quonam statu sint homines christ. e *gratiarum actione* v. 25. argumentatur 8, 1. *οὐδὲν ἄρα νῦν κτλ.* firmatque de hominibus christ. 8, 1. enuntiata tribus vs. qui sequuntur 8, 2 — 4. h. r.: *itaque ergo* (h. e. quum ea rerum mearum ratio sit quam dixi v. 7 — 24.) ipse ego (qui paullo ante lamentatus sum h. e. Judaeus v. 14 — 24.) mente Dei praescripto (legi mos.), corpore Legi quam dat Peccatus obtempero (7, 25.). Nulla *igitur* nunc (i. e. postquam, quod grato animo professus sum, pestis div. instituto per Christum amota est 7, 25.) damnatio ad mortem metuenda est Christi alumnis (8, 1.). *Nam* (8, 2. sq.) etc.. Q. d. Miserrimos Judaeos esse, quippe qui in diversa studia distrahantur, conditionis, in quâ positi sunt, descriptio (7, 7 — 24.) docet; non miseros esse homines christ. ex eo patet, quod miseriam, cui Judaei ingemunt, Deum Christi operâ sustulisse cum gratiarum actione enuntiavimus (7, 25.). Licuerat Paulo aliam disputandi viam ingresso de Judaeis dicenda in *unum* locum conferre, tum quae ingenti per Christum rerum commutatione effectâ hominum christ. conditio sit *separatim* exponere h. m.: — — *Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος· τίς με ῥ. ἐ. τ. σ. τ. θ. τ.; Ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ τ. μ. ν. δ. ν. θ., τ. δ. σ. ν. Ἁμαρτίας. Χάρις δὲ τῷ θεῷ δ. Ἰ. Χρ. τ. κ. ἡμῶν. οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα κτλ.*. Quae disputatio sic decurreret: Itaque ergo malorum, quae hactenus descripsi, summa hâc re cernitur, quod Judaei secum ipsi discordes mente Dei praeceptis parent, corpore Peccatus praescriptis. Pie autem Deus celebrandus est, qui tantum malum in cervicibus nostris collocatum depulerit! Quo facto non est, quod Christi discipuli damnationem ad mortem metuant. Nam etc.. Sed P. pessimum statum in optimum Christi beneficio conversum esse continuo post miserabilem Judaei servatorem expetentis vocem v. 24. declarare, tum quae et Judaeorum in pristino statu positorum et hominum Christo addictorum conditio sit ex superius dictis colligere 7, 25. sq. maluit. Sic igitur disputavit: summis cum malis Judaei conflictantur 7, 14 — 24.. Ea vero Deus per Christum benigne amovit 7, 25.. Itaque Judaei tantum infortunium habent, quantum descriptio ejus quae praecedit docet (v. 25. cl. v. 14 — 24.). *Hinc hominibus christ.* (quum Christus pestem, quae Judaeos vexat, averterit 7, 25.) ea mala non sunt metuenda, quibus Judaei succumbunt (8, 1.). Nam (8, 2. sq.) etc.. Quae si tenueris

interpretum errores, quos singulos inepte referrem, nullo negotio convincas. Multi igitur, quum *sublatum esse rerum tristitiam divinitus*, ut sibi transitum pararet ad vs. 6. explicationem Paulo declarandum fuisse non reputassent, gratiarum actionem v. 25. *parentheticam* esse voluerunt, ita ut alii aliter eam exponerent (v. *Grot.*, *Boehm.*, *Flatt.*). *Rueckertus* quidem et *Thol.* post *Limborchium* Apostolum, quum quanta hominum sub lege mos. constitutorum miseria esset considerasset *animo vehementius commotum inepto loco* gratiarum actionem, quippe quae argumentationem perturbaret, obiter attexuisse opinati sunt. *Reichius* totum vs. 25. adulterinum esse putavit. Nam gratiarum actionem, quâ ad percontationem v. 24. responderetur, a librario in margine positam deinceps in Pauli disputationem irrepsisse. Praeterquam enim quod gratiarum actio et quia argumentationem male interrumpat (v. supra) et quoniam rem, pro quâ gratiae agantur, temere reticeat (v. infra) inepta sit, adulterinae originis testimonia continere variantes lectiones. Quae nonnisi eo valent, ut *quibus verbis* P. gratiarum actionem conceperit Critico dubitare liceat, quamquam ne hoc quidem mihi dubium videtur. Gratias quidem Deo a P. h. l. actas esse lectionis varietatem sine cupiditate intuenti certum est. Postrema autem vs. 25. vocc. ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ — ν. ἁμ. in uno Mt. 3. (cujus vel propterea nulla auctoritas est, quod Chrys. hom. 13. ad 8,1. illa v. habet) omissa *Reichius* pio lectori vindicavit, qui *Paulo non satis intellecto* sententiam v. 23. *sibi* accommodasset. Nunc insulsum *Olshauseni* commentum accipe. Quo auctore P. ad percontationem v. 24. nihil respondit, videlicet ut jam fieri τὸ ἀπόῤῥητον τῆς παλιγγενεσίας μυστήριον, quum patefacto coelo div. spiritus murmur audire tibi videaris, adsignificaret (!!). Tum gratias Apostolum agere, *quia* ab se illud murmur perceptum sit aut ipse jam renatus sit (!!). Quo facto Paulum ex gratiarum actione argumentantem haec adjicere: itaque ergo *ego* (homo renatus) *quum unus idemque sim*, mente Dei legi pareo (scil. quod antea non poteram!), corpore legi Peccatus (!). Postremo ex his Apostolum hoc efficere: nulla *igitur nunc* (np. quo tempore *ego* renatus liberâ mente Dei legi obtempero 7,25.) *Christi discipulis* damnatio ad mortem impendet.!!!! εὐχαριστῶ τῷ θεῷ] B. Barb. 1. Orig. I,276. χάρις τῷ θεῷ, quod *Millio* Prol. §. 679. 934. et *Griesbachio* probatum recepit *Lachm.*. | 49. εὐχαριστῶ δὲ τῷ θεῷ | C. 10. 17. 31. 73. 80. Barb. 1. Copt. Aeth. Arm. Method. Cyr. Damasc. Paulin. Hieron. semel χάρις δὲ τῷ θεῷ | D. E. 38. ap. Mill. Clar. Germ., Vulg., Ambr., Hieron. semel Ruf., Pel., Aug.,

Primas. al. ἡ χάρις τοῦ θεοῦ | F. G. Boern. ἡ χάρις κυρίου διὰ Ἰ. Χρ. τοῦ κυρίου ἡμῶν | Iren. 3,20,3. legit ἡ χάρις Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, nisi forte scripturae χάρις τῷ θεῷ δ. Ἰ. Χρ. τ. κ. ἡ. sensum utcunque expressit. Nihili esse scripturas ἡ χάρις τοῦ θεοῦ, ἡ χάρις κυρίου et ἡ χάρις Ἰ. Χρ., quippe e lectione χάρις τῷ θεῷ corruptas cupideque ab iis propagatas, qui sic ad interrogationem v. 24. apte responderi credidissent nemo non concedit. Item εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, quod *Wolfius* aliique temerarii vulgatarum lectionum propugnatores defenderunt, et εὐχαριστῶ δὲ τῷ θεῷ glossemata esse lectionum χάρις τῷ θεῷ et χάρις δὲ τῷ θεῷ ii fatebuntur, qui χάρις τῷ θεῷ, δυνατός εἰμι τοῦτο ποιῆσαι et similia verbis εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, δύναμαι τοῦτο ποιῆσαι, non vicissim verba εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, δύναμαι τοῦτο ποιῆσαι vocibus χάρις τῷ θεῷ, δυνατός εἰμι τοῦτο ποιῆσαι a scribis exponi solere sciant (v. 13,4. varr. lect.). Hinc Paulum aut χάρις τῷ θεῷ, aut χάρις δὲ τῷ θεῷ exarasse apparet. Illud ut abruptum aliis fortasse placuit, mihi vehementer displicet. Sedata est enim Pauli oratio post ejulationem v. 24.. Quamobrem χάρις δὲ τῷ θεῷ dedi (6,17. 2 Cor. 8,16. 9,15.). Nam quod *Beng.* in Appar., *Matthaeius* ed. min., *Knapp.* al. scribas χάρις δὲ τῷ θεῷ ex 6,17. repetiisse dixerunt, lectionis varietate non satis excussâ Paulum aut χάρις τῷ θεῷ, aut χάρις δὲ τῷ θεῷ scripsisse vel variantes lectiones docere non animadverterunt. Solum autem *δέ* indidem sumtum esse rerum criticarum gnari et qui glossatores partim copulae rationem habere partim copulam negligere solere didicerint minime contendent. Hic quoque glossatores non in longinquo oculos defixerunt, sed qui solam loquutionem quam sibi explicandam sumsissent χάρις [δὲ] τῷ θεῷ intuiti sunt εὐχαριστῶ τῷ θεῷ posuerunt, contra qui etiam copulam in suam glossam recipiendam duxerunt, εὐχαριστῶ δὲ τῷ θεῷ scripserunt. χάρις δὲ τῷ θεῷ δ. Ἰ. Χρ. τ. κ. ἡ.] *gratiae autem Deo agantur per Jesum Christum np. hujus rei, ut gratiae Deo agi possint, effectorem* (v. *Theophyl.* et not. ad 1,8.) i. q. grato animo Deus celebretur, postquam Christus fecit, ut Deus pie celebrandus sit. Quâ cohortatione ad agendas gratias quum et *extraordinario quodam* homines *beneficio* propter quod Deo grates dicendae sint a Deo affectos esse et *Christi* interventu id in eos collatum esse P. declaraverit neque id propter ante dicta nisi in ejus rei amotione, quae Judaeis summae calamitatis stirps fuisset, positum esse queat, satis perspicue Ap. rem, pro quâ gratiae Deo agendae sint, indicavit. Quare erraront tum qui id negarunt (*Reich.*), tum qui ut Ap. excusarent ingen-

tem affectum ei verba praecidisse quo minus diceret pro quo gratiae agendae essent perhibuerunt (*Bucer.*, *Boehm.* al.). ἄρα οὖν — ν. ʽΑμ.] Sententia e miseriae, cum quâ Judaeus conflictetur, descriptione 7,7 — 24. collecta (v. supra). Itaque ergo (ut malorum meorum summam faciam) *ipse ego* (qui meam vicem deploravi; huic 8,1. opponuntur οἱ ἐν Χρ. Ἰ.) mente obedio legi Dei, corpore legi Peccatus. αὐτὸς ἐγώ] Αὐτός tum sejungentis et opponentis est, tum declarantis. Illud ubi obtinet, αὐτός aut aliis opponitur aut ei alicujus parti, quae ipsum non constituat. Luc. D. D. 6,2. αὐτὴν ἐμέ, οὐκ ἄλλην τινά, ὦ Ζεῦ. Herod. 3,83. — οὔτε αὐτὸς ἐγὼ οὔτε οἱ ἀπ' ἐμεῦ αἰεὶ γινόμενοι. Hom. Od. Θ. 357. Ψ. 358. Luc. 24,39. — ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι *ipse sum* (non spectrum formam meam imitatum v. v. 37. cl. 39.) 3 Joh. 12. — καὶ ὑπ' αὐτῆς τῆς Ἀληθείας. *et ab ipsâ Veritate* (non solum ab hominibus, quos in testimonii dictione Veritatem sequi decet). Hom. Od. λ,601. τὸν δὲ μετ' εἰςενόησα βίην Ἡρακληείην, εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι τέρπεται ἐν θαλίῃς καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην. Hunc usum *de Wettius* male in hunc l. transtulit h. m.: *ipse ego* (non Jesus servator!!). Sed hûc pertinet Joh. 7,4. οὐδεὶς γὰρ ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖ καὶ ζητεῖ αὐτὸς ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι. Ibi enim *velle aliquem ipsum inclarescere* huic cogitationi opponitur *aliquem suas res in latebra gerere.* Itaque Jesu fratres quemquam duas repugnantes res facere negant, ut aliquis pulcra sua *facinora in latibulo edat et ipse clarescere velit.* Neque enim famam, quâ ipse nobiliteris, nisi pulcris facinoribus palam editis colligi censent. Non satis explicate de h. l. Ven. *Lueckius* disseruit, nisi quod nihili esse *Lachmannianum* καὶ ζητεῖ αὐτὸ ἐ. π. ε. recte monuit. Sed ubi αὐτός declarandi vim habet, *ipsum* notat, de quo aut proxime dictum sit, aut quummaxime dicatur, aut jam dicendum sit. Apte vocis potestas saepe vernaculo vocabulo eben exprimitur. Plato de Rep. IX, p. 590. B. Τρυφὴ δὲ καὶ μαλθακία οὐκ ἐπὶ τῇ αὐτοῦ τούτου χαλάσει — ψέγεται, ὅταν ἐν αὐτῷ δειλίαν ἐμποιῇ; *Ipsius illius rei* np. cujus nimia intentio modo vituperata est. Dicitur τὸ θυμοειδές. Cf. *Schneider.* ad h. l. Luc. D. D. 22,2. αὐτῆς ἐκείνης λόγον σοι ἐρῶ. *ipsius illius* (quae a te modo memorata est) verba tibi referam. 2 Cor. 12,13. τί γάρ ἐστιν ὃ ἡττήθητε ὑπὲρ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας, εἰ μὴ ὅτι αὐτὸς ἐγὼ οὐ κατενάρκησα ὑμῶν; *ipse ego*, np. qui multis documentis, me esse Christi Apostolum, vobis probaverim (v. 12.). Rom. 9,3. Ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου —. *Ipse ego* np. qui me in moerore esse modo

affirmabam (v. 2.). 2 Cor. 10,1. *Αὐτὸς δὲ ἐγὼ Παῦλος παρακαλῶ ὑμᾶς διὰ τῆς — ἐπιεικείας τοῦ Χριστοῦ, ὃς κατὰ πρόςωπον μὲν ταπεινὸς ἐν ὑμῖν, ἀπὼν δὲ θαῤῥῶ εἰς ὑμᾶς. Ipse* ego P. — *qui* etc. Philo de Josepho p. 560. ed. Mang. II,74. *ἀδελφὸν ὃν ἀπέδοσθε εἰς Αἴγυπτον, ἐκεῖνος ὃν ὁρᾶτε νῦν παρεστῶτα αὐτός εἰμι ἐγώ. frater quem in Aegyptum vendidistis, ille* (i. e. frater a vobis in Aegyptum venditus) *ipse sum quem nunc adstantem videtis. Tholuccius* verborum structuram non assequutus *αὐτός eundem* (i. q. *ὁ αὐτός*) h. l. denotare perhibuit. Hom. Od. ω, 321. *κεῖνος μέν τοι ὅδ' αὐτὸς ἐγώ πάτερ, ὃν σὺ μεταλλᾷς, ἤλυθον εἰκοστῷ ἔτεϊ ἐς πατρίδα γαῖαν.* Eph. 6,22. *ὃν ἔπεμψα πρὸς ὑμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν —.* Col. 4,8. H. l. *αὐτὸς ἐγὼ* est *ipse ego* np. qui tristem meam conditionem supra exposui 7,7 — 24. Recte *Grotius*: „Non *ipse ego* (vir summus dicere voluit non *ipse ego, Paulus Ap.*), sed *ille ego* i. e. is homo, quem sub primae personae pronomine descripsi." Ceterum *Grotium* legem grammaticam violasse nobis narrat *Tholuccius*, subtilissimus grammaticus! Qui *αὐτὸς ἐγώ idem ego* interpretati sunt (*Calv., Mor., Boehm., Thol., Olsh.* al.) ut P. hoc diceret: *qui unus idemque sit duo facere contraria*, quum mente Deo, corpore Peccatri obediat, multis erroribus implicati sunt. Neque enim illam sententiam ab h. l. prorsus abhorrere intellexerunt, ubi non in *uno eodemque homine* duo esse contraria, quum praesertim illud voces *μέν* et *δέ* satis ostenderent, diserte enuntiandum, sed *homo* constituendus erat, in quo duo contraria essent, ut lectores scirent *quis esset* et recte ei 8,1. *τοὺς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ* opponi viderent. Praeterea quomodo sententia, quam enuntiatam vellent, e P. verbis erui posset nesciverunt. Putarunt enim *αὐτὸς ἐγώ idem ego* Subjectum esse. At epicorum *αὐτός* pro *ὁ αὐτός* dicentium (*Herm.* Opusc. I, 332. sq.) usus non cadit in N. T. scriptores. Quâ mente *Tholucc.*, ut locum proferret, ubi *αὐτός* eum articulo *eundem* valeret, citaverit Platonem de Rep. IV, 431. init. *Ἀλλ', ἦν δ' ἐγώ, φαίνεταί μοι βούλεσθαι λέγειν οὗτος ὁ λόγος ὥς τι ἐν αὐτῷ τῷ ἀνθρώπῳ* (in ipso homine) *περὶ τὴν ψυχὴν τὸ μὲν βέλτιον ἔνι τὸ δὲ χεῖρον —.* ipse viderit. Confudit *αὐτὸν τὸν ἄνθρωπον* (Rom. 8,26.) et *τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον* (Rom. 9,21.)!! Debuerunt illi ut quem vellent *sensum* indipiscerentur Subjectum in verbo *δουλεύω* quaerere et *αὐτὸς ἐγώ* i. e. *αὐτὸς ἐγὼ ὢν* ad Praedicatum referre (v. *Herm.* ad Soph. Antig. v. 920.): *itaque duo facio contraria quum ipse sim qui faciam* i. e. ad sensum: *ergo duo facio repugnantia idem.* Sed neque contexta oratio ejusmodi sententiam admittit; neque v. *αὐτὸς ἐγώ* quo loco col-

locata sunt nisi Subjectum continere nequeunt, et multo aliter ista sententia concipienda erat, v. c. sic: ἄρα οὖν θεοῦ τε αὐτὸς καὶ ἁμαρτίας δοῦλός εἰμι. Sed ei generi de quo *Hermannus* l. c. egregie disputavit contribuendus est l. Eph. 4, 10. ὁ καταβὰς αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν —. qui descendit *ipse* est etiam qui ascendit —. *Rueckerti*, *Wineri* gr. p. 112. al. interpretatio *is* est etiam, qui — (v. not. ad v. 10.) non explet sententiam. Hoc enim Paulo dicendum est: qui descenderit *ipsum* etiam eum esse, qui ascenderit h. e. qui descenderit eundem etiam ascendisse. Conjecturae autem *Wineri* αὐτὸς nisi totâ periodo aliter conformatâ nullus locus est. Recte qui loquitur Judaeus suam miseriam in hanc summam confert: itaque ergo mente Dei legi obtempero corpore legi Peccatus. Nam multo potentiorem esse Peccatus legem, quam Dei praecepta, ut mens corpori serviret, multis verbis supra dixerat v. 14 — 24.; ut idem attentis lectoribus, qui praepotentem τοῦ νόμου τῆς ἁμαρτίας, de quâ diu conquestus esset, vim nossent, in conclusione denuo inculcaret nihil opus erat. Quae perspicua res, quam *Venema* vidit, effugit *Reichium*. Itaque tricatur. *)

---

*) Si quae figurate dicta sunt, quum ἡ Ἁμαρτία, ἡ Ἐντολή et ὁ Νόμος *personae* fingerentur, in simplicem orationem resolveris, Pauli disputatio c. 7. v. 7. sq. has sententias complectitur: Quum legem mos. hominibus tum peccandi, tum moriendi causam exstitisse declararem (v. 5.), illam legem, quae sanctissima est, sanctam esse minime negavi (v. 12.). Imo Mosis interdicto *noli prave concupiscere* hominum malitia vehementissime irritata est, ut Judaei quum mente Dei praeceptis delectarentur tamen libidinibus emancipati peccarent et ita mortem sibi afferrent (v. 7 — 11. 14. sq.). Quamquam latâ Mosis lege *non rei necessitas*, ut ita fieret, postulavit, sed *Deus praeter rerum ordinem instituit*, ut vetitorum desiderio Mosis interdicto vehementissime commoto Judaei praecipites tum in peccata tum in mortem ruerent. Voluit enim homines intelligere, quam taetra bellua malitia esset aut irreverentia legis, quae e sancto Dei interdicto pestem ipsis machinaretur (v. 13.). Sed extraordinariam illam Judaeorum calamitatem Deus Christi operâ sustulit (v. 25.); ceterum quî id Christi interventu Deus effecerit c. 8. v. 2 — 4. exponitur. — Tantam vero in Judaeis tum animi infirmitatem tum libidinum intemperantiam fuisse, quantam P. h. l. memorat, historia minime docet. Neque unquam natio Israelitica id malum sensit, quod P. Judaeos vulgo sentire scripsit (v. 14 — 24.). Ipsi quoque Paulo quamdiu Mosis alumnus fuit illius calamitatis sensus defuit, neque h. l. nisi ea perscripsit, quae ornamentorum per Christum in homines collatorum admiratione captus homines illis ornamentis destitutos non posse non sentire existimavit (v. supra). Neque quod Ap. v. 13. *mysterium* aperuit praeter naturae ordinem legemque Deum libidinem per Mosis interdictum in Judaeis accendisse, ut peccatis commissis irreverentiam

legis detestarentur, a quâ sanctum Dei interdictum in perniciem sibi conversum esse vidissent, nullam habet difficultatem. Ita enim peccatorum ab Judaeis patratorum auctorem Deum fecit Ap. (cf. 5, 20.). Quorum si Deus auctor fuit, non recte institutum est, ut eorum scelerum *conscientiâ* Judaei onerarentur quibus ut se Judaei devincirent extraordinario omnipotentis Dei consilio effectum esset. Ceterum per sanctum interdictum homines ad peccandum vi adigere, ut taetram Peccati quippe sanctâ re abutentis vim cognoscant, quidnam est aliud, nisi hominem, ut, ne se mari temere committat, moneatur in mare conjectum suffocare? Sed nimirum P. Deum a mundi primordiis nihil neque cogitavisse neque fecisse statuit, nisi ut generi humano ea per Christum salus aliquando daretur, quam Christianus factus hominibus Christi interventu concessam esse ipse laetatus est (v. I, 353.). — Qui Paulum *hominum naturam* prorsus depravatam in vitia praecipitem ferri h. l. docere opinantur, Apostoli mentem non assequuti sunt. Neque enim *de hominibus*, sed *de Judaeis* hîc agitur. Quorum *naturam* pravam esse P. minime dicit. Nam eorum mens sana est (v. 16. 18. 19. 21—23.), corpus insanum, in quo Deus ipse, peccatorum taedium Judaeis allaturus, praeter naturae ordinem cupiditates quae mentem consiliumque vincerent, inflammaverit (v. 13.). Neque Ap. *peccatorum fontem* indicaturus *per rei naturam* fieri non potuisse, quin sanctis Dei legibus promulgatis pravae hominum cupiditates in vetita nixae sanctam Dei voluntatem oppugnarent h. l. exposuit (v. *Usterii* Entwick. p. 46. sq. et *Tholucc.* p. 247.). De Judaeis enim et de Mosis lege hic egit, non de hominibus aut de Dei praeceptis in universum. Judaeos autem libidine vehementissime exarsisse, non quod latâ Mosis lege aliter omnino fieri non potuisset, sed *quia Deo tum ita placuisset* (v. 13.) enuntiavit. Praeterea ut ultimus peccatorum fons nobis monstraretur, non satis fuisset, hoc Paulum dicere, Dei interdictis promulgatis solere homines pro suâ perversitate in vetita niti, nisi simul ostendisset, quî tantus in vetitum nisus sanctis Dei praeceptis in hominibus necessario excitaretur.

CAP. VIII.

ARGUMENTUM.

Non mortis nunc homines christ. damnari (v. 1.) ex eo elucet, quod Lex *vitalis Spiritus* in Christi civitate Legem Peccatus et Mortis sustulit (v. 2.). Non potuit hoc lex mos. efficere, quoniam (quatenus) *corporis vitio* infirma erat et peccata pariebat, quae *morte* luenda essent (v. 3. cl. 7, 7. sqq. 5, 12. sqq.). Itaque Deus, ut legi mos. succurreret, Christo qui *corporis Peccatui obnoxii similitudine* circumdatus esset misso eoque Peccatus causâ legato imaginarium de Peccatu supplicium sumsit, quum Christum qui et sanctum corpus haberet et ab se propter Peccatum missus esset necandum curavisset, ut absolutoria eaque vitalis legis mos. sententia eventum haberet in hominibus christ., qui non ad corporis libidinem (quippe exstincto Peccatu, turpi corporis moderatore), sed *ad div. spiritus* disciplinam vitam dirigerent (v. 3. 4.). Ratio, cur *in hujus generis hominibus* vitalis legis mos. sententia eventum habere debebat, haec est, quod qui corporis ingenium referunt *Corporis* rebus student, qui div. spiritus indolem redolent *div. spiritus* instituta fovent, *Corpus* autem ad *mortem* tendit, *div. spiritus vitam* (aeternam) per pacem parit, cujus cum Deo componendae auctor est (v. 5. 6.). Parat corporis studium mortem, quia Deum et teste experientia oppugnat neque pro suâ naturâ eum oppugnare nequit, corpori autem addicti et qui Deum infestent peccando Deo placere nequeunt (v. 7. 8.). Vos contra, Romani, non in corporis (ut quum Deo displiceatis *mors* vobis metuenda sit v. 6 — 8.), sed in div. spiritus (ut *vita* vobis proposita sit v. 4 — 6.) potestate estis, *si quidem* div. spiritus (qui nihil nisi vitam spirat v. 6.) stabilem in vobis sedem collocavit; sin minus, non estis Christi discipuli (qui soli ad mortem non condemnantur v. 1.). Contra si Christi mens vobis inest, ut corpus certâ morte consumatur propter commissa peccata, at animus nihil nisi vivit (in Christi consortio) propter integritatem benigne datam divinitus (v. 9. 10.). Si autem Dei, qui Jesum (div. spiritu praeditum) vitae reddidit, spiritus in vobis habitat, sperandum est, fore, ut *Christi* in vitam restitutor quâ vitâ nunc *animi* fruuntur, eam mortalibus quoque *corporibus* vestris impertiat, quia ejus spiritus in vobis habitat (v. 11.). Quum igitur tot tantorumque decorum div. spiritus nobis auctor sit (v. 1 — 11.), agite, libidinosi corporis studia deponamus (v. 12.). Acerbissimos enim ea fructus edunt, contra dulcissimos fert vita div. spiritui consecrata. Nempe facit nos Dei liberos et heredes necessarios, Christi autem coheredes, siquidem malorum societatem cum eo conflabimus, ut etiam majestatis societatem cum eo habeamus (v. 13 — 17.). Puto enim pondere destitui *praesentis temporis* mala, si ea cum *patefaciendâ* in nos *majestate* contendas (v. 18). Nam instare nobis felicitatem quâ cumulemur ex eo certum est, quod rerum natura, nunc quidem in Infirmitatis et Interitus servitutem redacta divino decreto tum in libertatem vindicanda et in integrum restituenda est, quum nos illâ beatitate potiti fuerimus (v. 19 — 22.). Gemit rerum natura melioris sortis desiderio. Sed non haec tantummodo gemit, verum etiam nos ipsi, quamquam prima div. spiritus ornamenta possidemus, ipsi inter ipsos ingemiscimus, quum adoptionem in liberos constanter exspectemus i. e. liberationem a corpore, quo nunc amicti sumus, mortali et caduco (v. 23.). Jure

scripsi *quum constanter exspectemus.* Nam *spe*, non re, aeternâ felicitate potiti sumus, spe autem res futuras, non praesentes complectimur (v. 24.). Hinc sequitur, nos, qui rem *futuram* speremus quippe *spe* aeternam felicitatem consequuti v. 24., recte dici *constanter exspectare* (v. 25. cf. v. 23.). Sed ut constans sempiternae beatitatis exspectatio (v. 23 — 25.), item div. spiritus nostram imbecillitatem adminiculatur. Nam quum quaenam Deo quibusque verbis conceptae preces adhibendae sint nesciamus, ipse spiritus s. causam nostram agit suspiriis mutis (v. 26.), quae quidnam sibi velint novit Deus qui cogitata perspicit (v. 27.). Omnino autem, ut efficacissimum malorum solatium afferam, nos non fugit, hominibus qui Deum diligant h. e. qui *e Dei decreto* invitati sint vel gravissimos casus prodesse (v. 28.). Nam quos Deus decreto suo antea complexus est, iis aeternam felicitatem largietur (v. 29. 30.). Quidni igitur Deus *summum* piis Christianis *ornamentum* daturus *rem multo minorem* iis concedat, ut acerbos hujus vitae casus ad laetum exitum perducat et efficiat, ut quae nocere videantur, etiam prosint (v. 31. 32.)? Nunc P. gaudio exsultans, quod ei divini favoris in pios Christianos versi conscientia affert, ante v. 28 — 32. disputatorum summam facit, quâ superius dicta magis confirmet dicitque hominibus a Deo delectis neque vitam sempiternam a quoquam eripi posse v. 33. 34. cf. 29. 30.), neque, dum in hâc vitâ cum calamitatibus confligentur, Dei amorem (v. 35 — 39. cf. 31. 32.). Haec ita sublate alteque dicuntur, ut magnificentius a nemine dici potuerint.

V. 1. *Οὐδὲν ἄρα νῦν κατάκριμα τοῖς ἐν Χριστῷ*
Ἰησοῦ. 2. *Ὁ γὰρ Νόμος τοῦ Πνεύματος τῆς Ζωῆς ἐν*
Χριστῷ Ἰησοῦ ἠλευθέρωσέ με ἀπὸ τοῦ Νόμου τῆς
Ἁμαρτίας καὶ τοῦ Θανάτου. 3. *Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ*
νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυ-
τοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς Ἁμαρτίας καὶ
περὶ Ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί,
4. *ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν, τοῖς*
μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα.
5. *Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες τὰ τῆς Σαρκὸς φρονοῦσιν,*
οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα τὰ τοῦ Πνεύματος. 6. *Τὸ γὰρ*
φρόνημα τῆς Σαρκὸς θάνατος, τὸ δὲ φρόνημα τοῦ
Πνεύματος ζωὴ καὶ εἰρήνη. 7. *Διότι τὸ φρόνημα τῆς*
Σαρκὸς ἔχθρα εἰς θεόν· τῷ γὰρ νόμῳ τοῦ θεοῦ οὐχ
ὑποτάσσεται· οὐδὲ γὰρ δύναται· 8. *οἱ δὲ ἐν σαρκὶ ὄν-*
τες θεῷ ἀρέσαι οὐ δύνανται. 9. *Ὑμεῖς δὲ οὐκ ἐστὲ ἐν*
σαρκὶ ἀλλ᾽ ἐν πνεύματι, εἴπερ πνεῦμα θεοῦ οἰκεῖ ἐν
ὑμῖν. Εἰ δέ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ
ἔστιν αὐτοῦ. 10. *Εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν, τὸ μὲν σῶμα*
νεκρὸν δι᾽ ἁμαρτίαν, τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύ-
νην. 11. *Εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ*
νε-

νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν.

Vs. 1 — 4. Ven. *Winzerus* enarravit docto programmate Lips. 1828. XVI. 4. — **V. 1.** Argumentatur Ap. e gratiarum actione 7,25.: *nulla igitur nunc* (postquam Deus Christi operâ pestem sustulit 7, 25.) *damnatio hominibus christ. impendet.* νῦν] om. D* gr. Syr. Arm. Aeth., Chrys. semel, Hieron., Victorin. Post κατάκριμα ponunt 76. Chrys. (etiam in Mt. 3. 8.), Scholia in Mt. d. q. Augustin. *Mill.* Prol. §. 1286. „intrusit quispiam νῦν, velut explicans. νῦν h. e. sub evangelio"!! Imo νῦν, quod P. aptissime collocavit, quum ejus aequales et pestem a Christo amotam olim sensissent et beatitate, cujus Christus auctor exstitisset, tunc fruerentur (7,5. 6.), post Apostolorum tempora a nonnullis neglectum est, ut in sententiâ generali superfluum. Postea qui voculam revocarunt inepto eam loco post κατάκριμα posuerunt. Nihil v. οὐδὲν ἄρα ν. κ. τ. ἐ. Χρ. Ἰ. dicunt, nisi hoc: nulla igitur nunc damnatio Christi discipulis impendet h. e. nullo illi nunc pacto condemnantur. Sed damnationem intelligendam esse, quâ vitae *physicae*, non ut plerisque interpretibus visum est, vitae *aeternae* jacturam facias, Ap. disputatio ostendit. Id ipsum enim Christi alumnis non metuendum esse quod Judaei evitare non potuerint, h. e. mortem physicam, quâ Deus poenâ peccata vindicet, Ap. h. l. affirmare debet (v. not. ad 7,24. 5,16.). Ne quis Christianis non minus quam Judaeis moriendum esse objiceret, P. ipse providit v. 10. 11.. Qui τὸ κατάκριμα, quod voc. nihil nisi *damnationem* declarat, vel poenam condemnatis sustinendam h. e. mortem (aeternam: *Grot.*), vel peccatum damnatione (ad sempiternam mortem) vindicandum (Alberti Gloss. N. T. p. 102. τὸ κατακρίσεως ἄξιον) significare crediderunt, ii sane errarunt. Sed non notare κατάκριμα *actionem, ob quam recte condemneris* observando (v. *de Wettius*) *Lutherum* (So ist nun nichts Verdammliches an denen, die in Chr. J. sind) non refellas, qui, nisi fallor, κατάκριμα *damnationem* valere minime negavit, sed *sensum* expressit quem verbis *in hâc P. disputatione* subesse credidit: *indemnati nunc igitur sunt homines christ.* np. quia nullum peccatum committunt, ob quod aeternâ morte recte puniantur i. q. Christiani peccatis vacant, quae iis damnationem (ad sempiternam mortem) conflent. Imo ista *Lutheri* expositio hoc nititur errore, quod *Augustini* vestigia persequutus consolari Paulum c. 8. homines renatos, quia tametsi adhuc peccent iris

tamen caelestibus Christi beneficio jam exemti sint (v. disputationem explicationi loci 7,7. sq. praemissam) opinatus est. τοῖς ἐν Χρ. Ἰ.] scil. οὖσιν i. e. *hominibus christ.*, nihil praeterea. *Εἶναι ἐν* seq. Dativo personae (esse in aliquo) Graecis in universum denotat *causas ut sis in aliquo repositas habere*, unde arctissime te cum eo, in quo sis, junctum et quasi conglutinatum esse totumque te ab eo pendere sponte consequitur. Quodsi ad causas *vivendi* loquutio refertur, quod sis et vivas ita te imbecilliorem in aliquo potentiore repositum habere, ut ab eo diremtus aut non viveres, aut vivere desineres, h. e. totum te in alicujus manu et potestate esse aut sortem tuam ex aliquo nexam esse designat. Act. 17,28. *ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν καὶ κινούμεθα καί ἐσμεν.* Soph. Oed. C. 247. *ἐν ὑμῖν ὡς θεῷ κείμεθα τλάμονες.* Oed. T. 314. — *ῥῦσαι δὲ πᾶν μίασμα τοῦ τεθνηκότος.* | *ἐν σοὶ γάρ ἐσμεν·* Eur. Alc. 277. *σοῦ γὰρ φθιμένης οὐκέτ᾽ ἂν εἴην·* | *ἐν σοὶ δ᾽ ἐσμὲν καὶ ζῆν καὶ μή·* | *σὴν γὰρ φιλίαν σεβόμεσθα.* Sed potest etiam de *certâ quadam vitae conditione* illa formula usurpari. Tum causas ut sis *qui sis* in aliquo te habere significat. Hanc vim *εἶναι ἐν Χριστῷ* obtinet i. e. in Christo, sacrae disciplinae conditore et magistro non vitae, ut quivis intelligit, sed vitae ad Christi disciplinam dirigendae causas habere, in Christo (als Meister) Sein haben, existiren (als sein Schüler u. Verehrer) Rom. 16,11. 1 Cor. 1,30. 2 Cor. 5,17. Sunt igitur *οἱ ἐν Χριστῷ Christi discipuli*, *homines christ.* neque haec formula ab aliis loquutionibus, quae et ipsae discipulorum notionem exprimunt, differt, nisi quod ratio, quae discipulis cum magistro intercedit, aliter animo concepta est. In loquutione *οἱ ἐν Χριστῷ intima cum magistro conjunctio* principio spectabatur, in formulis *οἱ τοῦ Ζήνωνος* (*Bos.* ellips. p. 261. *Schaef.*) et *οἱ τοῦ Χριστοῦ* (sc. *ὄντες*) *qui Zenonis, Christi sunt* (Gal. 5,24. Rom. 8,9.), *animus magistro addictus*, in dictione *οἱ ἀμφὶ Πλάτωνα congressus et convictus*, et in loquutione *οἱ ἀπὸ τοῦ Πυθαγόρου* (Luc. Hermot. c. 14. Cic. de Div. 1,3,5. — Zenoque et ii, *qui ab eo essent profecti* —) *disciplinae origo et animus de scholae auctore pendens.* Sed in omnibus his formulis nihil nisi *discipulorum magistris deditorum* notio deinceps cogitabatur neque cuiquam in mentem venit praeverbia *ἀμφί*, *ἀπό* etc. premere. Id fecerunt *Beza*, *Calov.*, *Wolf.* al., qui ut hominibus christ. *mysticam* necessitudinem cum Christo esse efficerent, abusi allegoriâ Joh. 15,3. sq. *εἶναι ἐν Χριστῷ Christo insitum esse, quo modo palmites in vitibus haerent* explicaverunt, ceterum insitionem *per baptismum* (Gal. 3,27.) fieri putarunt. Haec opinio absurda est. Nam primum quidem loquutionis ἐν

Χριστῷ 'Ι. εἶναι explicationem ex allegoriâ Joh. 15,3. sq., unde illa minime profecta est, temere petierunt. Deinde collationis ratio Joh. 15,3. sq. (tertium comparationis) eos latuit, in hoc uno posita, quod quemadmodum palmites vitibus sustentati floreant, ab iis abrupti exarescant, sic Christi discipuli fortunati futuri sint, si Christo conjuncti manserint, sin Christum deseruerint, miseri. Male hoc doceri illi sumserunt, quemadmodum vites cum palmitibus succum participent sic quidem ut rei ratio a nemine perspiciatur, ita vires et virtutes ex Christo in Christianos eo modo redundare, qui humanae intelligentiae notionem fugiat. Tum non *mystica* Christianis cum Christo necessitudo est, sed coierunt cum eo societatem qui ejus dogmata et praecepta sarta tecta habent ejusque mores imitantur Joh. 15,7. 10. 1 Joh. 2,3—6.. Postremo neque *in Christi corpus nos per baptismum inseri*, neque id fieri *μυστικῶς* P. scripsit. Gal. 3,27. homines sacro lavacro Christi (Dei filii 4,4.) habitum induere dicit h. e. servitutem exuere et Dei filiorum jura accipere, quippe Dei filii discipulos factos (3,26. — 4,7.). Neque Christus ipse *corpus* quoddam constituit, in quod inseramur, sed facit corpus cum discipulis, ita ut ille capitis dignitatem obtineat, hi membrorum vim habeant, h. e. demtâ similitudine familiam Christus cum discipulis constituit, quam regat, tueatur et nutriat Eph. 1,23. 4,15. sq. Col. 1,18.. Quare formulae *εἶναι ἐν Χριστῷ* cum iis l., in quibus Christus cum discipulis integrum quoddam corpus facere dicitur, nullum commercium est. Tetigi perversam illam loquutionis *ἐν Χριστῷ εἶναι* interpretationem, tum quia nonnulli eam nuper recoxerunt, tum quoniam graves errores peperit. Sic *Beza* eâ nixus v. 1—4. hoc doceri putavit, „exemtos esse Christianos omni condemnationi, non per regenerationem in ipsis inchoatam, sed quia per fidem facti sint unum cum Christo, in quo perfectissima sit humanae naturae sanctificatio." Sed quoniam Christi discipulis Christus tanquam locus est, in quo sint, multarum vis loquutionum, quae illi cogitationi superstructae sunt, satis patet. Nam ne de formulis in quibus nihil difficultatis est, *εὑρίσκεσθαι ἐν Χριστῷ* Phil. 3,9. (Christi discipulum cognosci), *στήκειν* (*μένειν* 1 Joh. 2,6.) *ἐν κυρίῳ* Phil. 4,1. 1 Thess. 3,8. (persistere, permanere in Christi societate), *περιπατεῖν ἐν κυρίῳ* Col. 2,6., *εἶναί τι ἐν Χριστῷ* Eph. 5,8. Gal. 3,28. 26. (alicujus modi esse, postquam Christi discipulus factus sis), *ἄνθρωπος ἐν Χρ.* 2 Cor. 12,2. (homo christ.) loquar, apparet, quidquid Christiani vel faciant vel patiantur, id eos *ἐν Χριστῷ* tanquam in suo domicilio vel facere vel perpeti. I Cor. 15

18. *οἱ κοιμηθέντες* (1 Thess. 4, 16. *οἱ νεκροί*) *ἐν Χρ.* qui *in Christo positi* (i. e. homines christ.) mortui sunt: 2 Cor. 13, 5. *ἀσθενεῖν ἐν Χρ.* imbecillum esse in Christo in quo sis h. e. cum Christo conjunctum discipulum. Quodsi Paulus Christi discipulos *τοὺς ἀμφὶ Χριστόν* quam *τοὺς ἐν Χρ* nominare maluisset, in his aliisque formulis *ἀμφὶ Χριστόν* posuisset pro *ἐν Χρ.*. Eph. 4, 17. *μαρτύρομαι ἐν κυρίῳ* (tanquam Christi discipulus cf. 1 Th. 4, 1.) — Rom. 16, 8. — *Ἀμπλίαν, τὸν ἀγαπητόν μου ἐν κυρίῳ.* 13. — *Ῥοῦφον, τὸν ἐκλεκτὸν ἐν κυρίῳ.* Eph. 6, 21. *Τύχικος ὁ ἀγαπητὸς ἀδελφὸς — ἐν κυρίῳ* 1 Cor. 4, 17. — *Τιμόθεον, ὅς ἐστι τέκνον μου ἀγαπητὸν — ἐν κυρίῳ* Gal. 6, 15. Eph. 2, 10. *in domini familiâ*, quae tota in domino posita et congregata cogitatur. Munus accepit *ἐν κυρίῳ*, cui munus ad domini causam et familiam pertinens demandatum est Col. 4, 17.. Similiter Rom. 16, 12. — *τὰς κοπιώσας ἐν κυρίῳ* 1 Th. 5, 12. — *τοὺς κοπιῶντας ἐν ὑμῖν καὶ προϊσταμένους ὑμῶν ἐν κυρίῳ, in causâ domini, in relligione christ.*. In domino enim fieri finguntur, quae in scholae christianae in Christo collocatae emolumentum peraguntur. Tum facere *ἐν κυρίῳ* dicuntur qui aliquid initae cum Christo societatis memores faciunt Rom. 16, 2. — *ἵνα προςδέξησθε αὐτὴν ἐν κυρίῳ* (pro pietate, quae domino debetur, pro pietate christ.) *ἀξίως τῶν ἁγίων.* 16, 22. 1 Cor. 7, 39. Eph. 6, 1. Phil. 4, 2.. Sic quae contra quam pietatis christ. regula postulat fiunt *extra Christum* committi cogitantur. Finitima ea loca sunt, in quibus Ap. se spem alere aut confidere ait *ἐν κυρίῳ*, pie in dominum, a quo Christianorum coetus sustentetur, intuitum, unter frommem Hinblicke auf die Kraft (Unterstützung u. s. w.) des Herrn Gal. 5, 10. 2 Th. 3, 4. Phil. 1, 14. 2, 19. 24.. Janua aperitur *in domino*, quasi in Christi castris, quum occasio domini causam juvandi offertur 2 Cor. 2, 12.. Eph. 4, 1. *ὁ δέσμιος ἐν κυρίῳ* der christliche Gefangene i. q. *ὁ δέσμιος τοῦ Χρ. Ἰησοῦ* Eph. 3, 1. (v. Philem. v. 23. cl. Eph. 2, 11. 1 Tim. 6, 17.). *In domino* enim vinculis constrictus est, qui *ἐν κυρίῳ ὢν* vinctus est. Latine sensum apte sic exprimas: vinctus *in Christi castris*, et 1 Cor. 15, 58. Phil. 1, 13. *in Christi civitate.* Col. 2, 6. 7. *Ὡς οὖν παρελάβετε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν — ἐν αὐτῷ περιπατεῖτε, ἐῤῥιζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ* —. P. *ἐν αὐτῷ* scripsisse videtur, quia praepositionem ad prius verbum (*ἐῤῥιζωμένοι*) quam ad posterius (*ἐποικοδομούμενοι ἐπ᾽ αὐτῷ* Eph. 2, 20.) accommodare maluisset. Sed quum Ap. ad illam cogitationem, esse homines christ. *ἐν Χριστῷ*, toties revolvatur, fieri sane potest, ut eâ hic quoque retentâ *ἐν αὐτῷ* ad utrumque v. rettulerit h. m.: quemadmodum igi-

tur Christus vobis traditus est, ita in eo (domino, qui vobis praepositus est, non temere mutato) vivite, *ita ut radices egeritis et vos inaedificetis in eo* (in quo positi sitis). Male qui vel latine vel vernacule libros ss. interpretetur *ἐν κυρίῳ* verbotenus vertat *in domino*, in dem Herrn. Nam quum arctissimam discipulorum cum magistro conjunctionem neque Romani neque Germani ita exprimant, ut *illos in hoc esse* dicant, ejusmodi translatio non minus obscura est, quam v. graeca, quae nisi cogitatione, e quâ manarint, perceptâ non intelligas. Sane e *Lutheri* versione in dem Herrn sterben et similia recepta sunt, sed quum barbara *Lutheri* translatio non eo valuerit, ut Germani *discipulos in magistro esse* animis suis informarint eamque cogitationem ulterius persequuti sint, ejusmodi formulae licet saepe usurpatae vulgo aeque perplexae sunt, ac verba graeca iis, qui quae ea cogitatio pepererit nesciant. Imo verborum graecorum sensus quoque l. e latinae et germanicae linguae ingenio perspicue atque ita declarandus est, ut formulis utaris, quae a ss. scriptorum cogitatione quamproxime absint. Nonnunquam *ἐν* apte vertas, bei, ut in formulis *στήκειν, μένειν ἐν Χριστῷ.* Permulti nuper *τοὺς ἐν Χριστῷ ὄντας veros* Christi cultores valere putarunt (*Heum.*, *Mor.*, *Kopp.*, *Jaspis.* al.). Falluntur. Quemadmodum enim philosophos sectari dicuntur non solum qui re eos duces sequuntur, verum etiam qui nomine, sic *οἱ ἐν Χριστῷ ὄντες* omnes ii vocantur, qui se ad Christum applicuerunt. Christianorum *candidorum* aut *fictorum* notio non in verbis est, sed in orationis contextu. H. l. si vulgata lectio sincera esset *οἱ ἐν Χρ. Ἰ.* dicerentur *quicunque Christi sacra amplexi sint* 1 Cor. 15, 18. 1 Th. 4, 16.. Nunc sane de Christianis, qui officium suum expleant, agitur 2 Cor. 5, 17. Gal. 5, 24.. — Si quae vulgatur scriptura a P. profecta esset, cum plerisque interpretibus haec explicatio ineunda esset: nullo igitur nunc pacto homines christ. condemnantur, *si* non ad corporis irritamenta, sed ad div. spiritus praecepta vitam instituant. A quibus *Syrus*, *Grot.*, *L. Bos*, *Wetst.*, *Matthaeius* ed. *min.* et *Winz.* p. 7. ita discedunt, ut, quia *μή* etc. non *τοῖς μή* etc. Ap. scripserit (! *Bos.*, *Winz.*) vocc. *τοῖς ἐν Χρ. Ἰ. μὴ κ. σ. περιπατοῦσιν* arcte jungenda esse arbitrentur aut sic: non igitur nunc damnantur *qui Christo addicti non secundum carnem vivunt, sed secundum sp.* (*Syr.*, *Winz.* v. Gal. 3, 26. 28. Eph. 5, 8.), aut h. m.: non igitur nunc damnantur, *qui secundum Christi praecepta* (Col. 2, 6.), *non secundum carnem*, *vivunt*, *sed secundum spiritum div.* (*Bos.*, *Wetst.*) Illi rationi verborum ordo officit; quod quum Syrus sensisset, vocabula

transposuit τοῖς μὴ κατὰ σάρκα ἐν Χρ. Ἰ. περιπατοῦσιν. Nam sic praecipuum pondus v. μὴ κατὰ σάρκα, non vocc. ἐν Χρ. Ἰ. habeant necesse est. P. hoc pacto dicere debet: nullò igitur nunc modo damnantur qui *non ad corporis irritamenta* in Christi civitatem recepti vitam componant (h. e. qui *veri* Christi discipuli sint), non: — qui *in Christi scholam recepti* non ad corporis irritamenta vitam dirigant (i. e. qui Christi *discipuli* sint non ficti). Haec explanatio valde contorta est. Vel ut ambiguitatem evitaret P. dixisset καὶ μὴ etc.: — qui ad Christi praecepta, *neque* (ut explicatius dicam) ad libidinosi corporis praescripta, sed ad div. spiritus monita mores conforment. μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα] Haec v. om. B. C. D.* E. F. G. (in G. spatium rellictum est vacuum) 47.* 67.** Copt. Sahid. Aeth. Clar. * Boern. Ath. 1,524. Ruf. Aug.. Hos auctores sequendos duxerunt *Mill.* Prol. §. 730. *Semler.*, *Vater.*, *Rueck.*, *Reich.*, *Koelln.* al., illa v. e vs. 4. irrepsisse arbitrati, sequuti sunt *Griesb.* et *Lachm.*. Defendit receptam lectionem *Matthaeius*, v. μὴ κ. σ. π., ἀ. κ. πν. a nonnullis propter similitudinem vs. 4. exclusa esse opinatus. | μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν praetermissis vocc. ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα continent A. D. ex emend. priori (nam alius corrector deinceps porro addidit graece, non latine ἀλλὰ κ. πν.) Syr., Erp., Arm., Vulg., Clar., Chrys. (etiam in Mt. 3. 8.) Victorin., Hieron., Ambrosiast., Pelag., Sedul., *Bengelio* et *Moro* probantibus. Postremo nonnulli τοῖς μὴ κατὰ σ. π. [ἀλλὰ κ. πν. Theophyl.] exhibent, v. c. *Chrys.* (etiam in Mt. 3. 8.). Rectissime vero *Griesb.* vocc. μὴ κ. σ. π., ἀ. κ. πν. expunxit. Manifesto enim e vs. 4. repetita sunt ab iis, qui τοὺς ἐν Χρ. Ἰ. non omnes promiscue Christianos, sed quotquot Christi discipulorum officiis satisfacerent h. l. dici monerent. Hoc librarii interpretum partibus sumtis observandum sibi esse existimarunt. Argumento est, quod tot explicatores sapienter Paulum μὴ κ. σ. π. [ἀ. κ. πν.] adjecisse contenderunt, ut non satis esse Christi disciplinam profiteri, sed necesse esse ut mores Christi praeceptis consentiant indicaret (cf. v. c. *Theophyl.*, *Turretin.*, *Mor.*). Hoc autem illos verbis Paullinis iisque ex hujus l. viciniâ (v. 4.) ductis declarasse non mirum est. Atque ita rem evenisse variantes lectiones demonstrant. Principio plana Apostoli sententia visa est, verbis μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦσιν adjectis (v. Chrys.); postea non satis perspicuam esse Pauli mentem interpretes putarunt, nisi etiam vocc. ἀλλὰ κ. πν. e vs. 4. addidissent (v. *Theophyl.*). Auget suspicionem, quod τὴν ἐπεξήγησιν alii aliâ formâ conceperunt, plerique sic, ut *conditionem* adderent (μὴ κ.

σ. π. — *si* non — vivant), nonnulli ita, ut versum 1. prorsus cum v. 4. exaequaturi τοὺς ἐν Χρ. Ἰ. *describerent* (τοῖς μὴ etc. hominibus christ., *qui* — non vivant; v. supra). Ne illud quidem suspicione caret, quod omnes verba de quibus dubitatur eodem, quo v. 4. leguntur, ordine [τοῖς] μὴ κ. σ. περιπατοῦσιν, ἀ. κ. πν. exhibent, nemo περιπατοῦσιν post κατὰ πνεῦμα rejicit. His argumentis *Matthaeii* opinio (v. supra) prorsus evertitur, cui duo praeterea obstant. Nam praeterquam quod scribae v. post breve intervallum iterata non tantopere fastidire solent, si utique illi h. l. repetitis vocabulis offensi fuissent, alii, qui est mos interpolatorum, ingrata v. vs. 1. delevissent, alii vs. 4. ea sollicitassent, quod a nemine factum est. Denique vocc. v. 1. μὴ κ. σ. π., ἀ. κ. πν. per se quidem minime inepta sunt, sed parum in hunc l. conveniunt. Illud *Rueckerto* visum est, Paulo, si sibi constare voluisset, non damnari homines christ., *si* non ad corporis invitamenta, sed ad div. spiritus praecepta vitam accommodarent, dicere non licuisse opinato. Quasi vero P. ornamenta a Christo parta in omnes promiscue Christianos contulerit, non in eos tantummodo, qui quum τῇ σαρκί valedixerint div. spiritu agantur (v. 9 — 17.; cf. etiam *Koellnerum*). Neque *de Wettius* rem perspexit, qui illa v. propterea ab h. l. abhorrere perhibuit, quoniam tum rem declarent, quae e legis a Peccatu datae abrogatione v. 2. 3. consequatur, tum conditionem ferant, ut homines christ. legi mos. satisfaciant (sic; nempe male *dW.* v. v. 4. ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν exposuit), de neutrâ autem re jam hoc vs. agi possit. Op ime vero haec disputatio procederet: non damnantur nunc homines christ., *si* non ad corporis irritamenta, sed ad div. spiritus praecepta vitam dirig•nt (v. 1.). Nam Peccatus lege sublatâ fieri potest, ut homines christ. divinum spiritum ducem sequuti legem mos. observent (v. 2 — 4.). Imo illa v. ab h. l. idcirco aliena sunt, quia P. v. 1 – 8. de perfectis et qui suum munus expleant Christianis disputat, ut οἱ ἐν Χρ. Ἰ. sint οἱ μὴ κατὰ σάρκα περιπατοῦντες, ἀλλὰ κατὰ πνεῦμα v. 4. et vicissim, quo facto Romanis eâ lege christiana decora spondet, ut hominum christ. formam ab se v. 4. (ἡμεῖς οἱ μὴ etc.) designatam quum expresserint spiritu div. regantur v. 9. sq.. In illâ igitur disputatione jejuni glossatores, qui metuerent, ne P. etiam improbos Christianos poenarum metu liberasse videretur, v. 1. verba μὴ κ. σ. π., ἀ. κ. πν. adspergere potuerunt, cordatus scriptor ea addere non potuit.

V. 2. Probatur sententia versus 1. *Non mortis nunc homines christ. damnari* (v. 1.) *ex eo intelligitur, quod Lex*

vitalis Spiritus in Christi civitate Legem Peccatus et Mortis sustulit (v. 2.). ὁ Νόμος τῆς Ἁμαρτίας κ. τ. Θανάτου *Lex quam Peccatus et Mors condiderunt* est *vis Malitiae et Mortis* (v. not. ad 7, 13. et 23.) et ὁ Νόμος τοῦ Πνεύματος τ. ζωῆς *Lex, quam vitalis Spiritus ponit* declarat *vim vitalis Spiritus*. Cui ut legis lationem tribueret legemque ab eo latam *personam* fingeret, eo Ap. motus est, quod invitatu superius 7, 23. 24. dictorum τὸν Νόμον τῆς Ἁμαρτίας καὶ τ. Θανάτου commemoraturus erat, ad quem τὸν Νόμον τοῦ Πνεύματος τ. ζ. acute referri vellet. Sic recte hunc locum tum alii (Calv. Bucer.) tum ii ceperunt, qui τὸν νόμον τοῦ πνεύματος τ. ζ. τὸ ζωοποιὸν Πνεῦμα et τὸν νόμον τῆς ἁμαρτίας καὶ τοῦ θανάτου τὴν Ἁμαρτίαν καὶ τὸν Θάνατον dici observarunt (Chrys., Theodoret., Theophyl., Oec., Schol. Math., Vitringa al.). Minime illi τοῦ νόμου vocabulum redundare crediderunt (*Winz.* p. 8.). Nempe ne homines christ. mortis condemnarentur, *Peccatus*, qui mortem pareret (7, 9—11. 17. 23. 24.) vis abolenda erat, quâ abolitâ Mortis quoque vis exstincta erat. Sustulit autem legem Peccatus et Mortis Lex *a vitali Dei spiritu* scripta. Nam spiritus s. quia pietatis magister est Gal. 5, 22. efficit ut recte agendo Deo placeamus eoque nos vitae aeternae participes reddit, quae non nisi piis hominibus concedatur (v. 6. 13. 2 Cor. 3, 6.). Τὸ πνεῦμα τῆς ζωῆς *spiritus vitam* (aeternam) *largiens*. Joh. 6, 35. ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς. Ut ὁ νόμος τ. πν. τ. ζ. verbis ὁ νόμος τῆς ἁμ. καὶ τ. θ. concinne responderet, *Carpz.*, *Vater.*, *Reich.* al. τῆς ζωῆς, quemadmodum τοῦ πνεύματος, ab ὁ νόμος regi putarunt (i. q. ὁ γὰρ νόμος τοῦ πνεύματος καὶ τῆς ζωῆς). Tale asyndeton inauditum est. Praeterea non considerarunt, optime τὸν νόμον τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς τῷ νόμῳ τῆς ἁμ. καὶ τοῦ θανάτου opponi. Est enim div. spiritus vitae aeternae praebitor per pietatis studium quod accendit v. 5—7. Liberationem, de quâ P. h. l. loquatur, non in morum emendatione, quae adjuvante Dei spiritu sensim sensimque fiat, positam esse ex Aoristo ἠλευθέρωσε intelligi temere *Rueck.* objecit. Neque enim reputavit, de perfectis et qui suo officio fungantur Christianis hîc agi (v. not. ad v. 1.). Hi vero, quoniam se a div. spiritu regi patiuntur (v. 4. 14.), *liberati sunt* per div. spiritum a Peccatus et Mortis imperio. Non recte illud *Rueckerto* obvertas, div. spiritum semel atque uno temporis momento hominibus qui fidem habuerint dari Act. 8, 17. 19, 6. (v. *dW.*). Ceterae formularum ὁ νόμος τοῦ πνεύματος τ. ζ. et ὁ νόμος τῆς Ἁμ. κ. τ. Θ. expositiones a P. disputatione prorsus abhorrent. *Calov.*, *Wolf.*, *Ammon.*, *Reich.*, al. legem quae vitalem spiritum afferat *doctrinam* s.

relligionem christ. [3, 27.] et τὸν νόμον τῆς ἁμ. κ. τ. θ. legem *mos.* (Wolf. „legem *moralem* (!), quatenus per eam sit agnitio peccati et mors irrogetur peccantibus") dici opinantur. At v. ὁ νόμος τῆς ἁμ. καὶ τ. θ. vel propterea ad legem *mos.* referri nequeunt, quod non haec, quippe sanctissima, homines corrupit corruptosque necavit, sed Peccatus praeclarâ Dei lege, ut animum expleret, abusus (7, 7—24.). Itaque ne homines mortis condemnarentur non satis erat legem mos. antiquari, sed ut malum radicitus exstirparetur vis Peccatus tollenda erat (v. *Koelln.*). Hinc τὴν Ἁμαρτίαν h. l. idem valere quod 7, 23. 8, 3. manifestum est. Ceterum esse nunc Mosis legem abrogatam P. ex eo intelligi voluit, quod Deus *per Christum* ad effectum adduxisset *res utique perficiendas et quas Mosis lex efficere non potuisset* h. e. Peccatus amotionem et vitae largitionem (v. 3. 4.). Quamobrem quod illi dici h. l. τὸν νόμον τῆς ἁμ. κ. τ. θ. legem *mos.* versus 3. et 4., ubi ὁ νόμος sit *Mosis lex*, ostendere observant, id nullum sensum habet. Praeterea potuerat sane P. post ea, quae tum de legis mos. sanctitate, tum de Peccatus improbitate c. 7. disseruerat, Mosis legem τὸν νόμον τῆς Ἁμ. κ. τ. Θ. *legem quâ Peccatus et Mors gauderent* sine invidiâ vocare, quare non fuit, quod Theophyl. *impietatis* eos insimularet, qui τὸν νόμον τῆς Ἁμ. κ. τ. Θ. ad legem mos. rettulissent. Nihilominus loquutio ὁ Νόμος τῆς Ἁμ. καὶ τ. Θ. tam aspera est, ut Apostolum tantopere legem mos. reveritum (7, 12. 14.) tantaque in his literis cautione usum, ne contemnere illam videretur (7, 5. 7. sq.), eam de div. lege positurum fuisse vix credam. Tum relligionem christ. cum aliquo respectu ad Mosis legem (3, 27.) τὸν νόμον τοῦ πν. τ. ζ. *legem quae vitalem spiritum impertiret* apte nuncupari potuisse fatendum est. Sed non *relligio* vitalem spiritum afferens, sed *spiritus div., qui vitam* (aeternam) *procurat*, tum Peccatus tum Mortis vim sustulit v. 4—6. 13—17.. Unde primariam notionem non verbis ὁ νόμος, sed vocabulis τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς contineri ac dici τὸ πνεῦμα τῆς ζωῆς *divinum spiritum*, vitae (sempiternae) largitorem, ut paullo post πνεῦμα et τὸ πνεῦμα v. 4. sq., consequitur. His argumentis eorum quoque ratio infringitur, qui veram harum formularum explicationem cum expositione modo refutatâ miscuerunt. Scilicet *Turret.*, *Rueck.* al. τὸν νόμον τοῦ πν. τ. ζ. relligionem christ., quae spiritum vitalem suppeditat, et τὸν νόμον τῆς Ἁμ. κ. τ. Θ. vim, tyrannidem, Peccatus et Mortis explanaverunt; contra *Vatablus*, *Boehm.* al. τὸν νόμον τ. πν. τ. ζ., legem quam vitalis Dei spiritus ponit et τὸν νόμον τῆς Ἁμ. κ. τ. Θ. legem *mos.* exposuerunt. *Koellnerus* (v. *Kopp.* et *Morus*) τὸν νό-

μον τοῦ πνεύματος non differre a τῷ νόμῳ τοῦ νοός 7, 23. existimat h. r.: lex mentis salutem gignens, *quae in Christi civitate datur* (i. q. cui Christus robur addidit) liberavit me a vi Peccatus et Mortis. Praeterquam quod V. D. vocc. ἐν Χρ. Ἰ. cum v. ὁ νόμος consociavit, quod recte h. l. fieri nego, neque mentis Christi beneficio corroboratae notio sic satis perspicue enunciata est, ob causam supra memoratam τὸ πνεῦμα τῆς ζωῆς spiritum s., vitae (sempiternae) praebitorem declarare debet (v. 4. sq.). Vocabula ἐν Χρ. Ἰ. cum verbo ἠλευθέρωσε conjungenda sunt. Hoc primo postulat verborum concinnitas, cui P. magnopere studet. Nam si ἐν Χρ. Ἰ. cum verbo ἠλευθέρωσε copularis, ὁ νόμος τῆς Ἁμ. κ. τ. Θ. concinne ad τὸν νόμον τ. πν. τ. ζ refertur; sin ἐν Χρ. Ἰ. cum antecedentibus v. junxeris, in ultimis v. ἀπὸ τ. ν. τ. Ἁμ. κ. τ. Θ. vocabulis ἐν Χρ. Ἰ. nihil respondet. Deinde structurae facilitas illam juncturam commendat. Contra si ad praecedentia v. ἐν Χρ. Ἰ. revocanda duxeris, structura non solum a regulâ recedit, verum etiam ambigua est. Nam utrum ἐν Χρ. Ἰ. potius ad ὁ νόμος, an ad τῆς ζωῆς, pertineat dubitari potest. Qui v. ἐν Χρ. Ἰ. parum apte ante verbum ἠλευθέρωσε collocata esse contenderunt (*Rueck.*, *dW.* al.), neque potuisse illis verbis alium locum dari, quum vocc. ἠλευθέρωσέ με ἀπὸ τοῦ Θανάτου arctissime cohaereant, et aptissimum ea locum occupare, quoniam praecipuum pondus habeant, non consideraverunt. Jam *Oec.*, *Erasm.*, *Piscator*, *Kopp.*, *Winz.* p. 11., *Win.* gr. p. 129. al. — *per* Christum J. me liberavit — enarrant. Sententia optime comparata est. Christo enim homines christ. acceptum referunt div. spiritum, quem nisi ille de coelo legatus venisset neque haberent nec ducem sequi possent (v. 3. 4. Gal. 3, 2. 4, 4—6.). Sed fortasse P. ἐν Χρ. Ἰ. ἠλευθέρωσέ με ad τοῖς ἐν Χρ. Ἰ. v. 1. acute rettulit h. m.: nulla igitur nunc damnatio (ad mortem) *in Christi civitatem receptis* impendet. Nam lex spiritus vitalis *in Christi civitate me liberavit* etc. (v. not. ad v. 1.). Consociant ἐν Χρ. Ἰ. cum totâ formulâ, quae praecedit, sive potius cum nomine ὁ νόμος, quod agmen ducit, *Mor.*, *Flatt.*, *Reich.* al., cum τῆς ζωῆς, *Syrus*, *Grot.*, *dW.* al., cum τοῦ πνεύματος τ. ζ. *Beza*, *Heum.*, *Rueck.* al.. Postrema ratio (lex spiritus vitalis, qui in Christi civitate viget) ferri non potest. Debebat enim, ut Apostoli mens cognosceretur, Articulus repeti — τοῦ πν. τ. ζ τοῦ ἐν Χρ. Ἰ.. Consilium quod primo et secundo loco memoravimus nonnullis locis defendi potest (v. *Bernhardy* Wissensch. Synt. p. 322. sq. Phil. 1, 26. διὰ τῆς ἐμῆς παρουσίας πάλιν πρὸς ὑμᾶς Eph. 2, 11.). Sed credibile est, Apostolum, vel ut amphiboliam evitaret re-

gulae obsequutum ὁ γὰρ ἐν Χρ. Ἰ. νόμος τ. πν. τ. ζ., ὁ γὰρ νόμος τ. πν. τῆς ζωῆς τῆς ἐν Χρ. Ἰ. exaratorum fuisse. Ceterum eorum, qui ἐν Χρ. Ἰ. ad τῆς ζωῆς admovent, structura lectoris exspectationi non satisfacit. Vita morti simpliciter opponenda erat, ut tot locis P. fecit 5,17. sq. 8,6. 13. 2 Cor. 3,6. al.. Vitae *in Christi civitate dari solitae* aut *per Christum dandae* cogitatione non opus est. Aptam sane sententiam indipiscuntur qui ἐν Χρ. Ἰ. cum v. ὁ νόμος conjungunt *nam quae a vitali spiritu data lex in Christi civitate viget liberavit me* etc., sed distortum loquendi genus inducunt, ne argumenta superius posita repetam. ἠλευθέρωσέ με] l. *me* (non Paulum, sed hominem vere christianam, 7,7. sq.). ἠλευθέρωσεν ἡμᾶς (Erp. Basil. III,48.) glossema est, et ἠλευθέρωσέ σε (B. G. Syr., Boern., Chrys. bis et in Mt. 3. ter) *liberavit te*, hominem vere christianum (Jac. 2,11.), calami error manifestus.

V. 3. et 4.. Quum hi versus unam quandam eamque peracutam, in quâ prima ultimis, media primis praeclare respondeant, sententiam complectantur, interpretes autem tum in structurae enodatione tum in sententiae explicatione vehementer inter se dissentiant, Pauli verbis accurate explanatis primo quidnam mihi h. l. Ap. dixisse videatur exponam, tum nonnullas explicatorum opiniones recensebo. Utrumque si confuderis periculum est, ne lectores neque Pauli mentem assequantur neque interpretum de h. l. sententias satis intelligant. — Ap. versum 2. firmaturus *quo modo* effectum sit quod legem *vitalis spiritus* Christianos, quos vere sic diceres, a lege Peccatus et Mortis liberasse vs. 2. affirmaverit, versu 3. et 4. docet. τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθ. δ. τ. σ.] Nominativus appositionis ad principalem quae sequitur sententiam h. e. eam quae verbis ὁ θεὸς κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν comprehenditur spectantis. Resolve ὁ θεὸς γὰρ κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν, ὃ (scil. τὸ κατακρίνειν τὴν Ἁμαρτίαν) ἦν τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠ. δ. τ. σ. nam Deus *damnavit Peccatum*, in quâ re (i. e. *in cujus damnatione*) legis mos., quia infirma erat corporis vitio, impotentia cernebatur. Nam τὸ ἀδύνατον τ. ν. active dicitur (i. q. ἡ ἀδυναμία) non passive *quod fieri non poterat a lege mos.* h. e. τὸ ἀδύνατον τῷ νόμῳ. Eur. Troad. v. 489. τὸ λοίσθιον δέ, θριγκὸς ἀθλίων κακῶν, | δούλη γυνὴ γραῦς Ἑλλάδ' εἰςαφίξομαι h. e. εἰςαφίξομαι δὲ δούλη γυνὴ γραῦς Ἑλλάδ', ὃ ἔσται τὸ λοίσθιον, θριγκὸς ἀθλίων κακῶν. Demosth. pro Coronâ 299, 7. τὸ δ' οὖν κεφάλαιον, ἠξίουν, ὧν μὲν εὖ πεπόνθεσαν ὑπὸ Φιλίππου χάριν αὐτοὺς ἀποδοῦναι, ὧν δ' ὑφ' ἡμῶν ἠδίκηνται δίκην λαβεῖν — . i. e. ἠξίουν οὖν ὧν μὲν —

δίκην λαβεῖν, ὃ ἦν τὸ κεφάλαιον. Hebr. 8, 1. κεφάλαιον οὖν ἐπὶ τοῖς λεγομένοις, τοιοῦτον ἔχομεν ἀρχιερέα, ὃς —. Cf. *Pflugkium* ad Eur. Med. 559. et ad Hec. 1168. Recte appositio, ut quae cogitationem prae ceteris enuntiandam contineat, periodum ducit. Nam si divina lex Peccatum condemnare potuisset, sine idoneâ causâ Deus Christum misisset, qui Peccatum damnaret. Parum aptum esse verborum ordinem, quia dubitari possit, utrum vocc. τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου ad v. (ὁ Θεὸς) κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν, an ad v. (ὁ Θεὸς) κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί referenda sint male *Reich.* contendit, quum illud verum esse sana ratio doceat. Ut homines a Peccatus et Mortis lege liberarentur, utcunque conficiendus erat Peccatus, non quo modo eum Christus postea interemit necandus. Et lex quidem mos., si tantam rem exsequi potuisset, ita illum confecisset, ut homines, ne Peccatui obsequerentur, praeceptis et interdictis perpulisset (7, 7.). Sed quum legis mos. interdicta *corporis vitio*, in quo impurus daemon div. praeceptis abusus pravas cupiditates inflammasset, Peccatus opes etiam auxissent, non aliter, *ut res per legem mos. in majus discrimen adducta expediretur*, quod Peccatus e lege mos. robur nactus esset, tolli potuit, nisi improbus daemon per Christum *in corpore* tanquam neci daretur, ne turpi corporis incolâ, qui id in div. legem armasset, exstincto corpus porro et Deo obniteretur et hominibus christ. noceret (v. infra). Appositionem iis verbis, ad quae pertineret, Ap. proxime admovisset, si hoc tantummodo dicere voluisset: quam rem lex mos. efficere non potuisset, eam Deum Christi interventu effecisse: τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου κατέκρινεν ὁ Θεὸς τὴν Ἁμαρτίαν τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας (s. ὁ Θεὸς γὰρ, τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας.)! Sed quum Deum Christi operâ Peccatum ita sustulisse, ut ea ipsa res aboleretur, quam Peccatus vires mire augentem lex mos. perdomare non potuisset, Ap. h. l. referre decrevisset, ne potuit quidem aliter verba ordinare, quam disposuit. Sic enim primo quae res Mosis legem imbecillam reddidisset efferre debuit (quare verbis in periodi initio locandis τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου haec subjecit ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός); deinde *quo* Deus *loco* Peccatum condemnasset memorandum erat (unde ἐν τῇ σαρκί post κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν adjici debuit); postremo ita Christum divinitus missum esse dicendum erat, ut per eum *Peccatum* ἐν τῇ σαρκί necatum esse homines fateri cogerentur (itaque non suffecerant v. τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας, sed haec addenda erant: ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς Ἁμαρτίας καὶ περὶ Ἁμαρτίας). Non

reputavit haec *Reichius*. Quum igitur structura prorsus legitima sit, male *Win*. gr. p. 207. *Erasm.*, *Lutheri*, *Koppii* aliorumque vestigiis ingressus hunc l. Anacolutho affectum esse putavit. Nam Paulum *τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου — — ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας — κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν* exarasse pro *τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου — ἐποίησεν ὁ θεὸς, πέμψας — καὶ κατακρίνων* etc. (imo *τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου — ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας — ἐποίησε καὶ κατέκρινε τὴν Ἁμ. ἐν τ. σ.*), quod Ap. mente complexus esset perhibuit. Hoc consilium vel propterea repudiandum est, quod *τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου* passive intelligi nequit. Ceterum *Win*. hunc l. cum dissimillimis l. composuit. Rectius ad Thucyd. 3, 39. *τί ἄλλο οὗτοι ἢ ἐπεβούλευσαν — —*; Suet. Aug. c. 83. — mox nihil aliud quam vectabatur et deambulabat — et alia hujus generis l. (v. not. ad Matth. p. 284.), quae et ipsa ab h. l. abhorrent, provocasset. Sed melius sane *Win*. quam *Lutherus* opinatum anacoluthon resolvit, qui quum *ἐποίησεν* ante *ὁ θεός* mente adderet, deinde structuram sic continuaret: *καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τὴν ἁμ. ἐν τ. σ.* locum non enodavit, sed pro arbitrio pervertit. Absurda recentiorum interpretum (nam PP. gr. structurâ non offensi sunt) de grammaticâ hujus l. ratione commenta, v. c. *τὸ ἀδύνατον τ. ν.* positum esse vel pro *κατὰ τὸ ἀδύνατον τ. ν.* (*Flatt.*), vel pro *διὰ τὸ τοῦ νόμου* (imo *τὸν νόμον*) *ἀδύνατον εἶναι* (*Kopp.*), verba fortasse sic struenda esse *ἐν ᾧ γὰρ τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἠσθένει δ. τ. σ.* (*Beza*), cujus modi multa acervavit *Reich*. p. 149., optime tacentur. *ἐν ᾧ ἠσθένει δ. τ. σ.*] *ἐν ᾧ* Graeci de tempore (*quo tempore*) maxime frequentant (Plutarch. de gloriâ Atheniensium c. 8. Joh. 5, 7. Luc. 5, 34.). Sed tempus, quo Mosis lex imbecillis fuerit, tempori, quo jam firma sit, P. opponere non potest, quo auctore Christus homines tenui Mosis lege solverit, non manca Mosis elementa expoliverit (7, 4. 6. Gal. 4, 3. sq.). Quamobrem *ἐν ᾧ* hîc aut *propterea quod*, aut *quatenus* declaret necesse est. Utrumque *ἐν ᾧ* per attractionem, de quâ ad 5, 12. dictum est, significat. Nam quum *ἐν* et *propter* (Plutarch l. l. c. 7. *ἐν τούτοις propter* haec Joh. 16, 30.) et *per* (Thuc. 8, 86. 1 Cor. 4, 4.) et *in* valeat, *ἐν ᾧ* (h. e. *ἐν τούτῳ, ὅτι*) tum *propter hoc quod*, *quoniam* (cf. hebr. בַּאֲשֶׁר Genes. 39, 9. 23. Plat. de rep. p. 455., ubi *ἐν ᾧ* minus apte *quatenus* explices), tum *eo quod*, quod et ipsum ad *quoniam* redit *), tum *in eo, quod*

*) Multa sane l. interpretes inepte hic citarunt, ut *ἐν ᾧ quoniam* valere docerent, Thucyd. 6, 86., quem l. *Win*. gr. p. 370. e Vigero p. 607. ed. 4. attulit, *ἐν ᾧ* non *quoniam* est, sed *quâ re*, wodurch.

h. e. *quatenus* (v. *Bernhardy* Wissensch. Syntax p. 211.) denotare potest. H. l. utrum *ἐν ᾧ quoniam*, an *quatenus* sit constitui vix potest, quum utraque explicatio aeque apta sit. Optime dici: nam in quâ re legis mos. impotentia sita erat, *quoniam* imbecilla erat corporis vitio, — apparet. Nam lex mos. Peccatum interimere non potuit *propterea, quod* ejus vim corpus obtudisset, in quo regiam sellam Peccatus collocasset (7, 14. 18.). Non minus bene haec sententia comparata est: nam in quâ re legis mos. infirmitas posita erat, *quatenus* nihil poterat corporis vitio, —. Divina enim lex, quippe sanctissima (7, 12.), naturâ suâ ad abolendum Peccatum potentissima erat, sed vis corporis a Peccatu obsessi fecit ut Peccatum necare non posset. Itaque non ipsa invalida erat, sed, *quatenus corpus* ejus vim debilitavit, assequi nequivit quod voluit. *Ἠσθένει*, Imperfectum, Ap. posuit, quia de tempore loqueretur quo, quum Deus quod Mosis lex efficere non potuisset novo consilio ad effectum adduxisset, lex mos. pro antiquatâ et quae non vigeret sed aliquando viguisset habenda esset (7, 5. 6.). Temere *Rueck.* *ἠσθένει* enarrat *imbecillior erat*, *quam quae* homines ut Dei praeceptis parerent permoveret [imo quam quae Peccatui necem inferret]. Tu verte *infirma erat.* Nempe ut lex mos. Peccatum neci dederet *firmam* illam esse, non corporis vitio debilem, oportuerat. Hoc P. subindicavit. *διὰ τῆς σαρκός*] *per corpus, vi corporis*, quod quum totum in Peccatus potestate esset Peccatui auxiliatum est impedimentoque fuit, quominus lex mos. Peccatum conficeret eoque potentem se esse ostenderet [7, 14. 18.]. Inconsiderate igitur *Rueck.* et *dW.* rectius Paulum *διὰ τὴν σάρκα propter corpus* scripturum fuisse jecerunt. *ὁ Θεὸς κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν ἐν τ. σ.*] Procul a vero aberrarunt

---

Idem de altero Vigeri l. valet Thuc. 8, 89 [non 88.]. Hebr. 2, 18. structura sic resolvenda est: *ἐν τούτῳ γὰρ δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι, ὃ πέπονθεν, αὐτὸς πειρασθεὶς ἐν αὐτῷ.* Praeterito *πέπονθεν* non offendatur qui tum ad *δύναται* attenderit tum sententiam *generalem* esse animadverterit; Singularis autem *ἐν ᾧ* ei legitimus videatur necesse est, qui scriptoris mentem perceperit. *Quoniam* hîc *ἐν ᾧ* non declarat et multo minus *quatenus.* Totus l. Hebr. 2, 5—18. nondum tantâ, quantam desiderat, subtilitate explicatus est. Hebr. 6, 17. *ἐν ᾧ* ad *ὁ ὅρκος* refer v. 16. h. m.: quo [jurejurando, quod omnem hominibus litem dirimit fidemque iis facit] quum gravius vellet Deus iis, qui promissi participes futuri essent, suae voluntatis immutabilitatem declarare, intercessit jurejurando; ergo *juravit* Deus proterea, quod voluntatis suae immutabilitatem *jurejurando* impensius declarare decreverat. Male *Win.* *ἐν ᾧ* explicuit *quâ in re*, alii non melius *quare.* De 1 Petr. 2, 12. quid sentiendum sit supra ad 2, 1. indicavi.

qui de peccatis Christi supplicio expiatis h. l. agi opinati *τὴν ἁμαρτίαν peccatum patratum*, quod collective de *peccatis* diceretur, enarrarent h. s.: Deus punivit peccata in (Christi) corpore h. e. Christi corpore interfecto. Praeterquam enim quod *puniendi* notionem verbo *κατακρίνω* precario subjecerunt (neque enim 2 Petr. 2,6. *κατακρίνω punire*, sed *damnare* Dativo *poenae* adjecto denotat, cf. Matth. 20,18. et *Lobeck.* ad Phryn. p. 475.) et *ἐν τῇ σαρκί* temere ad *necatum Christi* corpus rettulerunt (v. infra); disputationis Paullinae ratio flagitat, ut *τὴν Ἁμαρτίαν* Peccatum i. e. numen peccatis praepositum, (Malitiam 7,13.) interpretemur (v. *Koelln.*). Nempe illud monstrum ita in Judaeos dominatum fuerat, ut hominibus in suam servitutem redactis certissimam mortem, quâ commissa maleficia punirentur, pareret 7,7—24.. Jam ne homines christ. et ipsi mortis damnarentur, e Peccatus ad peccata, quae morte vindicantur, homines pellicere soliti potestate eripiendi erant. Quod ita factum est, ut lex vitalis spiritus homines christ. a lege Peccatus et quam ille machinaretur Mortis liberaret (v. 2.). In hujus sententiae expositione *ἡ Ἁμαρτία Peccatum* et *Πνεῦμα spiritum div.* designare debet, quum hoc enuntiandum sit, Christum effecisse, ut Peccatus lege abrogatâ divini spiritus lex valeret h. e. ut homines christ. impuritatem, quâ mors contrahatur, ejurent, virtutem, quae vitam aeternam apportet, amplectantur. Praeterea nulla fuit legis mos., quae atrocissimis poenis peccata vindicavit, in puniendis peccatis infirmitas, ne alia adjungam. Potest sane *κατακρίνειν vi privare* notare. Nam ubi qui potentiam sibi temere arrogaverit, ut Satanas Joh. 12,31. 16,11. et Peccatus Rom. c. 7., in jus vocatur (*κρίνεται*) causâque cognitâ quoniam nefas fecerit ab judice condemnatur (*κατακρίνεται*), de potestate, quam proterve exercuerit, deturbatur. Sed h. l. *κατακρίνειν* haud dubie *mortis condemnare* declarat. Primo enim Ap. verbum *κατακρίνειν* studiose delegit, quia v. 1. *κατάκριμα*, quod ibi *damnationem ad mortem* valet, scripserat, hoc acute indicaturus: Deum Peccatum, qui hominibus damnationem ad mortem creavisset, mortis condemnasse. (*Grot.* hoc acumen quaesivit: ipse qui damnatus peccato videbatur [Christus] damnavit peccatum. At Subjectum est *ὁ θεός* totumque l. *Grot.* parum recte explicuit). Deinde rem manifestam reddunt vocc. v. 4. *τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου*, quae cogitationem notioni verbo *κατέκρινε* comprehensae oppositam contineant: *absolutoria, quae vitam spondet, legis mos. sententia.* Priusquam verborum *ἐν τῇ σαρκί* sententiam exquiramus, de vocc. *ὁ θεὸς τ. ἑ. υἱὸν π. ἁ. ὁ. σ. Ἁμ. κ. π. Ἁμ.*, quibus Deum per

Christum ita missum, ut maxime idoneus esset, per quem Peccatus *ἐν τῇ σαρκί* damnaretur, *τὴν Ἁμαρτίαν* supplicio addixisse *ἐν τῇ σαρκί* Ap. significavit, disputandum est. *ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμ. σαρκὸς Ἁμ.*] In his *ὁμοίωμα similitudinem* (1,23. 5,14.) et *σὰρξ Ἁμαρτίας corpus, quod totum in Peccatus potestate est eoque quo visum fuerit ab illo rapitur* (7,17. 18.) denotat h. s.: *Deus misso suo filio* (cf. not. ad v. 15. et 32.), *qui corporis, quod Peccatus possidet, similitudine cinctus esset.* Jam corporis Peccatui obnoxii *similitudinem* in eo positam esse, quod Christus corpore quidem humano, *sed quod Peccatui obnoxium non fuerit* amictus exstiterit recte affirmant *Chrys.*, *Theodoret.* *), *Theophyl.*, *Oec.* et nuper *Rueck.*, *Usterius* l. c. p. 209., *Koelln.*, *dW.* al.. Nam primum quidem hoc verbis inesse potest. Id qui nuper negavit *Reich.* p. 155., quia *σὰρξ ἁμαρτίας* unam quandam notionem contineat, quae verborum *ἐν ὁμοιώματι* regimini subjecta male divellatur, totam rem non satis explicate animo concepit. Apparet enim *rem habere* recte eum dici, qui *rem ipsam qualis sit* possideat, sed *rei similitudinem habere* eum jure contendi, qui aliquid possideat quod rei non prorsus respondeat sed tum simile ei sit tum dissimile. Sic Christus *ἐν σαρκὶ ἁμαρτίας* fuisset, si corpus Peccatui emancipatum habuisset, cujusmodi humanum corpus fuit **); eundem Deus *ἐν ὁμοιώματι σαρκός* (ita ut *corporis similitudinem* possideret) misisset, si vanâ humani corporis specie et umbrâ, ut Docetis visum est, non corpore vere humano circumdatus fuisset; at legavit eum Deus *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς Ἁμαρτίας* (*similitudine corporis Peccatui obnoxii amictum*), quum corpus vere quidem humanum ei circumdedisset, sed quod quoniam hâc unâ re hominum corporibus dissimile fuit, quod Peccatus tyrannidi non subjectum es-

---

*) *Theodoret*: *οὐκ εἶπεν* [*ὁ Παῦλος*] *ἐν ὁμοιώματι σαρκός, ἀλλ' ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας. φύσιν μὲν γὰρ ἀνθρωπείαν ἔλαβεν, ἁμαρτίαν δὲ ἀνθρωπείαν οὐκ ἔλαβε· τούτου δὴ χάριν τὸ ληφθὲν οὐχ ὁμοίωμα σαρκός, ἀλλ' ὁμοίωμα σαρκὸς ἁμαρτίας ἐκάλεσε· τὴν γὰρ αὐτὴν ἔχων φύσιν ἡμῖν τὴν αὐτὴν οὐκ ἔσχεν ἡμῖν γνώμην.* *Oecum.*: *τὸ ἐν ὁμοιώματι οὐ πρὸς τὸ σαρκὸς ὁρᾷ, ἀλλὰ πρὸς τὸ σαρκὸς ἁμαρτίας.* Quod *Usterius* l. c. p. 209. Patres graecos melius ita dicturos fuisse observavit: *οὐκ εἶπεν· ἐν σαρκὶ ἁμαρτίας, ἀλλ' ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας*; non reputavit, illos oblique Docetarum commentum perstringere. Vide *Tertull.* c. Marc. 5, 14. et *Oecumenium* ad h. l..

**) *Ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν σαρκί* P., cui corpus peccatorum sedem esse placuisset (v. not. ad 6, 6.), dicere non potuit propterea, quod sic quoque Christum a peccatorum sordibus non immunem fuisse indicasse videri debuisset.

esset, non nisi *similitudinem humani corporis, quod Peccatui emancipatum esset*, referret. *Homo* Christus exstitisset, si quum inter homines viveret, purus putus homo fuisset; at *hominum similitudine* amictus exstitit (Phil. 2,7. ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων ἐγένετο), quia numen fuit divinum, quod quum nutu suo omnia regere potuisset (Col. 1, 17.) divinâ formâ cum servi hero obnoxii formâ ad tempus commutatâ *hominum similitudinem* rettulit, quum humanum corpus, tanquam vestem, induisset (Phil. 2,6—8.). Quare neque haec P. verba τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς Ἁμαρτίας neque quae Phil. 2,7. leguntur Docetarum opinionem redolent, ut sibi *dW.* persuasit. Ceterum illud *Reichii* argumentum speciosum esset, si ὁμοίωμα h. l. *figuram* Apoc. 9,7. valeret. Sic enim Ap. Christo *corpus Peccatui obediens* tribueret (Deus filio suo misso, cui *corporis Peccatui obnoxii forma* esset), nisi Ἁμαρτίας ad tempus praeteritum pertinere precario diceres: forma corporis, cui Peccatus *usque adhuc* leges dedisset (*Reich.*). Ceterae rationes, quibus *Reich.* explicationem a nobis probatam impugnavit, plumâ leviores sunt. *Prodire* quenquam *in similitudine* posse negavit p. 151.. Credo; sed prodire Christus poterat *in corporis* Peccatui obnoxii, *hominum* etc. *similitudine* h. e. irritabilis hominum corporis, hominum similitudine amictus. Cf. de hoc noto praeverbii ἐν usu Phil. 2,7. Luc. Nigrin. c. 14. — ὅτι παρὰ τὸν νόμον ἐποίησεν, ἐν τοιαύτῃ ἐσθῆτι θεώμενος —. Suet. Claud. c. 17. Crassus Frugi equo phalerato [sequutus] et *in* veste palmatâ —. et *Bernhardy* l. c. p. 209.. Praeterea *inesse* debuisse τὴν Ἁμαρτίαν Christi corpori, ut *ibi necari* posset *Reich.* p. 155. objecit. Verum hoc esset, si ἡ Ἁμαρτία monstrum vitâ praeditum esset, quod Christi corpori inclusum tum necandum fuisset quum Christus supplicio afficeretur.. Verum enim vero et *opinabile* monstrum Peccatus est, et *imaginario* supplicio ἡ Ἁμαρτία exstincta est et Peccatus hâc tantummodo lege *in humano corpore* supplicio addici potuit, ut Christi corpus *non* sibi obnoxium habuisset (v. infra). Deinde initam explicationem illud commendat, quod P. quoque Christum nihil unquam deliquisse censuit v. 2 Cor. 5,21. cl. Hebr. 4,15. 1 Petr. 2,22.. Quare corpus Peccatui non oppigneratum Christo tribuere Apostolo licebat. Postremo, quod verbis ὁ θεὸς κατέκρινε τὴν Ἁμ. ἐν τῇ σαρκί enuntiatum est hâc sententiâ nititur, fuisse Christo corpus humanum, sed in quod Peccatus nihil potuisset (v. infra). *Reichii* expositio: Deus misso suo filio, qui formâ consimili corpori, *in quod Peccatus hactenus saevüsset* (v. supra), indutus esset, np. quum hominum scelera

sua faceret eorum poenas luendo Joh. 1,29., cum *Calvini*, *Grotii*, *Limb.* aliorumque opinione denique congruit, qui Christo ὁμοίωμα σαρκὸς ἁμαρτίας, quia tractatus fuerit quomodo nocentes tractari soleant Jes. 53,12., aut quatenus debitam sceleribus nostris poenam sustinuerit, a P. tribui putant. At quum verbis ὁ θεὸς κατέκρινε τὴν Ἁμ. ἐν τ. σ. de admissis sceleribus, quae Christi supplicio expiata sint, minime agatur, ne nostra quidem voce ad Christi mortem, quâ patratorum scelerum expiatio effecta sit, pertinent. — Recte *Calov.* „Missio, inquit, — [Gal. 4,4.] quum e coelo filius Dei in mundum missus sit, et praeexistentiam ante ἐνσάρκωσιν et ipsam incarnationem ejusdem — involvit —." Nam Paulo judice Christus, qui tanquam minor Deus majoris Dei vice in coelo diu functus fuerat Col. 1,16. sq., Dei sibi praepositi mandatu formâ, quâ in coelestium concilio constitutum esse decuit, ad tempus depositâ, ut Dei cui omnia parerent consilia rata fierent, in terram se demisit humanoque sed quod nullo peccato inquinatum esset corpore amictus ad homines accessit. Phil. 2,6. sq. Gal. 4,4. 2 Cor. 5,21.. καὶ περὶ Ἁμαρτίας] om. 34. 71. saltu facto ab Ἁμαρτίας priore ad Ἁμαρτίας posterius. *Tertulliani* de resurr. carn. 585. A. *et per delinquentiam* et Graecorum ap. *Ruf.* [— „*et de peccato*, vel, ut verius habetur apud Graecos, *et pro peccato damnavit peccatum*"] et *Sedul.* *pro peccato* pravae vulgatae lectionis translationes sunt, non lectiones discrepantes. Perverse enim *Orig.* [*Ruf.*] περὶ ἁμαρτίας de piaculari sacrificio cepit h. m.: καὶ περὶ ἁμαρτίας [scil. θυσίᾳ] κατέκρινε etc. „per — hostiam carnis suae, quae dicitur *pro peccato*, damnavit [Christus: at ὁ θεὸς Subjectum est] peccatum in carne." Καί qui omiserunt non deleverunt quia v. καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τ. Ἁ. ἐ. τ. σ. jungenda opinati ineptam vocem judicassent (*Tholucc.*). Nam et praetermiserunt voculam qui hanc structuram iniissent: ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας περὶ Ἁμαρτίας ἐν ὁμ. σ. Ἁμ. (*Syrus*), neque qui καὶ περὶ Ἁμ. cum v. κατέκρινε τ. Ἁμ. ἐ. τ. σ. copularunt quominus id facerent voce καί deterriti sunt (v. *It.*, *Vulg.*, *Chrys.*, *Oec.*). Imo καί primo excluserunt, ut supervacaneum, qui vocabulis περὶ ἁμαρτίας cum Participio πέμψας consociatis liberius hunc l. converterunt, ut *Syrus*. Hanc lectionem postea eorum nonnulli sequuti sunt, qui περὶ Ἁμαρτίας cum v. κατέκρινε conjunxerunt, ut quae suae opinioni faveret (cf. v. c. *Ambrosiastrum*). καὶ περὶ Ἁμαρτίας] Haec v., quae a Participio πέμψας regi apparet, nihil nisi *et propter Peccatum* valent h. s.: Peccatus Deo *causa* filium suum ad homines legandi fuit. Ex eo enim

quod habita Peccatus ratio Deum ut Christum mitteret moverat, hoc effecit Ap., Deum *Peccatum* Christi operâ supplicio addictum voluisse. Nam si alia potius ratio, quam *ad Peccatum* habitus respectus Deum ut Christum ad homines legaret perpulisset, Deum *Peccatum* Christi interventu supplicio afficere voluisse sine idoneâ causâ crederemus (v. infra). Multis modis in horum explicatione verborum peccatum est. *Theophyl.* — *περὶ ἁμαρτίας*] *τουτέστιν ἕνεκα τοῦ καταγωνίσασθαι τὴν ἁμαρτίαν.* *Oec.*: *περὶ ἁμαρτίας* —] *τουτέστιν ἕνεκα τῆς ἁμαρτίας, τοῦ ἐξᾶραι αὐτὴν καὶ ἐλευθερῶσαι ἡμᾶς ἀπὸ ταύτης.* *Castalio*: pro peccato] *ad delendum peccatum.* Sed neque verbis hoc inest, neque hanc expositionem Pauli disputatio postulat, ut illis visum est (v. supra). Permulti aut post *περὶ ἁμαρτίας* mente adjecerunt *θυσίαν* (*περὶ ἁμαρτίας* scil. *θυσία* quod propter commissum peccatum offertur sacrificium i. e: *sacrificium piaculare*; LXX. Num. 8,8. [hebr. חַטָּאת] Ps. 40,7. [hebr. חֲטָאָה] cl. Lev. 6,30. LXX. Hebr. 10,6. 8. et Philone De animalibus idoneis sacrificio II,240. et 246. ed. *Mang.*) h. r.: Deus misso suo filio qui similitudinem corporis Peccatui obnoxii haberet *et peccata expiaret* — (*Calv.*, *Carpz.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Kopp.* al.), aut quum *καὶ περὶ ἁμαρτίας* vertissent *et propter peccatum* id sic deinceps exposuerunt *et ut patrata facinora oblitteraret eorum poenas sustinendo* (1 Petr. 3,18. *Grot.*, *Heum.*, *Rueck.* al.). Recte *Beza*: — „neque nunc Ap. agit de Christi morte et peccatorum nostrorum expiatione, sed de Christi incarnatione et naturae nostrae corruptione per eam sublatâ." Praeterea hujus l. acumen obtunditur, nisi rem ante pedes positam concesseris, *Ἁμαρτίας* vocabulum ter eadem potestate hoc vs. repetitum *Peccatum* (Malitiam) declarare. Neque ii hunc l. intellexerunt, qui v. *καὶ περὶ ἁμαρτίας* (*et peccati causâ*) *omnia* quae Christus fecisset ut homines a peccato abalienaret complecti sibi persuaserunt h. r.: *et propter peccatum* h. e. ut tolleret peccatum np. *docendo*, *cohortando*, *virtutis exemplum praeeundo*, *denique moriendo* (*Turret.*, *Mor.*, *Winz.* p. 14. al.). Postremo eorum, qui *καὶ περὶ Ἁμαρτίας* cum v. seqq. *κατέκρινε τ. Ἁ. ἐ. τ. σ.* copulaverunt, ratio nullo pacto ferri potest. Nam praeterquam quod *κατακρίνειν τινὰ περί τινος aliquem alicujus sceleris damnare* insolens structura est, quam nullâ urgente necessitate in hunc l. invectam Joh. 16,8. *ἐλέγχειν τινὰ περί τινος* minime firmat, *καί* ineptum est, quomodocunque id enarraveris. Si *pro copulâ* habueris *anacoluthon* agnoscendum est, quo Ap. *καὶ π. Ἁμ. κατέκρινε τ. Ἁμ.* scripserit, quoniam *ἔπεμψεν* pro *πέμψας* exarasse sibi vi-

sus fuerit (nam eorum qui ἐπλήρωσε *post* ὁ θεός suppleverunt consilium vanum esse supra monuimus), quo summae temeritatis crimen in P. confertur (neque enim τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου in eo cerni, *quod Mosis lex Christum mittere nequiverit* [!] recte affirmare potuit); sin καί *vel*, *etiam* interpreteris sententia perditur. Arduam enim et quam Mosis lex efficere non potuisset rem Christi operâ Deum perfecisse, quum Peccatum *vel commissi peccati* damnasset, inepte P. diceret. Nullo enim negotio Peccatum, peccatorum omnium seminatorem, alicujus patrati peccati condemnes. Ad id homines legi mos. subjectos non Peccatus impuritas latuit (7, 13. sq.), sed improbi daemonis vis atque tyrannis eos coercuit (7,24.). Videtur autem *Chrys.* καί *vel*, *etiam* explicuisse: — τοῦτο γὰρ ἐδήλωσεν εἰπὼν περὶ ἁμ. κατέκρινε τ. Ἁμ. ἐ. τ. σ., ὡσανεὶ ἔλεγεν, ὅτι μέγα ἡμαρτηκυῖαν ἤλεγξε καὶ τότε αὐτὴν κατεδίκασεν. *Oec.* — καὶ περὶ ἁμαρτίας κατέκρινε τ. Ἁ., τουτέστιν ὡς ὑπερβαλλόντως ἁμαρτήσασαν —. Totum l. *Chrys.* sic exponit: — Deus suo filio misso, qui similitudine corporis Peccatui oppignerati cinctus esset *vel atrocis peccati* (np. quum Peccatus sanctum Christi corpus, in quod nullum jus habuisset, nefarie occidisset) convictum Peccatum per (Christi) corpus (s. *in* Christi corpore h. e. Christi corpus interficiendo) punivit (scil. quum propter *sanctum* Christi corpus injuste *interfectum* Peccatum quâ potestate ἐν τῇ σαρκί *gavisus* fuerat Christi supplicio privaret mortemque per eum importatam aboleret. In eo autem situm esse τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, quod lex mos. τὴν Ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί κατακρίνειν nequiverit *Chrys.* opinatur. Licenter vero *Chrys.* ἁμαρτίας vocabulo (καὶ περὶ ἁμαρτίας κ.) *atrocis* sceleris vim dedit; precario verbis καὶ περὶ ἁμ. κατ. τ. Ἁμ. hoc inesse sumsit καὶ περὶ ἁμαρτίας ἤλεγξε τὴν Ἁμ. καὶ τότε αὐτὴν κατεδίκασεν; rem ipsam flagitare, ut τὸ ἀδύνατον τ. ν. ad v. κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν, non ad vocabula κατέκρινε τ. Ἁμ. ἐν τῇ σαρκί referantur, non cogitavit (v. supra); postremo, ne plura argumenta afferam, ἐν τῇ σαρκί male de *Christi* corpore intellexit (v. infra). Aliorum, qui καὶ περὶ ἁμαρτίας cum κατέκρινε junxerunt, etiam pejor est interpretatio. Pessime *Lutherus* vertit: — daß that Gott u. sandte seinen Sohn — u. verdammete die Sünde im Fleisch durch Sünde (!). *Bengelius* autem verbis temere sic structis: — ὁ θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν ἐν ὁμοιώματι σ. ἁμ. καὶ περὶ ἁμ. ἐν τῇ σαρκί. hanc sententiam affinxit: — Deus misso suo filio peccatum virtute privavit in carne filii sui verâ eademque sanctâ *et quidem eo nomine, quod peccatum esset* (!),

virtute privavit illud peccatum, *quod* (!) *erat in carne* (*nostrâ*), ut nos liberaremur (!!). κατέκρινε τὴν Ἁμ. ἐν τῇ σαρκί] Vocabula ἐν τῇ σαρκί ita a verbo κατέκρινε pendent, ut ἡ σάρξ non *Christi* corpus sit, sed *corpus humanum*. Acute enim v. ἐν τῇ σαρκί ad vocc. ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός referuntur. Nempe quum Peccatus, ne homines sibi obnoxios redditos ad supplicium daret, supplicio ipse addicendus esset idque lex mos., quatenus *per corpus*, per quod ille suam pestem evomeret, infirme erat, efficere non potuisset, Deus legi mos. Christo misso non aliter succurrere potuit, nisi ut Christi operâ Peccatum *in corpore*, in quo is habitaret et impuritatis suae virus foras projiceret, supplicio afficeret; quà re et Peccatus per corpus saevire solitus periit et corpus spurco incola interfecto vim eam amisit, quâ divinae legi obstiterat. Confirmat hanc interpretationem v. 4., ubi quum P. Christi interventu Peccatum in corpore humano propterea supplicio addictum esse, ut absolutoria legis mos. sententia in Christianis, h. e. iis hominibus, qui *non corporis impetum*, sed divini spiritus ductum sequerentur, eventum haberet scribat, hoc Deum hominibus Peccatu in humano corpore necato per ambages significasse, indicat, impuro corporis habitatore exstincto perniciosam corporis vim sublatam esse, ut jam *a div. spiritu* leges accipiendae sint potius, quam vita ad corporis libidines accommodanda. Quocirca eorum explicatio, qui τὴν Ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί (*Peccatum in corpore positum* 7, 17.) arcte consociarunt (*Beng*., *Rosenm*., *Boehm*. al.) non solum grammaticam legem violat (τὴν Ἁμ. τὴν ἐν τῇ σαρκί s. τὴν ἐν τ. σ. Ἁμαρτίαν scribendum fuerat), sed etiam a P. disputatione remota est. Idem de eorum opinione valet, qui ἐν τῇ σαρκί ad *Christi* corpus rettulerunt, ut aut *per corpus* sc. Christi, aut *in* [Christi] corpore verterent (*Chrys*., *Oec*., *Castalio*, *Grot*., *Reich*. al.). Nam hoc pacto ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ dicendum fuisse *Winzero* p. 15. non concedo. Imo, si hanc explanationem contexta oratio reciperet, plus acuminis ἐν τῇ σαρκί, quam ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ continere contenderem. Ceterum hanc interpretationem ingressi sunt, qui, ut Syr. Mt. 3. (cf. *Oec*.) ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ e manifesto glossemate scripserunt. Nempe haec enarratio idcirco multis probata est, quoniam eâ initâ *quâ* Deus *re* per Christum Peccatum damnasset, nempe sancto Christi corpore interfecto, Ap. *diserte* dixisset. At *qui* Deus Peccatum Christo misso in humano corpore interemisset non ipse Ap. explicuit, sed lectorum sagacitati constituendum relliquit. Ac potest sane Peccatus perfectâ, et ad quam nihil addi posset, Christi

innocentiâ in humano corpore necatus videri. Apte enim P. haec enuntiaret: Deum Christo misso, qui corpus nullo peccato contaminatum haberet et propter Peccatum legatus esset, *per summam Christi sanctitatem* Peccatui imaginariam mortem intulisse, quum hominibus Peccatum pro conclamato habendum esse per ambages ostenderet eosque *Christi exemplo* a τῆς Ἁμαρτίας et τῆς σαρκός tyrannide liberatos tales redderet, in quibus div. spiritum magistrum sequutis absolutoria legis mos. sententia, quae *vitam* sponderet, rata fieret. Sic P. suam mentem verbis ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς Ἁμαρτίας ipse subindicaret. Sed *physicâ Christi morte* Paulo judice Peccatui in suo quod occupasset domicilio imaginariam mortem oblatam esse multo magis credo, et quia moriens aptissimus est, qui *moriendo* rem, cujus exstinctio quacunque de causâ ad eum pertineat, *imaginariâ* morte afficiat, et quoniam alias quoque P. Christi mortem in hanc partem interpretatus est (6, 6. Col. 2, 14), et quoniam tum damnationis ad mortem (v. 1. 3.) tum absolutoriae ejusdemque vitalis legis mos. sententiae (v. 4.) mentio in quovis *mortis a Christo oppetitae* cogitationem excitat et quia si nobiscum feceris acutissima et in quâ ne apex quidem sine summo consilio positus sit sententia oritur (v. infra). Magno consensu recentiores interpretes *) τὸ δικαίωμα *collective* sumtum (2, 15.) de legis mos. *postulatis*, *praeceptis* (1, 32.) ceperunt, verbum autem πληροῦν eam vim habere, quâ in formulâ νόμον πληροῦν 13, 8. pollet, putarunt h. s.: — supplicio addixit Peccatum — hoc fine, *ut legis mos. praeceptis satisfaceremus* (*Heum.*, *Chr. J. Schmid.*, *Mor.*, *Rosenm.*, *Boehm.*, *Jasp.*, *Rueck.*, *Winz.*, *Reich.*, *dW.* al.). Sed neque verba hanc enarrationem recipiunt, neque contexta oratio eam admittit. Primo enim sermonis perspicui-

*) *Chrysost.* hunc l. sic explanat: — punivit Deus Peccatum Christi corpus necando in corpore, ut eâ re legis mos. praecepto, quo morum integritas hominibus injungitur, in nobis (an uns) satisfieret, qui (Christi exemplum imitati decusque ab eo partum tuiti) non ad corporis libidinem, sed ad div. spiritus ductum mores dirigeremus (v. supra et infra). Utrum *Chrys.* vocabulo τὸ *δικαίωμα praecepti integritatem postulantis* significatum affinxerit (v. Theophyl: *τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, τουτέστι τὸ τέλος, ὁ σκοπός (σκοπὸν γὰρ εἶχε τὸ δικαιοῦν τὸν ἄνθρωπον)* — cl. *Theodoreto*), an *τὸ δικαίωμα τ. ν.* ita legis mos. *praeceptum*, *postulatum* (1, 32.) enarraverit, ut id ad vitae integritatem a lege mos. postulatam referret, an *τὸ δικαίωμα τ. ν. recte factum* (5, 18.) *quod lex mos. hominibus imperat* explicuerit idque collective ceperit, certo dici nequit. Sed credo ei quod ultimum attuli placuisse. *Chrysostomi* v. haec sunt: *τί ἐστι τὸ δικαίωμα; τὸ τέλος, ὁ σκοπός, τὸ κατόρθωμα. τί γὰρ ἐκεῖνος ἐβούλετο καὶ τί ποτε ἐπέταττεν; ἀναμάρτητον εἶναι. τοῦτο τοίνυν κατώρθωται νῦν ἡμῖν διὰ Χριστοῦ.*

tas postulavit, ut in l., ubi τὸ δικαίωμα ad *unum* quendam legis mos. locum a lectore facile referri posset, Pluralis τὰ δικαιώματα poneretur. Deinde ut πληροῦν τὸ δικαίωμα τ. ν. (*legis* mos, *praecepta observare*) dici *potuerit*, non ita tamen Judaei graece loquentes dixerunt. Quin potuis haec cogitatio in vetere T. locis innumerabilibus sic effertur: φυλάσσειν (Ex. 15, 26. Deut. 4, 40. al.), φυλάσσεσθαι (Deut. 17, 19. Ez. 20, 19. 21. al.) et ποιεῖν (Ez. 20, 24. 1 Macc. 1, 13. al.) τὰ δικαιώματα τοῦ θεοῦ. Neque aliter P. 2, 26. loquutus est (τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσειν). Tum ambigue, ne dicam inepte, P. scripsisset ἵνα τὸ δικαίωμα τ. ν. πληρωθῇ ἐν ἡμῖν (ut legis mos. praescripta *per nos* observarentur, *Mor.*, *Boehm.*, *Rosenm.*, *Winz.*, *Rueck.* al.), quum plane atque usitate sic loqui potuisset: ἵνα πληρώσωμεν τὸ δικαίωμα τ. ν. s. ἵνα πληρωθῇ ὑφ᾽ ἡμῶν τὸ δικαίωμα τ. ν. Id quum multi explicatores sensissent, verba ἐν ἡμῖν alii aliter, inepte omnes, verterunt. *Carpz.*: ut legis mos. praecepta *inter nos* fierent. At *homines christ.* a lege Peccatus et Mortis liberatos esse, Paulo h. l. declarandum erat (v. 2. ἠλευθέρωσέ με —.). Quamobrem haec sententia lectorum exspectationi minime satisfacit: efficere voluisse Deum, ut *in Christianorum coetu* legis mos. praecepta observarentur. Quin *ab hominibus christ.* hoc fieri Deus voluit. Neque melius *Tholucc.*, *Klee*, *Reich.*: *in nobis* h. e. in nostris animis. Parum est enim pie sentire, nisi mentis pietatem probes pie vivendo. Adde quod homines legi mos. subjecti, qui a Peccatu regerentur, *recte agere* non potuerunt (7, 14. sq.). Hinc supplicio Deum affecisse Peccatum, ut homines christ. legis mos. praeceptis satisfacerent aut *recte agerent* Paulo h. l. dicendum fuisset *). Denique verborum ordo ei, quam impugnamus, explicationi adversatur, quum eâ initâ non *praeceptorum legis*

*) *Calovius* versu 3. hoc affirmari opinatus: *condemnasse* Deum *peccata* (?) in naturâ humanâ a Christo assumtâ, quum is hominum peccata sustinuisset (Joh. 1, 29.), versum 4. sic enarravit: *ut* legis mos. juri, non *a nobis* („ad id enim nimium impotentes sumus"!), sed *in nobis*, quum nimirum Christi obedientia (tum passiva tum activa) nobis imputaretur, *satisfieret*!! (Num Christi innocentia hominibus fidem habentibus *idcirco* imputatur, *quoniam* Christus supplicio suo hominum peccata expiavit, aut passiva Christi obedientia *activae* obedientiae mater est?) Similiter *Olshaus.*, pro suâ profunditate veterum Theologorum nugas, nisi quod plerasque etiam depravatas, recoquere solitus, Paulum vs. 4. morum emendationem non ab ipsis hominibus effici, sed a Deo intus in eorum animis procreari indicare putat. Quare δι᾽ αὐτοῦ ante πληρωθῇ precario supplet h. s.: ut legis mos. postulatis *per Christum in nostris animis* satisfieret (!).

mos. cogitatio, sed *observandi* notio primarium pondus necessario habeat: — supplicium Deus de Peccatu — sumsit, non ut legis mos. *mandata* exsequeremur, sed ut *facesseremus* legis mos. praecepta. Quocirca verba sic ordinanda fuissent: ἵνα πληρώσωμεν τὸ δικαίωμα τ. ν.. Haec argumenta e verbis ducta sunt: addo alia e P. disputatione repetita. Nam si cum illis interpretibus feceris, Ap. versu 3. et 4. τὸν νόμον τοῦ Πνεύματος homines christ. a lege Peccatus et Mortis liberasse ostendit, non sententiam explicat, quae ab eo hîc exponenda est, τὸν νόμον τοῦ Πνεύματος τῆς ζωῆς illud effecisse (v.2.). Accedit quod vs. 5. et 6., quibus *debuisse* τὸ δικαίωμα τ. ν. πληροῦσθαι ἐν ἡμῖν, τοῖς μὴ κ. σ. περιπατοῦσιν, ἀλλὰ κ. Πν. v. 4. probatur, si illis explicatoribus adstipulatus fueris, cum v. 4. non cohaerent. Quibus vitiis declinatis, ut acutissimus Ap. et recte loquatur et subtiliter disputet hunc locum sic interpretor. Πληροῦσθαι *ratum fieri* (3 Reg. 2,27. 2 Par. 36, 21. Luc. 4,21.) denotat, ἐν vernaculo an respondet 1 Cor. 4,6., τὸ δικαίωμα ex usu Paul. peculiari *sententiam absolutoriam* (v. *Koelln.* et not. I, 333 sq.) declarat et vocabula τοῖς μὴ κ. σ. π., ἀλλὰ κ. Πν., quae nonnulli, ut *Winz.* et *dW.*, male neglecto Articulo *si* — *sequeremur* verterunt, hominum christ., quos vere sic appelles *indolem* describunt (v. not. ad v. 1.). Dicit autem Ap. absolutoriam legis mos. sententiam edictum quo *vitam* spopondit Lev. 18,5. Deut. 5,33. Rom. 10,5.. Nempe Paulo damnatio *mortis*, absolutio *vitae* genitrix est (expende Rom. 5,16 — 21. Gal. 3,21.). Legi mos. sententiam *absolutoriam* male tribui, quia Mosis disciplina neque τὴν δικαιοσύνην neque τὴν ζωήν cuiquam impertire potuerit (3,20. Gal. 3,11. 21.) objicere noli. Quamquam enim lex mos. neutram rem *largiri* potuit, tamen *spondere* hominibus tum integritatem tum vitam, aut vitale δικαίωμα iis sub eâ lege, ne div. jura migrarent, proponere potuit; idque fecit Lev. 18,5.. Nunc et τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου loco plane suo collocatum esse, ut quod ad praecedentem sententiam τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου κατέκρινεν ὁ θεὸς διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ τὴν Ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί acute referatur, et totam sententiam optime comparatam esse emergit. Dicit enim P., quum lex mos. Peccatum interimere non potuisset, quippe corporis humani vi debilitata, Deum Christi operâ *supplicio* affecisse Peccatum in corpore humano, ut *absolutoria*, quae vitam sponderet, legis mos. sententia (quae a Deo promulgata eventum habere debuisset) in hominibus christ. rata fieret, qui (fractâ pestiferâ corporis vi, quum impurus corporis inquilinus interfectus esset) pro suâ indole non corporis ap-

petitum, sed div. spiritus ductum sequerentur. Scripsit P. *κατὰ σάρκα* et *κατὰ Πνεῦμα* non adjecto Articulo Fleische, heiligem Geiste nachleben, ut in sententiâ universe enuntiatâ (v. 5. 8. 9. 12. Gal. 3,3. 5,16. 25. al.). *Κατὰ τὴν σάρκα, τὸ Πνεῦμα περιπατεῖν* foret dem Fleische, dem h. Geiste nachleben. Sed quod *Win.* gr. 109. ed. 3., 115. ed. 4. *τὸ ἅγιον Πνεῦμα spiritum div. ipsum, πνεῦμα ἅγιον* Act. 8. 15. 17. 1 Cor. 12,3. et *πνεῦμα θεοῦ* Rom. 8,9. *div. spiritus partem, quam acceperis*, Antheil am h. Geiste, valere contendit et qui *Winerum* sequutus est *Harlessius* ad Eph. 2,22. *τὸ Πνεῦμα naturam div. ipsam, Πνεῦμα div. spiritum quem possideas* aut *divinae aurae particulam, quam intus habeas* declarare asseveravit, minime assentior. Nam quum *τὸ Πνεῦμα* in hominum vere christ. animis sedem suam ponere (1 Cor. 3, 16. Gal. 4,6. Act. 10,44. 47. al.) et diversi generis ornamenta in eos conferre soleat (1 Cor. 12,11.), Lucae verba Act. 8, 17. *καὶ ἐλαμβάνον Πνεῦμα ἅγιον* i. q. *κ. ἐ. τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον* (cf. Act. 10,47.) dicere neque paullinas formulas *Πνεύματι* (*θεοῦ* Rom. 8,14.) *ἄγεσθαι* Gal. 5, 18., *ἐν Πνεύματι* Eph. 2,22. et similes loquutiones nisi ad *ipsum* spiritum s. referendas esse apparet. Haud paucis igitur l. *Πνεῦμα, Πν. ἅγιον*, et *Πν. θ.*, quoniam nominis proprii vim adeptum est (cf. *Διάβολος* Act. 13,10.) sine Articulo de div. spiritu usurpatur. Redde: *nam*, in quâ re legis mos. infirmitas posita erat, quia (quatenus) imbecillis erat corporis (humani) vitio, *damnavit Deus Peccatum*, quum filium suum misisset corporis Peccatui oppignerati similitudine circumdatum eumque Peccatus causâ legasset, *in corpore* (humano), ut absolutoria (quae vitam pararet) legis mos. sententia eventum haberet in nobis, qui non ut corporis libido, sed div. spiritus disciplina postularet vitam institueremus (Pauli et verba et mentem bene exprimas *barbare* transferendo: — in nobis, qui non *corporaliter*, sed *spiritualiter* viveremus). Nunc paullo accuratiorem *sententiarum* enarrationem apponam. Explicanda est Paulo vs. 3. et 4. sententia v. 2. enuntiata, hominibus christ. nullam damnationem ad mortem idcirco impendere (v. 1.) *quia* lex *spiritus vitalis* eos in Christi civitate a lege Peccatus et Mortis liberaverit (v. 2.). Hîc *legem mos.* ab hominibus legem Peccatus et Mortis depellere nequivisse, ne Deus, ut Peccatus et Mortis vim everteret, Christo misso, qui vitalis spiritus legem figeret, sine justâ causâ novas res molitus esse videretur, dicendum erat. Quod ita P. enuntiavit, ut *causam* adderet, cur Mosis lex Peccatus et Mortis legem abrogare non potuisset. Scilicet ut Peccatus et Mortis vis exstingueretur, Peccatus, Mortis parens 5,12., ab-

olendus erat. Hunc vero lex mos. necare nequivit, quoniam (quatenus) *corporis vitio* infirma erat. Nempe Peccatus pro suâ impuritate per vitalia divinae legis praecepta in corpore quod occupasset pravas libidines inflammavit fecitque ut corpus divinis mandatis obstreperet, homines peccarent et sua delicta morte luerent (v. 7,7—24. cl. 5,12sq.. Haec verbis τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει δ. τ. σ. insunt). Quae quum esset rerum conditio Deus legi mos. opitulatus est, quod aliter facere non potuit, nisi ut de Peccatu *in corpore*, quod obtineret, supplicium sumèret, ne corpus turpi inquilino, qui ibi seditionem in Deum concitasset, interemto porro divinae voluntati obniteretur impedimentoque esset, quominus Peccatus opibus concussis *vitâ* homines potirentur. Itaque Deus Christo, qui corporis Peccatui obnoxii *similitudine* circumdatus esset, misso eoque Peccatus causâ legato supplicium de Peccatu sumsit, quum Christum, qui et sanctum corpus haberet et ab se propter Peccatum missus esset necandum curavisset, h. e. Peccatum de principatu dejectum esse per ambages hominibus eo ostendit, quod Christum nullo quod in Peccatus potestate esset corpore cinctum et quem propter Peccatum misisset morti addixit. (Haec verbis v. 3. ὁ θεὸς — — τὴν Ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί continentur). Mittendum autem Christum fuisse ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς Ἁμαρτίας patet. Nam nisi Christus innocentissime vixisset, sed corpus Peccatui oppigneratum habuisset, moriendo *peccatorum ab se patratorum poenam subiisset* (5, 12.) ejusque mortem eo valuisse, ut Peccatus imaginario supplicio afficeretur, temere crederemus. At divinae naturae, quae quum corpus nullis peccatorum sordibus conspurcatum habuerit mori plane non debuerit, interitu Peccatus imaginariae neci dedita recte videri potest. Item Christus *propter Peccatum* (περὶ Ἁμαρτίας) divinitus mittendus erat. Cujus missio nisi *ad Peccatum* pertinuisset, non esset, quod ejus morte *Peccatui necem* illatam esse crederemus. Nam aliam potius rem Deus, quum Christum insontem mori jussisset, videri posset sequutus. Ceterum Deus re, quam lex mos. efficere non potuisset, per Christi mortem perfectâ legi mos. *eo consilio* opitulatus est, ut absolutoria eaque vitalis legis mos. sententia eventum haberet in hominibus christ., qui non ad corporis libidinem, sed ad div. spiritus disciplinam vitam dirigerent (v. 4.). Et quam lex mos. absolutionem vitalem pollicita erat, eam aliquando hominibus dandam fuisse in promtu est. Nam per Mosen *Deus*, cui promissa servanda sunt, rem pollicitus erat. (Hoc verbis ὁ θεὸς — κατέκρινε τὴν Ἁμαρτίαν ἐν τ. σ., ἵνα τὸ δι-

καίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ declaratur). Sed nequivisse absolutionem *vitalem* in hominibus *corpori* emancipatis ratam fieri nemo non intelligit. Corpus enim, quoniam Peccatui servit (7, 18.), *mortem* creat, non vitam parit (8, 6.). Potuit *vitalis* legis mos. absolutio in iis hominibus eventum habere, qui div. spiritum ducem sequerentur. Est enim div. spiritus naturâ vitalis, quum pacem cum Deo coagmentet, non seditionem in Deum conflet (8, 6.). Itaque Deus per Christi, qui et innocentissime vixisset et propter Peccatum legatus esset, mortem imaginariam necem Peccatui obtulit in corpore, ut absolutoria et vitalis legis mos. sententia rata fieret in nobis (hominibus christ.) qui (quum corpori pestilentem vim Peccatu, corporis corruptore, interemto Christi morte per ambages ademtam esse sciremus) non corporis (vi suâ privati) impetum, sed *vitalis* spiritus 8, 6. (qui hominibus Christi beneficio expiatis, tanquam dilectis filiis, a Deo dux adjungitur 8, 14. sq. Gal. 4, 6.) ductum sequeremur. Sic P. sententiam v. 2., quae ei explicanda erat, exposuit: legem *vitalis* spiritus homines christ. a lege Peccatus et Mortis liberasse. Ceterum verba v. 4. *τοῖς μὴ κ. σ. π., ἀ. κ. Πν.* sententiae superstructa sunt, quam nulli dubitationi obnoxiam esse scriptor credidit, mores non posse nisi *aut* ad corporis libidines, *aut* ad div. spiritus praecepta accommodari, ut quum illis valedixeris divini spiritus sis discipulus. — Admodum ingeniosa haec Pauli est de Peccatus vi per Christum fractâ disputatio eaque ad virtutis studium in hominibus christ. et excitandum et alendum accommodata. Et apta sunt intèr se et cohaerentia quae Paulus dixit, si ei tum quae 7, 7 — 24. disputavit tum quae 8, 3. 4. sumsit concesseris. Unus tamen scrupulus residet. Nam quum Deus Paulo auctore per legem mos. Peccatus vim *praeter naturae ordinem legemque* auxerit (7, 13.), quî haec cogitatio, Deum Christo, qui nihil deliquisset et propter Peccatum missus esset, interfecto *tum necem Peccatui intentasse tum corpus, Peccatus domicilium, diruisse* h. e. *neque Peccatus imperia exsequenda esse neque libidinosum corporis impetum sequendum*, hominibus christ. per ambages significasse, *extraordinariam* illam et inexsuperabilem (7, 13 — 24.) Peccatus vim sistere possit, nisi Deus effrenatum Peccatus furorem post legem a Mose latam *miraculo* accensum *novo miraculo* postquam Christus in lucem editus esset sedaverit, quod a Deo factum esse P. non dixit, intelligi plane nequit. Praeterea ea rerum gestarum interpretatio, quâ alias iis res per ambages significatas esse dicas, et ingeniosa et lepida esse potest ejusque, cui jam aliunde de alicujus rei

veritate persuasum sit, animum valde recreare, probandi vim nullam habet, nisi explicationis tuae necessitatem invictis argumentis stabilire potueris. Ut enim in quoque tum mentis celeritas est tum φαντασίας mobilitas, ita nullo negotio unam eandemque rem gestam in diversas partes trahit interpretando. Quamobrem non mirum est, in hoc genere et alia aliis neque uni cuidam homini semper idem placere. Velut Paulo, quamdiu legis mos. admiratione captus tenebatur, Deus *Peccatum Mosis operâ in corpore supplicio addixisse* videri potuisset, quum Mose interprete usus et homines nefaria facinora ausos diris devovisset et atrocia scelera supplicio punienda esse declarasset Deut. 27,15. sq. 18,19. sq. Act. 3,23. Gal. 3,10.. — Dissentientium interpretum opiniones non est quod copiosâ oratione persequar. Aliis enim levitas, aliis cupiditas obstitit, quominus hujus l. sententiam assequerentur. Et possunt a quovis iis refutari quae supra disputavimus. De *Chrysostomi* ejusque pedissequorum sententia jam dictum est. Item eos ne e longinquo quidem Apostoli mentem percepisse, qui eo Deum nos a *peccatis* (?) et morte liberasse, quod Christum *commissa peccata* supplicio suo *expiare* jussisset v. 3. (Christi obedientia *passiva*) et instituisset, ut Christi virtus et pietas nobis qui *fidem* habuissemus imputaretur v. 4. (obedientia Christi *activa*) Paulum h. l. docere opinati sunt, paullo ante monuimus (v. *Calov.*, *Wolf.*, *Carpz.*). Itaque tantummodo nonnulla recentissimorum Theologorum commenta apponam. *Usterius* (Entwickelung u. s. w. p. 208. sqq.) hunc l. sic pervertit: Dei *institutum, quod in vitalis spiritus communicatione cernitur* [*sic*], liberavit me a potestate letiferi Peccatus (v. 2.). Nam quod lex mos. efficere non potuit (*np. ut homines sibi obedientes redderet: sic*), *in quâ re* [*sic*] infirma erat *propter* [*sic*] corpus (in quo peccata habitant et vigent 7,18.), id *fecit Deus* [*sic*], quum filium suum impuri corporis *simulacro* (?) circumdatum *ut patrata ab hominibus peccata expiaret* [*sic*] misisset et morte (quae legitima peccatorum poena est 5, 12.) *peccata* in *Christi* [*sic*] corpore (nam in *corpore*, domicilio suo, peccata punienda fuisse apparet) puniret (v. 3.), ut *per nos* [*sic*] *quoque* [!] *legis mos. postulatis satisfieret* [*sic*], qui (sumus enim eo quod Christus *loco nostro* mortem subiit et ipsi mortui, siquidem fidem Christo habuerimus 2 Cor. 5,14. 15.; moriendo autem culpam peccatis contractam luimus liberatique sumus a Peccatus dominatu 5, 12. 6,7.; et quoniam Christi loco nostro mortui *corpus* interfectum est nostrum quoque corpus exstinctum est licetque nobis a corporis tyrannide liberatis vitam ad *div. spiritus*

nutum conformare; v. p. 212.) non ad corporis libidinem, sed ad div. spiritus ductum mores dirigeremus (v. 4.). Male *Usterius*, ne multa quae in verborum explicatione peccata commisit denuo perstringam, v. 3. τὴν Ἁμαρτίαν i. e. Peccatum, peccatorum principem et inventorem, de *patratis peccatis* cepit: quumque eo, quod Christus hominum peccata expiasset, minime hoc effectum esse, ut excusso τῆς σαρκός jugo κατὰ Πνεῦμα viveremus et legis mos. postulatis satisfaceremus, intellexisset, v. 4. multa ex aliis P. locis partim male intellectis precario supplevit, quae si nullo elemento indicata P. cogitari voluisset, ne Oedipus quidem paullinarum epistolarum satis certus interpres esset: Christi mortem esse *vicariam* 2 Cor. 5, 14. (nempe *expiatoria* Christi mors vicaria est, non quâ Peccatui per ambages interitus denuntiatus est, de quâ P. hic loquitur): quoniam Christi *vicariam* mortem obeuntis *corpus* necatum sit nostrum quoque corpus Christi morte supplicio affectum esse (hoc si verum esset, *ne possent quidem* homines vere christ. peccare aut τῇ σαρκί servire, quod secus est Rom. 8, 12. Gal. 5, 16.); quia Christus nostro loco mortem adierit, morte autem peccatorum poena luatur Peccatusque imperium evertatur Rom. 6, 7. 8., hinc nos quoque eo quod de Christo supplicium sumtum sit tum peccatorum poenam dedisse tum Peccatus tyrannidem destruxisse. Nempe locum Rom. 6, 7. perverse *Usterius* explicuit, Paulum dispares *peccatorum culpae* et *potentatus*, *quem Peccatus exerceret*, notiones ibi confudisse arbitratus (v. I, p. 389.). Persimiles *Rueckerti* p. 334. nugas bene refellit *Koelln.* p. 272.. *Daehnius* autem in l.: Entwickelung des paul. Lehrbegr. p. 138. 143. sq. Christi morte tantummodo σαρκικὰ *infirmitatis peccata* expiata esse Paulum h. l. ostendere perhibet. Locum igitur sic constructum ὁ θεὸς γὰρ κατέκρινε τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου (h. e. *Daehnio* interprete ὃ τοῦ νόμου τῷ σαρκικῷ ἀδύνατον ἦν) ἐν ᾧ ἠσθένει (supplet Subjectum ὁ σαρκικός Matthiaeum Ausf. gr. Gr. p. 590. aliosque antestatus!) διὰ τῆς σαρκός, τὴν ἁμαρτίαν (haec v. vim appositionis ad vocc. τὸ ἀδύνατον τ. ν. ἐν ᾧ ἠ. δ. τ. σ. referendae habere putat!), ἐν τῇ σαρκὶ, τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας — περὶ ἁμαρτίας, ἵνα etc. hoc modo enarrat: nam Deus *punivit quod homo* (libidinosus, ὁ σαρκικός) *legis mos. caput*, in quo infirmus ille erat propter τὴν σάρκα, observare non potuit (! dici autem putat τὸ ἀδύνατον τ. ν. *peccatum infirmitatis* σαρκικόν!!; imo foret τὸ ἀδύνατον τ. ν., si *Daehnii* sententia sana esset, *ejus peccati devitatio*), *tanquam peccatum vere commissum* (!), *in Christi corpore*, *quum Christum corpore amictum* et qui in *corporis emolumen-*

tum (καὶ περὶ Ἁμαρτίας!!) moreretur misisset, ut legis mos. postulatum, (quo *peccati castigatio* flagitatur), *inter* nos ratum fieret, qui etc.!! Non dubitat *Daehnius* p. 144., quin haec nova videlicet impediti loci explanatio eorum gratiam sibi conciliatura sit, qui tum Paulum satis noverint, tum hanc Pauli disputationem perspexerint!!

V. 5. Fulcitur praecedens sententia: *eo* Deum *consilio* Peccatum Christi supplicio in corpore humano interemisse, *ut* absolutoria et *vitalis* legis mos. sententia in iis hominibus rata fieret, qui *non ad corporis libidinem, sed ad div. spiritus disciplinam mores dirigerent* (v. 4.). Ratio, cur *in hujus generis hominibus* vitalis legis mos. sententia eventum habere debuerit, haec est, quod qui corporis ingenium referant *Corporis* rebus studeant, qui div. spiritus indolem redoleant *div. Spiritus* instituta foveant (v. 5.). Quod idoneum argumentum esse *ex eo* apparere P. dicit, *quod* (γάρ v. 6.) *Corpus* ad *mortem*, *div. Spiritus* ad *vitam* tendat (v. 6.). Hinc ne potuisse quidem *vitale* legis mos. decretum v. 4. nisi in hominibus πνευματικοῖς ad effectum adduci nemo non intelligit. *Κατὰ σάρκα* (κ. πνεῦμα) εἶναι *Corporis* (div. spiritus) *indolem referre* i. q. εἶναι σαρκικόν (πνευματικόν) declarat (I, 104.). Differt igitur a κατὰ σάρκα (κ. πν.) περιπατεῖν ad corporis libidinem (ad div. spiritus nutum) *vitam accommodare*. Τὸ κατὰ σάρκα (κ. πν.) εἶναι *causa* est; τὸ κατὰ σ. (κ. πν.) περιπατεῖν *effectus*. Menti enim respondere solent mores. Οἱ γὰρ κατὰ σάρκα ὄντες — οἱ δὲ κατὰ πνεῦμα pro οἱ γὰρ σαρκικοὶ — οἱ δὲ πνευματικοί P. qui agnominationibus valde delectatur, scripsit praecedentium v. τοῖς μὴ κατὰ σ. περιπατοῦσιν, ἀ. κ. πν. invitatu. τὰ τῆς Σαρκὸς φρονοῦσιν] φρονεῖν τά τινος *alicujus res mente complecti, alicujus rebus studere, ab alicujus partibus stare* designat, quae pro eorum, quos sequare, indole et consiliis alias aliae sint necesse est. Illustravit hanc formulam multis exemplis *Wetstenius* ad Matth. 16,23., quam qui h. l. non agnovit *Reichius* neque τὴν Σάρκα hic *personam* fingi reputavit et Substantivo τὸ φρόνημα v. 6. 7. aliâ vi locato deceptus loquutionem τά τινος φρονεῖν cum formulâ φρονεῖν τι Col. 3,2. confudit. Sententia perspicua est. Quemadmodum vir bellicosus Bellonae partes sectatur, sic ὁ σαρκικὸς τῆς Σαρκός, ὁ πνευματικὸς τοῦ Πνεύματος partibus favet.

V. 6. Iteratum γάρ minime secundum quoddam argumentum, quo sententia v. 4. illustretur, infert, ut *Rueck.* opinatur (v. not. ad Matth. p. 283. et *F. V. Fritzsche* Quaest. Luc. p. 183.). Neque enim v. 6. rationem continet ab eâ diversam, quae v. 5. exposita est. Inepte igitur Ap. sic

disputaret: in iis hominibus, qui non ad corporis libidinem, sed ad div. spiritus disciplinam mores accommodarent, *vitale* legis mos. decretum ratum faciendum erat (v. 4.), *tum* quia οἱ σαρκικοὶ τῇ Σαρκί, οἱ πνευματικοὶ τῷ Πνεύματι favent (v. 5. haec nisi versu 6. dilucidari statueris non habent vim argumenti), *tum* quoniam ἡ Σάρξ mortem creat, τὸ Πνεῦμα vitam parit. Quin γάρ v. 6. sententiam vs. 5. firmat eamque recte argumenti, quo vs. 4. stabiliretur, loco allatam esse docet. Vitale legis mos. decretum in iis hominibus, qui non σαρκικῶς, sed πνευματικῶς viverent ratum fieri debuit (v. 4.) idcirco, quoniam οἱ σαρκικοὶ τῆς Σαρκός, οἱ πνευματικοὶ τοῦ Πνεύματος partes sectantur (v. 5.). *Nam* (ut satis firmum hoc argumentum esse neque nisi in τοῖς πνευματικοῖς *vitalem* legis mos. sententiam eventum habere potuisse fatearis) ἡ Σάρξ *mortem*, τὸ Πνεῦμα *vitam* gignit (v. 6.). Particulae γάρ sic repetitae, ut membrum posterius prioris membri rationem contineat exempla habet *Wellauerus* ad Aeschyl. Agam. v. 546.. Adde Eur. Andromache v. 765. — πολλῶν νεῶν γὰρ κἂν γέρων εὔψυχος ᾖ | κρείσσων τί γὰρ δεῖ δειλὸν ὄντ' εὐσωματεῖν; Rom. 8.7. Jac. 2,9 — 11. 4,14. *) Poterat Ap. retentâ prosopopoeiâ sententiam suam sic enuntiare, ut aut τὸ θέλημα poneret pro τὸ φρόνημα, aut orationem in hunc modum conformaret: ἡ γὰρ Σὰρξ θάνατον κατεργάζεται, τὸ δὲ Πνεῦμα ζωὴν παρέχει καὶ εἰρήνην. Sed praegressa v. 5. v. τὰ τῆς Σαρκὸς φρονοῦσιν virum paronomasiae studiosissimum moverunt, ut τῇ Σαρκί et τῷ Πνεύματι φρόνημα (ein Streben, Trachten cf. φρονεῖν τι Col. 3,2. et Thucyd. 5,40.) tribueret. Nempe quoniam iis qui a corporis libidine se regi patiuntur *certissima* mors impendet, ad τῆς Σαρκός, quae *persona* introducitur, *consilium* refertur, quod certo consequuturum est. Fugit haec perspicua res *de Wettium* aliosque. Paronomasiam sic imiter: *vitalis* legis mos. sententia in τοῖς πνευματικοῖς, non τοῖς σαρκικοῖς eventu comprobari debebat (v. 4.) *propterea*, quod οἱ σαρκικοὶ τῆς

*) Nonnunquam etiam sic γάρ iteratur, ut diversae unius sententiae partes deinceps muniantur. Sic Jac. 1, 6. verbis ὁ γὰρ διακρινόμενος — ῥιπιζομένῳ vocabula μηδὲν διακρινόμενος firmantur, vocibus autem v. 7. 8. μὴ γὰρ οἰέσθω — ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ tota sententia v. 6. αἰτείτω δὲ ἐν πίστει μηδὲν διακρινόμενος fulcitur. Item Thucyd. 1, 91, v. ἤδη γὰρ καὶ ἧκον κ. τ. ἑ. ad vocc. καὶ μὴ ἀφεῖναι, πρὶν ἂν αὐτοὶ πάλιν νομισθῶσιν pertinent, sequentes autem voces ἐφοβεῖτο γὰρ κ. τ. ἑ. ad vocc. κελεύων ὡς ἥκιστα ἐπιφανῶς κατασχεῖν spectant. Nihil explicant, qui hâc quovis l. observatione defunguntur, haud raro a Graecis γάρ bis, ter et saepius etiam repeti. Imo quae quovis l. iteratae vocis ratio sit doctus interpres ostendat oportet, grammaticus autem loca in sua genera digerat.

Σαρκός institutis, *οἱ πνευματικοὶ τοῦ Πνεύματος* rebus *student* (v. 5.). *Nam* (ne quem hujus argumenti vis praetereat) Corpus mortem, div. Spiritus vitam et pacem *studio suo* complectitur (v. 6.). *Camerarii*, qui *τὸ φρόνημα superbiam* enarrat, sententia usui loquendi consentanea est, quod male negavit *Reich.* (v. *Schaef.* ad Demosth. I, 547. 745. Polyb. 4,64,8.), sed a P. disputatione remota. Vitiose It. et Vulg. *τὸ φρόνημα* v. 6. *prudentiam* (h. e. *ἡ φρόνησις*, non *τὸ φρόνημα*), v. 7. *sapientiam* verterunt. Quâ translatione confisi nonnulli misologi, quos v. c. *Turretinus* impugnavit, *prudentiam carnis* i. e. naturae humanae peccato contaminatae, *mentem* et *rationem* dici opinati sunt. Non ita visum est Patribus graecis (v. *Reich.* cl. *Suicer.* Thes. eccles. II,938.), qui ne *τῇ σαρκὶ ἴδιον φρόνημα* tribueretur (!v. *Theophyl.*) *τὸ φρόνημα τῆς σαρκός animum corpori deservientem eoque deterioribus inclinatum*, die fleischliche Gesinnung male exposuerunt. *εἰρήνη*] *Pax* h. l. non ea dicitur, quâ fruaris quum a placato Deo hostilia non patiaris (5, 1. *Rueck.*, *Reich.*, *dW.* al.), sed quam ipse cum Deo facias quum sancta ejus praecepta observes (cf. v. 7.). *ζωὴ καὶ εἰρήνη*] *Πρωθύστερον.* Gignit enim pax cum Deo servata vitam sempiternam. Illius figurae exempla suppeditat *Schaef.* Meletem. crit. p. 16.. Adde Eur. El. 969. *πῶς γὰρ κτάνω νιν, ἥ μ' ἔθρεψε κἄτεκεν;* et Cic. D. N. D. II, 48, 124. — a quibus (pulli) *exclusi fotique* sunt, ubi v. *Orellium.* Sed nullo negotio, cur *accurati* scriptores rem, quae priore loco memoranda fuisse videatur, posteriore l. posuerint semper ostendas. Ne P. quidem temere *καὶ εἰρήνη* post v. *ζωή* collocavit. Nempe ut voci *ζωή* prior locus daretur sententia opposita flagitavit (*τ. γ. φ. τ. Σ. θάνατος, τ. δ. φ. τ. Πν. ζωή*). Addidit autem P. v. *καὶ εἰρήνη*, quoniam *quâ re* div. spiritus vitam aeternam pararet, lectoribus *adsignificare* voluit verbis quam paucissimis (contra div. spiritus vitae sempiternae et paci cum Deo faciendae, [aeternae vitae procreatrici] studet i. q. div. spiritus aeternam vitam parit per pacem, cujus cum Deo componendae auctor est scil. obedientiam divinis praeceptis praestandam commendando pietatemque promovendo Gal. 5,22 sq. 6,8.). Suffecerunt haec duo vocabula *καὶ εἰρήνη* lectoribus, qui quo modo div. spiritus pacem cum Deo conciliaret probe scirent. Illud, ne Romani corpori se emanciparent, *paullo accuratius* ostendendum erat, cur Corpus *mortem* studio suo complectatur aut mortem necessario gignat (cf. v. 7. 8.).

V. 7. 8. P. verborum *τὸ δὲ φρόνημα τοῦ Πνεύματος ζωή* ratione vocabulis *καὶ εἰρήνη obiter* redditâ (neque enim

quae

quae v. 10. 11. leguntur eo consilio adjecta sunt, ut illa v. munirentur), verba v. 6. τὸ γὰρ φρόνημα τῆς Σαρκὸς θάνατος hoc argumento confirmat, quod Corporis Studium inimicitias cum Deo gerat, hominibus autem corporis studiosis Deum inimicum esse oporteat. *Illud* primis v. 7. verbis διότι — ἔχθρα εἰς θεόν enuntiatur, quibus deinceps satis munitis (τῷ γ. ν. τ. θ. οὐχ ὑποτάσσεται· οὐδὲ γ. δύναται) *hoc* effertur vocabulis v. 8. οἱ δὲ ἐ. σ. ὄ. θ. ἀ. οὐ δ.. — *Διότι — ἔχθρα εἰς θεόν*] *Corporis Studium mortem parat* v. 6. *Nam* (v. I, 58.) *Corporis Studium inimicitia est in Deum* (sempiternae vitae praebitorem) *versa* h. e. C. St. Deo inimicatur eumque hostiliter invadit. (*ἔχθρα εἰς*] Cf. Thuc. 2, 68. οἱ δὲ Ἀμπρακιῶται τὴν μὲν ἔχθραν ἐς τοὺς Ἀργείους — ἐποιήσαντο —.) Probatur haec vox vocabulis τῷ γ. ν. τ. θ. οὐχ ὑποτάσσεται (scil. τὸ φρόνημα τῆς Σαρκός. Eadem prosopopoeiâ Polybius 4, 64, 8. usus est: καὶ λοιπὸν ἤδη τὸ μὲν Αἰτωλῶν φρόνημα συμπεφευγὸς εἰς τὰς πόλεις ἦγε τὴν ἡσυχίαν.) Carnis Studium *Deo inimicatur. Nam* (teste experientiâ) *Dei praeceptis non paret*, quo modo rebelles cives regis mandata contemnunt. Haec quoque sententia fulcitur. Negat enim P. Corporis Studium per suam *naturam* Dei praeceptis obtemperare posse verbis οὐδὲ γὰρ δύναται *neque enim* Dei legibus obedire potest. Non magis autem hoc, quia suae naturae repugnat, τὸ φρόνημα τῆς Σαρκός facere potest, quam ferrum aerugine obductum micare, mala arbor bonos fructus ferre, meretrix pudicitiae studere Matth. 7, 18. 1 Joh. 3, 9. 1 Cor. 2, 14.. Imperite *Calv.*, *Carpz.* al. verbis οὐδὲ γὰρ δύναται et proximis v. 8. vocabulis hoc doceri putant, hominem irregenitum, lapidi videlicet aut trunco comparandum (v. *Form.* Conc. p. 661. sq. et 673.), suis viribus usum neque Dei legibus obtemperare neque Deo placere posse. Qui praeterquam quod τὴν σάρκα *naturam* humanam eamque *prorsus depravatam* male enarrarunt, quid contexta oratio et Pauli formula posceret non considerarunt. P. ut homines illecebroso corpori addictos *morte* a Deo puniri ostenderet, homines *quamdiu ita animati essent* et Deum non posse non oppugnare neque a Deo diligi posse monuit, non hoc negavit, τὸν σαρκικόν, quum *ipse* voluisset et conditione divinitus oblatâ usus esset, fieri posse πνευματικόν. Neque enim Deus Paulo judice sua beneficia hominibus obtrudit, sed licet iis tum Dei conditionem accipere fidem habendo, tum aspernari fidem denegando. Cf. v. c. *Chrys.*, *Theophyl.*, *Oec.*, *Turretin.* et *Ammon.* V. 8. *Δὲ autem* valet. Adjecit P. hunc vs., ut argumentum verbis v. 7. διότι τὸ φρ. τ. Σ. ἔ. ε. θ. inchoatum obsolveretur. Manca enim Pauli ar-

gumentatio recte videretur versu 8. non adjecto: Corporis Studium mortem apportare ex eo apparet, quod hoc Studium Deum oppugnat. Jure enim aliquis objiceret: negligit Deus illas inimicitias nec par pro pari refert, sed beneficiis ornat homines sibi infestos. Quocirca P. prosopopoeiâ τὸ φρόνημα τ. Σ. omissâ vulgarique oratione repetitâ *homines corpori*, in quo sit peccatorum sedes, *emancipatos* Deo (quippe sancto) placere non posse v. 8. observavit. Sic sententiae v. 6. propositae veritas cuivis pateat necesse est. *Corporis Studium mortem creat* (v.6.). *Nam* Deum infestat ejus voluntati renitendo v. 7. (temere igitur οἱ τὰ σαρκικὰ φρονοῦντες eum sibi vitam daturum esse, quem ipsi hostem sibi sumserint, opinentur): *corpori autem addicti Deo* (numini sanctissimo) *placere nequeunt* v. 8. (quare *mutuae* inimicitiae Deum inter et τοὺς σαρκικοὺς intercedunt et Deum neglectis improborum hominum inimicitiis beneficia vitamque aeternam in rebelles collaturum esse absurde credas). Interpretum, qui hunc l. non intellexerunt, nugas (haud pauci δέ pro οὖν positum esse putarunt, *Beza*, *Calv.*, *Kopp.*, *Jasp.*, *Rueck.*, *Reich.*!) inutiliter referrem. Breviter hunc l. explicui in l.: Ueber die Verdienste Tholucks p. 48. sq.. Loquutio ἐν σαρκὶ εἶναι h. e. aut *in* (*illecebroso*) *corpore totum esse et haerere* (leben u. weben) aut *in* (*impuri*) *corporis potestate esse* (cf. *Herm.* ad Vig. p. 749.), quum et ipsum σαρκικὸν εἶναι valeat, non sensu differt a formulâ κατὰ σάρκα εἶναι v. 5., sed modo, quo res mente concepta est. ἀρέσαι] *placere*, non *placere studere* (*Beng.*, *Rueck.* al.); v. ad 15,2..

V. 9. Jam P. quae tum de morte hominibus corpori emancipatis metuendâ, tum de vitâ hominibus divino spiritui addictis sperandâ *in universum* disputavit v. 1 — 8. per antithesin proximae v. 8. sententiae accommodatam in Romanos transfert. Vos contra Romani, inquit, non in corporis (ut quum Deo displiceatis *mors* vobis impendeat v. 6 — 8.), sed in div. spiritus (ut *vita* vobis proposita sit v. 4. — 6.) potestate estis, *si quidem* div. spiritus (qui nihil nisi vitam spirat v. 6.) fixam in vobis stabilemque sedem collocavit; sin minus, non estis Christi discipuli (qui soli ad mortem non condemnantur v. 1., manet igitur vos mors). Quare Ap. esse Romanos non corpori, sed spiritui sancto addictos, *siquidem* Dei spiritum foveant eo consilio hic commemorat, ut quid illis faciendum sit ut div. spiritus *ornamentis* (vitâ sempiternâ) fruantur neque acerbos corporis *fructus* demetant (h. e. *mortem* degustent), non idcirco, ut quo pacto *vitâ et moribus* non σαρκικοί, sed πνευματικοί futuri sint declaret. Item quod P. posteriore membro ho-

mines divino spiritu destitutos Christi discipulos esse negat: non hoc fine infitias it, ut Romanis, ut homines christ. *recte censeantur*, div. spiritum fovendum esse declaret, sed eo consilio infitiatur, ut ante dictorum v. 1. ratione habitâ hominum christ. *ornamento* (vitâ aeternâ) carere qui quoniam Christi spiritu destituantur non sint Christi assectatores existimandi significet. Quae qui non perspexerit, in hujus l. enarratione non potest non caecutire (cf. v. c. *Rueck.*). Ceterum eos quoque manifesta res fugit, qui (*Flatt.*, *Reich.* al.) Apostolum versu 9. vocabulorum v. 6. *τὸ δὲ φρόνημα τοῦ Πνεύματος ζωή* expositionem versu 10. et 11. afferendam praeparare perhibuerunt. — *εἴπερ*] *quandoquidem* explicant *Chrys.*, *Theophyl.*, *Oec.*, *Suic.* Thes. eccles. I, 1030., *Wolf.*, *Olsh.* al.. Hoc est *εἴγε*, non *εἴπερ*, wenn anders, quod de re ponitur, quae esse sumitur, sed in incerto rellinquitur, utrum jure an injuriâ sumatur, ut v. 17. (v. *Herm.* ad Vig. p. 831. et librum meum: Prâliminarien u. f. w. p. 67. sq.). Ac si unquam *εἴπερ quandoquidem* significaret *) hoc tamen l. eam voculam wenn anders valere interpres paullo subtilior e duabus rebus cognosceret. Nam primum quidem verbis *εἴπερ Πν. Θ. οἰκεῖ ἐν ὑμῖν* rem commemorari, quae utrum recte an perperam sumatur in àmbiguo rellinquatur oppositum membrum docet *εἰ δέ τις Πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει* (— *si quidem* divino spiritui

*) PP. graeci, qui *εἴπερ* apud Paulum *quandoquidem* notare perhibuerunt, partim *nove* sic Apostolum voculam posuisse significarunt, partim ita disputarunt, ut eos parum idoneos particularum graecarum existimatores esse emergat. Illud fecit *Chrys.* ad h. l.: *τὸ εἴπερ τοῦτο πολλαχοῦ οὐκ ἀμφιβάλλων τίθησιν* (ὁ *Παῦλος*), *ἀλλὰ καὶ σφόδρα πιστεύων, καὶ ἀντὶ τοῦ ἐπείπερ, ὡς ὅταν λέγῃ εἴπερ δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλίβουσιν ἡμᾶς θλῖψιν* (2 Thess. 1, 6.) *κτλ.*. (Tu cf. librum meum Prâliminarien u. f. w. l. c.). Hûc *Theodoretus* pertinet, qui quum ad hunc l. *τὸ εἴπερ ἀμφιβολίας εἶναι* bene dixisset, ad 2 Thess. 1, 6. jure *ἐπὶ βεβαιώσεως* positum esse ex eo apparere perhibuit, quod sui aequales rem affirmantes sic recte loquerentur: *εἴπερ τόδε ἀληθές, ὥσπερ οὖν ἀληθές.* Non vidit absurda esse in hâc formulâ verba *ὥσπερ οὖν ἀληθές*, si *εἴπερ quandoquidem* declararet. Idem eorum error est, qui nostram sententiam loco 1 Cor. 8, 5. *καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ — —, ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι πολλοί, ἀλλ'* etc. refelli putarunt. Rem in incerto rellictam deinceps jure sumtam esse bene moneas; sed quod verum esse ipsâ particulâ significaris, id verum esse non est quod posthac putide affirmes. Neque de aliis l., quae cupide afferri solent, v. c. Aristot. Polit. 6, 2. (— *ἓν μὲν οὖν τῆς ἐλευθερίας σημεῖον τοῦτο* [scil. *τὸ ἐν μέρει ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν*] *ὃν τίθενται πάντες οἱ δημοτικοὶ τῆς πολιτείας ὅρον, ἓν δὲ τὸ ζῆν ὡς βούλεταί τις. τοῦτο γὰρ τῆς ἐλευθερίας ἔργον εἶναι φασίν, εἴπερ* [*siquidem*] *τοῦ δούλου ὄντος τὸ ζῆν μὴ ὡς βούλεται.*) recte statuere magni acuminis est.

stabilem in vobis sedem concesseritis; *sin* quis Christi spiritum *non habeat* —). Deinde ut Ap. pietatis et constantiae spem in Romanis posuerit (1,8.), recte tamen εἴπερ πν. ϑ. οἰκεῖ ἐν ὑμῖν scripsit, ut eos de officio relligiose servando tum oblique tum modeste admoneret (*si quidem*, *officii vestri memores*, divino spiritui stabilem in vobis sedem parabitis: v. librum Präliminarien l. c.). οἰκεῖ] *habitat* h. e. *stabile domicilium constituit*; cf. 1 Cor. 3,16. 6,19. 2 Tim. 1,14. Ev. Thomae c. 10.. Similiter Rabbini spiritum s. dicunt שָׁרָה עַל פּ׳ (i. q. שָׁכַן sq. עַל) *incubare alicui*; v. *Schoettg.* ad v. 11.. Datur div. spiritus hominibus qui Christo fidem adjunxerint Gal. 3,2. 14. pietatis magister Gal. 5,22. pulcerrimorumque ornamentorum largitor 1 Cor. 12,4. sq. (v. I,260.), qui hospitaliter exceptus stabile in iis domicilium constituit, impietate, quâ Satanae obsequaris (Eph. 4,30. cl. v. 27.), offensus contumeliaque affectus Hebr. 10,29. ex hospitio discedit. Quamobrem Pauli verbis haec sententia subjecta est: siquidem div. spiritui stabile domicilium in vobis paraveritis. Ceterum τὸ εἶναι ἐν πνεύματι quo P. sensu posuit *ἐκ τοῦ οἰκεῖν τὸ πνεῦμα ἔν τινι consequitur*. Nam neque es πνευματικός neque τῶν πνευματικῶν *ornamenta* in te conferuntur, nisi habitandi, non commorandi, deversorium spiritui s. dederis. — *Πνεῦμα Χριστοῦ* non differre a formulâ *πνεῦμα ϑεοῦ* tum ex eo emergit, quod posterius hujus vs. membrum priori membro opponitur, tum locus Gal. 4,6. [Phil. 1,17.] docet cum Rom. 8,14. sq. collatus. Vocatur autem spiritus s. *Dei spiritus*, quia a Deo hominibus datur Gal. 4,6., *Christi spiritus*, quoniam Christus spiritus s. dotibus largissime instructus erat Joh. 3,34. Matth. 4,1. 12,28. Rom. 1,4. 1 Tim. 3,16. al.. Male *de Wettius* spiritum s. Christi spiritum appellari putat propterea, quod Christus spiritum s. hominibus impertiat. Nam *Deum* hominibus spiritum s. praebere P. docet 1 Cor. 2,12. 6,19. Gal. 4,6. 1 Th. 4,8. quibus locis Tit. 3,6. minime repugnat. Redit enim hujus l. sententia ad sententiam Gal. 3,2. perscriptam, acceptas referre homines christ. Spiritus s. dotes *τῇ πίστει*, cujus auctor Christus exstiterit. Non temere autem P. h. l. *πνεῦμα Χριστοῦ* pro *πνεῦμα ϑεοῦ* posuit, sed ut sententiam *hominem spiritu s. destitutum non esse Christi discipulum* planius et acutius exprimeret. Sin quis, inquit, spiritu, *quo Christus instinctus est*, (quum illum foras exturbaverit) destituitur, is (ut hominis christ. nomen gerat) *non* [*tamen*] *ad Christum pertinet* (v. 3,28. Eur. Heracl. 68. neque, quum τοῖς ἐν Χριστῷ Ἰ. οὐδὲν κατάκριμα metuendum sit, *vitâ* sempiternâ potietur: v. supra).

V. 10. et 11. Neque quonam vinculo hi vss. cum ante dictis cohaereant recte dubitatur et de eo temere disputatur, utrum *vita*, *mors* et *corporum in vitam restitutio* h. l. proprie, an figurate capienda sit. Neutra enim res interpreti paullo erectiori, cujus animus praejudicatâ opinione non occaecatus sit, perplexa videri potest. Perspicuum est enim, h. l. contrarium afferri eorum, quae versu 9. continentur. Ubi quum hominem Christi spiritu destitutum ad Christum pertinere h. e. vitae sempiternae, quod ornamentum in Christi discipulos conferatur, compotem fieri P. negaverit, h. l. contrariam sententiam persequens homines Christi mente praeditos post mortem primum animo, tum etiam corpore victuros esse asseverat. Quare procul a vero aberrarunt qui versu 10. et 11. posteriorem versus sexti partem aut exponi (v. not. ad v. 9.) aut in homines christ. transferri (*dW.*) opinati sunt. Item *vitam*, *mortem* mortaliumque corporum *in vitam revocationem* proprie explicandam esse cum *Beza*, *Calovio*, *Vitringa*, *Turret.*, *Rueckerto*, *Reichio*, *Usterio* l. c. p. 360. al. longe certissimum est. Nam praeterquam quod Pauli de morte physicâ, quae peccando contrahatur, sententia 5,12. sq. hanc interpretationem commendat, disputatio viri et verba ipsa eam unice recipiunt. Legem vitalis spiritus homines christ. *a morte physicâ* liberasse P. contenderat v. 2.. In cujus expositione sententiae quum vitalem legis mos. absolutionem, quae in hominibus corpori emancipatis eventum habere non potuisset, in hominibus div. spiritus praesidio corroboratis ratam faciendam fuisse declarasset v. 4. dictumque eo confirmasset, quod div. spiritus pacem cum Deo servando *vitam* studio suo complecteretur, corpus Deo inimicari solitum *mortem* pararet v. 5—8., tum oratione in lectores conversâ quâ lege in div. spiritus potestate essent h. e. morte liberati vitâ fruerentur v. 2. sqq. ita expromsit, ut homines Christi spiritu destitutos ad Christum pertinere i. e. vitae privilegium, de quo antea disputasset, habere negaret v. 9.. Quae disputatio non fuisset expleta, nisi P. *cujus modi* esset vita per Christum parata et *quo tempore* non solum animos, verum etiam corpora hominum christ. attingeret docuisset. Speciose enim sententiae vs. 2. sqq. propositae hoc obverti potuisset, homines christ. non minus morte absumi, quam Judaeos et gentiles. Docuit igitur illud h. l. Ap. ita, ut antithesi, quae proximam sententiam exciperet, formatâ v. 10. quod ornamentum Christi mente praediti habituri essent enarraret. In hâc expositione *mortem* et *vitam* proprie, ut antea v. 2. sqq., sumendam esse apparet. Praeterea quum singula paene v. hanc interpretationem ful-

ciunt, tum illud eam firmat, quod si v. 11. *ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν* figurate intellexeris et verba temere contorquens et vocabulorum ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν Deum Christi in vitam *physicam* restitutorem facientium nervos elidas. Qui *mortem*, *vitam* et *corporum in vitam restitutionem* figurate enarrarunt (*Piscator*, *Heum.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Boehm.*, *Ammon.*, *Koelln.* al.) et Pauli verba mire perverterunt, neque contextae orationi satisfecerunt (v. infra). Qui mediam viam, quae hîc quoque nulla est, ingressi versui 10. figuratam, undecimo propriam interpretationem adhibuerunt (*Chrys.*, *Theophyl.*, *Grot.*, *Kopp.* al.) orationis perpetuitatem et verba ipsa v. 11. postulare, ut v. 11. de eadem re, de quâ v. 10. exponitur, agi credamus non reputarunt. Nam quam vitam P. animis tantummodo promissam a corporibus v. 10. abjudicavit, eam corporibus quoque, non solum animis, eorum aliquando datum iri monet, in quibus vitalis Dei spiritus domicilium collocaverit v. 11.. Postremo *dW.* vitam, mortem et corporum in vitam revocationem simul moralem simul physicam potestatem habere inepte opinatus eam his vss. sententiam subdidit, quam peritus interpres ex iis elicere nequeat. εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν] *contra si Christi mens vobis insidet.* Quae quum nonnisi veris Christianis sit, quos div. spiritus gubernet, P. loquutio hanc sane sententiam continet; εἰ δὲ πνεῦμα Χριστοῦ (s. θεοῦ) ἐν ὑμῖν —. Pervulgatâ, sed quam *impuram Tholuceius* ad Hebr. p. 448. vocavit (!), metonymiâ *Christus* pro *mente quâ Christus ductus est* h. l. memoratur, ut alias pro verborum contextu *Χριστός* vel *mentem* declarat, quam *Christus postulat* (hûc ea l. pertinent, in quibus Christum in aliquo habitare P. indicat, quum fidem animo conceperit Eph. 3, 17. 2 Cor. 13, 5.), vel *Christi praecepta* (Gal. 4, 19. 2, 20.) denotat, vel *Christi doctrinam* (Phil. 1, 18.) significat. Sic *Euripides* pro *Euripidis tragoediis* (Aristoph. Acharn. v. 484. οὐκ εἶ καταπιὼν Εὐριπίδην;) et sexcenta hujus generis alia communi omnium usu trita sunt. Novitii tenebriones, qui interpretationem a nobis initam *jejunam* esse opinati illis in l. mysticam *ipsius* Christi cum Christianis conjunctionem doceri perhibuerunt, neque quid usus loquendi postularet considerarunt et rem absurdam confinxerunt, quandoquidem *Substantiae* et *Substantiarum qualitates non transeunt* (v. *Reich.*). νεκρόν] Corpus ut certo periturum P. *mortuum* dixit ὑπερβολικῶς. Sic identidem Arrianus Dissert. Epict. 3, 10, 15. — περὶ τὸ σωμάτιον, τὸ οὐκ ἐμόν, τὸ φύσει νεκρόν; 3, 22, 41. πῶς οὖν ἔτι ἀνεμπόδιστον εἶναί τι δύναται τῶν τοῦ σώματος; πῶς δὲ μέγα ἢ ἀξιόλογον τὸ φύσει

νεκρόν, ἡ γῆ, ὁ πηλός; 1,3,3. πολλοὶ μὲν ἐπὶ ταύτην ἀποκλίνουσι τὴν συγγένειαν τὴν ἀτυχῆ καὶ νεκράν, ὀλίγοι δέ τινες ἐπὶ τὴν θείαν καὶ μακαρίαν. Lege antecedentia et adde 1,13,5.. [Licet. hûc referre Genes. 20,3. הִנְּךָ מֵת עַל־הָאִשָּׁה *ecce tu periisti propter mulierculam* —. Vulgo מֵת h. l. ut Participium Praesentis *morientem* notare putant, quod ceteris in locis ut Participium Praeteriti *mortuum* designet.]. Conferri etiam possunt 1 Tim. 5,6. ἡ δὲ σπαταλῶσα ζῶσα τέθνηκε. Eur. Hec. v. 431. τέθνηκ' ἔγωγε πρὶν θανεῖν κακῶν ὕπο. v. 667. ὦ παντάλαινα — δέσποιν', ὄλωλας, οὐκέτ' εἶ, βλέπουσα φῶς, ἄπαις, ἄνανδρος —. et similia l., quorum intellectus oxymoro adjuvatur. Sed minime hûc pertinet Luc. 15,24., ubi νεκρός non vere mortuum, sed eum declarat, quem mortuum esse homines crediderint. H. l. ut νεκρόν scriberetur de animo dicenda postulaverunt τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ δ. δ.. Nam si P. θνητόν posuisset, oppositionem sic formare debuisset: τὸ δὲ πνεῦμα ἀθάνατον δ. δ.. Hoc vero Ap. dicere non potuit propterea, quod non solum proborum verum etiam *improborum* Christianorum animi *immortales* sunt. Vocem νεκρός suâ vi *mortalem*, *morti obnoxium* notare absurdum commentum est, quod hodie non credunt nisi *de Wettii* et quibus ἀπόμουσος *Glassii* philologia magistra fuerit. ' δι' ἁμαρτίαν] *propter peccatum*, *quod commiseris*. Haec v. ad peccata referenda sunt, quae τὴν δικαιοσύνην nondum adeptus, aut nondum Christianus factus patraveris. Et verba opposita διὰ δικαιοσύνην hoc docent, et Pauli formula ostendit. Nam Paulo auctore non ante solemnem Christi reditum mors abolebitur v. 1 Cor. 15,54. sq. cl. v. 26.. Sententia *concessionem* complectitur: corpus, inquit, certe periturum esse neque τὴν δικαιοσύνην eo valere, ut mortem effugias concedendum est. Tum consolationem adjungit in eo positam, quod pii Christiani animus vitâ gaudeat post mortem quia ille integritatem adeptus fuerit. τὸ πνεῦμα] *animus corpori oppositus* Jac. 2,25.. Male Theodoretus: πνεῦμα δὲ ἐνταῦθα τὴν ψυχὴν προςηγόρευσεν [ὁ Παῦλος], ὡς πνευματικὴν ἤδη γεγενημένην, quem nuper *dW.* sequutus est. Quamquam h. l. de hominibus *christ.* agitur, tamen animus a corpore simpliciter hîc distinguendus erat, non animi *qualem Christianus haberet* notio exprimenda. Et redarguunt illos loca Jac. 2,26. 1 Cor. 5,5. cl. 7,34. 2 Cor. 7,1.. Licuisse Paulo, si cum vulgo loqui voluisset, ἡ δὲ ψυχὴ ζωὴ δ. δ. scribere equidem non negaverim (v. not. ad 7,22.). Nam τὴν ψυχὴν animum dici, qui morte non exstinguitur, ex Homero constat. Cf. Act. 20,10. Arrian. Epict. 3,10,14. ἐγγίζειν τῷ διαλυθῆναι τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ

σώματος. Perperam Theophyl., Calv. al. *τὸ πνεῦμα spiritum div.* explicuerunt. ζωή] ζῇ F. G. Arm. Vulg. | ζῶν Mt. e.. Glossemata, quibus vocula ζωή recte, nisi quod justo debilius, exponitur. Majore enim vi abstracto nomine locato aliquem *rem esse*, quam concretâ voce usi aliquem *rei virtutem habere* dicimus propterea, quod illo pacto aliquem non rei indolem redolere, sed totum e re quasi compositum et concretum esse significamus. Sic fortius dicitur τὸ πνεῦμα ζωή (animus *vitâ absolvitur* i. e. *nihil nisi vivit*; parum accurate *Rueck.*: animus vitâ fruitur *plane suâ et quae eripi nequeat*), quam τὸ πνεῦμα ζῇ et 1 Joh. 4, 8. ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστίν (Dei natura amore absolvitur h. e. Deus longe amantissimus est), quam ὁ θεὸς ἀγαπᾷ. Eandem ob causam gravius est λάλημα vocari quam λαλητήν (Soph. Antig. v. 320.) et laudabilius ὠφελίαν nuncupari quam ὠφέλιμον (Eur. Androm. v. 540.). *) *Chrys.*, *Theophyl.*, *Erasmus*, *Calv.*, *Grot.* al. ζωήν *vitae causam*, *fontem*, *semen* (v. not. ad 7, 7.) enarrarunt. Nempe τὸ πνεῦμα *spiritum s.* male interpretati sunt. Poscit enim vs. 11. ratio, ut Ap. *animo vitam* hoc vs. spoponderit (v. supra). διὰ δικαιοσύνην] i. e. *propter divinitus donatam integritatem* (*Beng.*, *Rueck.*, *Reich.* al.), non *propter vitae sanctitatem* (*Er.*, *Grot.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *dW.* al.). Quemadmodum enim peccata mortem pariunt 5, 12., sic flagitiorum quae Christi sacra nondum amplexus feceris venia benigne a Deo data vitam procreat 5, 17, 21.. Est sane homini christ., ut vitâ potiatur, pie vivendum 8, 13. Eph. 5, 5.. Sed ille neque Dei iram avertat neque peccatorum olim patratorum veniam Deo extorqueat morum probitate, quum Deus benevolentiâ adductus non nisi eorum scelera oblivione obruat, qui fidem habuerint Gal. 3, 11.. Imo pia atque honesta vita hominibus christ. agenda est, ut fidei suae, per quam div. munus consequantur, bonitatem declarent (v. 1, 46.). Manet igitur, divinam clementiam integritatemque a Deo benigne hominibus qui fidem habuerint donatam, non pietatem honestatemque τῶν πιστῶν vitae iis et beatitatis causam esse. Neque verba εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν aut rationem, quâ v. 10. cum v. 9. copulatus est, postu-

*) *Carpzovius* in stricturis p. 177., ut hunc l. illustraret, Philonis verba de profug. p. 459. A. (ed. Mang. I, 554.) citavit haec: ὁ δὲ ἀγαθός ἐστιν ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ ζωή, ὁ δὲ κακὸς ὁ θάνατος. At ibi haec scripta leguntur: *Οὐκοῦν, ὦ πάνσαφε, τὸ μὲν ἀγαθὸν καὶ ἡ ἀρετή ἐστιν ἡ ζωή, τὸ δὲ κακὸν καὶ ἡ κακία ὁ θάνατος.* Argumentatur autem Philo ex LXX. Deut. 30, 15. *ἰδοὺ δέδωκα πρὸ προσώπου σου τὴν ζωὴν καὶ τὸν θάνατον, τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακόν.* Oscitanter *Carpzovii* errorem exscripserunt *Koppius*, *Tholuccius ὁ βαθύφρων*, et alii.

lare, ut τὴν δικαιοσύνην *morum sanctitatem* explanemus, largior. Optime enim haec dicuntur: *contra si Christi mens vobis inest*, ut corpus certâ morte consumatur propter commissa peccata (quae usque ad solemnem Christi de coelo reditum morte vindicantur: v. supra), at animus nihil nisi vivit *propter integritatem benigne datam divinitus*. Scilicet τὴν δικαιοσύνην non habent, nisi *sinceri Christiani et quibus Christi mens insit*. Item haec praeclare connexa sunt: Christi spiritu destitutus, *quum nullo vinculo cum Christo conjunctus sit*, *vitae privilegio caret* (v. 9.). Contra si vos, ut Christus, animati estis, corpori quidem utique moriendum est ob peccata, *animus vero nihil praeterquam vivit ob integritatem divinitus datam*. Vita autem, quam piorum Christianorum animis P. h. l. auguratur, beata vita est, quam illi quum primum e corpore egressi fuerint in coelo apud Christum transigent v. 2 Cor. 5,6. sq. cl. 1 Phil. 1,23.. Ceterum improborum Christianorum animos usque ad solemnem mortuorum in vitam restitutionem torpere Paulum existimasse, quum hujus sententiae nulla aliis in l. certa vestigia exstent, ex ejus verbis τὸ δὲ πνεῦμα ζωή male colligas. Quin improborum cujusvis generis hominum animos a corporibus morte diremtos haud dubie in tristem orci partem, quae geenna vocatur, transtulit, ubi tormenta praegustarent, quae eos aliquando sempiterno sufferre oporteret, postquam in vitam reversos Messias judex in tartara conjici jussisset Luc. 16,23. Matth. 25,41.. Quorum quum admodum misera conditio esset, quippe quae aeternis miseriis olim in geennâ exhauriendis praeluderet, eorum vitam *mortem* rectius, quam vitam non nisi iis jure tribuendam, qui in coelum sublati beatum aevum in Christi consortio traducerent, P. et cogitari et vocari censuit. [Cf. etiam quae de formulâ ὁ θάνατος ο δεύτερος I,296. sq. disputata sunt.] Haec si tenueris, neque v. τὸ δὲ πνεῦμα ζωή neque vocc. v. 13. εἰ γὰρ κ. σ. ζ. μέλλετε ἀποθνήσκειν te offendent. — Eorum, qui hunc vs. figurate sumserunt, interpretum, quamquam vehementer inter se ut in loco licenter in alienam sententiam detorto, dissenserunt, duas tamen classes recte distinguas. Partim enim verbis τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι᾽ ἁμαρτίαν incommodi, quo nunc quidem homines christ. afficiantur, concessionem contineri intellexerunt, partim ne hoc quidem e vs. 11. intellecto Apostolum v. 10. duo piorum Christianorum ornamenta afferre opinati sunt. Illuc *Chr. Fr. Schmid.*, *Reichard.*, *Kopp.*, *Koelln.*, *dW.* aliique pertinent. *Schmid.* et *Reichard.*: — *vetus quidem et naturalis homo* (i. e. ὁ παλαιὸς ὑμῶν ἄνθρωπος 6,6., non τὸ σῶμα) mortuus est *propter sua scelera*

[sic], *animus vero novus et regenitus* (h. e. ὁ καινὸς ὑμῶν ἄνθρωπος, non τὸ πνεῦμα) vivit propter sanctitatem per spiritum Christi in animo effectam. *Kopp.*: — corpus sane *mortale miserumque* est propter *vitiositatem* [sic], sed *div. spiritus* [sic] *vitae immortalis beatitatisque* auctor est propter Dei gratiam. Vocabula νεκρός et ζωή aut propriam aut translatam vim habeant necesse est; utramque simul habere nequeunt. Et *miserum* esse pii Christiani corpus permale contendas. Fracta est enim Peccatus tyrannis, quam olim in corpus habuisset, Christi operâ v. 8,2. cl. 7, 24. 25.. *Koellnerus*: si *Christi* spiritus in vobis viget, corpus quidem ad vitam honeste instituendam *infirmum et miserum* est propter Peccatum, inquilinum nondum exturbatum, sed animus *agilis est et felix*, quia integritatem adepti estis; sin *Dei* spiritus stabilem sedem in vobis habet etc.. Falso V. D. hujus l. cohaerentiâ non satis perspectâ *Christi* spiritum v. 10. et spiritum Dei v. 11. ita invicem opponi existimavit, ut in illo minus, in hoc majus hominis christ. decus insit. Deinde ubi vocc. νεκρός et ζωή translate ponuntur, iis semper *aut* inertiae et strenuitatis, *aut* miseriae et felicitatis notiones exprimuntur, nusquam dispares et è diversâ metaphorâ natae miseriae et inertiae notiones temere miscentur. Tum piorum Christianorum corpus neque infirmum neque miserum est (8,2. v. supra). Postremo, ne plura addam, hoc ipsum sic mirum videatur, quod corpus et animum quam homines christ. P. Subjectum facere maluerit: — τὸ μὲν σῶμα νεκροί ἐστε δ. ἁ., τὸ δὲ πν. ζωὴ δ. δ.. *dW.*: — corpus quidem *morti et miseriae* (τὸν θάνατον et τὴν ζωὴν semper apud Paulum mortem et vitam tum proprio tum translato sensu complecti [!] dictu facile est, difficile probatu) *obnoxium* (v. supra) propter *peccandi libidinem* [sic: v. 1,289. sq.], sed animus *vivit et felix est* [sic] propter *virtutem* [sic]. Eorum, qui posteriorem interpretum classem faciunt, plerique δι' ἁμαρτίαν contra usum loquendi aut pro τῇ ἁμαρτίᾳ, quod *Chrys.* et *Theodoret.*, velut in perspicuâ re, Pauli verbis substituunt (*Heum.*), aut pro κατὰ τὴν ἁμαρτίαν (Phot. ap. Oec.: — τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν κατὰ τὴν ἁμαρτίαν· τοῦτο γὰρ δηλοῖ τὸ δι' ἁμαρτίαν: hujusmodi formulis PP. gr. saepe utuntur, quum usum loquendi interpretando oppugnant: v. etiam ibid. *Severianum*; sic *Raphel.* Annot. ex Polyb. et *Boehm.*), aut pro πρὸς τὴν ἁμαρτίαν (*Theophyl.*, *Severian.*) positum esse perhibent h. m.: si Christi mens vobis inest corpus vitam, quae peccato consecretur, nullam habet, animus vitâ gaudet *quod ad virtutem attinet* i. e. quae virtuti dicetur (*Theophyl.*: — spiritus

s. vitalis est, quoniam integritatem consequuti estis: v. supra). *Grot.*: — pravi affectus (h. e. ἡ σάρξ, non τὸ σῶμα) intermortui sunt *propter peccatum* (i. e. *ut peccatum evitetur!*) spiritus div. vitae causa est, quia justitiam in vobis operatur divinam (v. supra).

V. 11. Nexus: si *autem* Dei, qui Jesum vitae reddidit, spiritus in vobis habitat, sperandum est, fore, ut Christi in vitam restitutor quâ vitâ nunc *animi* fruuntur eam mortalibus quoque *corporibus* vestris impertiat. Δέ saepe v. 8 — 10. iteratum h. l. *autem* declarat. Non est τοῦ ἐγείραντος Genitivus appositionis: mens Dei i. e. mens, Deum dico qui — (Reich. Joh. 4,24.), sed hîc quoque τὸ πνεῦμα *spiritum s.* denotat (v. 9.). Sane in eo div. spiritus habitat, in quo Christi mens insit (v. not. ad v. 10.). Sed ut εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰ. ἐ. ν., non εἰ δὲ Χριστὸς ἐν ὑμῖν Ap. scriberet, argumentatio quam initurus erat postulavit. Nam quum non nisi eorum, in quibus div. spiritus habitaret, corpora a Deo qui sibi constare soleret in vitam restitui sumsisset, ita lectorum corporibus vitam reddi, si in illis constantissimi numinis spiritus domicilium constituisset|conclusit. Optime etiam hâc circumloquutione usus est, ut τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν et ὁ ἐγείρας τὸν Χρ. ἐ. ν. diceret (Act. 3,15. 5,30. 13,37. 1 Cor. 6, 14. 2 Cor. 4,14.), non simpliciter τοῦ θεοῦ et ὁ θεός exararet. Nempe *constantiae*, quae in Deo sit, cogitatio, quoniam eâ argumentatio nititur, in lectorum animis excitanda erat (v. infra). Recte autem quod Deus aliquâ ratione motus in uno fecerit, idem in aliis quoque eum, quia secum ipse conveniat, eadem ratione adductum effecturum esse existimes. τὸν Χριστόν] τὸν Ἰησοῦν Mt. b. Harl. * Cyr. Hier. Tertull. de resurr. c. c. 35. Ambrosiast. | τὸν Χριστον Ἰησοῦν A. D. ** 31. 37. 47. 73. It. al. *Lachm.* Χριστὸν [Ἰησοῦν]. At Cdd., quos sequutus est, Articulum continere dicuntur. | Vulg. PP. lat. *Jesum Christum* | C. ἐκ νεκρῶν Ἰησοῦν Χριστόν | τὸν κύριον Mt. c. d. Chrys. | τὸν κύριον ἡμῶν Ἰ. Χρ. Syr. Erp.. Maxime placet τὸν Ἰησοῦν, lectio sane antiqua, quâ P. argumentationem acuerit (praecedit enim Ἰησοῦν). Cf. 1 Thess. 4,14. 15. 2 Cor. 4,10 — 14.. Praeterea minime displicet τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν, quam formulam qui prorsus damnavit *Gersdorfius* Beitr. zur Sprachcharakter. p. 65. sq., eam sic defendi posse, ut Χριστὸς Ἰησοῦς multo usu in unum nomen coaluisse statuas, non cogitavit. Cf. Soph. Philoct. v. 415. ὁ ὑμποιητὸς Σισύφου Λαερτίου et ibi *Herm.*. Neque τὸν Χρ. Ἰ. ex Col. 2,6. sine temeritate expellas. Quid vero, si scribae turbarunt, quia Ap. de industriâ nomina quibus

Christus appellaretur variasset? (1 Th. 4,16.). Quare in re incertâ vulgatam lectionem retinui. Ut Ap. ἐκ νεκρῶν ἐγερεῖ κ. τ. θν. σώματα ὑ. dicere *potuerit* Joh. 3,19., quamquam καὶ ὑμᾶς τοὺς θνητοὺς ἐγερεῖ ἐκ νεκρῶν, quod h. l. inepte scripsisset (v. v. 10.), de vulgari loquendi consuetudine exarandum fuisset, bene tamen lectum est v. ζωοποιήσει (Joh. 5,21. 1 Cor. 15,22.), quo, quum vocis ζωή v. 10. memoriam renovet, argumentatio et adstringatur et acuatur: — animus nihil nisi *vitam* habet (v. 10.). *Dabit* autem Deus *vitam* etiam corporibus vestris — si —. Aliae rationes inanes sunt, quibus ducto Paulo ζωοποιήσει scribendum fuisse interpretes crediderunt. *Theophyl.* post Chrys.: — καὶ ὥςπερ ἐκεῖνον ἤγειρεν, οὕτω καὶ σὲ πάντως ἀναστήσει, μᾶλλον δὲ ζωοποιήσει. Ἀναστήσονται μὲν γὰρ οἱ τὸ πνεῦμα μὴ ἔχοντες, ἀλλ' εἰς κόλασιν, οἱ δὲ τοῦ πνεύματος εἰς ζωήν. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ Ἀπόστολος οὐκ εἶπεν ἀναστήσει τὸ σῶμα, ἀλλὰ ζωοποιήσει —. At ζωοποιήσει post ea quae v. 10. leguntur et propter adjecta v. καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν simplicem *vitae* caducis corporibus olim divinitus concedendae notionem contineat necesse est; vitae *sempiternae* et *beatae* adsignificationem h. l. complecti plane nequit Gal. 3,21.. Sed nimirum haec illos cura ad istam interpretationem detulit, ne P. Deum *improbos* homines in vitam restituturum esse hîc negasse videretur, in quâ Apostolum opinione fuisse *Rueck.* nuper conjectavit. Reviviscent vero Paulo judice non solum pii Christiani, sed etiam impii cujusvis generis homines (Act. 24,15. Rom. 2,5. sq. 16. 14,10. 2 Cor. 5,10. 2 Th. 1,6. sq.) et quidem quo die Christus, ut Dei mandatu solemne judicium exerceat, de coelo revertetur 2 Thess. 1, 7. 10.. Tum rerum ordo hic erit: Christo, ut in terrarum orbem deveniat, magnâ cum pompâ de coelo profecto 1 Th. 4,16. temporis momento, ut par est in re portentosâ et quae hominum captum longe longeque superet, primo Christi potentiâ Phil. 3,21. pii Christiani mortui, hucusque in coelo apud Christum versati (v. not. ad v. 10.), πνευματικοῖς amicti corporibus in terrarum orbe sistentur, deinde probi Christiani, in quorum aetatem Christi reditus inciderit, coelestibus superinduti corporibus sublimes nubibus Christo obviam proficiscentur in aerem 1 Th. 4,16. sq. 1 Cor. 15,23. 49. sq. Phil. 3,21., postremo homines improbi vitae reddentur 2 Th. 1,10.. Ita Christus quum primum angelorum piorumque amicorum comitatu in terrarum orbem advenerit solemne judicium committet, quo nemini non pro morum ratione rependat 2 Thess. 1,7. sq. al.. Ceterum qui h. l. et ad v. 10. dicta tenuerit, ei 1 Cor. 15,23.

24. Phil. 3,20. 2 Th. 1,10. καὶ θαυμασθῆναι ἐν πᾶσι τοῖς πιστεύσασιν [Hebr. 12,22. sq.] aliorumque l. sententia non perplexa erit. Sed Pauli de rebus ultimis doctrinam sane obscuram eamque parum subtiliter ab *Usterio* l. c. p. 354 — 374. expositam accurate explicare h. l. non licet. Illud moneo, minime Paulum verbo ζωοποιήσει impiis hominibus reditum in vitam ademisse. Imo hâc sententiâ Pauli loquutio nititur, homines impios, quoniam in vitam restituti a Messia continuo condemnentur sempiternisque tartarorum cruciatibus committantur h. e. τῷ θανάτῳ τῷ δευτέρῳ, ut seclusi a beatis vereque viventibus hominibus misere vivant (I,296. sq.), tradantur, rectius in *novam mortem* a Messia detrudi, quam in vitam revocari te fingere; non nisi piis hominibus vitam a Messia reddi vere te et existimare et dicere. Doct. *Meyerus* in erudito commentario, cuius h. primum l. rationem ducere mihi licebat, Paulo idcirco ζωοποιήσει, non ἐγερεῖ, locandum fuisse credit, ut generalius v. ζωοποιήσει in *omnes* pios lectores quadraret, quorum nonnullis quo tempore Christus de coelo rediturus esset nondum mortuis immortalia corpora mortalibus corporibus superinduenda esse putasset 1 Cor. 15,51. sq.. Eandem ob causam vocabulum θνητά, quo nonnullos mortis expertes futuros esse indicaret, non νεκρά, quâ voce nullos de lectoribus quo tempore Christus ad homines reverteretur superfuturos esse male declararet Paulo ponendum fuisse V. D. existimat. Non assentior. Scilicet de iis tantummodo P. v. 10. et 11. disputavit, qui mortem obituri essent, nullâ prorsus eorum, quos vivos immortalibus corporibus vestiri oporteret, ratione habitâ. Ac licuisse Paulo νεκρά pro θνητά scribere certum est. Nam voce νεκρά conditionem spectaret, in quâ corpora in vitam restituenda tum, quum in vitam revocarentur, futura essent. Sed haud paullo melius in praesentem corporum, quibus nunc vitâ praeditis mors impenderet, conditionem intuitus *mortalia* corpora vocavit. Etenim quidnam piis lectoribus *adhuc viventibus post mortem* sperandum esset *oratione ad eos conversâ* v. 10. et 11. expromsit. Eur. Heracl. v. 494. — εἰ γὰρ ἕξομεν | κἀκεῖ μερίμνας οἱ θανούμενοι βροτῶν, | οὐκ οἶδ᾽ ὅποι τις τρέψεται. καὶ] om. A. 39. 47. Ar. p. probante *Millio* Prol. §. 1383.. Facile καί, vox plane necessaria, post ζωοποιήσει excidit. Scilicet corporibus quoque, non solum animis piorum Christianorum Deum vitam daturum esse Apostolo enuntiandum est. — Conformatio recepta: διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος. Ita habent Clemens Al. Strom. III, p. 334. ed. Commel. (vulgo addunt Orig. in Matth. XVII,2., quem locum male cita-

tum non inveni; in eodem libro *bis* *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα* affertur; v. infra), Methodius ap. Epiphan. Haer. LXIV. T. I. p. 579. ed. Col. Basilius c. Eunomium l. III. T. I. p. 267. ed. *Garn.*, Homil. de sp. s. II, 584., libro de sp. s. c. 24. III, 48., Athanasius epist. ad Serap. I, 179. ed. Col., Pseudo-Athanas. Testimonia ex s. script. I, 218. Epiphanius Haer. LVII. p. 486., Chrys. Hom. 78. et in 1. ad Cor. Hom. 41. (quo l. e Genitivo *argumentatus*: *ἄρα τοῦ πνεύματος τὸ ζωοποιεῖν*), Ambrosius bis, Augustinus saepe (v. *Sabatier.*) al., Cdd. vetusti catholicorum apud Maximum monachum (v. infra) A. B. 39. 57. 72. 73. 74. Mt. *κ.* al.. Hanc scripturam nuper defendit *dW.*, retinuit *Lachm.*. | *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα* continent Iren. c. Haeres. 5, 10. p. 304. ed. *Massuet.* Tertull. de resurrect. c. 35., Orig. Sel. in Psalmos T. II, p. 534. ed. *De la Rue.*, comment. in Matth. XIV, 3. XVII, 29., comment. in ep. ad Rom. T. IV. p. 584. et 590. 591., Methodius ap. Epiphan. Haer. LXIV. p. 589. et Orig. ibid. p. 536., Chrys., Theodoret., Theophyl., Syr., It., Vulg., Hilar., Ambros., Augustin. (v. Sabatier.) al., Cdd. Macedoniani apud Maximum monachum (v. infra) D. E. F. G. 4. 17. 36. 46. 47. 49. 67. 76. 77. 87. Mt. a. l. al.. Hanc scripturam plurimis probatam (v. c. olim *Grotio* et *Millio* Prol. §. 1021., nuper *Rueckerto*, *Reichio*, *Meyero* aliisque) excudendam curarunt *Erasmus*, *Stephanus*, *Bengelius*, *Matthaeius* ed. maj. et min., *Griesbachius*, *Knappius* al.. Ceterae lectiones (C. *διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτῷ πνεύματος* | 3. ap. *Wetst.* *διὰ τὸ ἐνοικοῦν ἐν αὐτῷ πνεῦμα* | 2. *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτὸ πνεύματος sic*), quum manifestae utriusque, quam supra memoravimus, scripturae depravationes sint, nullum habent momentum. Quum igitur utrum *διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος*, an *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα* P. dederit, quaeratur, priusquam ad explicandam sententiam meam ingrediar, orthodoxi cum Macedonio disputationem, quae in Maximi monachi Dial. III. de s. Trinit. (v. Athanasii Opp. II, 228.) legitur, apponam. Impedimento enim nonnullis fuit, quominus recte de lectionis varietate judicarent: *ΜΑΚΕΔ. Δεῖξον οὖν, ὅτι ὥςπερ ὁ πατὴρ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς καὶ ζωοποιεῖ, ὁμοίως δὲ καὶ ὁ υἱός, οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα ζωοποιεῖ. ΟΡΘ. Λέγει Παῦλος· ὑμεῖς δὲ οὐκέτ᾽ ἐστὲ ἐν σαρκί, εἴπερ* — — — — — — — — *ὁ ἐγείρας Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν. ΜΑΚ. Οὕτως οὐ γέγραπται διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος, ἀλλὰ τὸ ἐνοικοῦν. ΟΡΘ. Ἐὰν δειχθῇ, ὅτι διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος γέγραπται, πείθῃ ὅτι τῆς αὐτῆς ἐστι φύσεως τὸ πνεῦμα*

πατρὶ καὶ υἱῷ; *ΜΑΚ.* Ἐὰν οὖν που ἓν ᾖ δεύτερον ἀντίγραφον εὑρεθῇ ἐσφαλμένον παρ' ὑμῖν, ἐκ τούτου ἔχεις με πεῖσαι; *ΟΡΘ.* Ἔχομεν δεῖξαι, ὅτι ἐν ὅλοις τοῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις [*sic*; v. supra] οὕτω γέγραπται· ἐπεὶ δὲ νομίζεις τοῦτο ἀντιλεγόμενον εἶναι [causae suae bonitati homo ipse diffidit], πληροφορηθῆτι καὶ ἐξ ἄλλης γραφικῆς ἀποδείξεως. *ΜΑΚ.* Εἰπέ, τοῦτο γὰρ ἀντιλέγεται. *ΟΡΘ.* Λέγει ὁ αὐτὸς ὁ ἅγιος Παῦλος· οὐχ ὅτι ἱκανοί ἐσμεν κ. τ. λ. [2 Cor. 3,5. 6.] Ibid. p. 234.. *ΟΡΘ.* — ὑμεῖς γάρ ἐστε οἱ καὶ τὴν πρὸς Ἑβραίους τοῦ ἁγίου Παύλου παραγραφόμενοι καὶ τὴν πρὸς Ῥωμαίους παραχαράττοντες ἐν τῷ λέγειν, οὐ γέγραπται διὰ τ ο ῦ ἐ ν ο ι κ ο ῦ ν τ ο ς π ν ε ύ μ α τ ο ς ἐν ὑμῖν, ἀλλὰ διὰ τ ὸ ἐ ν ο ι κ ο ῦ ν α ὐ τ ο ῦ π ν ε ῦ μ α. A Paulo διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα profectum esse sententiae compositio, Apostoli formula et historia peraeque ostendunt. Nam ultima vs. vocc. eo consilio adjecta esse, ut argumentum verbis εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τ. ἐ. Ἰ. ἐ. ν. οἰκεῖ ἐ. ὑ. comprehensum repetitione ponderosius fieret (v. not. ad 5,17. I,336.. Adde Eur. Androm. 712. — ἡ σ τ ε ῖ ρ ο ς ο ὖ σ α μ ό σ χ ο ς οὐκ ἀνέξεται | τίκτοντας ἄλλους, ο ὐ κ ἔ χ ο υ σ' α ὐ τ ὴ τ έ κ ν α.) apparet. Itaque si διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος Ap. exarasset, διά de *conditione* accipiendum esset, ut v. hunc denique sensum praeberent: Deum mortalia lectorum corpora in vitam restituturum esse, *si* Dei spiritus in lectoribus habitaret. (V. not. I,138.. Adde Hebr. 9,14. — ὃς διὰ πνεύματος αἰωνίου ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ θεῷ — qui quum aeternam mentem (quippe aeternus, ut Melchisedecus cf. 7,16. 3.) haberet victimam se omnis maculae expertem Deo obtulerit.) Sed non rectius illo modo graece loquaris, quam vernacule sic dixeris: — so wird Gott euch eure sterblichen Körper lebendig machen b e i s e i n e m e u c h i n w o h n e n d e n G e i s t e pro — w e g e n s e i n e s e u c h i n w o h n e n d e n G e i s t e s. Contra διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν *propter ejus qui in vobis habitat spiritum* i. q. *quoniam ejus spiritus domicilium in vobis collocavit* unice apta et usitata loquutio est *). Ratio autem, quâ orthodoxi διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος interpretati sunt (faciet Deus, ut corpora vestra — reviviscant divini spiritus in vobis habitantis *operâ*, qui voce suâ et imperio mortua corpora in vitam restituat) absurda est duabus de causis. Nam primum quidem de scriptorum s. sententiâ *Christus* mortuorum revoca-

---

*) Hoc argumento *Rueckerti* et *Usterii* l. c. p. 360. opinio evertitur, qui διά cum Accus. *per* (Joh. 6, 57.) h. l. declarare posse perhibuerunt h. s.: — Christi in vitam restitutor vitae reddet etiam mortalia vestra corpora *per* — spiritum i. e. quum Dei spiritus in vobis habitans idonea vestra corpora fecerit, quae in vitam revocentur.

tor a Deo constitutus est, *non spiritus s.* Joh. 5,28. sq. 2 Cor. 4,14. 1 Th. 4,14.. (Neque judaici magistri, quorum l. *Schoettgenius* ad h. l. p. 528. attulit, spiritum s. mortuorum in vitam restitutorem faciunt, sed nixi l. Ezech. 37, 5. sq. hoc affirmant, spiritum div. eatenus aeternae vitae auctorem fore, quatenus nemo in vitam revocetur aut beatae vitae particeps fiat, nisi qui illo spiritu ducatur). Deinde etiamsi N. T. scriptores spiritui s. hoc munus injunxissent, ut mortuos exsuscitaret, tamen ratio, quâ ultima vs. v. cum primis cohaerent, orthodoxorum explicationem respueret aliamque flagitaret, quam primo loco memoratam et ipsam ferri non posse vidimus. Postremo ipsa historia lectionem *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα* commendabilem reddit. Nam quamquam *διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος* seculo tertio non nunquam exsistit (h. e. in Clem. Al. et Methodio, v. supra), tamen quo tempore lites de divinâ spiritus s. naturâ nondum exortae sunt longe plerique *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα* tenent (*Iren.*, *Tert.*, *Syr.*, *Orig.*; v. supra). Quin etiam quum spiritui s. divinam naturam esse placuisset, orthodoxi praetulerunt illi quidem oblatâ re usi lectionem *διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος* quae suae opinioni faveret alteri scripturae, sed ut neque cupide agerent, neque piae sententiae arcem in hujus l. lectione ab se probatâ positam esse contenderent (*Basil.* et *Athan.* l. c.). Quum enim divinam spiritus s. naturam ex innumerabilibus librorum ss. locis cognosci putassent, tum *τὸ πνεῦμα* non minus quam Deum 1 Tim. 6,13. et Christum Joh. 10,28. posse *ζωοποιεῖν*, 2 Cor. 3,6. et Joh. 6,63. liquido docere opinati sunt. Itaque ne tum quidem, quum divina natura spiritui s. *publice* decreta esset, doctores ecclesiastici scripturam *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα* de haereticâ fraude suspectam habuerunt, sed utramcunque lectionem Codex, quo forte uterentur, contineret, eam sequuti sunt (v. c. Chrys. et Augustin.; v. supra). Unus, nisi fallor, cupide egit Maximus monachus. Quae quum ita sint, *διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος* *vetustum* mendum esse judico (facili autem errore ante *ἐνοικοῦν αὐτοῦ* pro *διὰ τὸ* scribebatur *διὰ τοῦ*, quo facto *ἐνοικοῦντος* et *πνεύματος* non potuit non exarari), neque dubium est, quin iste error multo pauciores Cdd. occupaturus fuisset, nisi *casu* evenisset, ut opinioni, cui Theologi pietatem decrevissent, favere visus esset. Nunc falsa nonnullorum VV. DD. judicia facile convincas. *Mill.* l. c. *διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος* glossema eorum esse putat, qui *διά* cum Accus. h. l. non *propter*, sed *per* (Joh. 6,57.) valere *recte* (!) observarent (v. supra.). *DW.* *διὰ τὸ ἐνοι-*

ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα Macedonianorum correctionem esse opinatur (!!). *Reich.* et *Meyerus* Genitivum catholicorum fraude (quam iis Macedonius apud Maximum exprobret: *Meyer.*) invectum esse lectionemque temere fictam doctoribus, qui ante vixissent, ut Clementi Al., cupide ab iis subditam esse perhibent. At catholicos Genitivum in Accusativi locum fraudulenter substituisse Macedonius apud Maximum non contendit; illud affirmat, inepte illos e paucis Cdd. argumentari iisque corruptis non orthodoxorum malitiâ, sed librariorum incuriâ et festinatione (*παρ᾽ ὑμῖν*, non *παρ᾽ ὑμῶν* dixit; v. supra). Accedit, quod catholici improbum facinus audere vix potuerunt, quin poenas pneumatomachis dandas pertimescerent. Et ut a fraude et scelere non abhorruerint, tamen ne scelus quidem sine ratione committi solet, neque facile reperias, qui cum scelere rem obtinere, quam honeste optatis potiri malit. Atqui locis, qui divinam spiritus s. naturam probarent, se circumfluere, qui spiritum s. et ipsum *ζωοποιεῖν* docerent, se non carere illi existimarunt (v. supra). Itaque male illi quidem vetustum mendum in rem suam converterunt, sed hunc l. ut suae opinioni congrueret non malitiose corruperunt. Ad P. argumentationem revertor, quae his tribus sententiis fulta est: I. quot hominibus Dei spiritus insit, tot hominum corporibus Deum vitam reddere mortuis (cf. ultima vs. v. *διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν* cum primis *εἰ δὲ — τὸ πνεῦμα — οἰκεῖ ἐν ὑμῖν*): II. Christi quoque corpus non aliam ob causam a Deo in vitam revocatum esse, quam quod in illo Dei spiritus habitasset (v. v. 9. cl. 8. 1 Petr. 3, 18.): III. Deum sibi prorsus constare (animum adverte ad logicam rationem, quâ v. *εἰ — οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τ. θν. σ. ὑ.* sibi respondent). Hujusmodi igitur est P. conclusio: *si autem spiritus* ejus *Dei*, qui Jesum a mortuis excitavit, *in vobis habitat* (in vitam enim Deus restituit *quicunque* ejus spiritu ducuntur), qui Christum (div. spiritu praeditum) ab inferis excitavit, vestra quoque (nihil enim Deo constantius est) corpora mortalia in vitam reducet, *quia habitat in vobis ejus spiritus.* Pauli argumentationem ii non intellexerunt, qui Christo in vitam divinitus restituto homines christ. et ipsos vitam recepturos esse Apostolum ex eo collegisse autumarunt, quod virtutis div. specimen in Christo editum ad Christi discipulos pertinuisset (*Calvin.*). Nam hoc pacto argumentatio sic formanda fuisset: *εἰ δὲ τοῦ Χριστοῦ ἐστε ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν ὅτι τοῦ Χριστοῦ ἐστε.* Christum ideo ab inferis excitatum esse, quod div. spiritus in eo ha-

bitasset, Paulo concedendum est. Nam quamquam Christum ut oracula de Messia in vitam revocando in V. T. promulgata ad eventum adducerentur Act. 2,24. sq. 13,34., h. e. ut suo Deus promisso satisfaceret, in vitam Deus restituit, tamen Jesus non fuisset Messias, nisi spiritus div. ei impertitus fuisset (v. I, 11.). Non tamen Pauli argumentatio ejusmodi est, quae vel invito assensionem exprimat. Alia enim divini spiritus ratio in Christo fuit, alia ejus in hominibus christ. ratio est. Nam Christo ut Messiae datus est (*muneris* igitur divinitus in Christum collati rationes *postularunt*, ut div. spiritus dotibus instrueretur; v. supra); homines christ. div. spiritus ornamenta sibi ipsi comparant *fidem habendo*, quum piis tantummodo hominibus detur, h. e. Paulo interprete iis, quorum firma fides fuerit 5,5. 8,2. 4. sq.. Praeterea Christo spiritus s. dotes *sine modo mensurâque* (Suet. Caes. 26.) Deus praebuit Joh. 3,34., hominibus christ. easdem admetitur. Quamobrem haud scio, an haec argumentatio magis ad persuadendum apposita fuisset: si autem Dei spiritus in vobis habitat, corpora quoque vestra Deus in vitam revocabit. Nam div. spiritu praeditus *Dei filius* est (8, 15.): Dei filius *sempiternae vitae particeps* futurus est (8, 17. 2 Cor. 1, 22. Eph. 1, 14.): sempiternae vitae particeps futurus *ab inferis excitetur necesse est*. — Translatam vim verbis ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν subjecerunt *Piscator*, *Estius*, *Lockius*, *Heum.*, *Boehm.*, *Ammon.*, *Koelln.* al.: — qui Christum a mortuis excitavit vitam (virtutem) largietur etiam mortalibus vestris corporibus (i. e. vobis, qui estis mortales! *Heum.*: i. e. vestris, quae peccandi periculo et miseriae exposita sunt corporibus *Koelln.*) —. Quibus quum multa officiant (v. not. ad v. 10.), tum ζωοποιήσει Futurum obstat et θνητά, quod Adjectivum metaphorice non ponitur. 2 Cor. 5, 4. τὸ θνητόν est *mortale corpus*; v. I Cor. 15, 53. 54.. II Cor. 4, 11. — ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ ἡμῶν epitheton θνητῇ aptissimum est et propter v. quae praecedunt ἡμεῖς οἱ ζῶντες et quia quae sit vitae Jesu ratio ac vis non nisi in *mortali* et *fragili* corpore cognoscitur. *DW.* *Calvini* auctoritate fretus hoc interpretationis portentum edidit: — qui Christum ab inferis excitavit *vitam largietur* i. e. et pietatem et vitam dabit etiam mortalibus vestris corporibus *per* ejus, qui in vobis habitat, spiritum (Genitivum probat, quem si *recte* locum explicueris aptiorem esse quam Accusativum facile intelligas!), np. quum spiritus div. sensim sensimque amotis peccatorum sordibus postremo corpora vestra mortalia in immortalia corpora transformabit (1 Cor. 15, 51.). Non de re, quae foris fiat sub

itoque exsistat, qualis mortuorum in vitam revocatio futura *vulgo* putetur, sed de naturae humanae mutatione, quae intus in animo peragatur, Apostolum loqui *dW.* opinatur. Nugae. Nam insigni miraculo futurum esse, ut signo tubâ dato temporis puncto tum Christiani mortui reviviscant, tum qui superstites fuerint probi Christiani immortalibus corporibus amiciantur P. docet 1 Cor. 15,52.. Et si div. spiritus sublatis peccatorum sordibus cuique immortale corpus daret, alii alio tempore, non uno temporis ictu omnes tanto beneficio digni immortalitatis compotes redderentur. Praeterea male *dW.* et ζωοποιήσει simul tralate simul proprie intellexit, et commisit, ut, quum ὁ ἐγείρας τ. Χρ. ἐκ νεκρῶν aliter quam ζωοποιήσει sumsisset, Apostoli argumentatio male vincta esset.

V. 12. Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, ὀφειλέται ἐσμὲν οὐ τῇ Σαρκί, τοῦ κατὰ σάρκα ζῆν. 13. Εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε μέλλετε ἀποθνήσκειν· εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε ζήσεσθε. 14. Ὅσοι γὰρ πνεύματι θεοῦ ἄγονται, οὗτοί εἰσιν υἱοὶ θεοῦ. 15. Οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας πάλιν εἰς φόβον, ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κράζομεν ἀββᾶ, ὁ πατήρ. 16. Αὐτὸ τὸ Πνεῦμα συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν, ὅτι ἐσμὲν τέκνα θεοῦ. 17. Εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι· κληρονόμοι μὲν θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ, εἴπερ συμπάσχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν.

Quum igitur tot tantorumque decorum div. spiritus nobis auctor sit (v. 1—11.), *agite libidinosi corporis studia deponamus* (v. 12)! *Acerbissimos enim ea fructus edunt, contra dulcissimos fert vita div. spiritui consecrata* (v. 13—17).

V. 12. Argumentatur Ap. e toto l., qui antecedit v. 1 — 11., non tantum e vs. 10. et 11. h. r.: *itaque ergo* h. r. quum igitur tot tantisque beneficiis nos Dei spiritus obstrinxerit. Dativus *τῇ Σαρκί personam* exprimit, cui aliquod debitum a nobis persolvendum sit (1, 14.), quo facto P. rem magis illustraturus Genitivum debiti (Matth. 18, 24.) adjicit. Quare Pauli verbis loquutio prorsus legitima subest: *ὀφειλέτης εἰμί τινί τινος sum alicui alicujus rei debitor* i. q. debeo alicui rem. Sic hunc l. exposui ad Matth. p. 844. probante *Winero* p. 301.. Itaque ergo, carissimi, debitores sumus non Libidinoso Corpori, morum dico ad corporis cupiditates dirigendorum. Interpretationem vulgo receptam tenet *Meyerus*: — non sumus debitores voluptario corpori adstricti, *ut* (sc. hâc nobis necessitate im-

positâ) ad corporis libidinem vitam accommodemus. Quae mihi *aspera* ideo videtur, quod structura ὀφειλέτης εἰμί τινί τινος cuique primo loci obtutu se offerat. οὐ τῇ Σαρκί, τ. κ. σ. ζ.] Vulgo Paulum pro animi concitatione orationem non absolvisse, sed facile tamen haec eum vocabula silentio transmisisse: ἀλλὰ τῷ Πνεύματι, τοῦ κατὰ Πνεῦμα ζῆν, e v. 13. intelligi (*Theophyl.*, *Calvin.*, *Beza.*, *Grot.*, *Turret.*, *Beng.*, *Boehm.*, *Rueck.*, *Meyer.* al.) contendunt. Verum se tenere sedem vocis οὐ, et quod Ap. non dixerit οὐκ ὀφειλέται ἐσμὲν τῇ Σαρκί docere putant. At nimis negligentem et obliviosum scriptorem Paulum faciunt videlicet prae animi impetu nonnunquam vix sui potentem (v. I, 210.). Imo quod illi subaudiunt verbis ipsis (οὐ τῇ Σαρκί) inest. Nam quum Paulo auctore, ut saepe monui, *aut* τῇ Σαρκί *aut* τῷ Πνεύματι nobis serviendum sit, apparet, quem Ap. *non* τῇ Σαρκί obligatum esse affirmet, eum τῷ Πνεύματι obstrictum esse istis v. declarare. Eur. Med. v. 773. δέχου δὲ μὴ πρὸς ἡδονὴν (i. q. πρὸς λύπην) λόγους. Magis etiam perspicua res esset, si P. ὀφειλέται ἐσμὲν τῇ οὐ Σαρκί (v. not. ad 10, 19.) scripsisset. *Koppii* interpretationem: *atqui* (!) *nullâ re de nobis bene merita est* σάρξ *nostra* (v. not. ad 1, 14.), *ut ejus voluntati obsequi necesse nobis sit* vel locus voci οὐ datus refellit. Οὐκ ὀφειλέται ἐσμὲν τῇ Σαρκί locandum fuisset.

V. 13. μέλλετε ἀποθνήσκειν] *mors vobis proposita est* scil. quum vitam quidem mortui habituri sitis, sed minime vitalem et quae rectius mortis, quam vitae nomine nuncupetur (v. not. ad v. 10. 11.). Temere *Rueck.* fore, ut homines impii morte exstinguantur neque unquam reviviscant ex his v. collegit. Perperam alii exposuerunt: *miseri* (at cf. 5, 12. 7, 24. 8, 2. sq.) *estis futuri* et ζήσεσθε *felices eritis.* τοῦ σώματος] τῆς σαρκός D. E. F. G. Orig. bis. It. Vulg. Iren. Tert. Cypr. Ambr. Aug. et alii PP. lat.. Hanc lectionem male admirati sunt *Beng.*, *Griesb.*, *Kopp.* al. Manifesta est enim *correctio* eorum, qui propter sententiam oppositam εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε necessario τῆς σαρκός scribendum esse sibi persuasissent. Eadem ratio nonnullos antiquitus movit, ut 1 Joh. 1, 7. μετ' αὐτοῦ in locum verborum μετ' ἀλλήλων substituerent. Sed quamquam non *verba verbis* exacte respondent, bene tamen *sententiarum* oppositio comparata est. Nam πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦν *divini spiritus vi mala corporis* (illecebrosi cf. 6, 6. 7, 24.) *facinora exstinguere*, durch die Kraft des göttlichen Geistes die Streiche, Ränke des Körpers ertödten, sententiâ loquutioni πνεύματι τὴν σάρκα θανατοῦν (σταυροῦν Gal. 5, 24.) *divini spiritus vi libidinosum*

corpus perimere convenit. Licebat autem Apostolo verba variare, si cavisset, ne quid detrimenti sententiae acciperent. Male Schol. Matth. *τὰς πράξεις*] *τὰς πονηρὰς δηλονότι.* Bene Theodoretus: — *τὰς πράξεις τοῦ σώματος, τουτέστι τὸ φρόνημα τῆς σαρκός, τὰ τῶν παθημάτων σκιρτήματα.* Qui recte vidit *τῆς πράξεως* vocabulum h. l. in malam partem dici, ut sit *improbum facinus*, *clandestinum scelus*, *machinatio*, *dolus*, *fraus*. Sic haud raro in Polybio legitur v. c. 4, 8, 3. sq. 5, 96, 4. 1, 21, 5. et Act. 19, 18. Col. 3, 9. Cf. *Reiskium* in *Schaeferi* Apparatu ad Demosth. II, 48. et verbum *πραξικοπεῖν*. *Reichius* Paulum, ut *τοῦ σώματος* quam *τῆς σαρκός* scribere mallet, verbis *τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν* v. 11. adductum esse credit; *Meyerus* autem Apostolum verbis *εἰ δὲ πν. τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε* vocabulorum v. 10. *τὸ μὲν σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν* memoriam redintegrare voluisse censet. At. v. 10. et 11. Ap. quae piorum hominum corpora sors post mortem maneret simpliciter exposuit, non, ut h. l., corpus pro hominis parte commemoravit, quae peccatorum incitamenta contineret (v. not. ad 6, 6.). Neque enim v. 10. corpori mortem minitatus est, quod hominem in peccata pellexisset, sed corpori propter commissa peccata, quae *morte physicâ* Deus vindicaret, temporariam mortem impendere contendit. Formulam *τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦν* *Schoettgenius* p. 529. illustravit loco Jalkut chadasch f. 80, 4. *Deus mactaturus* est *concupiscentiam pravam*, *quae est Sammael*, *princeps Edom. Non quidem Deus S. B. ipse mactabit illum*, *sed crinibus capitis apprehendet et Elias mactabit.* Sed h. l. loquutio שחוט את יצר הרע mitigatur expositione, quâ יצר הרע ad Sammaelem, pravae libidinis auctorem, refertur. *ζήσεσθε*]. *vivetis* np. primo animis coelo recepti, tum etiam in terrarum orbe, corporibus vestris in vitam restitutis (v. v. 10. et 11.). Acutas antitheses nemo non animadvertat: *libidinosum corpus* foventibus *mors* proposita est; divini spiritus vi *fraudulenta corporis facinora* (sunt enim blandissimae dominae corporis voluptates, quae cupiditatum lenociniis nos circumveniant) exstinguentes *vivent.*

V. 14. Munitur sententia verbis v. 13. *εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε ζήσεσθε* declarata h. r.: — sin *divini spiritus vi* improba corporis consilia perimetis, vivetis. Nam quicunque *a divino spiritu regi se patiuntur* (v. 12.), *hi* sunt Dei filii. Quod ut idoneum argumentum esse intelligas, Paulum non nisi Dei filiis vitae aeternae tanquam divinae hereditatis spem facere memento (v. v. 17. Gal. 4, 7. et librum meum Ueber die

Verdienste Tholuck's p. 65.). In loqnutione *υἱοὶ θεοῦ* h. l. hominum Deo prae ceteris carorum ac proinde beneficiis ab eo cumulandorum notio (Gal. 4, 6. 7.), non, ut alias (Matth. 5,45.), similitudo cum Deo spectatur, quam ii referant, qui Dei filii vocentur (v. librum m. Ueber die Verdienste Tholuck's p. 129 sq.). Quod P. filiorum Dei jura *fide* comparari affirmavit Gal. 3, 26., id cum sententiâ h. l. dictâ bene conspirat. Est enim div. spiritus eorum hominum ornamentum, qui *fidem* Christo adjunxerint Joh. 7, 39.. Formulam *πνεύματι ἄγεσθαι* (Gal. 5, 18.) *a spiritu divino duci* nonnullis exemplis illustravit *Kypkius* Observ. s. II, 172. sq. *οὗτοί εἰσιν υἱοὶ θεοῦ*] B. F. G. Syr. Or. c. Cels. IV, 95. Didym., Boern., Hilar. Aug. Ruf. Ambrosiast. *υἱοί εἰσι θεοῦ,* quod dedit *Lachm.* | A. C. D. 39. 47. 80. Vulg. ms., Clar., Germ., Or. semel, Damasc., Cassiod., Gaudent. *υἱοὶ θεοῦ εἰσιν.* Hoc, quia *υἱοὶ ob emphasin praeponatur* (!), probavit *Bengelius.* Vulgata genuina est. Nam et sententia argumento fulcienda v. 13. *εἰ δὲ πνεύματι τ. πρ. τ. σ. θ. ζ.* (nam possunt etiam *φόβῳ αἱ πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦσθαι* cf. v. 15.), et versus conformatio *ὅσοι γὰρ πνεύματι θεοῦ ἄγονται, οὗτοι* — (cf. 7, 10.) et locus similis Gal. 3, 7. pondus in voce *οὗτοι* positum esse ostendunt h. s.: nam qui a divino *spiritu* reguntur, *hi* (non Judaei filiorum Dei jura sibi vindicantes quum divino spiritu destituantur Joh. 7,39. v. *Theodoret.* ad h. l. et Deut. 14, 1. Rom. 9, 4. cl. 9,6. et Gal. 3,7.) sunt Dei filii. Lectiones *Bengelio* et *Lachmanno* probatae primarium pondus in vocem *υἱοί* conjiciunt. At temere Ap. sic disputaret: — sin *divini spiritus vi* improba corporis facinora exstinguetis, vivetis. Quicunque enim *a divino spiritu* reguntur, hi *filii* sunt Dei (Dei sunt). Praeterea in *Bengelii* lectione *εἰσὶν* recte displicet in sententiae finem rejectum.

V. 15. Sententiam vs. 14. propositam Ap. *exemplo lectorum*, *qui haud dubie Dei filii sint*, corroborat h. m.: quoscunque *Dei spiritus regat,* eos *Dei filios* esse (v. 14.), documento *vos* estis (genuini, nisi fallor, Christiani ac proinde Dei filii), qui non spiritum, quo servi ducuntur, sed ejusmodi spiritum a Deo acceperitis, qui *filiorum est adoptatorum* (v. 15.). *δουλείας*] 71. *δειλίας* (quod olim *P. Junius* h. l. et Hebr. 2, 15. temere conjecit). Est calami error (v. 2 Tim. 1, 7. varr. lect.), non correctio ex 2 Tim. 1, 7. facta. *πνεῦμα δουλείας*] *spiritus, qualis servitutis* i. e. *servorum est* i. q. malus daemon, qualis servos regit. *πνεῦμα υἱοθεσίας*] *spiritus qualis adoptionis* h. e. *adoptatorum* est i. q. *genius, qualis homines in filios adoptatos gubernat.* Hanc explicationem P. argumentatio poscit. Nam quicunque a

Dei spiritu regantur, hos Dei filios esse ex eo vult intelligi, quod Romani (homines procul dubio in Dei filiis numerandi) non quo servi sed quo *in filios adoptati* utantur *spiritum* acceperint. Hoc igitur fundamento Ap. disputatio nititur, accepisse Romanos a Deo *spiritum in filios adoptatis proprium*. Jam quum v. πνεῦμα υἱοθεσίας, ἐν ᾧ κρ. ἀββᾶ, ὁ πατήρ *divini spiritus*, qui nos tum genuinos Christianos, tum Dei filios sistit, h. e. *numinis cuiusdam divinioris*, descriptionem contineant, verba opposita οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας, quibus cujus modi *non sit* spiritus Romanis datus P. exponit, et ipsa (imaginarii) *numinis* mentionem complectantur necesse est. Quare *Grotii*, *Iasp.* al. explicationem: πνεῦμα δουλείας *affectum*, *sensum servorum i. e. servilem* (Gal. 6, 1.) vocc. ex adverso posita πνεῦμα υἱοθεσίας non admittunt. *Rueckerti* autem, *Koellneri*, *dW.*, *Meyeri* al. expositio *spiritus*, *servitutem*, *adoptionem in filios afferens* Apostoli argumentationem evertit, quae ut recte decurrat, opus est, ut Romanis spiritus datus sit, quo ducti *filii sint* a Deo adoptati, non aliquando reddantur. Animum adverte ad v. ὅσοι γ. πν. θ. ἄ., οὗτοί εἰσιν υἱοὶ θεοῦ. οὐ γάρ etc. — πάλιν εἰς φόβον] πάλιν om. 17. 39. (probante *Millio* Prol. §. 1490.) per calami errorem. Quodsi tamen *consulto* vocula extrusa est, haec cura scribas sollicitaverat, ne Romani a magistris, qui eos in doctrinâ christ. *primi* instituissent, πνεῦμα δουλείας accepisse dicerentur. Male *Mill.* l. c.: „quod [πάλιν] interjectum videtur, ne alias haud recte diceretur, ecclesiam, *quae jam Romae ex Judaeis maximam partem constabat*, haud accepisse spiritum servitutis, *sive legem mosaicam.*" Nimis enim perspicuum est, v. οὐ γὰρ ἐλάβετε - ἀλλ' ἐλάβετε sic sumenda esse: non enim accepistis — sed accepistis scil. *Christi alumni facti.* εἰς de *consilio* cape: non enim accepistis spiritum servitutis *rursus in metum* h. e., *ut rursus vobis metum incuteret.* Cf. Hom. Il. ο'.310. — [αἰγίδα θοῦριν] — ἥν ἄρα χαλκεύς | Ἥφαιστος Διῒ δῶκε φορήμεναι ἐς φόβον ἀνδρῶν. Soph. Philoct. v. III. ὅταν τι δρᾷς ἐς κέρδος, οὐκ ὀκνεῖν πρέπει. et quae collegit *Matthiaeus*, Ausf. gr. Gr. p. 1145.. Si *Luthero* assensus εἰς ad *eventum* (v. *Matthiaeum* l. l.) referre malueris, sententiae summa non mutatur: non enim accepistis spiritum servitutis, *ita ut denuo metum conciperetis.* Nam sic quoque lectores olim spiritum servitutis a Deo accepisse, qui *pro suâ indole* eos metu territaret, Ap. significat. Sane πάλιν cum v. εἰς φόβον proxime cohaeret, sed vocc. πάλιν εἰς φόβον *coniuncta* verba praecedentia οὐ γὰρ ἐλάβετε πνεῦμα δουλείας accuratius exponunt et P. illis verbis ad-

jectis quum Romanos spiritum servitutis, ut rursus metum haberent (s. *ita ut* rursus in metu essent), accepisse negat, eos aliquando et spiritum servitutis a Deo accepisse et eo aut consilio aut eventu accepisse, ut metuerent, simul affirmat. (Non enim accepistis spiritum servitutis ut *rursus* metueretis; olim nimirum istius modi spiritum, qui metum vobis afferret, accepistis). Quâ re non intellectâ quum confuse de h. l. disputassent *Rueck.* et *Reich.*, difficile dictu est, quantopere *de Wettium*, ex operosis aliorum commentariis leves commentariolos raptim et inconsiderate conscribere solitum, luserint. Is hunc l. sic interpretatur: *spiritus, quem accepistis, non est servitutis spiritus, sed qui Dei filios vos faciat* (cf. *Rueck.*), si hoc est interpretari, temere verbis sententiam subjicere, quae verbis positis inesse nequit, sed aliis vocabulis enuntiata (*τὸ γὰρ πνεῦμα, ὃ ἐλάβετε, οὐ πνεῦμα δουλείας ἐστίν, ἀλλὰ πνεῦμα υἱοθεσίας*) h. l. collocari potuisset. Tum adiungit, verbum *ἐλάβετε* tantummodo ad sententiam affirmativam, non item ad negativam pertinere ei qui rem accurate consideraverit confitendum esse (dormitavit igitur P. qui *ἐλάβετε* iteraverit: *οὐ γὰρ ἐλάβετε πν. δ.—, ἀλλ' ἐλάβετε πν. υἱοθ.*!). *Nam* spiritum servitutis neque dari posse a Deo, neque accipi (!!); spiritum autem servitutis, qui Hebraeos rexisset, non a Deo acceptum esse (sed ab impiis Judaeis sumtum, v. *Reich.* cl. *Heum.*); hinc *πάλιν* nonnisi cum v. *εἰς φόβον* consociandum esse apparere! Itaque *dW.* neque structuram neque sententiam perspexit! Nihil refert, cujus modi fuisse et unde exstitisse *τὸ πνεῦμα τῆς δουλείας*, quo Judaei ducti sunt, *de Wettius* putet, sed quidnam *Paul.* de eâ re placuerit, quaeritur. Quo judice lex mos. molestorum praeceptorum onus tanquam aliquod servitutis iugum hominibus imposuit (v. Gal. 5, 1. cl. Act. 15, 10. 28.) neque nisi servos aluit et educavit (Gal. 4, 24. 25.); contra ubicunque div. spiritus sit, ibi libertas habitat, 2 Cor. 3, 17.; Christus enim homines in libertatem vindicavit Gal. 5, 1. 4, 26.. Item Mosis lex metum hominibus injecit minis et poenarum atrocitate Gal. 3, 10. sq. 2 Cor. 3, 6. [Satanam, orci praefectum, qui mortis metum faceret, hominibus praeponendo Hebr. 2, 15. et eo, quod in ipsâ legis mos. promulgatione omnia ad terrorem Judaeis inferendum composita erant Hebr. 12, 18. sq.]. Jam si lex a Deo profecta est, quae et servos homines faceret et eos in terrores conjiceret, *daemonem* quoque, quum Pauli prosopopoeiâ uti placuerit, *qualis servos agitaret, ut* (s. ita aut) *terrorem afferret, a Deo in homines profectum esse* intelligere non magni acuminis est. *οὐ γὰρ ἐλάβετε — ἀλλ' ἐλάβετε*] Licuerat Paulo sic dicere: *οὐ γὰρ ἐλάβατε πν. δ. π. ε. φ., ἀλλὰ πνεῦμα υἱοθεσίας*

κτλ. (1 Cor. 2, 12.). Sed repetito verbo ἐλάβετε vim et concitationem orationi quaesivit. Cf. Hebr. 12, 18. sqq. οὐ γὰρ προσεληλύθατε ψηλαφωμένῳ ὄρει......, ἀλλὰ προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει —. Eph. 2, 17. καὶ ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν καὶ εἰρήνην τοῖς ἐγγύς —. ibid. v. 19. ἄρα οὖν οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλ' ἐστὲ συμπολῖται τῶν ἁγίων —(nam sic recte dedit *Lachm.*). ibid. 6, 12. ὅτι οὐκ ἔστιν ὑμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχάς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς — πρὸς —. 1 Cor. 6, 11. Plutarch de gloriâ Atheniensium c. 7. ταῦτα τὴν πόλιν ἤγειρεν εἰς δόξαν, ταῦτα εἰς μέγεθος. Πνεῦμα υἱοθεσίας] Permulti τῆς υἱοθεσίας vocabulum *filiorum conditionem* (Sohnschaft) interpretantur, Paulum vocis filiorum statum significantis inopiâ adductum hanc vim τῇ υἱοθεσίᾳ dedisse rati (*Kopp.*, *Wahl.*, *Rueck.*, *Usterius* in l. Entwickelung u. s. w. pg. 194 sq. et ad Gal. p. 145 sq. al.). Incredibilem vero infantiam Paulo affinxerunt. Qui si vocabulum τῆς υἱότητος, quod, quemadmodum ἡ πατρότης, exceptis scriptoribus ecclesiasticis nemo usurpavit, ponere dubitasset, *concretis* vocabulis (πνεῦμα δούλων, πν. υἱῶν) germanos Christianos *naturales*, non adoptatos Dei filios esse facile declarare potuisset. At non fuit in hâc opinione P.. Recte enim olim *Grotius*, nuper *Meyerus* τὴν υἱοθεσίαν (i. q. τὴν εἰςποίησιν Demosth. c. Leocharem 1084, 3. *Reisk.*) suo *adoptionis* (Diog. Laert. Bione IV, segm. 53.) significatu Paulum collocasse ex summi viri formulâ apparere monuerunt. Quemadmodum enim Israelitae non naturâ, sed tanquam adoptione filiorum Dei jura possidebant (v. not. ad 9, 4.), sic nos quoque Christiani multo praeclariora, quam quibus Judaei usi sunt, filiorum Dei jura adepti sumus *adoptione*. Nam qui naturâ abalienato a Deo animo essemus et pro gestis inimicitiis gravissimas poenas Deo olim daturi Eph. 2, 3. sq., iis Deus privilegia, quae Dei filii habent, sibi *per fidem acquirendi*, aut *in filios a Deo adoptatorum* jura sibi fide habitâ comparandi potestatem fecit Christo benigne ad homines legato Gal. 4, 4 sq. Eph. 1, 5. Levissima sunt, quae objecit *Usterius*. Nam *adoptionis* notionem in v. υἱοθεσία premendam esse idcirco negavit, quod opposita *servitutis* cogitatio (πνεῦμα δουλείας) vocabulum υἱοθεσίας *adoptionem* interpretantium sententiam non commendaret, *servitus* autem, in quâ homines ante Christi tempora fuissent, conditionem indicaret, in quam eos *mores* conjecissent, non illud detulisset, quod ab alio potius, quam a Deo, v. c. a Satana, procreati essent (v. Entwickelung u. s. w. p. 194.). At primo quidem servorum adoptio *libertatem* continet (*Grot.*: „— qui adoptantur si servi sint et

liberi ex servis fiunt et filii."). Deinde ut τῆς υἱοθεσίας, non τῆς ἐλευθερίας Gal. 4, 26. vocabulum P. poneret, sententia vs. 14. flagitavit, quam sibi hoc vs. firmandam sumserat. Voluit enim quoscunque *Dei spiritus* regeret, eos *Dei filios* esse (v. 14.) ex eo perspici, quod Romani, homines haud dubie christiani et quos Dei spiritus duceret, ejusmodi spiritum accepissent, qui *hominum esset*, *in Dei filios adoptatorum*. Tum rem illud conficit, quod Ap. homines christ. Christi operâ a Deo adoptatos esse perspicue dixit Gal. 4, 4 sq. Eph. 1, 5., unde nos Christi beneficio filios Dei, qui antea non fuissemus, *redditos* esse consequitur. Postremo P. minime ab hâc sententiâ abhorruit, *Satanae* filios censendos esse homines Christi interventu a Deo nondum adoptatos v. Eph. 2, 2. cl. 1 Joh. 3, 8.. Non rectius *Usterius* ad Gal. 4, 5., τὴν υἱοθεσίαν ibi adulti filii et qui rerum suarum jus adeptus sit conditionem valere similitudinem ostendere, quâ P. usus sit, perhibuit. Judaeos enim, quia *in pupillari aetate* fuissent (Gal. 4, 3.), non quoniam alium potius quam Deum patrem habuissent, legis mos. tanquam *paedagogi* imperio subjectos fuisse; e cujus servitute redemti qui τὴν υἱοθεσίαν consequuti esse dicantur Gal. 4, 5., eos *rerum suarum auctoritatem et adultorum filiorum jura* accepisse in promtu esse. Totum hunc l. *Usterius* parum subtiliter explicuit. Scilicet Gal. 3, 23. sq. P. homines legis mos. imperio subditos cum *pueris* contulit paedagogo, qui nondum adultos coerceret, subjectis. Quibus qui opponuntur υἱοὶ θεοῦ *adulti et sui juris facti* filii Dei sunt Gal. 3, 28.. Hos fides, tanquam *aetatis maturitas*, a paedagogi imperio liberavit. Non diutius enim paedagogus pueros custodit, quam ad maturam aetatem pervenerint. Hanc vero hominibus attulit *Christus* aut *Fides* (expende Gal. 3, 23—28.). Missam fecit Ap. hanc collationem *novam* ingressus Gal. 4, 1. sq. Comparavit enim homines, qui legis mos. vinculis tenerentur, cum *servis*, homines illis vinculis Christi operâ exsolutos cum viris *ex servis in Dei filios adoptatis* Gal. 4, 5. cl. v. 7.. Et ne quem posterior similitudo, quae priorem exciperet, mirum haberet, transitum sibi ab hâc ad illam paravit *non differre puerum nondum sui juris factum a servo* et monendo et ostendendo Gal. 4, 1. 2. — (Attende potissimum ad verba v. 1. οὐδὲν διαφέρει δούλου, v. 3. δεδουλωμένοι et v. 7.). Ceterum loca, ubi Christiani *Dei filii* vocantur, iis non repugnant, in quibus *a Deo in filios adoptati* dicuntur Gal. 4, 5. 6. Rom. 8, 16.. In illis enim Christianorum jura spectantur (habent autem adoptati *filiorum* privilegia), in his non naturâ sed extraordinario quodam Dei instituto

filiorum Dei jura in Christianos collata esse enuntiatur. Cum Paulo non pugnat (v. *Meyerum*), sed prorsus concordat Johannes, qui, quum Deum Christo misso filiorum Dei jura *acquirendi* potestatem nobis fecisse scripserit, et ipse nos non naturales (γνησίους, φυσικοὺς, ἰδίους υἱοὺς ϑεοῦ) sed *adoptatos* (ϑετούς s. εἰσποιήτους υἱοὺς ϑεοῦ v. Pind. Olymp. 9, 94. et ibi schol.) Dei filios fecit Joh. 1, 12. 1 Joh. 3, 1. sq. Cum his l. ea l. confundere noli, ubi *in procreatis a Deo mentis animique cum divinâ mente et voluntate cognatio et similitudo* non *jura Dei filiis tribuenda* spectantur 1 Joh. 3, 9. 4, 7. 5, 1. sqq. Nempe ut Dei filius *filii ornamentis cumulandus* exsistas, Dei filius *qui patris ingenium referat* sis necesse est. ἐν ᾧ κρ. ἀββᾶ, ὁ πατήρ] *cujus impulsu* (1 Cor. 12, 3.) *ploramus*: *abba*, *mi pater* (Matth. 11, 26. Luc. 18, 11.). Κράζειν, ut hebr. קָרָא Ps. 22, 3. 28, 1. (v. etiam LXX.), denotat *plorare*, *pro animi ardore clarâ voce precari*. ἀββᾶ, ὁ πατήρ] Temere *D. Heinsius* ἀββᾶ, ὃ πατήρ (i. e. ὅ ἐστι πατήρ) conjecit. Non prudentius *Wassenberghius* ὁ πατήρ h. l. et Gal. 4, 6. Mr. 14, 36. glossatorum additamentum esse putavit (Dissert. De glossis N. T. p. 61. et 70.). Ad Marc. 14, 36. p. 628. haec annotavi: „ἀββᾶ] Est id chald. אַבָּא [syr. ܐܒܐ]. Ὁ πατήρ [ne qui barbarae stirpis homines Marci librum legerent chaldaicae vocis vim ignorarent] explicationis causâ adjicitur (cf. Rom. 8, 15. Gal. 4, 6.). Dixit Jesus ἀββᾶ ratione, ut videtur, solemnis [Judaeis] precum formulae, quae a voce ἀββᾶ inciperet, habitâ." In Marco etiamnum ὁ πατήρ parentheticam evangelistae interpretationem, quâ voc. chaldaicum exponeret, esse existimo. Valde enim Marcus aramaicis vocibus, quibus Jesus in gravi re usus sit, afferendis sibi placet (5, 41. 7, 35.). De locis paullinis nunc aliter sentio. Nam vix erat, quod P. ἀββᾶ, vocem vel barbarae stirpis Ramanis et Galatis haud dubie notissimam, interpretaretur. Certe μαρὰν ἀϑά Corinthiis non explicuit, vocabula intellectu difficiliora 1 Cor. 16, 22.. Deinde obscurioris vocis expositionem, quam homo sedatus et diligens, ut sua oratio penitus intelligatur, apponere, animi ardore concitatus omittere soleat, in hunc l. et Gal. 4, 6., ubi fervidior sit oratio, minime convenire, recte monuit *Meyerus*. Praeterea V. D. illam sententiam hoc argumento impugnavit, jure desiderari formulam, quae interpretationem indicaret, v. c. τοῦτ᾽ ἔστι. Huic quidem rationi nihil tribuerim (v. Act. 7, 10. 13, 8. Mr. 14, 1.). Mihi nunc sic videtur. Consueverat Jesus preces suas, non ut vulgo homines Luc. 18, 10. 13. a verbis ὁ ϑεός, sed quum esset ὁ υἱὸς τοῦ ϑεοῦ

a voce *pater*, *mi pater*, אַבָּא, ܐܰܒܳܐ exordiri eamque in longioribus precationibus saepe repetere Matth. 11, 25. 26. 26, 39. 42. Mr. 14, 36. Luc. 10, 21. 22, 42. 23, 34. Joh. 11, 42. 17, 1. 11. 24. 25.. Sic fieri non potuit, quin *ἀββᾶ* hominibus christ. augusta et sacrosancta vox videretur multumque ab iis in precibus frequentaretur. Sed quum aramaica vox aramaice ignaris explicanda esset, idque magistris, quibus, ut Paulo, cum barbarae potissimum stirpis hominibus negotium esset, *saepenumero* faciendum fuisset, multus usus sensim sensimque eo valuit, ut *ἀββᾶ, ὁ πατήρ* dicere iis in consuetudinem verteret. Itaque Marcus 14, 36. ipsum Christum *ἀββᾶ, ὁ πατήρ* precantem fecit, nisi mihi accedere malueris (v. supra). Doct. *Meyerus* Dei appellationem *ἀββᾶ* e judaicis precum formulis, quia Jesus eam retinuisset, ita in Christianorum preces transisse censet, ut stabilem sedem occuparet. Ita quum sensim ac pedetentim *nominis proprii* naturam induisset, Christianos graece precantes primo aramaicam vocem, ut nominis proprii vim haberet, collocasse, tum appellativum vocabulum *ὁ πατήρ* addidisse, quo Deum paterno amore homines christ. tanquam filios amplecti indicarent factumque denique esse, ut iis *ἀββᾶ, ὁ πατήρ* dicere sollemne esset V. D. existimat. Ingeniosam V. D. sententiam recte voces, veram non dixerim. Vel hoc justam suspicionem movet, quod *ὁ πατήρ* graece idem prorsus declarat, quod אַבָּא aramaice. Deinde אַבָּא in *nominis proprii* naturam abisse credi plane non potest. Nam hoc pacto scriptores N. T. אַבָּא, appellationem Deo, quem Christiani pie venerantur, decoram non minus frequentarent, quam Hebraei יְהוָה, nomen suae gentis numini proprium, celebrarunt, ibique saepe ponerent, ubi *ὁ θεός* usurparunt. Idem facerent PP. ecclesiastici resque haud dubie eo valuisset, ut Christiani omnibus temporibus אַבָּא veri Dei, quem ipsi pie colerent, nomen proprium esse statuissent. Postremo si אַבָּא multo usu nominis proprii potestatem adeptum esset, Christiani graece loquentes nunc *ἀββᾶ, ὁ θεός*, nunc *ἀββᾶ, ὁ πατήρ*, non constanter *ἀββᾶ, ὁ πατήρ* dicerent. Minus etiam *Boehmii* sententia placet, qui patris vocabulum „*notionis intendendae* causâ, quasi non satis esset, unâ tantum linguâ, profanâ potissimum, Deum *patrem* appellari", duplicatum putat. Nam homo elegans pro animi commotione notionem cum affectu iteraturus aut *ἀββᾶ, ἀββᾶ*, aut *ὁ πατήρ, ὁ πατήρ* (Matth. 7, 22.) dixerit, eandem cogitationem diversarum linguarum vocabulis conceptam, ut precetur vel *ἀββᾶ, ὁ πατήρ*, vel *ὁ θεός*, mein Gott, non repetierit, nisi homo inconcinnus et insulsus. Eodem argumento *Grotii*

opinio corruit, qui Paulum ἀββᾶ, ὁ πατήρ more blandientium, qui voces easdem repetere solent, scripsisse autumat. Absurde *Calvinus* post *Augustinum*: „Duplicatio appellationis per diversas voces amplificationem continet. Significat enim P. ita nunc per totum mundum publicatam esse Dei misericordiam, ut promiscue *linguis omnibus* invocetur —. Ergo inter omnes gentes consensum exprimere voluit. Unde sequitur nihil jam differre *Graecum* a *Judaeo*, quum inter se coaluerint.“ Hujusmodi nugas congessit *Wolfius* ad h. l.. Strenue etiam nugati sunt *Tholucc.* et *Olsh.*, homines profundi, *Theodoreti*, *Albertii* aliorumque nugis recoctis. (Raro enim profundi interpretes, qui tenebricosam hanc aetatem luce perfundunt suâ, quum homines sint nullius ingenii minimaeque doctrinae, ne facultates suas sane quam exiguas cito exhauriant, ingenii sui inventa proferunt, sed ut perditis ecclesiae christ. rebus fortiter succurrant, absurdissima quaeque et quae jam dudum explosa sint veterum commenta audacter revocant iisque, ne a viris jejunis continuo exsibilentur, nihil fieri posse profundius, imperitae plebeculae gratiam captantes, dictitant.) *Tholuccius* igitur et *Olsh.* Paulum vocem aramaicam אַבָּא propterea apposuisse perhibuerunt, quod ipso sono puerorum ingenium referret (!). Posse enim vel balbutientes infantes *papa*, *mamma*, *abba* pronuntiare (*Albertius*, *Olsh.*); et solere pueros tum maxime ἀββᾶ frequentare, quum fiduciâ pleni patrem blande adirent (*Theodoret.*, *Tholucc.*). Jesus *mi pater* aramaice dicturus aut אַבָּא, ܐܰܒܳܐ, aut אַבִי, ܐܒܝ non poterat non usurpare. Praeterea hominibus christ. puerorum modestia et innocentia, non parvulorum inscitia et puerilitas imitanda est Matth. 18, 3. 1 Cor. 14, 20..

V. 16. Concludit Ap. rationem e vs. 14. et 15. ita, ut sententiam collectam verbis proximis — ἐν ᾧ κράζομεν ἀββᾶ, ὁ πατήρ adaptet: *ipse Dei spiritus*, der Gottesgeist selbst (non alius, nescio quis: v. not. ad 7, 25.; ploramus enim ejus spiritus impulsu: *mi pater* v. 15.) *sociatâ operâ cum nostro spiritu* (i. e. nostrâ mente 1 Cor. 2, 11.) *nos Dei liberos esse testatur.* Asyndeton in gravi conclusione poni solet. Eur. Heracl. 926. Μήποτ' ἐμοὶ φρόνημα | ψυχά τ' ἀκόρεστος εἴη. Intellexerunt Paulum, sed orationis nervos eliserunt glossatores, qui ὥστε αὐτὸ τὸ πνεῦμα (D. E.) scripserunt. Placuit tamen futilis lectio *Schulthessio* in l.: Die evang. Belehrung über die Erneuerung der Natur (Zürich 1833.) p. 72. Alii (v. c. Mt. d. q. Vulg.) Paulo minus intellecto inculcarunt γάρ post αὐτό. Putarunt enim, versu 16. sententiam praecedentem muniri, quam opinionem ipsa sententiarum v. 15.

et 16. comprehensarum ratio refellit. Constat autem asyndeto etiam in approbando locum esse, Eur. Hel. 858. *Μενέλαε, διαπεπράγμεθ'· ἐκβαίνει δόμων | ἡ θεσπιῳδὸς Θεονόη.* 3 Joh. 11.. συμμαρτυρεῖ] Idem quod μαρτυρεῖ notare credunt Vulg. *Luther.*, *Grot.*, *Heum.*, *Kopp.*, *Beneckius*, *Reich.*, *Rueck.*, *dW.* al. *contra usum loquendi* (v. not. ad 2, 15.). Paulus hoc dicit: *ipse Dei spiritus unâ testatur cum nostrâ mente, nos esse Dei filios* h. e. duo sunt, qui nos Dei filios esse testimonio suo corroborent, *Dei spiritus* et *animus noster*. Scilicet animus eo quod fidei et rite conceptae et strenue servatae vitaeque pie aetae conscientiam habet, filii Dei jura eum adeptum esse testatur, qui Dei praeceptis morigeratus tum fidem Christo adjunxerit tum pie vixerit certissimamque aeternae vitae in Dei filios conferendae spem illi injicit 2 Cor. 1, 12. 2 Tim. 4, 6—8.. (Qui nostrae menti a div. spiritu testimonium suppeditari, non ipsam testimonium dicere objecerunt [*Beneckius*, *Reich.*], praeterquam quod συμμαρτυρεῖ male interpretati sunt [v. supra] sua cogitata Paulo subjecerunt.). Sed addidit extraordinarium et caelestem testem Deus spiritum s., pietatis magistrum Gal. 5, 22 sq., qui *ipsâ suâ praesentiâ* et quod sedem suam in hominibus fidem amplexis collocasset Dei filiorum jura consequutos esse, qui eum accepissent, testaretur. Nam quum divinitus praefinitum esset, ut qui germanam fidem Messiae adjunxissent spiritus s. dote ornarentur Act. 2, 38. 19, 2. 1 Cor. 3, 16., ii quibus div. spiritus datus esset se fidem, quâ totus vitae status commutaretur, utique concepisse ex eo certissime cognoverunt, quod ad se div. spiritus venisset. *) Itaque spiritus s. *praesentiâ suâ* amari jam a

*) Diversissimarum nationum homines cum primis *profundos* h. e. pios divinâ voce se passim moneri aut ab ἑνὶ τῶν κρειττόνων jubernari existimasse, quum ad quemvis N. T. locum, in quo spiritus s. piorum Christianorum animis inesse dicitur, recte observetur, non erat, quod *Tholuccius*, *Schottgenii* aliorumque libris expilatis *Socratis genium* et hujusmodi alia in illam rem *hoc potissimum loco* afferret. Sed *reconditam* videlicet eruditionem ostentaturus, quotusquisque, inquit p. 301., praeclarum locum ignorat, quem e Platonis epistolis excerptum Origenes c. Cels. 4, 3, citat: μηδαμῶς ἐστι (!!) ῥητὸν τὸ πρῶτον ἀγαθόν, ἀλλ' ἐκ πολλῆς συνουσίας ἐγγιγνόμενον καὶ ἐξαίφνης οἷον ἀπὸ πυρὸς πηδήσαν (!). Deridendum se *Tholuccius* viris doctis propinat quotiescunque exquisitam videlicet doctrinam, quum eruditionis prorsus expers sit, jactat, id quod nuper in commentario, quo epistolam ad Hebraeos contaminavit, certis de causis saepe fecit. Hoc quidem l. quae scripsit quinque de causis ridicula sunt; primo quia Platonis locum *tanquam in vulgus notum* citavit, qui minime ad eos locos pertinet, quos viri docti memoriâ tenent; deinde quod locum nemini scilicet ignotum male citavit (legitur autem apud Orig. c. Celsum 6, 3. ed. *de la Rue* I, 630 sq.); tum quia ita eum interpolavit, ut ne

Deo quibus insit docet (5, 5.), filiorum Dei privilegia iis data esse, in quorum animis domicilium collocaverit testatur (8, 16.) vitaeque sempiternae Dei filiis destinatae summum iis pignus est, quorum animis inditus sit 2 Cor. 1, 22. Eph. 1, 14. 4, 30.. Precario *Wolf.*: — *τὸ πν. συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν*] scil. *per evangelium*, *dW.* „:*haud dubie*, *idoneas nobis preces suppeditans*, v. 26.," *Tholucc.*: np. *Dei amore animos nostros inflammans.* (Est div. spiritus summum singularis amoris, in quo Deus *τοὺς πιστεύοντας* habet, pignus 5, 5., amorem, quo Deum prosequamur, spiritus s. non magis accendit, quam alias virtutes Gal. 5, 22.) E duobus testibus unum fecerunt *Calvin.*, *Wolf.*, *Turret.*, *Morus* al. sic exponendo: div. spiritus nostrae menti *testificatur*, *confirmat*, nos esse Dei liberos (*Calv.*: „neque enim sponte mens nostra, nisi praeeunte spiritus testimonio, hanc nobis fidem [scil. firmam esse Dei adoptionem] dictaret."). Idem commisit *Rueck.*, contrariam viam ingressus. Finxit enim Paulum quem adoptionis in Dei filium, quâ potitus esset, sensum ipse habuisset, eum et divino spiritui tribuisse et eam rem divinum spiritum pro testimonio dicere credidisse. Utrique quâ potestate pollet *μαρτυρεῖν τινί* (*Calv.* testificari alicui, alicui rem testimonio confirmare; *Rueck.* testimonium alicui impertire), eam verbo composito *συμμαρτυρεῖν* male tribuerunt, quod nunquam non *unâ cum aliquo testari*, *cum aliquo*, *qui et ipse testetur*, *testimonium dicere* denotat (Soph. Philoct. v. 436. Eur. Hel. 1080.). Praeterea *Rueck.* non interpretis, cui sententia scriptoris e verbis eruenda est, munere functus est, sed Theologi, quem Supernaturalistae detestentur, sumtis partibus Paulum fanatico ductum errore suum vel sensum vel

---

elementa quidem linguae graecae *Tholuccium* didicisse appareat (verba Origenis haec sunt: — *καὶ δὴ καὶ Πλάτων, ὁ τοῦ Ἀρίστωνος, τὰ περὶ τοῦ πρώτου ἀγαθοῦ διασημαινέτω ἔν τινι τῶν ἐπιστολῶν καὶ φασκέτω μηδαμῶς εἶναι ῥητὸν τὸ πρῶτον ἀγαθόν, ἀλλ᾿ ἐκ πολλῆς συνουσίας ἐγγιγνόμενον καὶ ἐξαίφνης οἷον ἀπὸ πυρὸς πηδήσαντος ἐξαφθὲν φῶς ἐν τῇ ψυχῇ.* ; postea quoniam Platonis verba (epist. 7. p. 341. ed. *Bekker.* p. 460: *τοσόνδε γε μὴν περὶ πάντων ἔχω φράζειν τῶν γεγραφότων καὶ γραψόντων, ὅσοι φασὶν εἰδέναι περὶ ὧν ἐγὼ σπουδάζω — —, τούτους οὐκ ἔστι κατά γε τὴν ἐμὴν δόξαν περὶ τοῦ πράγματος ἐπαΐειν οὐδέν. Οὔκουν ἐμόν γε περὶ αὐτῶν ἔστι σύγγραμμα οὐδὲ μήποτε γένηται· ῥητὸν γὰρ οὐδαμῶς ἐστὶν ὡς ἄλλα μαθήματα, ἀλλ᾿ ἐκ πολλῆς συνουσίας γιγνομένης περὶ τὸ πρᾶγμα αὐτὸ καὶ τοῦ συζῆν ἐξαίφνης, οἷον ἀπὸ πυρὸς πηδήσαντος ἐξαφθὲν φῶς, ἐν τῇ ψυχῇ γενόμενον αὐτὸ ἑαυτὸ ἤδη τρέφει.*) sententiam ab h. l. alienam complecti non vidit; postremo quod Origenem Platonis verba, non ut probaret, sed ut refelleret apposuisse non animadvertit.

judicium divini spiritus vocem temere existimasse contendit. τέκνα] h. l. non *caritatis* vocabulum est (*Reich. Meyer.* Matth. 9, 2. *homines carissimi*), sed *liberos* (1 Joh. 3, 1. sq. utriusque sexus) significat h. e. *conditionem* declarat, in quâ positus eximia jura possideat. Docet argumentatio v. 17. εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι.

V. 17. Conclusionem P. adjicit voce τέκνα v. 16. fultam, quâ ad vocc. εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε ζήσεσθε v. 13. reversus hunc l. absolvat. *Si autem liberi sumus, heredes quoque sumus* (necessarii aut ab intestato) scil. jure romano, cujus literis ad Romanos datis Ap. rationem habuit. Vide commentationem meam hoc titulo inscriptam: *utrum Pauli argumentatio Rom.* 8, 17. *et Gal.* 4, 7. *hebraeo, an romano jure aestimanda sit, quaeritur.* Inserta est *Fritzschiorum* Opusculis acad. pg. 143. sqq. Ad nos, inquit, liberorum conditione potitos necessario venit hereditas. Hereditatem dici sempiternam beatitatem (Gal. 3, 29. 4, 7. v. I, 230. sq.) verba ostendunt, κληρονόμοι μὲν θεοῦ, συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ duabus de causis addita. Nempe et cui heredes simus declarandum est (κληρονόμοι μὲν θεοῦ) et hereditatis amplitudo enuntianda (συγκλ. δὲ Χριστοῦ). *Dei heredes erimus* (accipiemus igitur Dei patrimonium h. e. τὴν δόξαν, quae Dei filiis divinitus obtinget v. 18. sq.), *Christi* (cui, quoniam et ipse Dei filius est et quidem primogenitus eoque frater noster natu maximus v. 29., non minus Dei hereditas venit, quam nobis) *coheredes.* Male *Beng.* coheredes] „ut sciamus plane magnam esse hereditatem, quam Deus dat nobis: nam filio suo utique magnam *dedit.*" Nam hereditatem, de quâ h. l. agitur, nondum *adiit* Christus coelo receptus Phil. 2, 9., sed tum aditurus est, quum de coelo reversus Dei filios Dei mandatu in regali et splendidâ conditione constituet (v. 18. sq. 2 Tim. 2, 12.). Imo rei amplitudo *Christi societate* aestimatur, quandoquidem piis Christianis nihil exoptatius evenire potest, quam ut idem sibi tribuatur, quod Christo, quem summe et revereantur et diligant. Non recte *Meyerus* verbis συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ *gradationem* inesse existimavit: Dei heredes, *at* (*quin*) *coheredes Christi*, *siquidem* etc.. Etenim respondet δέ voci μέν et vocabulis κληρ. μ. θ., συγκλ. δὲ Χρ. generalem sententiam εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι et explicari et in homines christ. transferri manifestum est: si autem filii sumus, heredes quoque sumus *h. e.* (si is quaeritur, *cujus* hereditatem adeamus) *Dei heredes*, *coheredes* (si *quocum* hereditatem cernamus exquiritur) *Christi.* Hinc v. εἴπερ κτλ. ad *totam* expositionem κληρ. μὲν θεοῦ, συγκλ. δὲ Χρ. pertinent, non ad vocc. συγκληρ. δὲ Χριστοῦ tantummodo. Accedit quod

neque

neque jure romano filio natu maximo uberior hereditas obvenit, quam liberis minoribus, et Christus splendido Messiae regno constituto Paulo judice non nisi primum locum obtinebit inter pares (v. 29. 2 Tim. 2, 12.). Proximis verbis εἴπερ κτλ. nos non simpliciter, sed eâ lege Dei heredes, Christi coheredes esse P. affirmat, ut in malorum a Christo exhaustorum societatem veniamus. *Συμπάσχω*, quod Graecis *alicujus incommodo moveri*, *alicujus vicem dolere* plerumque significat (i. q. *συμπαθέω*, vide *Ammonium* s. v. *πάσχω* et Antiatticistam *Bekkeri* 114, 4. *συμπάσχειν: τὸ ἐλεεῖν*: hûc etiam loca pertinent Polyb. 4, 7, 3. 15, 19 [non 9.], 4. a Lexicographis N. T. alio relata), tum etiam *simul dolere*, *alieno dolore attingi*, *per alienum malum aliquid incommodi percipere* (v. 1 Cor. 12, 26. et *Schleusneri* Lex. II, 992.) notat, *nove* P. h. l. posuit. Nempe *πάσχω mala perpeti* N. T. scriptores usu *technico* (v. I, 216.) de injuriis et calamitatibus, quas Christus morti proximus exantlavit, simpliciter frequentant v. Luc. 22, 15. Act. 1, 3. Hebr. 13, 12. al. cl. Matth. 16, 21.. Ad hunc usum verbum compositum *συμπάσχω* (h. e. in malorum a Christo moribundo exhaustorum societatem venire) h. l. accommodatum est*). Idem valet de v. *συνδοξάζεσθαι*. Graecis *συνδοξάζεσθαι simul celebrari* designat. Sed quoniam in N. T. *ἡ δόξα splendidam conditionem* (2 Cor. 4, 17.) denotat, eo factum est, ut ibi *δοξάζεσθαι ad splendidam conditionem evehi* (Joh. 7, 39.) et *συνδοξάζεσθαι simul ad splendidam conditionem evehi* declaret. Tenebris eorum mens oppleta est, qui recte verti negant: *siquidem mala perferemus*, *sicut Christus pertulit*, *ut etiam in illustri conditione collocemur*, *quemadmodum Christus collocabitur*. Neque enim reputarunt, *σύν*, quod *societatem* indicat, in hujusmodi verbis nonnisi ad *rei verbo enuntiatae* societatem spectare. εἴπερ συμπ., ἵνα καὶ συνδ.] Hic rei, quae e malorum cum Christo initâ societate consequatur, *necessitas* eo graviter exprimitur, quod res necessario consequens id quod eam non possit non gignere facientis *consilio* attribuitur (v. not. ad Matth. p. 837. Ven. *Hitzigium* ad Jes. 1, 5. 28, 13. et 1 Petr. 4, 13.). Est igitur quod P. scripsit (siquidem in malorum a Christo exhaustorum societatem ve-

*) Eodem pertinet vocabulum *παθητός*, quod quum Graecis eum declaret, qui extrinsecus pelli et moveri potest, qui externam vim accipere potest (v. Plutarch. de placitis philosophorum c. 16. Philo de specialibus legibus II, 329. *Mang.* cl. Cic. D. N. D. 3, 12, 29. — quumque omne animal *patibilem* naturam habeat —) Lucae Act. 26, 23. eum denotat, qui vexari et mori *potest*. Sine idoneâ causâ *Winerum* gr. p. 90. explicare quem mori *oportet*, cui *moriendum* est, bene observavit *Meyerus*, acutissimus interpres.

niamus, *ut* etiam splendidae conditionis societatem cum eo habeamus, wenn wir anders mitleiden, um auch mitverherrlicht zu werden) idem, quod, *εἴπερ συμπάσχομεν· οὕτω γὰρ καὶ συνδοξασθησόμεθα*, nisi quod haud paullo fortius. Rem apertissimam quum alii non perspexerunt, tum *Reichius*. Ceterum hereditatem necessario nobis afferre *in Dei liberos adoptionem*, quam adepti simus, Ap. minime negat: illud affirmat, nos re, non nomine, Dei liberos esse probandum nobis esse malorum societate cum Christo conjunctâ (5, 4.). Sed ut P. eos tantummodo Dei liberorum jura vere consequutos esse existimaret, qui calamitatis societatem cum Christo conflassent (v. 2 Tim. 2, 11. sq. cf. 2 Cor. 1, 6. 1 Petri 4, 13.), multa fecerunt, *Christi exemplum*, qui multis magnisque injuriis et contumeliis jactatus Matth. 16, 21. sq. 26, 47, sq. idcirco nonnullis Apostolis a Deo coelo receptus esse visus est, ut adversa fortuna, quam obedienter pertulisset, eximiâ beatitate compensaretur Phil. 2, 9. Hebr. 2, 9., a quibus dissentiens Johannes Christum, quia divina et quae stabilem sedem in coelo haberet natura esset, confecto in terris negotio *debuisse* domum reverti h. e. in coelum redire censet Joh. 17, 4. 5.: *Christi discipulis suis acerbam fortunam ominati voces* (Matth. 5, 10. sq. 20, 23. Joh. 15, 18.): *temporum ratio et rei necessitas*: *postremò incredibilis Christi amor et admiratio*. Nam quum fieri non potuisset, quin Judaei et pagani suarum disciplinarum sacrarum admiratione capti iniquis in Christi alumnos animis essent Joh. 15, 19., facile in eam opinionem Christiani delapsi sunt, ut non satis germanos Christi alumnos putarent, qui non singulari calamitate afflicti essent. Et quoniam Christiani pro summo, quo incensi erant, Christi amore nihil magis in votis habuerunt, quam ut Christi sortem adirent, Christum autem et mire vexatum esse Hierosolymis scirent et eum in vitam reversum, ut justam dolorum mercedem haberet, in coelestes sedes receptum esse pie crederent, facile eo adducti sunt, ut suam sortem utraque Christi fortunâ Deum per ambages significasse rati hâc sibi lege sempiternam beatitatem, quâ cum Christo fruerentur, sperandam esse putarent, ut in adversae fortunae, quacum Christus conflictatus esset, societatem venissent. Quare et gaudio exsultarunt, si propter Christi disciplinam vexarentur (5, 3. Act. 5, 41. Phil. 1, 29.), et eos genuinos Christi alumnos esse negarunt, qui pericula ob Christi causam obeunda ignave subterfugerent. P. quidem adeo non dubitavit, quin Apostolis quoque pro Christi coetu mala fortiter adeunda essent, ut infortunia ab Apostolis lata pro *supplementis* haberet, quibus mala a Christo pro discipu-

lorum grege exantlata integra et expleta redderentur (cf. Col. 1, 24, de quo l. *Lueckius* commentationem edidisse dicitur ad nos nondum perlatam). Vide etiam *Rueckertum*, *Koelln.* et *Meyerum.* — Sententia h. l. exposita verissima est, quandoquidem homines postquam Christo fidem habuerint divini spiritus dotibus imbuti (v. 13. sq. Gal. 3, 8. sq.) aut integritatem rite adepti Paulo arbitro sempiternâ vitâ potientur (v. not. ad 1, 17.), sed argumentatio tamen claudicat *εἰ δὲ τέκνα, καὶ κληρονόμοι· κληρ. μ. θ., συγκλ. δὲ Χρ.* duas ob causas. Nam hereditas tibi obvenire non potest, nisi eo mortuo, cujus sis heres. Qui igitur *immortalis* Dei hereditatem adeas? Adde quod argumentatio *amphibolià* vocis *κληρονόμος* nititur, quam Ap. in conclusione ipsâ *heredis* significatu accepit, in re, quam conclusione declaravit, *hominis*, *cui mundi imperium destinatum sit* h. e. *qui sempiternae beatitatis particeps futurus sit* (v. not. ad 4, 13.) potestate sumsit. Hoc liberali N. T. interpreti fatendum potius est, quam latibulum quaerendum, ex quo facile exturbetur. Sic *Grotius* in voce *κληρονόμου* „non respici jus succedendi in bona defuncti, sed possessionem firmam atque inalienabilem" sibi aliisque persuasit, *Wahlius* *κληρονόμους θεοῦ participes, socios bonorum Dei* valere perhibuit; *Meyerus* autem, doctissimus sane verique amantissimus explicator, Deum patrem a Paulo fingi, qui quae patrimonii pars se mortuo jure cedat filio, eam dum vivat ante tempus filio benigne det, antestatus locum Luc. 15, 12. existimavit. Alii alia minus etiam plausibilia excogitarunt. At de *hereditate liberis necessario venturâ* h. l. agi in oculos incurrit. (Expende et verba Pauli, et disputationem).

V. 18. Ea nunc P. exponit, quae tum malorum acerbitatem lenire, tum lectorum animos ad vexationum societatem cum Christo ineundam stimulare posse videantur v. 18 —30.. Et primo quidem ultimis vs. 17. verbis *εἴπερ συμπ. κτλ.* insistens, *ut lectores ad calamitates patienter ferendas fortes reddat*, nullius momenti praesentis temporis mala, si ad summam beatitatem, quae pios Christianos maneat, exigantur esse sibi videri asseverat v. 18. — *λογίζομαι γάρ*] *nempe puto*; v. not. ad 3, 28. cl. 4, 9. Parum apte *Erasmus*: *reputo* enim (2 Cor. 10, 7.), male *Carpz.*, *Reich.* al. *nam mihi plane persuasum est* (i. e. *πέπεισμαι γάρ* 8, 38.). *τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ*] *praesentis temporis* (11, 5.) *mala*. Praesens tempus hanc quae in terris agitur vitam h. l. P. dicit, quae sane in magnum illud temporis, quod ante sollemnem Messiae de coelo reditum est, spatium incidit. Nihilominus *τοῦ νῦν καιροῦ* alia vis ac notio est, quam *τοῦ αἰῶνος τούτου* 1 Cor. 2, 6., quocum *Rueck.* illam

vocem confudit. *οὐκ ἄξια*] Ἄξιον h. l. primitivum significatum habet, e quo ceterae vocis potestates tanquam e radice surculi pullulant. Nam ἄξιον ab ἄξω verbi ἄγω ductum [Etym. M. 116, 1. ἄξιος: ἀπὸ τοῦ ἄγω, ἄξω, ἄξιος· ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν σταθμῶν τὴν ἴσην ῥοπὴν ἐχόντων.] proprie notat *quod pendit* i. e. *pondus habet*, was wiegt. Cum genitivo, qui vocabula *comparationis* et *permutationis* notionem continentia excipit (cf. v. c. ὠνητόν τινος, διαλλάσσειν τί τινος et *Kuehneri* Gr. II, 199. sq.), constructum ἄξιόν τινος *idem pondus habens*, *quod res ex alterâ parte posita habet*, *rei par*, gegen etwas wiegend, etwas aufwiegend (i. q. ἀντάξιόν τινος) declarat. (Loca pete e *Matthiaei* Ausf. gr. Gr. §. 363. p. 677. Prov. 8, 11. — πᾶν δὲ τίμιον οὐκ ἄ ξ ι ο ν αὐτῆς [τῆς σοφίας] ἐστιν.) Sed h. l. Ap. ἄ ξ ι ό ν ἐστί τι π ρ ό ς τι *res pondus habet ad aliam rem exacta* aut *cum aliâ re composita* struxit. (Cf. de πρός normae ad quam res judicetur et proportionis indice Luc. D. M. 14, 3. — ὃν σὺ — — ἐφόνευσας, ὅτι με π ρ ὸ ς τὰς σὰς πράξεις ἐπαινέσαι ἐτόλμησε. Xenoph. Anab. 7, 7, 41. v. ibi *Krueger*. et *Schaef.* ad Demosth. I, 778. III, 114.). Eadem structura est in loco varie tentato Platonis Protag. p. 356. A. καὶ τίς ἄλλη ἀναξία (impar) ἡδονὴ π ρ ὸ ς λύπην ἐστὶν ἀλλ' ἢ ὑπερβολὴ ἀλλήλων καὶ ἔλλειψις; [*Bekkerus* dedit: καὶ τίς ἄλλη ἀ ξ ί α ἡδονῇ πρὸς λύπην ἐστίν, ἀλλ' ἢ κτλ.; quod parum intelligo.] Itaque P. praesentis temporis mala *pondere destitui* (οὐκ ἄξια i. q. ἀνάξια cf. Prov. 8, 11.) si cum futurâ piorum hominum felicitate componantur affirmat et habent ejus verba sententiam, quam hîc requiri multi viderunt, e vocabulis eruere nonnulli nesciverunt: mala — ne in censum quidem veniunt, si comparentur (— sind auch der Rede nicht werth gegen —), — ὅτι οὐδὲ λόγου ἄξια τ. παθ. κτλ. Neque ulla vel μείωσις vel λιτότης hîc obtinet: futura felicitas *non praeponderatur* praesentis temporis malis i. q. multo leviores sunt praesentis temporis calamitates, quam quae cum futurâ beatitate recte conferantur (*Reich.*, *Meyer.*). Similem sententiam *Schoettgenius* ex Pirke Aboth c. IV, 17. attulit: „R. Jacob dixit: melior est una hora refrigerii in mundo futuro, quam tota vita hujus seculi." *πρὸς τὴν μ έ λ λ ο υ σ α ν δόξαν ἀποκ. εἰς ἡμᾶς*] Sic P. scribere maluit, quam πρὸς τὴν δόξαν τὴν μ έ λ λ ο υ σ α ν ἀποκ. εἰς ἡμᾶς, quia voculam μέλλουσαν *ponderosam* esse voluit et gravi, oppositione *futuram* beatitatem a *praesentis temporis* calamitatibus distinguendam putavit. Igitur vocem μέλλουσαν verbis τοῦ νῦν καιροῦ quam potuit proxime admovit. Cf. Plat. Euthydem. p. 273. C. — τὰ γὰρ περὶ τὸν πόλεμον πάντα ἐπίστασθον, ὅσα δεῖ τὸν μ έ λ λ ο ν τ α [ἀγαθὸν] στρατηγὸν ἔσεσθαι —. Gal. 3, 23. — ὑπὸ νόμον ἐφρουρούμεθα συγκεκλεισμέ-

νοι εἰς τὴν μέλλουσαν πίστιν ἀποκαλυφθῆναι. Matth. 25, 34. — κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. 1 Cor. 12, 22. 23. Ἀλλὰ πολλῷ μᾶλλον τὰ δοκοῦντα μέλη τοῦ σώματος ἀσθενέστερα ὑπάρχειν ἀναγκαῖά ἐστι, καὶ ἃ δοκοῦμεν ἀτιμότερα εἶναι τοῦ σώματος, τούτοις κτλ.. Quamquam P. Christi de coelo reditum et beatae vitae initia proxime abesse putavit (13, 11. sq. 1 Thess. 4, 15. sq.), tamen praeclaram rem in propinquo esse voce μέλλουσαν minime significavit (— mala cum felicitate collata, *quae in eo est*, *ut* palam in nos redundet [v. Act. 21, 27.], *Koelln. Reich.* al.). Nam neque notio ex adverso posita τοῦ νῦν καιροῦ hanc explicationem commendat, et proximi vss. 19—23. eam refellunt, in quibus rei veritas, non propinquitas commonstratur. Itaque in voculâ μέλλουσαν non nisi aut *futurae* (8, 38. 1 Tim. 4, 8. Eur. Alcest. 527. τέθνηχ᾽ ὁ μέλλων, κοὐκέτ᾽ ἔσθ᾽ ὁ κατθανών.) aut *certo futurae*, quia Deo ita placuerit (Hebr. 1, 14.), rei cogitatio tenenda est. ἀποκαλυφθῆναι] *Theophylactus*: — διὰ δὲ τοῦ εἰπεῖν τὸ ἀποκαλυφθῆναι ἔδειξεν, ὅτι καὶ νῦν ἐστι, κρύπτεται δέ (scil. ἡ δόξα), τότε δὲ ἀποκαλυφθήσεται, τουτέστι τελείως φανερωθήσεται. Cui multi male assensi sunt, nuper v. c. *Rueck.* et *Reich.*. Neque enim cogitarunt, ἀποκαλύπτεσθαι, quemadmodum φανεροῦσθαι, nihil praeterquam *manifestari* denotare, posse autem in conspectum dari et quae quum antea fuerint tamen in occulto latuerint (Hos. 7, 1.) et quae tum primum esse coeperint, quum exstiterint et conspecta fuerint (Gal. 3, 23.). Non igitur ea vis verbi est, ut de re utique ponendum sit, quae e tenebris, in quibus jacuerit, evocata in luce primum collocetur. Deinde beata piorum Christianorum majestas nunc quidem nusquam est, nisi in Dei mente, quia eam piis Christi alumnis Deus destinavit Col. 3, 3. 1 Petr. 1, 4.. Sed cur eam piis Christianis divinitus destinatam esse h. l. P. diceret, nulla ratio fuit, et si hoc enuntiandum putavit, satis indicavit voce μέλλουσαν. εἰς ἡμᾶς] si cum beatitate conferatur *in nos* (Act. 28, 6.) manifestandâ. *Rueckerto* fidejussore, cui *Reich.* accedit, P. ἡμῖν ne potuit quidem exarare, quoniam Dativus hanc sententiam funderet: — si cum majestate comparentur nobis, *ut eam oculis usurpemus*, manifestandâ. Errant VV. DD. In formulâ ἡ δόξα ἀποκαλύπτεταί τινι Dativus *commodi* index esset: majestas manifestatur *in alicujus usum et emolumentum* h. e. ut majestate *fruatur*. Similiter Hebraei נִגְלָה et cum לְ Jes. 23, 1. et cum אֶל 1 Sam. 3, 7. consociant: manifestatur res *mihi* et *ad me* (ita, ut ad me perferatur). Totus l. sic habet: — Dei heredes, Christi coheredes sumus,

siquidem malorum societatem cum eo conflabimus, ut etiam *majestatis* societatem cum eo habeamus. Puto enim, pondere destitui *praesentis temporis* mala, si ea cum *patefacienda* in nos *majestate* contendas. (Male igitur aliquis vexationum societatem cum Christo coeundam renuat!).

V. 19—22. Firmat Ap. sententiam ultimis v. 18. verbis enuntiatam πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλ. εἰς ἡμᾶς. Instare nobis, inquit, felicitatem, quâ cumulemur, ex eo *certum* est, quod rerum natura, nunc quidem in Infirmitatis et Interitus servitutem redacta, divino decreto tum in libertatem vindicanda et in integrum restituenda est, quum nos illâ beatitate potiti fuerimus v. 19—22.. Male *Reich.* II, 186. objicit, speratam mundi renovationem non firmioribus argumentis niti, quam felicitatem, cujus spem Ap. Romanis fecerit. Nam mundi renovationem quum homines christ. sempiternae beatitatis compotes redditi fuerint certo eventuram esse inde Paulo constat, quod Deus mundi machinam post maleficium ab Adamo patratum hâc lege Infirmitati servire voluerit, ut ei Christianorum felicitas libertatem afferret v. 20, 21.. Quare hoc modo P. concludit: certum est A., quoniam longe certissimum est B., et quod Deus tum ad effectum adducere decreverit, quum eventum habuerit A.. Non rectius *Meyerus* obvertit, *primariam* vs. 18. sententiam ὅτι οὐκ ἄξια τ. π. τ. ν. κ. πρὸς — Apostolo vs. 19. muniendam fuisse. Nam et totam sententiam et aliquam sententiae partem corroborare scriptori pariter licet. Sic P. v. 24. et 25. unius v. ἀπεκδεχόμενοι v. 23. rationem reddit. Ceterum Paulum v. 18. vocem μέλλουσαν ponderosam esse voluisse verborum ordo ostendit (v. supra). Et quidni Ap. *proximis* v. 18. verbis robur addendum esse duxerit? Adde, quod ultimorum vs. 18. verborum rationem haberi vocabulum τὴν ἀποκάλυψιν v. 19. ostendit, quo ad ἀποκαλυφθῆναι v. 18. respicitur. Permulti, universam v. 18. sententiam versu 19. muniri opinati, sempiternae beatitatis vim ac magnitudinem vs. 19. sq. doceri existimant (*Chrys.*, *Theophyl.*, *Oec.*, nuper v. c. *Reich.* et *Meyer.*). At magnam et pretiosam rem te habiturum esse ex eo non consequitur, quod Deus *alium* ornare decreverit, *postquam te* beaverit. Miras autem illi res confinxerunt, ut praejudicatam opinionem tuerentur. Sic Theophyl. voci τῆς κτίσεως v. 19., quae hominibus christ. majore, quam rerum natura, honore dignis opponatur, sententiae pondus subesse putavit: Θέλων δεῖξαι ὅσης τευξόμεθα δόξης, φησίν, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις ἐπὶ τὸ κρεῖττον ἀμειφθήσεται· καὶ ἐὰν ἡ κτίσις, πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς. *Reichio* autem sempiternae felicitatis vim ac splendorem ab Ap. h. l. probari, certum videtur idcirco, quod et omnis generis mala hominibus ex rerum inconstantiâ oriantur et rerum natura, ut perbeati simus, ita excolenda sit, ut paradisi amoenitatem aequet. Hoc nimirum pacto Ap. v. 19. sic disputare debuisset: nam rerum natura, *unde nostra salus suspensa est*, *immensum in modum*, *ut beatissimam in ea vitam transigamus*, a Deo corrigetur, excoletur et ornabitur. Simul sempiternam felicitatem *proxime* nobis instare Apostolum v. 19. sq. docere *Reich.* autumat. Fallitur. Nam quum P. illam beatitatem in propinquo esse versu 18. minime dixerit, non potest id v. 19. sq. affirmare, ubi quae vs. 18. enuntiata sunt probat. Scilicet et argutatus est *Reich.* in verbis v. 19. et 22. ἡ ἀποκαραδοκία ἀπεκδέχεται, συστενάζει, συνωδίνει, et vs. 24. et 25. vim ac rationem parum intellexit et τὴν ἀποκαραδοκίαν v. 19. *primo* l. positam suam opinionem confirmare male contendit. Nam quum P. duplici prosopopoeiâ, quâ Mundi *Exspectationem* personam induceret, uti constituisset, ne potuit quidem verbis ἡ ἀποκαραδοκία τῆς κτίσεως v. 19. alium l. assignare, quam quem iis dedit. Perperam etiam *Grotius* „Coeperant

Christiani, inquit, a Claudii temporibus male tractari. Eos P. *dupliciter consolatur*; primum, quod tota rerum universitas rerum vicibus et interitioni sit obnoxia, stultum autem sit sibi optare quod mundus non habet. — Deinde, quod Apostoli quotidie multas patiantur vexationes et contumelias, non debeant autem Christiani eam sortem recusare quam Apostoli libenter ferant." Nam quum v. 19. voce γάρ cum v. 18. arcte cohaereat, aut futurae beatitatis amplitudo, si v. 19. ad totum v. 18. referatur, aut, si idem ad ultimam v. 18. partem pertineat, speratae felicitatis veritas v. 19. sq. probetur necesse est. Adjice quod primaria v. 19—21. sententia non haec est, totam rerum naturam rerum vicibus obnoxiam esse, sed mundi machinam hâc lege Interitioni divinitus subjectam esse, ut piis Christianis ad sempiternam beatitatam perductis et ipsa servile jugum excutiat, et quod *Grot.* vs. 23. de solis Apostolis exponi falso putavit.

V. 19. Suspensa est hujus l. v. 19—22. explicatio e vi vocis ἡ κτίσις. Quae a v. *κτίζω condere* (*κτίζειν πόλιν* Hom. Od. 11, 263.), *fabricari*, quod in libris s. de Deo, mundi conditore (τῷ κτιστῇ 1 Petr. 4, 19.), sollemne vocabulum est (Marc. 13, 19. LXX. Prov. 8, 22.), ducta duo in libris divinis denotat I., active *actionem procreandi* (Rom. 1, 20. Apoc. 3, 14.) II. passive *rem procreatam*. Est igitur κτίσις ein Geschöpf (Hebr. 4, 13.) et ἡ κτίσις (Sap. 16, 24. Hebr. 9, 11.), πᾶσα ἡ κτίσις (Judith. 16, 14.) et ὅλη ἡ κτίσις (Sap. 19, 6.) *res procreatae in universum*, *rerum universitas*, *mundus*, nisi ubi loquutionem πᾶσα ἡ κτίσις arctioribus finibus circumscriptam esse, ut ad singulare quoddam rerum procreatarum genus pertineat (v. c. ad genus humanum Marc. 16, 19. Col. 1, 23.), res et contexta oratio perspicue ostendit. Hic l. eorum interpretationem unice admittit, qui τὴν κτίσιν et v. 22. πᾶσαν τὴν κτίσιν *rerum universitatem*, *mundum* explicuerunt. Fuerunt autem in hâc sententiâ longe plerique interpretes, v. c. *Iren.* adv. Haer. 5, 32, 1. p. 331. ed. *Massuet.*, *Orig.* de principiis 1, 7, 5., *Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Oec.*, *Erasmus*, *Lutherus* (v. c. Opp. lat. IV, 519. Jen. 1570. et comment. in Genesin p. 24.), *Calv.*, *Beza*, *Grot.*, *Wolf.*, *Kopp.*, *Morus*, *Flatt.*, *Rueck.*, *Reich.*, *Koelln.*, *Usterius* Entwick. p. 373. et 399 sq. ed. 4. al.. Nam I. vocem ipsam ἡ κτίσις et πᾶσα ἡ κτίσις hanc expositionem recipere vidimus. Deinde II. quae h. l. leguntur cum seriorum Judaeorum opinione de mundo post nefarium Adami facinus in deterius a Deo mutato, sed Messiae temporibus mirum in modum emendando prorsus conspirant; idem autem, si rei *summam* spectaveris, Jesu et Apostolis placuisse multa indicio sunt. Nempe posterioris temporis Judaei a l. Genes. 3, 17. 18. (cf. 5, 29. 8, 21.), ubi Deus, ut Adamus commissi mali facinoris gravem poenam haberet, diras terrae imprecatus esse eamque sterilem reddidisse dicitur, profecti quin Deus Adami peccato irritatus rerum universitatem in dete-

rius mutaverit nulli dubitaverunt. Nam et alia V. T. loca hanc opinionem commendare videbantur (Ps. 102, 27. Jes. 51, 16. 65, 17. al.) neque deerat, qui ruinosam rerum naturam restauraret, Messias, omnium ab Adamo importatorum damnorum reparator. Ceterum dum Judaei et quae res Adami culpâ vel amissae vel in pejus mutatae fuerint et quem in modum a Messia ornandae et expoliendae sint constituere conantur, alii alia absurde comminiscuntur. Etenim imaginatione, malâ dogmatum magistrâ, et ineptâ V. T. interpretatione ducti pro suo quisque ingenio partim commenta sua hauserunt e libris s. male intellectis, partim libros s. ad sua commenta accommodarunt. Sunt autem iis potissimum locis abusi, quae aureae aetatis descriptionem continent, v. c. Jes. 11, 7. *) Quas Rabbinorum nugas Jesu et

*) Bereschith rabba f. 11. c. 3. R. Berachja dixit R. Samuelis nomine: quamquam omnia ita, ut expleta essent et perfecta, condita sunt, tamen postquam אדם הראשון peccavit, depravata sunt neque integrum suum statum recuperabunt, nisi quum venerit פרץ (Messias), quod dictum est (Ruth. 4, 18.): hae sunt stirpes (תולדות) Pherez. Plene (cum ו i. e. sex) scriptum est תולדות, quia *sex* res ad pristinam integritatem revertentur, nempe hominis splendor [hoc ex Jud. 5, 31. probatur], vita [vitae perpetuitas ex Jes. 65, 22. efficitur], staturae proceritas [provocatur ad Levit. 26, 13.], fructus terrae et arborum [Zach. 8, 12.] et lumina i. e. sol, luna et stellae [Jes. 30, 26.]. Similia traduntur ibid. f. 11. c. 2. R. Bechai in Schulchan orba f. 9. c. 4.: Tempore illo [Messiae] rerum universitas in melius mutabitur et conditionem perfectam et puram recipiet, qualis fuit tempore primi hominis, ante quam peccasset. Nezach Iisrael f. 54, c. 2. Messiae tempore hominibus peccato levatis terra, cui mala Deus propter Adami peccatum imprecatus est, pristinam conditionem et fertilitatem recuperabit, quâ ante quam Adamus peccavit gavisa est. Schemoth rabba sect. 15. f. 114, 4. Decem res Deus S. B. renovaturus est Messiae temporibus. Primum est, quod illustraturus est mundum, quod dicit Jes. 60, 19. — Tertium est, Deus faciet, ut arbores *singulis mensibus* fructus suos ferant et homo qui iis vescatur sanetur, q. d. Ez. 47, 12. — — Sextum, quod *juvenca et ursus simul pascent* Jes. 11, 7. — — Pirke R. Elieser c. 51. Tempore futuro Deus solem, lunam et stellam renovabit, lumen eorum septuplum augebit, q. d. Jes. 30, 26.. Hominum staturam postquam Adamus peccasset deminutam esse Rabbini ex Genes. 3, 8. apparere putant. Fuit autem Adami priusquam deliquisset statura vel centum (valde enim V. D. de tantâ re dissentiunt), vel ducentorum vel trecentorum, vel ut R. Abhu ex Jes. 65, 22. ingeniose demonstravit, nongentorum cubitorum. Certe corporis proceritas Adami fraude amissa nobis reddetur (v. Bereschit rabba ll. cc.). Arbores Messiae temporibus *quotidie* fructus edent (Schabbath f. 30. c. 2.), Israelitarum terra, quod ex Ps. 72, 16. liquido intelligitur, placentas et lanea vestimenta proferet (Ketuvoth f. 111, c. 2. Schabbath l. l.), mulieres *quotidie* parient (Schabbath l. c.), et unus quisque Judaeorum tot habebit liberos, quot homines Mose duce Aegyptum relliquerunt h. e. sexcenta millia (v. Medrasch Tillim. f. 28. c. 4., ubi res e Ps. 45,

Apostolis probatas esse non credo; illud affirmo, hos quoque existimasse rerum naturam propter Adami maleficium in deterius mutatam ita Deum ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Χριστοῦ renovaturum esse, ut nova et ad quam interitus non veniat rerum compages nascatur. (Hoc ipsum hîc perspicue dicitur, *nihil praeterea*). Id enim et per se credibile est et e nonnullis l. plane cognoscitur. Quum P. improbum Adami facinus eo valuisse, ut homines mortalitas consequeretur, Genesis scriptori crediderit (Genes. 2, 17. 3, 19. Rom. 5, 12.), quidni eidem Deum propter Adami peccatum terrae fecunditatem imprecatione ademisse Genes. 3, 17. 18. affirmanti fidem habuerit et ea V. T. loca intuitus, in quibus tum coelis et terrae interitus portenditur Ps. 102, 27., tum novi mundi exstructio promittitur Jes. 65, 17., mundi machinam prioris Adami culpâ in deterius mutatam post posterioris Adami reditum de coelo in integrum restitutum iri, ut immortalis fiat e mortali, existimaverit? Et sic plane visum est tum Apocalypsis scriptori 21, 1., quem ab Jes. 65, 17. pependisse manifestum est, tum epistolae, quae Petri nomine circumfertur, conditori 2 Petr. 3, 5—13., qui eodem l. nixus ἐν τῇ παρουσίᾳ τῆς τοῦ θεοῦ ἡμέρας futurum esse putat, ut coeli intereant, circuli zodiaci stellae, infimo coelo affixae, ignescant et terrae conflagrent ac novi inde coeli et nova terra oriantur, tum Petro apud Lucam Act. 3, 21., cujus restitutio omnium rerum in integrum (ἀποκατάστασις πάντων) mundi renovationem continet. Idem vero et Jesus sensisse videtur, qui Matth. 24, 35. coelo et terrae interitum omine-

---

17. ostenditur). Vide omnino *Eisenmengeri* Entdecktes Judenthum II, 823 sqq., *Schoettgenii* Horas hebr. II, 62 sq. 171., *Corrodi* Kritische Geschichte des Chiliasmus I, 368. sq. et *Bertholdti* Christol. p. 214 sq. Non illustrant Pauli locum Philonis loca, quae post *Grotium* multi, v. c. *Tholucc.* et *Reich.*, citarunt. Nam de Cherub. p. 123. (I, 155. *Mang.*) nonnulla verborum similitudo, summa sententiarum dissimilitudo obtinet, quum solis, lunae, totiusque mundi, qui motu alieno agitetur, aerumnam et defatigationem ex Adami flagitio natam esse ne apice quidem Philo indicet, sed sic disputat: in unum Deum τὴν ἀνάπαυσιν cadere h. e. τὴν ἄνευ κακοπαθείας μετὰ πολλῆς εὐμαρείας ἀπονωτάτην ἐνέργειαν ex eo elucet, quod Deus ἄτρεπτος καὶ ἀμετάβλητος est, unde sequitur, ut sit ἀκμῆς φύσει et quamvis semper occupatus sit tamen nunquam non quiescat; contra mundus, quum non sui sit arbitrii, sed extrinsecus pulsetur, laborat, fatiscit et propter defatigationem mutatur; non ergo in eum illa ἀνάπαυσις convenit. Neque alter Philonis locus De praemiis et poenis p. 923. (ed. *Mang.* II, 421. sq.) huc pertinet. Neque enim feras bestias post Adami maleficium efferatas Messiae temporibus ad pristinam mansuetudinem redituras esse Philo contendit, sed sperat fore, ut ferocia animalia, quae φύσει homines hostiliter insectentur, tum mitescant, quum qui feras mentis bestias cicuraverint h. e. malas cupiditates ex animis ejecerint.

tur (ambiguo l. Matth. 19, 18. de industriâ non utor), et Paulus, qui hujus mundi *formam* immutatum iri contendat 1 Cor. 7, 31. Postremo III. argumenta, quibus haec interpretatio impugnata est, vi destituuntur. Eo enim nonnulli offensi sunt, quod quae de rerum naturâ, si nostram interpretationem inieris, h. l. dicantur neque aliis l. P. exponat et hic ut rem lectoribus notam commemoret (v. 22. *οἴδαμεν γάρ*). At locum de futurà mundi renovatione Christianis, quum iis doctrinae christ. elementa primum traderentur, accurate a magistris expositum esse perquam credibile est et scripta est haec epistola hominibus doctrinae christ. bene gnaris, ut Apostolo invitante re tangere ea licuerit, quae eos a magistris, qui eos doctrinae christ. elementa docuissent, accepisse necesse esset. Alias quoque in N. T. haec res ut lectoribus et auditoribus haud ignota *obiter* memoratur (v. l. supra allata), nusquam accuratius explicatur aut ostenditur. Praeterea prosopopoeiam, quâ rerum universitas sperans v. 19. et gemens v. 22. inducatur, nimis audacem esse, quam quae in epistolae tenuitatem cadere videatur, objectum est (*Turrettin.*, *Ammon.* Exc. F. al.). Cui dubitationi VV. DD. sic vulgo occurrunt, ut *Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Grotium* al. sequuti ejusmodi prosopopoeias in V. T., cujus multum usum P. habuerit, admodum frequentari (Deut. 32, 1. Jes. 1, 2. 55, 12. Jer. 47, 6. Ps. 19, 2. 98, 8. al.), Paulum supra ceteros hâc orationis figurâ delectari (5, 12. 10, 6. Gal. 3, 8. 22. sq. al. v. *Grot.*) et totum hunc l. v. 19—39. poëticâ verborum majestate conceptum esse (*Rueck.*) observent. Quae recte disputata essent, si P. v. 19. *ἡ κτίσις τὴν ἀπ. τ. υ. τ. θ. ἀπεκδέχεται* scripsisset, quemadmodum v. 22. *πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει* dixit. At poëtica orationis altitudo v. 19. in eo posita est, quod Ap. mundi *Exspectationem* personam fecit *eamque* piorum hominum felicitatem *exspectare* affirmavit. Aeschyl. Sept. 915. *δόμων μάλ' ἀχὰν ἐς οὓς προπέμπει | δαϊκτὴρ γόος* —. Similiter, sed minus elate Petrus 1 Petr. 3, 20. dicit: —*ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ θεοῦ Μακροθυμία* —. Sed ne haec quidem verborum elatio vel a P., qui saepe cum poëtis orationis majestate aemulatur (1 Cor. c. 13. Gal. 5, 5.), aliena est, vel ab hujus granditate loci abhorret. Nunc quaeritur, de quo valde interpretes dissentiunt, utrum P. voce *ἡ κτίσις* et *πᾶσα ἡ κτίσις* ipsam mundi machinam h. e. coelos, sidera, aerem, orbem terrarum dixerit (*Luther. Beza.* al.), an simul res et naturas aut omnes aut nonnullas complexus fuerit, quae coelis et terrâ continentur. *Wolf.*, *Rueck.*, *Reich.*, *dW.*, *Meyerus* al. *τὴν κτίσιν* et *πᾶσαν τὴν κτίσιν rerum universitatem unâ cum animalibus et plantis* ita ut homines na-

turaeque mente praeditae excludantur dici autumant: Theodoretus v. 19. τὴν κτίσιν πᾶσαν τὴν ὁρωμένην κτίσιν interpretatur et πᾶσα ἡ κτίσις v. 22. τὴν ὁρωμένην κτίσιν καὶ τὴν ἀόρατον h. e. praeter coelum, terram, aerem, mare, solem et lunam ἀγγέλους, ἀρχαγγέλους, δυνάμεις, ἐξουσίας, κυριότητας exponit: *Koellnerus* τὴν κτίσιν et πᾶσαν τὴν κτίσιν *nihil non, quod a Deo procreatum sit,* ita ut ne Christiani quidem excepti sint, comprehendere existimat. Mihi nihil dubitandum videtur, quin P. τὴν κτίσιν et πᾶσαν τὴν κτίσιν nihil nisi ipsam mundi machinam (coelos, sidera, aerem, terram) dixerit, de rebus et naturis in mundo constitutis plane non cogitaverit. Hoc *loci argumentum*, *N. T. scriptorum ingenium* et *ipsa sententiae a P. enuntiatae majestas* commonstrat. Homines christ. a τῇ κτίσει sejungendos esse apparet; *distinguuntur* enim οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ et οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες v. 19. 21. 23. a τῇ κτίσει. Neque angelos, malos genios, plantas et animalia P. τῇ κτίσει subesse voluit. Nam ne Judaeis quidem, non modo N. T. scriptoribus, in mentem venit statuere vel angelos et improbos genios propter Adami scelus mortales et caducos redditos esse, vel bestias et plantas Messiae temporibus immortalitatem et perennitatem recepturas esse, quam ante Adami maleficium habuissent (v. 21.). Homines quoque τῆς κτίσεως vocabulo non continentur. Nam qui improbe vixerint neque Christo fidem habuerint, ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Χριστοῦ Paulo judice nihil lucrabuntur. Non illi ad beatam immortalitatem, quam jure τὴν ἀφθαρσίαν appelles (2, 7. 2 Tim. 1, 10.), pertingent, sed sempiterna tormenta et ineluctabilem pestem, quam recte voces φθορὰν Gal. 6, 8. Rom. 2, 9. 2 Th. 1, 8. sentient. Quî igitur hominibus a christ. disciplinâ alienis mortalitatis per Adamum invectae vincula solvat iisque nescio quid laxamenti det Christus de coelo reversus, qui eos sempiternis tartarorum tormentis traditurus sit? Deinde, quod mihi argumentum inprimis grave videtur, quamquam N. T. scriptores quum Adami peccatum eo valuisse, ut rerum natura fluxa et mortalis fieret ex immortali et perenni censuissent, res quoque et animantes quas fragilis rerum natura peperisset pejores esse, quam si immortalis rerum universitas eas progenuisset esse possent, existimare debuerunt, sapienter tamen in generali sententiâ acquieverunt e V. T. repetitâ, mundi molem, quae propter Adami flagitium immortalitatis jacturam fecerit, post Christi de coelo reditum renovandam esse ita ut in caduci mundi locum novi coeli succedant et terra non peritura (cf. supra), nunquam, quemadmodum Rabbini fecerunt, de eo temere philosophati sunt, quot quantisque

ornamentis mundi machinâ ad mortalitatem detrusâ stellae, terra, vita hominum, animantes et plantae spoliatae fuerint, Messiae tempore restituendis. Denique Ap. h. l. gravissimam sententiam magnifico dicendi genere complexus est. Non solet autem nobis immensae rerum naturae admiratione captis in eaque cogitatione defixis in mentem venire culex aut avena. Restat, ut eam τῆς κτίσεως explicationem refellam, quam cum interpretatione hactenus expositâ dignitate posse contendere ex iis quoque nonnulli male putarunt, qui eam rejecerunt. Scilicet τὴν κτίσιν et πᾶσαν τὴν κτίσιν fuerunt, qui aut *homines a christ. disciplinâ alienos* (v. c. *Augustin.* Expos. quarundam propos. ex ep. ad Rom. c. 53., *Wetst.*, *Grimm* De vi vocabuli κτίσις Rom. 8, 19 sqq. Lips. 1812. 8.) aut *totum genus humanum* Marc. 16, 15. Col. 1, 23. valere autumarent (v. c. *Turrettin.*, *Keil* Opusc. p. 207., *Ammon* Exc. F., *Schulthessius* Die evang. Belehrung über die Erneuerung der Natur. Zürich 1833. 8. p. 85. sq.). Posterior enarratio cum priori eatenus congruit, quatenus quia homines christ. a τῇ κτίσει P. distinxit, illam ingressus Paulum generale τῆς κτίσεως vocabulum ita collocasse, ut lectores distinctione quam fecisset admoniti tantummodo ad homines qui non essent Christiani referrent, judicare debet. Errarunt qui τὴν κτίσιν et πᾶσαν τὴν κτίσιν suâ vi homines Christi sacris non initiatos notare crediderunt. Hoc enim ὁ κόσμος declarat 1 Cor. 6, 2.. Sed iis, qui τὴν κτίσιν *genus humanum* exposuerunt, Paulum ὁ κόσμος pro ἡ κτίσις scripturum fuisse non objecerim cum *Usterio* l. c. p. 399.. Debuit P. ὁ κόσμος exarare, si tenebriones hominibus piis et bene institutis opponere voluit; sed licuit ei ἡ κτίσις et πᾶσα ἡ κτίσις ponere, si ab hominibus in universum Christianos distinguere voluit. Quin obstant illis alia multo majora. Nam si τὴν ματαιότητα v. 20. *stultitiam* et τὴν φθοράν *morum perversitatem* (Eph. 4, 17. 2 Petr. 1, 4.) explanaveris, absurda nascitur sententia: homines christ. sempiternae beatitatis spem recte concepisse ex eo manifestum esse, quod homines a Christi sacris aversos hâc Deus lege ad superstitionem morumque improbitatem *invitos* adduxerit (v. 20. at suâ quisque culpâ in superstitionem et morum perversitatem delabitur Rom. 1, 20 sq. Eph. 4, 18. sq.), ut tum et superstitione et impuritate liberentur, quum Christiani aeternâ felicitate potiantur (v. 18—22. at sero aliquis Christo de coelo reverso resipiscat 2 Thess. 1, 8. Joh. 5, 29.)! Sin τὴν ματαιότητα v. 20. *infirmitatem* et τὴν φθοράν v. 21. *interitum* explicueris, totus l. non minus laborat. Scilicet 1. homines a Christi disciplinâ alieni Christianorum beatitatem, rem aut ignotam aut ab iis addubitatam, praestolari non

potuerunt. Argutantur qui parum explicatam bonorum, quae illi homines mortalitatis et aerumnarum pertaesi desiderarent, notionem Paulum ita interpretari contenderunt, ut tempus eos sperare dicat, quo bona vere iis optanda in pios homines conferantur (*Turrettinus*). Nam qui mente praediti et in quos spes cadat *rem* sperare dicuntur, eos *id ipsum quod sperare affirmantur* sperare intelligimus. Neque aliam interpretationem v. v. 20. et 21. *τῇ γὰρ ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη ἐπ' ἐλπίδι ὅτι* —. h. l. admitterent. Deinde II. languent v. v. 20. *οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα.* Nam genus humanum post Adami maleficium non volens sed quia Deo sic placuisset Infirmitatis et Mortis imperio se subjecisse Genes. 3, 17. quivis sponte intelligit neque ea res diserte dicta quidquam ad argumentationem confert, quod longe secus est, si *τὴν κτίσιν rerum naturam* explicueris. Tum III. P. neminem ignorare (*οἴδαμεν* v. 22.) diceret, totum genus humanum usque a longo tempore (ab Adami aetate v. 22. *ἄχρι τοῦ νῦν*) gemere ac dolere beatae immortalitatis tum sibi reddendae, quum *οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ* beentur, desiderio captum (v. 19—22.). At neque in V. T. haec res promissa est, neque eam Judaei omnibus promiscue hominibus ominati sunt; imo Judaei eam Judaeis, Christiani Christianis destinarunt. Nam sui quisque studio potissimum ducitur. Accedit IV., quod P. homines a Christi sacris alienos *beatam immortalitatem* (*τὴν ἀφθαρσίαν*) tum *utique* recepturos esse, quum pii Christiani hoc ornamento decorentur (v. 20. 21.), ne potuit quidem contendere. Etenim *a.* *ἡ ἀφθαρσία*, quâ coelesti amictus corpore fruaris, nemini dabitur, nisi pio Christiano 1 Cor. 15, 48. sq. 2 Cor. 5, 1. sq. Phil. 3, 21.; homines impii et qui Christo fidem non adjunxerint sempiternis tormentis committentur 2 Th. 1, 8. sq. 2 Cor. 5, 10. Rom. 2, 8. sq. *b.* Beata immortalitas *fide* tantummodo paratur Rom. 1, 16.. Hinc P. Rom. 11, 25. sq., quo l. sperat fore ut totum genus humanum aeternâ felicitate potiatur, omnes denique homines fidem Christo adjuncturos esse docet. Quî igitur *τὴν ἀφθαρσίαν* hominibus a Christi sacris remotis *ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Χριστοῦ* utique dandam esse, sive fidem Christo habuerint sive denegarint h. l. dixerit eaque re eodem loco *τοὺς ἀπίστους* futuros esse, quo *οἱ πιστοὶ* futuri sint, declaraverit? *c.* Post Christi de coelo reditum, quo tempore Dei filiis *ἡ δόξα* tribuetur, poenae de improbis hominibus et qui non fidem in Christo collocaverint capientur, non ii admonebuntur, ut fide sibi beatitatem comparent 2 Th. 1, 8. Gal. 6, 7. sqq. Postremo V. parum placet haec argumentatio: certa est, quam speramus, majestas (v. 18.) propterea, quod Deus homini-

bus a nostrâ disciplinâ abhorrentibus ademtam immortalitatem tum reddere decrevit, quum nobis majestatem dabit v. 19—22. h. e. dabitur nobis quod speramus, quia Dei de immortalitate τοῖς ἀπίστοις restituendâ consilium eventu destitui nequit. Videtur enim mihi P. hâc conclusione τοὺς ἀπίστους majore, quam quod in eum cadat, studio complecti. *) **Ἡ ἀποκαραδοκία neque *attentam aut sollicitam* exspectationem, neque simpliciter *exspectationem*, sed *constantem exspectationem* declarat. Item ἀπεκδέχεσθαι *perseveranter exspectare* notat (vide disputationem meam**

*) Iisdem argumentis eorum opiniones evertuntur, qui τὴν κτίσιν et πᾶσαν τὴν κτίσιν aut *gentiles* (*Lockius* ad h. l., *Lightfootus* Opp. anglican. II, 2, 1148 sq., *Semlerus* al.), aut *nationem judaicam* (*Doederlinius* Comm. theol. I, 490. sqq., *Boehm.*, *Gersdorf.* Beiträge u. s. w. p. 382. sqq.) notare putarunt. Quamquam his etiam loquendi usus refragatur. Nam seriorum Judaeorum *gentiles* contemtim הַבְּרִיּוֹת vocantium (v. not. ad Marc. p. 729.) usus a N. T. scriptoribus non susceptus est. Neque populum judaicum quisquam κατ᾽ ἐξοχὴν dixit τὴν κτίσιν. Sane Israel Dei filius fuit Jes. 44, 1., unde Deus ejus progenitor (ὁ πλάσας, ποιήσας, κτίσας αὐτόν Deut. 32, 6. Ez. 28, 14. 15. Ps. 100, 3. Jes. 43, 7. 44, 2. 64, 8.) saepe appellatur. Sed hinc nihil nisi hoc recte concludas, nationem judaicam *ab Judaeo*, ubi eum de natione jud. loqui contexta oratio perspicue indicaret, τὴν κτίσιν τοῦ θεοῦ (Sirac. 36, 15.) nuncupari potuisse. Hoc ipsum probat 4 Esr. 5, 56. Rogo, Domine, — demonstra servo tuo, per quem visites creaturam *tuam* (τὴν κτίσιν σου). Cf. ibid. v. 33.. Τὴν κτίσιν *nude* positam *populum jud.* denotare ex hujusmodi l. minime sequitur. Pejus etiam *Deylingius* Obs. s. I, 276. ed. 2. aliique τὴν κτίσιν *homines renatos* (Christianos) Gal. 6, 15. 2 Cor. 5, 17., *Clericus*, *Noesseltus* Opusc. I, 115. sq. aliique loca Marc. 16, 15. et Col. 1, 23. antestati Christianos, qui olim *gentiles* fuissent et *Gockelius* (v. *Augustii* Monatschrift 1801. I, 51. sq.) Christianos *ex Judaeis* collectos interpretati sunt. Potuerunt homines christ. quippe divinâ doctrinâ tanquam renati Jac. 1, 18. *αἱ καιναὶ κτίσεις* vocitari 2 Cor. 5, 17. *κατ᾽ ἐξοχήν*. Sed nunquam ita in N. T. appellantur. Multo minus ibi αἱ κτίσεις aut ἡ κτίσις dicuntur. *Gentiles* Judaei per contemtum הַבְּרִיּוֹת nominarunt (v. supra). Sed Christianos qui olim pagani fuissent, quum non minus quam qui e Mosis scholâ ad Christi sacra transissent Deo consecrati essent, P. contemtim τὰς κτίσεις s. τὴν κτίσιν appellare non potuit Gal. 6, 15.. *Gockelii* opinio prorsus vana est. Idem de his commentis valet: τὴν κτίσιν esse *angelos*, quos hominibus divino nutu servire oporteat, quamvis τῇ ματαιότητι subjectis Hebr. 1, 14. (*Trillerus* apud *Wolfium* et nonnulli veteres): τὴν κτίσιν dici Adamum et Evam partim a Deo partim a serpente τῇ ματαιότητι subjectos Genes. 3, 19. cl. 5. et πᾶσαν τὴν κτίσιν nuncupari „quicunque usque ad adventum Christi justi fuerint, quia et ipsi nondum accipientes exspectent" (haec *Pelagii* sententia est): τὴν κτίσιν indicare sepulta Christianorum corpora restitutionem in vitam et sempiternam felicitatem avide exspectantia (*Heumannus*). Quas nugas si persequerer chartam perderem. Cumularunt hujusmodi commenta *Heumannus*, *Wolfius*, *Flattus* et *Reichius* (II, 215. sq.) ad h. l.

De potestate vocc. ἀποκαραδοκεῖν, ἀποκαραδοκία *et* ἀπεκδέχεσθαι in *Fritzschiorum* Opusc. acad. p. 150. sqq.). Ἡ Ἀποκαραδοκία τῆς Κτίσεως ἀπεκδέχεται] *constans Mundi Exspectatio constanter exspectat.* Duplex prosopopoeia. Nam et *Mundo* et mundi *Exspectationi* personae partes datae sunt. Quodsi posteriorem prosopopoeiam sustuleris P. hoc dicit: Ἀποκαραδοκοῦσα γὰρ ἡ Κτίσις ἀπεκδέχεται *nam constanti exspectatione plenus constanter Mundus exspectat* (v. *Fritzschiorum* Opusc. l. c.) τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ h. e. *eventum quum patescent filii Dei.* Passivam enim vim ἡ ἀποκάλυψις τ. υ. τ. θ. habet, die Erscheinung der Kinder Gottes (τὸ ἀποκαλύπτεσθαι τοὺς υἱοὺς τοῦ θεοῦ), quo vocabulo P. invitatu verbi ἀποκαλυφθῆναι V. 18. usus est. Manifesti autem reddentur Dei filii, quum e beatitate iis tributâ qui sint Dei filii quivis existimare poterit. Nunc quidem quoniam Dei filii i. e. pii Christiani aeternam felicitatem spe possident, non re (v. 24.), adoptionem in Dei filios exspectare recte dicuntur (v. 23.). Nam etiamnum emolumentis carent, quibus auctos esse Dei filios oportet. Pertinaciter autem Mundus eventum, quum Dei filii patescent et tanquam in lucem edentur, exspectat propterea, quod ipse quoque tum secundum Dei propositum et decretum in perfectam conditionem, quâ ante Adami maleficium gavisus est, restituetur (v. 21.). Utraque autem prosopopoeiâ sublatâ et oratione in pedestrem sermonem resolutâ haec Pauli sententia est: ἔκπαλαι γὰρ ὥρισεν ὁ θεὸς τὴν κτίσιν ἀποκαταστῆσαι (Act. 3,21.) ἐν τῇ ἀποκαλύψει τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ (jam dudum enim Deus mundum tum renovare decrevit, quum filios suos tanquam in solem atque pulverem productos summis beneficiis cumulaturus esset). Hâc vero sententiâ proximi enuntiati (v. 18. πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς) *veritas* praeclare communitur: *patefacienda* est in nos majestas (v. 18.). *Nam* jam dudum Deus mundum tum renovare decrevit, quum Dei filii patuerint et beneficiis, quae iis destinata sint, ornati fuerint. Quippe Dei consilia eventu destitui nequeunt. (Vide omnino *Fritzschiorum* Opusc. l. c.).

V. 20. 21. Causam P. affert, cur constans Mundi Exspectatio τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ constanter exspectet (v. 19.), hanc: Mundum se, quia Deo sic visum esset, Infirmitati submisisse spe propositâ, fore ut Interitus vinculis laxatis libertatem adipisceretur in Dei liberorum majestate positam (v. 20. 21.). Orationis granditate detractâ P. sic disputat: jam dudum Deus mundum in integrum restituere tum decrevit, quum filios suos summis beneficiis ornaturus esset (v. 19.). Quippe Infirmitati mundum sub-

jecit spe datâ, fore ut ex mortali immortalis redditus Dei liberorum majestate frueretur (v. 20. 21.). Primo de vocis τῆς ματαιότητος, quam ut primarium pondus habere intelligeremus, primo l. Ap. collocavit, potestate quaeritur. Contra usum loquendi τὴν ματαιότητα multi (*Theophyl.*, *Grot.*, *Heum.*, *Morus*, *Rueck.*, *dW.* al.) *fragilitatem* exposuerunt et idem valere dixerunt quod v. 21. ἡ φθορά. Significat μάταιον *vanum* aut *inane* h. e. *vi*, *eventu*, *pondere*, *pretio destitutum*, non *fragile* aut *caducum* neminique in mentem venit μάταιοι (s. κενοί) εἰσιν οἱ ἄνθρωποι graece dicere pro φθαρτοί εἰσιν οἱ ἄ.. Male illi ad hebr. voc. הֶבֶל provocarunt, quod quoniam proprie *halitum* notat tum *vanitatem*, tum *fragilitatem* et *inconstantiam* valere potest. Nihil enim aurâ *inanius* est, nihilque *fugacius*. Contra quî ἡ ματαιότης quod voc. cum μάτην et μάψ cohaeret, *mutabilitatem* significare possit non apparet. Non melius illi LXX. viros antestati sunt. Nam Eccles. 1, 2. 7, 6. 11, 10. ἡ ματαιότης *vanitatem* declarare manifestum est. Ps. 39, 7. Jes. 1, 13. aliisque in locis parum ab LXX. perceptis sua tamen verbis ἡ ματαιότης et μάταιος constat notio. Loca denique cujusmodi est Prov. 31, 30. μάταιον κάλλος γυναικός nihil probant. Licet enim interpreti sententiam, non verba redditur pro *venustas cito perit* dicere *venustas inanis est*. Mutabilia enim propter suam inconstantiam recte inania judicantur. Postremo illi τὴν ματαιότητα idem designare quod v. 21. τὴν φθοράν male argumentati sunt. Neque enim necesse est, ut prorsus idem sit ἡ ματαιότης, quod ἡ φθορά v. 21.; illud res poscit, ut P. tum mundum se τῇ ματαιότητι subjecisse, tum eum τῇ φθορᾷ servire dixerit *sine repugnantiâ*. Constat sibi P., si τὴν Ματαιότητα *Vanitatem* i. e. numen vi et efficacitate destitutum, ergo *Infirmitatem*, τὴν Ἀδυναμίαν explanaveris. Mater est enim Mortis et Interitus (τῆς φθορᾶς) Imbecillitas. Itaque rerum Natura eo quod *Infirmitati* se subjecit *Mortis* jugum accepit, quae ex Imbecillitate nascitur. Sed haud scio, an ad poëticam hujus l. dictionem alia interpretatio melius respondeat. Potest enim ἡ Ματαιότης *Stultitia*, *Perversitas* Eph. 4, 17. 2 Petr. 2, 18. ita enarrari, ut vocabulum ad *Adami maleficium* referatur h. s.: nam *Perversitati se Mundus subjecit* non de suâ, sed de Dei, qui subjecit, voluntate (scil. *mortalitatem, quam Adami perversitas importasset, subeundo*). Denn unter die Verkehrtheit beugte sich die Natur, nicht gutwillig, sondern um dessen willen, der sie beugte. Pulcre scriptorem, quum poëtarum sublimitatem aemuletur, *aliquem incommoda ex aliquâ re nata accepisse* enuntiaturum dicere *aliquem alicui rei*, quae incommoda nescio quae attulis-

lisset, *se subjecisse* quivis sentit qui sensu poëtico valet. Hoc pacto P. sententiam verborum τῇ γὰρ ματ. ἡ κτ. ὑπ. magis declaraturus v. 21. commemorat τὴν δουλείαν τῆς φθορᾶς ut rem ex eo natam, quod Mundus se Adami perversitati ex Dei voluntate tradiderit. ὑπετάγη] Male *Grot. subest.* Hoc enim notat ὑποτέτακται, non ὑπετάγη h. e. mundus *subjectus est* i. e. *se subjecit.* Minime autem ex Aoristo ὑπετάγη et multo minus e v. οὐχ ἑκοῦσα efficitur, Deum mundum non quum primum eum condidisset, sed quum Adamus deliquisset, Infirmitati subdidisse (*Rueck.*, *Koelln.*, *Meyer.*, *Olsh.*). Nempe ex eo, quod P. τῇ ματ. ἡ κτίσις ὑπετάγη, οὐχ ἑκοῦσα scripsit, apparere, *fuisse* τὴν κτίσιν priusquam τῇ Ματαιότητι se subjiceret, argutius, quam verius contenditur. Sane Pauli *verba* hanc expositionem admittunt: nam Imbecillitati Mundus se *in rerum primordiis* subjecit, non de suâ voluntate (quod nimirum fecisset, si vix procreatus in pejus ipse ruisset quod morte delectaretur), sed —. Quin Deum mundum non quum eum conderet (*Theodoretus*, *Grot.* al.), sed quum Adamus peccasset imbecillum et caducum reddidisse Paulum existimasse primum ex eo patet, quod Judaei in hâc opinione fuerunt (v. not. ad v. 19. cl. Genes. 1, 31. 3, 17.), tum etiam e re ipsâ cognoscitur. Ominatur P. mundo restitutionem in integrum Dei filiis post posterioris Adami de coelo reditum majestate i. e. τῇ ἀφθαρσίᾳ ornatis 1 Cor. 15, 47—50.; hinc eum prioris Adami maleficio, quod φθαρτοὺς homines reddidisset, effectum esse, ut mundus quoque φθαρτὸς fieret, putasse credibile est Rom. 5, 12 sqq. 1 Cor. 15, 47. sq.. οὐχ ἑκοῦσα] *Beza*: „Scimus omnia naturali inclinatione tendere ad sui conservationem." Idem innumerabiles interpretes, ut οὐχ ἑκοῦσα explicarent, observarunt, nuper etiam *Tholuccius* verbis usus ineptis, quibus plebem in suae βαθύτητος admirationem raperet. Non cogitarunt viri optimi, se hâc observatione explicuisse rem nullâ explicatione egentem: *cur mundum volentem se Infirmitati submisisse credi non posset*: rem, quae dilucidanda fuisset, intactam relliquisse: *cur P. mundum se non de suâ sed de Dei voluntate Imbecillitati subjecisse diserte dixisset.* Nimirum primo v. ὑπετάγη exponendum erat, quippe quod et *subjecit se ipse mundus*, et *subjecit se ab aliquo invitatus* aut *coactus* valere posset. Deinde *argumentatio* hanc explicationem οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ δ. τ. ὑ. flagitabat. Cur constans Mundi Exspectatio τὴν ἀποκάλυψιν τ. υἱῶν τ. Θ. constanter exspectaret v. 19. Paulo v. 20. 21. ostendendum erat. Jam si Mundus ἑκὼν se τῇ Ματαιότητι subdidisset, h. e. cum Deo pugnans, qui eum immortalem esse voluisset, ut aliquando

periret in pejus ipse ruisset, temere constanter exspectaret ornamentum suâ culpâ amissum temereque effusum. Contra recte rerum Natura *τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ,* quae sibi immortalitatem restituat, perseveranter exspectat, si Imbecillitati se submisit *Dei voluntati obsequuta*, quum ei spes a Deo facta esset, fore ut Dei liberorum immortalitatem adipisceretur. Quum igitur v. *οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα* non obiter adjecta sint, sed ad disputationis integritatem et verbi *ὑπετάγη* perceptionem requirantur, a *Griesbachio*, *Knappio*, *Vatero*, *Rueckerto* aliisque uncis male inclusa sunt. *διὰ τὸν ὑποτάξαντα*] *Διά* cum Accus. *propter* est. Hoc enim dicit Ap.: Mundus — se subjecit *non lubens*, *sed propter eum qui subjecit* i. e. non quia ipse voluit, sed quoniam Deus voluit qui subjecit. *Castalio*, *Koelln.*, *Reich.*, *dW.* al. *διά per* explicant, quia *propter* Deum h. l. parum aptum sit, quandoquidem quae propter alium facias simul tuâ sponte, simul propter alium facere possis (*Castalio*). At *ἑκόντες* facere recte dicimur quae a nostris consiliis profecta promto animo facimus, *ἄκοντες* aut *δι' ἄλλον*, quae nisi alius vellet non faceremus 1 Cor. 9, 16. Philem. 14. 1 Petr. 5, 2.. Bene igitur oppositio *οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα* comparata est. Quamquam falluntur qui nixi Joh. 6, 57. *κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα.* Lucian. D. D. 2, 1. — *οὐδὲ συνῆλθον ἡδὺς γυναικὶ διὰ σὲ γεγενημένος.* Liv. 8, 33. — eum, *propter* quem Deûm delubra pateant —. (v. I, 197 et Dissert. ad Gal. III, 12. in *Fritzschiorum* opusc. pg. 243.) et similibus in locis *διά τινα* i. q. *διά τινος* valere putarunt. Imo in his quoque l. *διά τινα* a *διά τινος* differt. V. c. *ζῶ διά τινα* est vivo *propter aliquem*, vivo quia alius vivit, i. e. inest alicui *vitae meae causa et ratio*, *ζῶ διά τινος* vivo *per aliquem* h. e. vivo *alicujus vi*, *operâ*, *interventu*. Sed quia multis in l. pari jure causa rei et vis rei effectrix memorantur, factum est, ut scriptores saepe *διά τι* exararent, ubi re paullo aliter consideratâ scribi potuisset *διά τινος*. *Winerus* Gr. p. 379. Paulum de industriâ non *διὰ τοῦ ὑποτάξαντος* (i. q. *ὁ θεὸς ὑπέταξε τὴν κτίσιν*) dixisse opinatur, quandoquidem *τὴν ματαιότητα* nihil nisi *Adami maleficium* pepererit. Argutatur V. D.. Deus Paulo est *ὁ ὑποτάξας*, i. e. *ὃς ὑπέταξε τὴν κτίσιν τῇ ματαιότητι*, quum *διὰ τὸν ὑποτάξαντα* scripsit neque minus esset, si *διὰ τοῦ ὑποτάξαντος* dedisset. Quippe *Deus mundo immortalitatem ademit*, licet Adami scelere motus. Sive autem P. *διὰ τὸν ὑποτάξαντα* exararet (subjecit se mundus — *non quia ipse voluit*, *sed quoniam Deo placuit*), sive *διὰ τοῦ ὑποτάξαντος* poneret (subjecit se mundus — non suâ sponte, sed *Dei qui subjecit vi et auctoritate*), sententiae summa constitit. *διὰ τὸν ὑποτάξαντα*]

Dicitur Deus ὁ ὑποτάξας, summus omnium rerum moderator Rom. 11, 36. et quem terram exsecratum esse Genesis diserte testetur 3, 17. 5, 29. *Jac. Cappellus* τὸν ὑποτάξαντα *Adamum*, *Chrys.*, *Theophyl.* al. τὸν ἄνθρωπον esse credunt, quod eodem redit. Ut *remotiorem* calamitatis, quam mundus accepit, causam a P. afferri potuisse concedam: Infirmitati (s. Adami perversitati maloque ex eâ exorto: v. supra) se Mundus submisit non suapte sponte, sed *propter eum qui submisit* h. e. *culpâ ejus, qui submisit*, *Adami*: tamen Pauli disputatio hanc enarrationem respuit. Nimirum hanc ingresso verba ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι — sic explicanda sunt: subjecit se Mundus *spe conceptâ*, *fore ut* —. At, ut disputatio bene procedat, spem, de quâ v. 21. agitur, *Deum* mundo fecisse Paulo declarandum est. Nam *Deum* in pios Christianos majestatem collaturum esse (v. 18.) Ap. ex eo demonstrat, quod mundus τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ perseveranter exspectet h. e. *quod Deus mundum renovare constituerit*, *quum filios suos ornaturus sit* (v. 19.). Jure autem mundum tantam rem *constantissime exspectare*, aut *Deum* utique mundum illo tempore renovaturum esse effectum est, si P. v. 20. 21. *Deum* mortalem fecisse mundum *spe datâ*, ut filiorum Dei majestatem h. e. immortalitatem adipisceretur dixit, non effectum est, si mundum Adami culpâ mortalem *redditum sperare*, fore se aliquando immortalitatis Dei filiis destinatae participem contendit. Vana haec Mundi spes foret et temere concepta. *Oecumenius* τὸν ὑποτάξαντα *Christum*, *Hammondus Satanam*, *Semlerus* Imperatorem *Neronem* dici putavit. Nugae. Vocc. ἐπ' ἐλπίδι, ὅτι — arcte cum ὑπετάγη cohaerere et valde errasse, qui, ut aliquot librarii fecerunt, ἐπ' ἐλπίδι cum v. διὰ τὸν ὑποτάξαντα copularunt et ὅτι aut *quia*, *quoniam*, (*It.*, *Vulg.*, *Calv.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Olsh.*) aut novam v. 21. sententiam exorsi *Nam* (*Lutherus*) interpretati sunt, duobus argumentis evincas. Primo enim explicatio verbi ὑπετάγη, quâ P. cavit, ne quis Mundum alacri et promto animo τῇ Ματαιότητι se subdidisse crederet, vocabulis οὐχ ἑκοῦσα, ἀλλὰ διὰ τὸν ὑποτάξαντα (Mundus se — *subjecit*, *non volens*, *sed nolens*, quia Deo qui subjecit ita visum est), absolvitur, vocabula ἐπ' ἐλπίδι nihil ad illam pertinent (Mundus *se — submisit non quod ipse voluit*, *sed quod Deus qui spe aliquâ propositâ* (!) *subjecit voluit.*) Deinde Mundum τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ jure summâ constantiâ exspectare h. e. utique Deum ἐν τῇ ἀποκαλύψει τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ Mundum renovaturum esse v. 19. ita tantummodo Ap. ostendit, si Mundum Dei imperio morigeratum *Infirmitati se submisisse spe divinitus objectâ*, *ademtum decus majestate Dei filiis datâ sibi redditum iri* v. 20. 21.

affirmavit. ὑπετάγη — ἐπ᾽ ἐλπίδι, ὅτι —] *subjecit se Mundus — in spem adductus*, *spem habens* (ἐπ᾽ ἐλπίδι bei Hoffnung: cf. 4, 18. 1 Cor. 9, 10. Eur. Herc. fur. 802. ὡς | πιστόν μοι τὸ παλαιὸν ἦ | δη λέχος, ὦ Ζεῦ, τὸ σὸν οὐκ | ἐπ᾽ ἐλπίδι φάνθη.) np. a Deo excitatam, ut res docet et verba διὰ τὸν ὑποτάξαντα ostendunt, *fore, ut* — (Phil. 1, 20.). Ostendit autem Deus Mundo immortalitatis ἐν τῇ ἀποκαλύψει τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ recuperandae spem eo, quod, postquam Adamum, ut sceleris poenam haberet, mortalem reddiderat, Mundum quoque immortalitate privavit, unde se immortalitatem tum recepturum esse, quum hominibus tanto decore dignis immortalitas a Deo restituta fuerit, Mundus sperare potuit. Demtâ prosopopoeiâ sententia haec est: jam dudum Deus mundum tum renovare decrevit, quum suos filios honestaturus esset v. 19. Hoc ex eo intelligitur, quod Mundo immortalitatem ademit, postquam Adamo eam ademerat, unde quum Deum mundi conditionem ad generis humani sortem in posterum quoque accommodaturum esse recte colligas, mundum amissam immortalitatem recepturum esse efficitur, quum hominibus (h. e. Dei filiis) immortalitas a Deo restituta fuerit. καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις] *et ipse mundus*. καὶ αὐτός h. l. neque *ipse quoque* Hebr. 2, 15., neque *vel ipse*, *ipse adeo* Xenoph. Anab. 2, 6, 9., sed *et ipse*, *aeque atque alius* Luc. 1, 36. Xen. Anab. 7, 8, 17. declarat referturque ad alios, quorum conditioni, vitae, moribus quod tu aut agas aut patiare respondeat. Data Mundo spes est, fore ut *sicut Dei liberi*, *item ipse* immortalitatem recuperaret. Immortalitatis jacturam Mundus fecit Adamo immortalitate detractâ; recuperabit amissum ornamentum quibusdam hominibus (Dei liberis) immortalitate restitutâ. Ἡ κτίσις autem epexegesin continet non illam quidem necessariam (nam de τῇ κτίσει exponi manifestum est v. 20.), sed usitatam tamen Luc. 24, 15. — αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἐγγίσας συνεπορεύετο αὐτοῖς. Mr. 6, 17. Cf. *Kruegerum* ad Xen. Anab. 1, 7, 7. ὑμῶν δὲ τῶν Ἑλλήνων καὶ στέφανον ἑκάστῳ χρυσοῦν δώσω. Qui καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις sic explicuerunt: — fore ut *vel ipse Mundus* i. e. *non homines tantummodo, verum etiam Mundus hominibus deterior*, quippe mente et sensu destitutus (*Theophylactus* post *Chrys.*: οὐχὶ σὺ μόνος, ἀλλὰ καὶ τὸ καταδεέστερόν σου καὶ τὸ ἄψυχον καὶ ἀναίσθητον.): *ipse adeo Mundus, quod dictu inopinatum est et mirabile* (*Koelln. Reich. Meyer.*): *vel ipse Mundus*, qui, si subtiliter loqui placuerit, *liberari nequit*, *quum homines possint* (*!dW.*; at Mundo personae partes datae sunt), notionem a P. disputatione alienam in hunc l. intulerunt, esse mundi machinam quia neque mente neque sensu praedita sit hominibus

viliorem. At nihil nisi hoc Paulo hîc declarandum est: rerum naturam pariter atque homines mortalem redditam non minus immortalitatem recuperaturam esse quam homines. Ceterum mire nonnulli, ut *Reich.*, expositionis suae veritatem ex adjectâ voce ἡ κτίσις cognosci putarunt (v. supra). ἡ δουλεία τῆς φθορᾶς] Genitivus appositionis: servitus, *quae in morte*, *interitu* (LXX. Ps. 102,4. 2 Petr. 2, 12.) *cernitur*. Mors servitus est, quia libertate vivendi quamdiu voluerimus ademtâ nos servos facit (v. not. ad 7, 7.), tum sibi obnoxios, quum nos mori jusserit (v. Hebr. 2,15. cl. Cic. de Off. 1,20,70.). Explet sane sententiam haec explicatio: servitus, *quam affert*, *in quam abducit* Mors 2 Petr. 2,19.. Sed haec verbis oppositis ἡ ἐλευθερία τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ (libertas, in quam Dei liberorum majestas vindicat) accommodari nequit. Sic enim res, in quâ libertas, de quâ agitur, consisteret, a P. non declarata esset. Male *Jasp.*, *Boehm.*, *Koelln.* al. enarrant: *servitus exitiabilis*, *perniciosa*, *misera* Gal. 6,8.. Nam voci τῆς φθορᾶς *primaria*, non secundaria, notio insit necesse est, tum quia verborum v. 20. τῇ γὰρ Ματαιότητι ἡ κτίσις ὑπετάγη sententia lectoribus ab Ap. aperienda erat, tum quoniam τῇ φθορᾷ v. 21. respondet ἡ δόξα τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ, quibus et ipsis primaria cogitatio continetur, quum secundariam notionem vox τῆς ἐλευθερίας habeat. ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τ. δ. τ. φθ. εἰς τὴν ἐλευθερίαν τ. δ. τ. τ. τ. θ.] i. e. ἐλευθερωθήσεται ἀπὸ τῆς δουλείας τ. φθ. καὶ κατασταθήσεται εἰς τὴν ἐλευθερίαν κτλ.. Structura enim praegnans est. (Oecum.: — εἰς τὴν αὐτὴν, εἰς ἣν καὶ ἡμεῖς, ἐλευθερίαν τῆς φθορᾶς ἐλεύσεται [ἡ κτίσις], οἷον ἐκ φθαρτῆς ἄφθαρτος ἔσται.) Cf. notissimam Graecorum loquutionem ἀφαιρεῖσθαί τινα εἰς ἐλευθερίαν (Demosth. c. Theocrinem 1327,22. *Reisk.* c. Neaeram 1358,18.), not. ad Marc. p. 322. *Pflugk.* ad Eur. Androm. 1040. 1098. ad Heracl. 59. et *Krueger.* ad Xen. Anab. 1,2,24.. Nihil hûc pertinet Gal. 5,1. τῇ ἐλευθερίᾳ ἡμᾶς Χριστὸς ἠλευθέρωσε. Στήκετε οὖν καὶ μὴ κτλ. (hoc enim a *Griesb.* commendatum recte dedit *Lachm.*), quoniam τῇ ἐλευθερίᾳ non idem valet quod εἰς τὴν ἐλευθερίαν, sed für die Freiheit, *ut liberi essemus*, *ut libertatem tueremur* significat. PP. gr., qui εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης κτλ. verbis διὰ τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης κτλ. exposuerunt (v. *Chrys.* cl. Oecum. et schol. Matth.), minime εἰς idem quod διά cum Accus. significare sibi persuaserunt, quod falsum esse eorum interpretatione plane non intellectâ *Tholuccius* observavit, sed quum verba εἰς τὴν ἐλευθερίαν *in libertatis — honorem*, *ut libertati —*

honos tribuatur interpretati essent, sensum, ut saepe, justo liberius descripserunt. Docet rem exemplum, quo *Chrys.* suam explanationem illustravit: — *Οὕτω καὶ οἱ ἄνθρωποι τοῦ υἱοῦ μέλλοντος ἐπ' ἀξιώμασι φαίνεσθαι καὶ τοὺς δούλους λαμπροτέραν ἐνδύουσι στολὴν εἰς τὴν τοῦ παιδὸς δόξαν, ὥςπερ οὖν καὶ ὁ θεὸς τὴν κτίσιν ἀφθαρσίαν περιβάλλει εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τῶν τέκνων.* Quam explicationem perversam esse et a P. disputatione remotam quivis intelligit. Nam *quam libertatem* mortis servitute rerum natura permutatura sit Ap. hîc dicere debet. *εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τ. τ. τ. θ.*] Genitivus appositionis, ut paullo ante *τῆς φθορᾶς*: *in libertatem, quae in Dei liberorum Majestate cernitur.* Jam Dei liberorum Majestas *immortalitate* (*τῇ ἀφθαρσίᾳ* 1 Cor. 15, 54.) continetur, quae *libertas* est. Liberos enim nos facit Interitu, tyranno qui vitam nobis pro imperio eriperet, sublato 1 Cor. 15,54.. Quocirca Pauli verba *εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τ. τ. τ. θ.* idem dicunt, quod *εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς ἀφθαρσίας.* Sed P. *εἰς τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τ. τ. τ. θ.* subductâ ratione scripsit, ut mundi conditionem ex hominum conditione nexam esse indicaret eique *hominum mortalitate* onerato *hominum immortalitatis* obtinendae spem factam esse divinitus declararet. Simul his verbis ad vocc. v. 18. *πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκ. εἰς ἡμᾶς* vss. 19 — 21. firmata P. revertitur. Quum igitur mundo *ipsa* Dei liberorum majestas destinata sit, quippe non magis *immortali* futuro, quam Dei liberi futuri sunt, perperam *majestatis Dei liberorum majestati respondentis et consentaneae* notionem requiras, quae non circumloquutione pro arbitrio formatâ *ἡ κτίσις ἐλευθερωθεῖσα καταστα θήσεται εἰς ἕξιν προςήκουσαν τῇ δόξῃ τ. τ. τ. θ.* (*Rueck.*) sed hâc expositione efficitur: in libertatem *quali* Dei liberorum majestas perfruitur (Jes. 1,10.). Male *Lutherus*, *Boehmius* al. *τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης τ. τ. τ. θ.* *gloriosam* Dei liberorum *libertatem* explanaverunt (Act. 7,2. *ὁ θεὸς τῆς δόξης* Terent. Phorm. 1,2,15. montes auri.). Quippe non *τὴν ἐλευθερίαν τῆς δόξης*, sed *τὴν δόξαν τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ* arcte cohaerere, e vs. 18. fin., e voce oppositâ *τῆς φθορᾶς* v. 21. et ex ipsâ re et sententiâ cognoscitur (v. supra). Praeterea P., ut ambiguitatem evitaret, hoc pacto scripturum fuisse *εἰς τὴν δόξαν τῆς ἐλευθερίας τῶν τ. τ. θ.* mihi persuasum est. Ceterum mortem P. mundo portendit, non quâ exstinguatur ut in consumti mundi locum *alius* mundus succedat (v. *Ewaldum* ad Apoc. 21,1.), sed ex quâ in vitam sempiternam ipse revertatur. Hoc et 1 Cor. 7,31. et noster l. docet. Male enim Ap. Mun-

dum praesentis vitae taedio captum ingentique mortis desiderio affectum esse fingeret, si mortem ei metuendam esse putaret, quae eum totum absumeret. Accedit quod talem mundi sortem futuram esse perspicue indicavit, qualis hominum futura sit. Hi vero propter Adami scelus morte affecti Christi beneficio *ipsi* reviviscent, ita ut fragili corpore liberati corpore amiciantur non perituro. Patres eccles. Mundo de scriptorum s. sententiâ non *ἀνυπαρξίαν*, sed *ἀνακαινισμόν* instare summo consensu affirmant (v. *Suic.* Thes. eccles. II, 151. sq.).

V. 22. Ap. hoc vs. neque versum 19 munit (*dW.*), neque mundo immortalitatis recuperandae spem divinitus datam esse ostendit (v. 20. 21.), ut *Meyerus* neglectâ voce *οἴδαμεν* contendit, sed quae v. 19—21. memorata sint lectoribus nota esse declarat, ut ea argumentis corroborare minime necesse sit. Mundum Dei filiorum majestatem perseveranter exspectare (v. 19.), quandoquidem hâc spe fragilis redditus fuerit, ut Dei liberorum immortalitatem adipisceretur (v. 20. 21.) affirmavi. (v. 19—21.). *Nam nemo nostrûm nescit* (v. not. ad v. 19. cl. 2, 2.), totum mundum (ab Adami inde temporibus) in gemitus qui edendus esset magnique maeroris societatem venisse usque ad hoc tempus (suae sortis pertaesum et melioris conditionis desiderio captum) v. 22.. Non opus est igitur, ut vobis, quibus quae sit mundi post Adami scelus conditio quaeque laetioris sortis spes in doctrinae christ. elementis magistri dixerint, rem quam tetigi latius explicem rationibusque fulciam. Perverse *Bengel.*: „*γὰρ*] supponit haec aetiologia, gemitum creaturae *non esse irritum*, *sed audiri a Deo*" (!). Pro *συστενάζει* et *συνωδίνει* verba simplicia *στενάζει* et *ὠδίνει* habent Vulg. Clar. Ambrosiast. Beda *e correctione*. Parum enim intellexerunt, quo praeverbium *σύν* pertineret, de cujus vi magna est interpretum dubitatio. Lectio *συστενάζει* et *ὠδίνει* (F. G. al. v. *Orig.* ad h. l.) e genuinâ hujus l. scripturâ et interpretum emendatione conglutinata est. Perperam *Loesnerus*, *Rueck.* al. *συστενάζειν* et *συνωδίνειν* hoc uno a v. *στενάζειν* et *ὠδίνειν* differre, quod *σύν* verborum compositorum vim simplicium vv. intendat, autumant. Neque enim *σύν* in verbis, cujusmodi sunt *συνήδεσθαι*, *συγχαίρειν*, *συγγηθεῖν*, *συναλγεῖν*, *συγκάμνειν*, *συστενάζειν*, *συνωδίνειν*, notionem verbis simplicibus subjectam auget, quemadmodum in v. *συμπληροῦσθαι* Act. 2, 1. et similibus v.. *Beza*, *Grotius*, *Morus*, *Meyerus* al. *σύν* in *συστενάζει* et *συνωδίνει ad omnes mundi partes* referunt, quae simul suspirent et maereant: neque enim ignoramus, *universam* rerum naturam (e caelis, terrâ, aëre, mari compositam)

concinere gementem et maerentem. Quam explicationem usui loquendi consentaneam esse tum concedam, quum quis idoneis eam l. firmaverit. Nam Marc. 1, 33. καὶ ἡ πόλις ὅλη ἐπισυνηγμένη ἦν πρὸς τὴν θύραν et similibus l. nihil efficitur. *Oecum.*, *Calv.*, *Jac. Cappellus*, *Boehm.*, *Reich.* al. σύν ad Dei liberos h. e. ad pios Christianos (cl. v. 21. et 23.) pertinere putant: probe enim scimus, universam rerum naturam *consentire cum Dei filiis* suspirantem et gementem. Haec interpretatio propter vocc. συστενάζει καὶ συνωδίνει ἄχρι τοῦ νῦν et v. v. 23. οὐ μόνον δὲ sc. πᾶσα ἡ κτίσις στενάζει iniri nequit (v. *Rueck.* et *Meyerus*). Nam parum recte P. sic disputaret: totus mundus ex longo tempore (sic) *simul cum Dei liberis* in magno luctu et maerore est immortalitatis cupiditate incensus v. 22. *Non autem mundus tantummodo in luctu est, verum etiam nos, Dei liberi* (sic), quos lugere vix existimes, gemimus immortalitatis desiderio. Restat igitur, ut illud σύν generatim *ad alios* referatur, quibuscum mundus jam dudum gemuerit vehementerque doluerit (novimus enim, totum mundum *simul* ingemiscere et maerere usque ad hoc tempus.) v. Act. 22, 20.. Quodsi quinam illi *alii* sint, quibuscum totus mundus inde ab Adami temporibus lugeat, quaesiveris, *homines* esse respondeo. Hos omnes, post Adami scelus immortalitatis factâ jacturâ 5, 12 sq. 1 Cor. 15, 22., fragilitatis suae non minus taedet, quam mundum, sed non nisi *Dei filiis* immortalitas Adami maleficio amissa aliquando restituetur v. 21.. συνωδίνει] Consulto Paulum, ut nescio quid profundi adsignificaret, verbum *parturiendi* collocasse multi interpretes opinati sunt, quamquam de verbi translati ratione valde inter se discordarunt. *Calvino*, *Beza* aliisque auctoribus P. voce συνωδίνει laetum dolorum, quos mundus sentiat, exitum subindicavit (convertitur enim acutus puerperae dolor in gaudium in lucem edito infante Joh. 16, 21.), *Rueckerto*, *Olsh.* al. arbitris Ap. verbo συνωδίνει *melioris* mundi originem adsignificavit (videlicet et juventâ et formae pulchritudine filia matrem superat), postremo *de Wettio* judice P. voce συνωδίνει naturam semet ipsam in lucem, quâ sempiterno fruatur, partu edere declaravit (puerperas enim viventes fetus magno cum labore a morte vindicare V. D. observavit)! Haec ridicula commenta et usus loquendi et contexta oratio redarguit. Nam vocabulum ὠδῖνες, ubicunque *translate* positum est, *vehementem* dolorem significat (Job. 21, 17.). Acutissimi sunt enim puerperarum dolores. Idem valet de verbis ὠδίνειν et συνωδίνειν, quae translate collocata *vehementem* aut corporis aut animi (valde sollicitum esse, in magno maerore esse)

dolorem indicant. Hom. Od. 9. v. 415. *Κύκλωψ δὲ στενάχων τε καὶ ὠδίνων ὀδύνῃσιν, — — ἀπὸ μὲν λίθον εἷλε θυράων.* Eur. Hippol. v. 258. *τὸ δ' ὑπὲρ δισσῶν μίαν ὠδίνειν | ψυχὰν χαλεπὸν βάρος, ὡς κἀγὼ | τῆσδ' ὑπεραλγῶ.* Cic. Lael. 13, 45. — quâ (securitate) frui non possit animus, si tamquam *parturiat* unus pro pluribus. Eur. Hel. v. 726. *κακὸς γὰρ ὅστις μὴ σέβει τὰ δεσποτῶν | καὶ ξυγγέγηθε καὶ ξυνωδίνει κακοῖς.* (*Propriam* vim *συνωδίνειν* habet in Porphyrio de abstinentia 3, §. 10. ed. *Rhoer.*) Itaque collationis ratio in his v. posita est in *dolorum*, quibus parturientes excruciantur, *vehementiâ*, non in aliis rebus, quas temere finxerunt interpretes. Praeterea in promtu est, non aliam ob rem Paulum v. *καὶ συνωδίνει* addidisse, quam quod ei verbum *συστενάζει* non satis grave visum esset, quod praesentium malorum, ad quam mundus delapsus esset, impatientiam enuntiaret (v. Hom. Od. 9, v. 415.). Hinc etiam Paulum verbo *συνωδίνει* ad חבלי המשיח (v. not. ad Matth. 24, 8.) allusisse male credas (*Reich.*). Neque enim quum verbum *συστενάζει* poneret, quod adjecto verbo *συνωδίνει* exaggeravit, *στεναγμῶν* nescio quorum proxime ante Messiae adventum edendorum rationem habuit. Accedit quod *αἱ ὠδῖνες τῆς κτίσεως* et *αἱ ὠδῖνες τοῦ Χριστοῦ* toto caelo differunt. Illis magnus maeror indicatur, in quo mundus usque ab Adami temporibus suae fragilitatis taedio jaceat; his atrociora quam diuturniora mala declarantur, quae exantlata tanquam in lucem editura sint Messiam. *ἄχρι τοῦ νῦν*] *usque ad hoc tempus*, ut nullum post pestiferum Adami facinus tot seculis luctus et maeroris finem mundus invenerit (v. Genes. 3, 17. cl. Rom. 8, 20.). Ridicule *Kopp.* praeeunte *Noesselto* vertit *hoc tempore*. Temere etiam *Bengel*; „*ἄχρι*] innuit, *finem fore ejus gemitus et dolorum*"! Vide I, 308 sqq..

V. 23. Minime P. *mundo recuperandae immortalitatis spem factam esse* vs. 23. hoc novo argumento corroborat, quod homines christ. non minus ingemiscant, quam mundus. Quippe non esse homines christ. gemitus edituros nisi illa mundi spes facta esset (*Meyerus*). Gemerent vero illi immortalis corporis desiderio moti mortalisque corporis taedio affecti etiamsi non illa mundo spes data esset 2 Cor. 5, 1—4.. Et minus recte *Meyerus* rationem, quae versui 22, cum v. 20. 21. intercedit, expedivit. Non fulcit v. 23. praecedentem disputationem v. 18—22., sed invitatu eorum, quae de mundi taedio dicta sunt v. 22., pios Christianos, quos div. spiritus beneficiis cumulatos fortunae suae multo minus taedere existimes, item ingemiscere, quum immortalis corporis desiderio teneantur, Ap. monet, quo facto ea

persequitur, quae miseram eorum conditionem consolentur v. 24—30.. *οὐ μόνον δὲ*] scil. *πᾶσα ἡ κτίσις στενάζει* non *πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει* (Orig.). Hoc apparet e. v. *στενάζομεν*. Nam si quod Origeni placet Ap. dicere voluisset, scripsisset *οὐ μόνον δὲ πᾶσα ἡ κτίσις συστενάζει καὶ συνωδίνει, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ — στενάζομεν*. *ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν*] Haec conformationis receptae scriptura haud dubie corrupta est. Nam si *αὐτοὺς τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν. ἔχοντας* alios esse homines, quam quos Ap. *ἡμᾶς αὐτοὺς* vocaverit tibi persuaseris (sic *Wolf.* al. illos *homines christ.*, hos *Apostolos*, *Kopp.*, *Reich.* illos *Christi alumnos*, hos *unum Paulum* dici putarunt), vitiose P. loquutus est. Deest enim Articulus *ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ οἱ τ. ἀπ. τ. πν. ἔχοντες*. Sin verba *καὶ ἡμεῖς αὐτοί* notionem voci *αὐτοί* subjectam per epanalepsin fortiter redintegrare statueris: verum *etiam ipsi*, quamquam div. spiritus primitias habemus (Christi discipuli), *etiam nos ipsi inquam* — gemimus (*Calvin.*, *Beza*, *Jac. Cappellus*, *Bengel*, *Morus* al.), haec ipsa epanalepsis justam mirationem faciat, et quoniam paucissima verba *τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχοντες* interjecta sunt et quia P., ut anaphora a quovis deprehenderetur, *ἀλλά* repetiisset: *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοί*. Accedit, quod summum subsidiorum criticorum dissidium vulgatam lectionem suspectam reddit. *De Wettius* libros propterea valde variare, quod librarii structuram (continere autem verba arcte consocianda *αὐτοὶ καὶ ἡμεῖς αὐτοί* Subjectum!) emendare studuissent, jecit. Igitur V. D. non solum linguae graecae se ignarum praebuit, sed etiam variantium lectionum vim consultis veterum interpretum commentariis expendere neglexit. *Reichius* idcirco tantopere variari putat, quod quum veteres explicatores *τοὺς τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχοντας* ad *Paulum* rettulissent, verba *ἡμεῖς αὐτοί* nullam rationem habere viderentur. At veteres interpretes tantum non omnes hoc vs. *de hominibus christ.* agi censuerunt, pauci, ut *Orig.*, quum *hanc* scripturam sequeretur, *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχοντες καὶ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν*, *de Apostolis*. Haec est autem librorum discrepantia. Textus receptus: *ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν.* | D. F. G. *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχ. αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν.* | 31. 73. Vulg., Aug., Ruf. *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ* (73. *αὐτοὶ ἡμεῖς*) *τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ αὐτοὶ ἐν ἑ. στ.* Hoc probavit *Meyerus*. | Ambrosius: *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς τ. ἀπ. τ. πν. ἔχ. αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν.* | Gelasius, Theophyl. in comment. *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ.*

πν. ἔχ. ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν. | Syrus: ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχοντες στενάζομεν ἐν ἑαυτοῖς. | Arm. ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ τ. ἀπ. τ. πν. ἔχ. αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν. | Ambrosiaster: ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ *receptaculum* τοῦ πν. ἔχ. ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στεν.. | Theodoret. in h. l. Clar. Boern. ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν (Clar. Boern. *receptaculum*) τ. πν. ἔχ. (Theodoret. καὶ) ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑ. στεν.. | Theophyl. in textu: ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ τ. ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑ. στεν.. | A. C. 47. 80. Barb. 1. Copt. Damasc. ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχ. ἡμεῖς, καὶ αὐτοὶ ἐν ἑ. στεν.. Hoc *Lachm.* recepit uncis incluso ἡμεῖς. | 1. Mt. l. ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ ἡμεῖς ἐν ἑ. στεν.. | 23. ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ αὐτοὶ ἡμεῖς ἐν ἑ. στεν.. | Mt. f. ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχ. ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στεν.. | 67.* 77. 87. al. 5. ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ οἱ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑ. στεν.. Hoc suspexit *Bengelius*, verum putavit *Rinckius* Lucubr. p. 120.. | B. Epiphan. ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τ. ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στεν.. | Theodoretus alicubi: ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχ. ἐν ἑαυτοῖς στεν.. Haec liberior sensus descriptio esse videtur, non lectio. Quâ librorum discrepantiâ diligenter consideratâ plerosque libros et *unam* quandam hominum classem, non, quemadmodum vulgatam scripturam, *duo* genera complecti, et ἡμεῖς ita servare, ut statim post ἀλλὰ καί collocent, et repudiare articulum aut casu natum post αὐτοί aut ab iis additum, qui hominum christ. *descriptionem* a P. afferri existimassent, facile animadvertas. Quamobrem neque *Griesbachio* assentior v. καὶ ἡμεῖς librariorum errore invecta rato, neque *Lachmanno* Paulum ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τ. ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ αὐτοὶ ἐν ἑ. στεν. scripsisse concedo et lectionem *Bengelio* non improbatam ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ οἱ τ. ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑ. στεν. multis de causis rejicio. Nam praeterquam quod non optime testata est, neque ἡμεῖς post ἀλλὰ καί ponit, et Articulum habet et *duo* hominum genera distinguit, homines christ., div. spiritus primitiis ornatos, et Paulum Apostolum. Ne mea quidem mihi emendatio etiamnum placet: — ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ τ. ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ αὐτοὶ ἐν ἑ. στεν. (— verum etiam nos ipsi, qui div. spiritus primitias possidemus, et ipsi inter nos gemimus: v. ad Marc. p. 510. iis collatis, quae ad Matth. p. 737. et ad Rom. 8,21. dicta sunt.). Est enim haec scriptura e diversorum librorum lectionibus composita. Genuinam ducerem scripturam codicis 31. Vulg., Aug., Ruf. ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ τ. ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ αὐτοὶ ἐν ἑ. στεν. (— sed

etiam nos ipsi, quamquam div. spiritus primitias habemus, et ipsi inter nos [s. intus, in animis nostris cf. Syr.] gemimus) cum *Meyero* *), nisi hanc quoque e lectione D. F. G. [cf. etiam Ambrosium et Arm.] *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ τὴν ἀπαρχὴν τ. πν. ἔχ. αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν* corruptam esse existimarem. Nempe quum paullo post *καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ* in eadem sententiâ, in quâ verbum esset *στενάζομεν, αὐτοί* exarandum esset, librarii facili errore nunc pro *αὐτοί* scripserunt *καὶ αὐτοί, καὶ ἡμεῖς αὐτοί, ἡμεῖς αὐτοί,* nunc aut omiserunt *ἡμεῖς* post *ἀλλὰ καὶ* ut ad sententiam non necessarium (cf. *στενάζομεν*) aut male omissum inepto loco suppleverunt (cf. A. C.), nunc ipsum quoque *αὐτοί* ante *ἐν ἑαυτοῖς* praetermiserunt, quo neglecto integra maneret sententia. Postremo *οἱ* aut error peperit post *αὐτοί*, aut mala correctorum, qui hominum christ. periphrasi opus esse judicassent, industria invexit. Nihil est autem illâ, quam tueor, lectione simplicius, nihil aptius. Commode eam in tres particulas dispescas: *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ — τὴν ἀπαρχὴν τ. πν. ἔχοντες — αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν*. Non modo autem rerum natura suspirat, verum etiam nos ipsi (dicit homines christ.), quamquam div. spiritus primitias habemus (quas lenire praesentem miseriam et robore animis nostris addito efficere ne suspiremus credideris) *ipsi inter nos* (aut unus cum altero colloquens) suspiramus —. Male *Win.* gr. p. 336. div. spiritus primitias, quia plenam divinorum beneficiorum messem ostendant, Paulo judice facere, ut homines christ. *vehementius etiam ingemiscant* judicat. Nam superquam quod div. spiritus eorum, quibus datus est, animos tranquillat Gal. 5, 22., gradatio flagitat, ut eos quo-

---

*) *Meyerus* p. 170. sq. quum P. — *ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχ. καὶ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν* exhibuisset, librarjos vocem *ἡμεῖς* ut ineptam, quod neque P. neque Romani in iis fuissent, quibus div. spiritus ornamenta *primis* data essent, *aut* delevisse, *aut* ut homines ab jis qui *τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν.* accepissent diversi nascerentur, ante *καὶ αὐτοὶ* posterius collocasse (cf. A. C.), unde postremo lectio *ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ οἱ τ. ἀπ. τ. πν. ἔχοντες καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν* exstitisset, existimavit. Non assentior. Illi quam Meyerus dixit offensioni *ἡμεῖς* post *ἀλλὰ καὶ* antiquitus fuisse parum credibile est, quum veteres interpretes uno paene ore homines qui *τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν.* possidere dicuntur *homines christ. in universum*, non qui primi Christi alumni facti essent, explicuerint, et si vox *ἡμεῖς* illam scribis dubitationem injecisset, frustra impedimentum hâc verborum transpositione *ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχοντες ἡμεῖς, καὶ αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς στενάζομεν*, quâ ne effecissent quidem, ut alii essent *ἡμεῖς*, alii *οἱ τὴν ἀπ. τ. πν. ἔχοντες*, removere studuissent. Imo error h. l. grassatus est, non consilium dominatum. Vide supra.

que, quos a gemitu abhorrere malorumque molem facilius ferre existimes, gementes induci fateamur. Lubenter autem Graecos αὐτοὶ ἐν ἑαυτοῖς et similia conjungere nemo ignorat. Xen. Anab. 2,4,10. οἱ δὲ Ἕλληνες — αὐτοὶ ἐφ᾽ ἑαυτῶν ἐχώρουν —. Polyb. 6,18,6. τότε καὶ μάλιστα συνιδεῖν ἐστι αὐτὸ παρ᾽ αὐτοῦ ποριζόμενον τὸ πολίτευμα τὴν βοήθειαν. ἐν ἑαυτοῖς] *inter nos* non *intus*, *in animis nostris* (*Syrus*). *Tholuccius* pios Christianos suum immortalitatis desiderium non nisi Deo manifestare observat p. 315.. Sed quum P. homines christ. congressos Dei laudes canere voluerit Eph. 5,19. Col. 3,16. 17., non eos indignum facinus committere judicaverit, si congregati suae se fragilitatis non sine gemitu, quem praesentium malorum sensus exprimat 2 Cor. 5,4., invicem admoneant magnumque immortalis corporis desiderium sibi esse declarent. τὴν ἀπαρχὴν *) τοῦ πν. ἔχοντες] Admodum discrepantes esse interpretum de his v., de quibus docte disputavit b. *Keilius* Opusc. p. 194—210., sententias non mirum est. Nam et τῆς ἀπαρχῆς vocabulum translate positum diversa significare potest et Genitivum non uno modo expedire licet. Sunt primitiae *primae* fruges et in Graecorum sacrificiis eae victimarum partes (capilli frontis et extrema membra), quibus primo loco offerendis sacrificium auspicabantur. Quare ἀπαρχή metaphorice dici potest, quidquid tempore *primum* est, ita ut ab iis, quae tempore posteriora sint, distinguatur (Eur. Phoen. 857. *Dind.* LXX. Ps. 77,51. 104,36. 1 Cor. 15,23.). Tum primitiae primae fruges sunt *numini pie consecratae*. Hinc ἀπαρχή metaphorice recte vocatur *quidquid Deo consecratum* est v. Jac. 1,18. et ibi *Wetst.* Apoc. 14,4.. Primitiae *optimae* erant fruges, quandoquidem pietas et reverentia numinis postulavit, ut honorem Deo habituri praestantissima quaeque offerrent. Potest igitur voc. ἀπαρχῆς tralate positum *rem praestantissimam* et cui summum pretium sit notare (LXX. Num. 18,12.

---

*) Unde natum sit *receptaculum spiritus* in Clar. Boern. Ambrosiastro et Primasio non satis liquet. *Erasmus* receptaculum calami errorem esse pro *in*ceptaculum conjecit. At *in*ceptaculum non est voc. latinum. Et exposuit Ambrosiaster *receptaculum* his v.: „quique Dei spiritum *adjutorem* habemus." Temere *Beza* illos τὴν ἀπεκδοχὴν τ. πν., *Wolf.* τὴν ἀποδοχὴν τ. πν. legisse putarunt! Neque eos τὴν ἀνάπαυσιν (Matth. 12,43.) s. τὴν ἀποστροφὴν τ. πν. in suo codice invenisse verisimile est. Fortasse *receptaculum spiritus* vetustum interpretamentum est, quo non verba τὴν ἀπαρχὴν τ. πν. accurate exponerentur, sed res iis enunciata declararetur, quum quis moneret: τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος consequutos *perfugium* habere et tanquam ex jactatione maritimâ in portum pervenisse.

[hebr. חֵלֶב] Schol. Eur. ad Or. 76. *Matth.*). Primitiae *exigua frugum*, quarum fuerunt primitiae, *pars* fuerunt. Quocirca ἀπαρχαί metaph. *rerum specimina* et *pauca exempla* appellari possunt, ut ἀπαρχαὶ λόγων. Cf. A. Gell. Praef. in N. Att. — non enim fecimus altos nimis et obscuros in his rebus quaestionum sinus: sed *primitias quasdam et quasi libamenta* ingenuarum artium dedimus. Sed ut verba τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν. per se spectata ambigua sint, tamen satis certa eorum interpretatio est, modo et Pauli formula tibi explorata sit et hujus l. ratio perspecta. Nempe ἡ ἀπαρχή quod tempore primum est denotat et τοῦ Πνεύματος est Genitivus Subjecti. Dicit igitur P. τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν. *quae prima spiritus s. dedit*, *prima spiritus s. ornamenta*. Haec sunt τὰ τοῦ πνεύματος χαρίσματα, quae piis Christianis in hâc vitâ obtingunt 1 Cor. 12,4. sq. Gal. 3, 2. sq. 5,22. taciteque iis beneficiis opponuntur, quae posthac div. spiritus in homines pios ἐν τῷ αἰῶνι τῷ μέλλοντι conferet, h. e. felicitati sempiternae, τῇ σωτηρίᾳ, τῇ κληρονομίᾳ, τῇ υἱοθεσίᾳ. Recte autem P. spiritum s. *aeternae beatitatis largitorem* mente concepit. Nam quum idcirco nobis spiritus s. datus sit, ut aeternae felicitatis argumentum et pignus haberemus 2 Cor. 1,22. 5,5. Eph. 1, 14. 4,30., quumque, si tanquam in spiritus s. agro semen sparserimus, inde vitam sempiternam messuri simus Gal. 6,8., recte spiritus s. ejus felicitatis largitor mente informatur, cujus nobis sponsor constitutus est quamque nisi forte ipsi injuriam facere quam obsequi maluerimus Eph. 4, 30. utique consequemur. Tum v. τὴν ἀπαρχὴν τ. πν. ἔχοντες rem continent, quae homines christ. a gemitu avocare videatur. Fortes enim reddit div. spiritus homines christ. (I,265.) eosque, quibus aliquis futurae beatitatis gustus datus fuerit Hebr. 6,4. sq., praesentia mala moderatius ferre aliquis judicet. At non solum rerum natura, verum etiam nos ipsi (homines christ.), *quamquam prima div. spiritus dona habemus* (quae haud dubie praesentem calamitatem valde consolantur) ipsi inter nos gemimus, quia (servitutis h. e. mortalitatis pertaesi v. 21.) adoptionem in Dei liberos (h. e. libertatem, quam corpus immortale afferet) constanter exspectamus. Tanta est malorum, quae male materiata domus nostra (corpus mortale) apportat, moles 2 Cor. 5,4. tantaque erit immortali corpore amictorum beatitas! Noli τὴν ἀπαρχὴν τ. πν. *specimina*, *libamenta spiritus s.*, tantula beneficia, quae tibi div. spiritus primoribus labris gustanda dederit (v. supra) exponere. Oec.: οὐ μόνον, φησίν, ἡ κτίσις στενάζει, ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ οἱ ἀρχήν τινα μικρὰν καὶ γεῦσιν τοῦ πνεύματος λαβόντες σπεύ-

δοῦσι πρὸς τὰ ἐκεῖ μεταβῆναι. Nam vocc. τὴν ἀπαρχὴν τ. πν. ἔχ. rem declarent necesse est, quae nos ne ingemiscamus movere debere videatur. Non autem mirum esset eos gemere, qui *pauca* quaedam div. spiritus dona degustassent. Et prolixe nobis Deus spiritum s. impertivit Tit. 3,6.. Praestat sententiam, quâ opus est, eorum enarratio, qui τοῦ πνεύματος genitivum appositionis (4,11.) esse voluerunt (Basilius M. Opp. II, 585. ed. *Garn.*, *Erasmus*, *de Brais*, *Beng.*, Keil. l. c. p. 201., *Winer*. gr. 335., *Wahl.*, *Rueck.* al.): τὴν ἀπαρχὴν, τουτέστι τὸ πνεῦμα *quamquam primitias* (h. e. vel primas fruges, quibus integer proventus, qui sempiternâ felicitate absolvatur, tacite opponatur, vel *initium*, quod ad τὸ τέλος, i. e. τὴν σωτηρίαν referatur, vel *partem*, quae ad *rem totam*, τὴν κληρονομίαν [τὸ πᾶν cf. *Chrys.*] spectet) *h. e. div. spiritum possidemus*. Sed nusquam P. spiritus s. beneficia *aeternae beatitatis partem* esse indicavit, quod qui putarunt in arrhabonis vocabulo, quod totius pretii *partem* denotet, argutati sunt (Chrys. ad Eph. 1, 14.). Nam non arrhae, sed metaphoricâ *pignoris* significatione ὁ ἀῤῥαβών 2 Cor. 1,22. al. (cf. Eph. 4, 30.) pollet. Sunt div. spiritus beneficia Paulo judice argumenta, quae homini iis ornato et diligi se jam a Deo 5, 4. Gal. 4, 6. et *fore se aliquando beatum* ostendant (2 Cor. 1, 22. 5, 5. Eph. 1, 14. 4, 30.), *non sempiternae vitae primordia*. Ineptis sane argumentis *Keilii* interpretatio impugnata est: non significare τὴν ἀπαρχήν *arrhabonem*, *felicitatis aeternae* notionem temere suppleri (*Reich.* p. 205.: at primitias τῆς κληρονομίας dici res et contexta oratio ostenderet), linguae legem postulare, ut τοῦ πνεύματος genitivus *partitivus* sit! (*Reich.*, *dW.*). Genitivus ab ἡ ἀπαρχὴ rectus ibi tantummodo partitivus est, ubi res, quarum primitiae offerantur, memorandae sunt, ut αἱ ἀπαρχαὶ τοῦ σίτου Deut. 18, 4., τῶν καρπῶν τῆς γῆς Deut. 26, 2., τῶν πρωτογεννημάτων τῆς γῆς Ex. 23, 19., τοῦ τρυγητοῦ Longi Pastor. p. 31. ed. *Villois.*. Sed τὸ Πνεῦμα *persona* est, non res. Et quam late pateat genitivi usus in vulgus constat. Cf. Exod. 25, 2. αἱ ἀπαρχαί μου primitiae quae mihi debentur, Deut. 12, 11. 17. αἱ ἀπαρχαὶ τῶν χειρῶν ὑμῶν p. quas vestrae manus offerunt. Exod. 22, 29. ἀπαρχὴ ἅλωνος καὶ ληνοῦ σου p., quas area tua et lacus suppeditant. *Calvinus* (non item, ut arbitror, *Theodoretus*, cujus v. ambigua sunt) τὴν ἀπαρχὴν τ. πν. *spiritus s. libamenta*, nunc piis Christianis data, quae multo majori mensurae nobis ἐν τῷ αἰῶνι τῷ μέλλοντι concedendae tacite ex adverso ponantur exponit. Quae explicatio et ineptam sententiam fundit (*quamquam div. spiritus guttulis aspersi*

sumus: cf. supra) et a P. formulâ alienam. Nam praeterquam quod rivatim, non guttatim div. spiritus in nos effusus est Tit. 3,6., nullo P. loco dicit fore, ut quem parce nobis in hâc terrâ constitutis Deus spiritum s. distribuerit, eum cum maximâ largitate τὴν δόξαν adeptis impertiat. Quod si P. alicubi vel doceret vel subindicaret, verba quidem *Calvini* interpretationem reciperent, neque τὴν ἀπαρχὴν τῆς υἱοθεσίας, s. τῆς δόξης pro τοῦ πνεύματος requirerem (v. *Meyerus*). Intolerabilis est *Reichii*, *dW.*, *Meyeri* al. opinio, τοῦ πνεύματος esse genitivum partitivum ac dici τοὺς τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν. ἔχοντας *qui primas div. spiritus dotes acceperint* primos, qui Pauli aetate vixerunt, Christianos ita ut eos P. ab iis discriminatos voluerit, quos postea div. spiritum consequuturos esse aut Christo se in disciplinam daturos esse judicaverit 11,25. sqq.. Nam sic quoque τοῦ πνεύματος genitivus Subjecti est: prima, *quae div. spiritus divisit*, munera. Male enim *Reich.* p. 203. τὸ πνεῦμα *piam hominis christ. mentem* valere perhibuit. Deinde primos Christi discipulos τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν. *div. spiritus primitias*, contra qui post illos Christi disciplinam amplexi fuerint τοὺς καρποὺς s. τὰ γεννήματα τοῦ πν. *ipsam div. spiritus messem* accepisse nullo P. loco affirmavit. Inusitata est igitur illa primorum Christianorum notatio: οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν. ἔχοντες. Tum primorum Christi discipulorum cogitationem his potius verbis P. enuntiasset: ἡ ἀπαρχὴ ἐν Χριστῷ (s. εἰς Χριστόν s. τῶν πιστῶν) ὄντες *quamquam primi in Christi coetum recepti sumus* v. 16,5. 1 Cor. 16,15.. Denique primorum Christianorum mentio eorumque ab hominibus posthac ad Christi sacra adducendis distinctio h. l. inepta est. Nimirum v. τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πν. necessario rem complectuntur, quae homines eâ praeditos ita firmos reddere videatur, ut miseris suis rebus non ingemant (v. supra). At non praecipua div. spiritus χάρις primis Christianis obtigit: impertitur potius τὸ πνεῦμα pariter omnibus quotquot fidem habuerint Act. 10,47.. Non plus igitur firmitatis primis Christianis div. spiritus olim adjecit, quam nunc nobis adjicit. Sensit hoc etiam *Win.* gr. p. 336.. Postremo, ne plura VV. DD. consilia commemorem, τὴν ἀπαρχὴν τ. πν. ἔχοντες male explanes: quamquam *praestantissima* div. spiritus munera habemus (v. *Pelag.*, *Turrettin.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Rosenm.*). Nam ut div. spiritus ornamentis nobis datis nihil fingi possit praestantius, recte tamen verbis τὴν ἀπαρχὴν τ. πν. offendaris, propterea, quod munerum minus praeclarorum cogitationem movent, quibus div. spiritus alios homines nescio quos donare soleat.

leat. Nusquam in N. T. perscriptum est, spiritum s. praestantissima munera hominibus christ., non praestantissima aliis vel hominibus vel naturis dare. — *υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι*] Male *Lutherus* probante *Heumanno* *υἱοθεσίαν* cum *στενάζομεν* copulavit: — *στενάζομεν υἱοθεσίαν, ἀπεκδεχόμενοι τ. ἀ. τ. σ.* (— sehnen uns auch bei uns selbst nach der Kindschaft und warten auf unsers Leibes Erlösung). *Στενάζειν τι* nach etwas seufzen, *cum gemitu aliquid expetere* inusitata loquutio est et quâ non nisi vati lyrico uti licuerit. Praeterea *υἱοθεσίαν στενάζομεν* P. scribere debuisset. *υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι*] Articulum perperam requisivit *Rueck.*, quo hîc plane non opus est, quum praesertim non tam ipsa adoptio, quam *libertas*, adoptionis, si quidem *servus* in filium adoptetur, fructus (v. not. ad 8, 15.) Paulo hîc obversetur. Non aliter Germani loquimur: wir seufzen, weil wir Adoption (Freiheit) beharrlich erwarten. Sensus: — ipsi inter nos gemimus, quoniam (qui in mortalitatis *servitute*, *ἐν τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς* v. 21., sumus) adoptionem (servis libertatem apportantem, ergo libertatem) perseveranter exspectamus. Sed ne quem vocabuli *υἱοθεσίαν* ratio praeteriret, P. ipse exposuit verbis *τὴν ἀπολύτρωσιν τ. σ. ἡ.* — adoptionem (servos in libertatem vindicantem), dico autem libertatem a (caduco) quo amicti sumus corpore. Temere *dW.* *υἱοθεσίαν* in iis esse Substantivis, quibus finite positis Articulum Graeci saepe non adjecerunt, perhibuit. Omittunt *υἱοθεσίαν* D. F. G. Clar., Boern., Ambrosiast.. Potest id errore factum esse. Facile enim somnians librarius *υἱοθεσίαν* post *στενάζομεν* praetermisit, quum praesertim etiam neglecto v. *υἱοθεσίαν* plena esset oratio: — *στενάζομεν ἀπεκδεχόμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν.* Sed possunt etiam correctores *υἱοθεσίαν* delevisse, v. *υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι* iis, quae v. 15. leguntur, repugnare opinati. Monent enim veteres interpretes (v. c. Orig., Chrys. et Theophyl.), Paulum, quum *υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι* h. l. scriberet non contradixisse verbis v. 15. *ἀλλ' ἐλάβετε πνεῦμα υἱοθεσίας,* unde aut fuisse antiquitus, qui haec parum concinere putarent, aut veteres explicatores metuisse, ne qui Paulum sibi repugnasse existimarent, consequitur. Certe genuinum est v. *υἱοθεσίαν,* quod temere agat qui nixus latinis, qui *adoptionem filiorum* (*Ruf.*, *Pel.* al.), *adoptionem filiorum Dei* (Vulg., Sedul.) continent, in suspicionem adducere conetur. Nam *τὴν υἱοθεσίαν* alii *adoptionem*, alii *adoptionem filiorum* verterunt (v. v. 15. 9, 4. Gal. 4, 5. Eph. 1, 5. et ibi *Sabatier.*), *Dei* autem nonnulli h. l. perspicuitatis causâ addiderunt. Ceterum P. nunc *esse nos in Dei liberos ado-*

ptatos (v. 15. Gal. 4,5. sq.), nunc *sperare nos, fore ut in Dei liberos adoptemur* contendit sine ullâ repugnantiâ. Habemus rem, quatenus postquam Christo fidem adjunximus rei olim obtinendae pignus habemus Gal. 4,6., aut quatenus certam rei *spem* concepimus (v. 24. 25.); nondum habemus rem, quatenus rei emolumento h. e. *τῇ ἐλευθερίᾳ τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ* v. 21. s. *τῇ ἀφθαρσίᾳ* adhuc caremus, quae nobis *ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Χριστοῦ* dabitur. *τὴν ἀπολύτρωσιν τοῦ σώματος ἡμῶν*] Plerique interpretes exponunt *liberationem corporis nostri* scil. a mortalitate (v. c. *Chrys.*, *Grot.*, *Morus*, *Kölln.*, *dW.*, *Meyerus*), pauci *liberationem a corpore nostro* (v. c. *Schleusnerus* in Lex. s. v. *ἀπολύτρωσις*, *Stolzius* et *Reich.*). Verba utramque explicationem pariter admittunt. Quemadmodum *ἀπαλλαγή τινος* graece *liberationem a re* valet (Isocrates Areop. 16. p. 160. *Bekk.* — *καὶ τῶν παρόντων κακῶν ἀπαλλαγήν*), sic idem *ἡ ἀπολύτρωσίς τινος* et potest denotare et vere denotat Hebr. 9,15. — *θανάτου γενομένου εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων.* Scilicet Christi supplicio *homines* qui peccaverant a Dei vindictâ redemti sunt, non commissa peccata liberata sunt (v. not. ad 3,24.). Sed posteriorem interpretationem unice veram esse Pauli dogmata docent. Nam Paulo arbitro piis Christianis quo die Christus de coelo revertetur caeleste et immortale corpus, quod Christi majestatem referat, loco terreni et caduci dabitur, quo nunc amicti similes sunt Adamo. Et mortui quidem illo corpore circumdati e sepulcris progredientur 1 Cor. 15,52., superstites caeleste corpus terreno superinjicient *absorbebit*que caelestis toga terrenam tunicam 1 Cor. 15, 44. sqq. 2 Cor. 5,1—4. Phil. 3,21.. Quare P. de *τῇ δόξῃ τῇ μελλούσῃ ἀποκαλυφθῆναι εἰς τοὺς τοῦ Χριστοῦ* loquens homines christ. *liberationem corporis sui a mortalitate* perseveranter exspectare dicere nequit (dissipabitur enim tum mortale nostrum corpus, non sarcietur aut emendabitur, quod non cogitavit *dW.*). Illud affirmare debet: homines christ. constanter exspectare *liberationem a corpore, quo nunc amicti sint*, mortali et caduco (v. 7,24.) immortalisque corporis adeptionem cum illâ liberatione conjunctam. Frustra *Meyerus* non *mortem*, sed *Christi de coelo reditum* piis Christianis *τὴν δόξαν* afferre objecit. Nimirum de rebus *ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Χριστοῦ*, quam prope instare P. putavit 13,10., non tum futuris, quum quis Christo nondum reverso mortem obierit h. l. agi e contextâ oratione manifestum est.

V. 24. et 25. Recte se v. 23. — *στενάζομεν, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τ. ἀ. τ. σ. ἡμ.* dixisse P. ex eo docet,

quod *spe*, non re, aeternâ felicitate potiti simus (v. 24. *τῇ γὰρ ἐλπίδι ἐσώθημεν*), spe autem *res futuras*, non praesentes complectamur (*ἐλπὶς δὲ — τί καὶ ἐλπίζει;* v. 24.). Hinc sequi monet, nos qui *rem futuram* speremus (quippe *spe aeternam beatitatem* consequuti v. 24.) recte dici cum constantiâ *constanter exspectare* (*ἀπεκδέχεσθαι* v. 25. cl. 23.). Ita hunc l. explicandum esse tum ipsum horum vss. argumentum ostendit, unde muniri (*γάρ* v. 24.) Participium *ἀπεκδεχόμενοι* v. 23. discas, tum illud declarat, quod Ap. postquam recte se v. 23. *ἀπεκδεχόμενοι* posuisse demonstravit, illud v. repetiit v. 25. *δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα. τῇ γ. ἐλπίδι ἐσώθημεν*] nam *spe* sempiterna beatitas [I, 43.] nobis obtigit Col. 2, 5. Verba *τῇ ἐλπίδι* idcirco primo l. collocata sunt, ut hanc oppositionem indicarent: *οὐ τῇ ἀπολαύσει* (der Hoffnung Tit. 3, 7., nicht dem Besitze oder Genusse nach). *Lutherus*: Denn wir sind wohl selig, doch in der Hoffnung. Jam ut P. ex hâc sententiâ: *spe* nobis aeternam felicitatem obtigisse, recte se v. 23. *ἀπεκδεχόμενοι* scripsisse efficiat, *spem quae oculis usurpetur non esse spem* adjungit, spem, quia *boni exspectatio* [Cic. Tusc. IV, 37, 80.] sit, non posse non ad rem *futuram* pertinere jure sumens. Hoc acute sic exprimit: *ἐλπὶς δὲ βλεπομένη οὐκ ἔστιν ἐλπίς* spes autem *quae conspicitur* i. e. cujus res conspicitur aut adest (*ἐλπὶς δὲ παροῦσα* 2 Cor. 4, 18.) non est spes. Acumine P. orationem privant eamque ineptam reddunt, qui vocem *ἐλπίς* priore l. *rem quae speratur* (*ἐλπιζόμενον*) aut *quae sperata est* (*ἠλπισμένον*) valere fingunt. Nam praeterquam quod *rem quam speres non spem* esse aut *boni exspectationem* patet, *ἐλπίς* h. l. idem denotare debet, quod in v. praegressis *τῇ γ. ἐλπίδι ἐσώθημεν*, quibus suam P. argumentationem niti vult. Non esse autem praesentis boni spem Ap. ex eo intelligi dicit, quod quae adsint *temere* aliquis speret (*ὃ γὰρ βλέπει τις, τί καὶ ἐλπίζει;*). Fruitur enim praesenti bono reique usus excludit spem bonum complexam, quo nondum fruatur. *τί καὶ ἐλπίζει;*] *καὶ* [etiam] *interrogativis* vocibus *τίς, ποῦ, πῶς, ποῖος* ita postponitur, ut earum vim intendat. [Loca collegerunt *Porsonus* ad Eur. Phoen. 1373., *Pflugk.* ad Hec. 515. ad Alcest. 482., *Hartungius* Lehre v. d. Part. d. gr. Spr. I, 137. *Kruegerus* ad Xen. Anab. p. 68. al.] Plerumque vocis *καὶ* potestas latinâ voculâ *tandem*, vernaculis vocabulis noch et doch apte exprimitur. *Τί ἐλπίζει;* foret: *cur* sperat? *τί καὶ ἐλπίζει;* fortius est: cur *tandem* sperat? warum hofft er's doch? multoque gravius *temere ac sine causâ* aliquem praesens bonum sperare enuntiat, quam *τί ἐλπίζει;* enuntiaret. Quae temeritatis exaggeratio quum in hunc l. praeclare conveniat, non

equidem deleam vocem *καί*, quam B. F. G. Syr. Vulg. Clar. Boern. Cypr. Aug. Ambrosiast. Ruf. Sedul. Cassiod. Beda praetermittunt, cum *Lachmanno*. Haud raro hoc *καί* a librariis neglectum est, ut ad sententiae integritatem non necessarium, nonnunquam etiam difficile explicatu (v. *Schaef.* ad Demosth. I, 376. et *Krueger*. l. c.). Continuat P. v. 25. argumentationem h. m.: si *autem* (ut in concludendo pergam) quod non conspicimus (futurum bonum, τὸ ἀπόν) speramus, (quod a Christianis fieri effectum iis est, quae proxime praecedunt: *sperant* enim τὴν σωτηρίαν, spes autem *futurum bonum* complectitur: *si alio verbo uti placuerit*) *constanter* (Hebr. 12, 1.) *cum constantiâ exspectamus* (Nihil est enim spes, nisi constans boni exspectatio et quam teneas, donec aut ipse speratum bonum adeptus sis aut alius consequutus sit, ut ipse illud obtinere jam nequeas). Ex his argumentationem quivis facile absolvat: *recte igitur v.* 23. *dixi* υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι. Quamquam autem ipsum v. ἀπεκδέχεσθαι *constantis* exspectationis notionem continet, recte tamen P., ut illius v. vim nemo non intelligeret, insuper adjecit δι' ὑπομονῆς (v. Exc. II.). Non recte *Meyerus* muniri υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι v. 23. solis v. v. 24. τῇ γ. ἐλπίδι ἐσώθημεν „ tum Paulum *spei naturam hanc esse, ut patienter* (mala fortiter tolerantes v. *Grot.*) *exspectemus* docere (v. 24. ἐλπὶς δὲ βλεπομένη — δι' ὑπομονῆς ἀπεκδεχόμεθα v. 25.) censuit. Nam ex eo quod praesentis et quo jam fruare boni spes cogitari nequit temereque faciunt qui quod jam possident sperant v. 24., non consequitur eos qui futurum bonum exspectent recteque dicantur sperare, ita futurum ornamentum exspectare, ut praesentium malorum tolerantiam probent. Praeterea Ap. vs. 25. firmare v. υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι v. 23. ex ἀπεκδεχόμεθα v. 25. cognoscitur, quâ voce ad ἀπεκδεχόμενοι v. 23. revertitur, ne alia adjungam. Plerique interpretes eo peccarunt, quod P. v. 25. lectores ad exspectationis constantiam *cohortari* putarunt, quasi pro ἀπεκδεχόμεθα scriptum esset δεῖ ἡμᾶς ἀπεκδέχεσθαι. Sic *Rueck. Chrysostomum* sequutus v. 24. et 25. eo consilio additos esse, ne infirmi lectores, hominibus qui fidem habuissent beatitatem statim dari, aequum rati verbis v. 23. υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τ. ἀ. τ. σ. ἡ. offenderentur, opinatus sic enarravit: *nam* (quod autem speratur, non possidetur, sed exspectatur: haec Paulum putat reticuisse!) *per spem* (h. e. quia fides cum spe conjuncta est, *per fidem*) salus nobis obtigit. Praesentis autem rei *spes* non est spes: nam quod quis conspicit cur tandem speret? Si *igitur δὲ* v. 25.!) quod non adest speramus *decet* nos cum forti praesentium malorum tolerantiâ *exspectare*. At Paulum

fidem v. 24. τὴν ἐλπίδα vocasse temere sumitur. Distinguit enim P. *fidem a spe*, ita ut illa haud dubie amoris et spei genitrix sit 1 Cor. 13, 13. Col. 1, 4. sq. 1 Th. 1, 3. 5, 8. Tit. 2, 2, constanterque docet τὴν σωτηρίαν parari *fide*, non spe (1, 16. 10, 9. Eph. 2, 8.). Deinde ἀπεκδεχόμεθα v. 25. Rueck. mâle exposuit exspectare nos *oportet* i. e. δεῖ ἡμᾶς ἀπεκδέχεσθαι. Postremo suas in argumentando tenebras Paulo obtrusit, viro subtilissimo. Nam quum v. 24. τὴν ἐλπίδα *fidem spei plenissimam* dici putasset, Paulum in totâ argumentatione *spei*, non *spei cum fide copulatae*, notione niti voluit finxitque Paulum v. 25. quae esset conclusio eam conclusionem esse particulâ non indicasse per negligentiam! Cum *Rueckerto* facit *Usterius* Entwick. etc. p. 252, quo l. non satis accurate de τῇ πίστει, τῇ ἀγάπῃ et de τῇ ἐλπίδι disputat.

V. 26 et 27. Sensus: Ut constans sempiternae beatitatis exspectatio (v. 23—25.), item div. spiritus nostram imbecillitatem adminiculatur. Nam quum quaenam Deo quibusque verbis conceptae preces adhibendae sint nesciamus, ipse spiritus s. causam nostram agit suspiriis mutis (v. 26.), quae quidnam sibi velint novit Deus, qui cogitata perspicit (v. 27.). ὡςαύτως] *item* np. ut *constans aeternae felicitatis exspectatio* (ἡ ἀπεκδοχὴ τῆς υἱοθεσίας s. τῆς σωτηρίας v. 23—25.). Vitiose *Grot.*, *Kopp.* al. vertunt *praeterea*, confisi l. LXX. Deut. 12, 22. 15. 22., ubi *sensus* voci יַחְדָּו subjectus apte exprimitur voculâ ὡςαύτως *pariter*. τὸ Πνεῦμα] *spiritus s.* (v. 23.), non *evangelium* (*Noesselt*), neque *animus sensusque christianus* (*Rosenm.* cf. *Reich.*)! — Ἀντιλαμβάνεσθαί τινος *manu aliquem prehendere ut laboranti succurras*, deinde omnino *alicui opitulari* notat (Act 20, 35. Luc. Tim. c. 44. v. *Valckenar.* ad Luc. 1, 54.). Idem συναντιλαμβάνεσθαί τινι declarat, nisi quod res animo aliter concepta est. Significat enim nostris scriptoribus συναντιλαμβάνεσθαί τινί (s. μετά τινός LXX. Num. 11, 17.) τι *unâ cum aliquo rem capessere*, alicui in re (molestâ aut difficili) *opem ferre* (Cf. Graecorum συμπράσσειν τινί τι) et συναντιλαμβάνεσθαί τινι *unâ cum aliquo*, quem adjuvare velis, *manum* (operi) *admovere* ususque eo valuit, ut συναντιλαμβάνεσθαί τινι nihil nisi *alicui opitulari*, ut Graecis συμπράττειν τινί Thuc. 3, 101., valeret (Luc. 10, 40. LXX. Exod. 18, 22. Ps. 88, 22. cf. etiam συλλαμβάνεσθαί τινι Luc. 5, 7.). Quare Dativus a praepositione verbi regitur (et licet tibi non solum alicui infirmo, sed etiam *alicujus infirmitati* opem ferre et succurrere, quod eodem redit), quemadmodum in loquutione συμπράττειν τινί, et erraruut tum qui σύν verbi simplicis vim *augere* sibi persuaserunt (*Rueck.*, *Reich.*),

tum qui σύν *ad Deum et Christum* (*spiritus s. simul cum Deo et Christo* opem fert nostrae infirmitati: v. *Wolf.*) rettulerunt. ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν] τῇ ἀσθενείᾳ ἡμῶν A. B. C. D. 10. 23. 31. 37. 47. 57. Syr. Clar. Vulg. PP. lat. (summâ constantiâ) al. Hoc *Griesb.*, *Kopp.*, *Reich.*, *Meyer.* al. probarunt, recte recepit *Lachm.* | *Ambrosiaster*: similiter autem et spiritus adjuvat *infirmitatem nostrae orationis. Falsum* (v. infra) verae lectionis glossema, quod primario v. omisso truncatum continent F. G. — συναντιλαμβάνεται τῆς δεήσεως ἡμῶν et *Boern.*: — adjuvat *orationis nostrae* | 80. Chrys. in Mt. 3. 8. συναντιλ. τῆς ἀσθενείας ἡμῶν. Hoc nihil est, nisi error calami pro σ. ταῖς ἀσθενείαις ἡμῶν. Perexiguum est Pluralis et Singularis ad sententiam discrimen. Nam αἱ ἀσθένειαι ἡμῶν forent *miseriae nostrae* 2 Cor. 12, 5. ac diceret Ap. eas, quibuscum pii homines nondum τὴν ἀφθαρσίαν adepti confiictari coguntur h. e. τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ (v. 18.) h. s.: ut perseverans aeternae felicitatis exspectatio, item div. spiritus miserias nobis nunc exantlandas lenit. Singularis ἡ ἀσθένεια ἡμῶν *nostram infirmitatem* denotat, ex eo natam, quod nunc in Interitus servitute (ἐν τῇ δουλείᾳ τῆς φθορᾶς v. 21.) sumus, fragilitatemque tum corporis, tum voluntatis, animi ac consilii complectitur, quâ non possumus non laborare quamdiu mortalis corporis carcere inclusi sumus 2 Cor. 5, 4. Quae infirmitas quum miserias nunc nobis exantlandas contineat, Pluralis a glossatoribus τὰ παθήματα τ. νῦν κ. v. 18. intuitis facile susceptus est. Fortasse etiam illi Singularem collective positum esse existimarunt. *Imbecillitatem, quâ rite precari nesciamus* (v. Ambrosiast. F. G. Boern. *Meyer.*) ἡ ἀσθένεια ἡμῶν vel propterea valere nequit, quod hanc *constans sempiternae felicitatis exspectatio* non sublevat (expende v. ὡσαύτως δὲ καὶ τ. Πν. κτλ.). Nimis cupide sunt qui tum h. m. enarrarunt, tum τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν *trepidationem*, *abjectionem animi*, die Verzagtheit, exposuerunt (*Reich.* al.) e γάρ quod sequitur argumentati. Neque enim cogitarunt generatim dictum τὸ πνεῦμα συναντιλαμβάνεται τῇ ἀσθενείᾳ ἡμῶν recte *exemplo* illustrari verbis τὸ γὰρ τί etc. Nam quum spiritus s., quo destituti prorsus infirmi essemus 5, 6., multis modis nostram infirmitatem allevet 1 Cor. 12, 4 sq. Gal. 5, 22., aptissime P. h. l. sic disputat; quemadmodum constans aeternae beatitatis exspectatio, itidem div. spiritus nostrae fragilitati opitulatur. *Nam* (ut exemplum ponam) quidnam rite precemur ignoramus, sed ipse Dei spiritus nostram causam agit gemendo. τὸ] De articulo toti sententiae praeposito v. not. ad Marc. p. 372. et *Win.* gr. p. 134. Προσεύχεσθαί τι et

precari aliquid i. e. precibus aliquid expetere Phil. 1, 9. et *precantem aliquid dicere* Luc. 18, 11. declarat. H. l. prior significatus obtinet v. Matth. 26, 39. 2 Cor. 12, 8. sq.. *Tί* ad rem pertinet, quam a Deo petamus, *καθὸ δεῖ* ad verba, quibus Deum adeamus. *τὸ γὰρ τί προςευξώμεθα κ. δ. οὐκ οἴδ.*] *) Pro *προςευξώμεθα* offerunt *προςευξόμεθα* D. 17. 37. 46. 47. 67. 71. 72. 74. et multi al., *Matthaeii* codices 13., quos in ed. maj. recensuit, et septem postea ab eo collati (v. ed. min.), Orig. I,221. Oec. al.. Firmat *προςευξόμεθα* etiam in F. G. *προςευχόμεθα*, quod est *προςευξόμεθα* corruptum. Probavit Futurum *Griesb.*, dedit *Matthaeius* ed. maj. et min.. Optio difficilis est. Nam utrumque recte h. l. et sine sensus discrimine dicitur: quidnam a Deo *petamus* (um was wir beten sollen) nescimus. V. Eur. Hel. 631. *οὐκ οἶδ' ὁποίου πρῶτον ἄρξομαι τὰ νῦν*, ubi apte *Pflugkius* citavit Thucyd. 7,14. — *καὶ ὅτι οὐδ' ὁπόθεν ἐπιπληρωσόμεθα τὰς ναῦς ἔχομεν*. et Phil. 1,22. — *τί αἱρήσομαι οὐ γνωρίζω.*' 'Praeterea librarii vitiose et *προςευξώμεθα* pro *προςευξόμεθα* et *προςευξόμεθα* pro *προςευξώμεθα* scribere potuerunt. Credibilius tamen est, illud quam hoc ab iis factum esse, quia in hujusmodi l. tum alias tum in N. T. Conjunctivus frequentius quam Futurum collocatur. *Αὐτός* h. l. sejungendi vim habet (v. not. ad 7,25.): quidnam rite precemur non nobis constat, sed (in his tantis nostris angustiis) *ipse* pro nobis agit Dei spiritus gemendo, *non alium* nescio quem *interponit*, per quem suppetias nobis afferat. *ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις*] *ὑπερεντυγχάνει στεναγμοῖς ἀλαλήτοις* omissis v. *ὑπὲρ ἡμῶν* praebent A. B. D. F. G. 67**. Arm., Clar., Boern., Epiphan. Haer. 55,5. (sed 74. 5. *ὑπὲρ ἡμῶν* habet) Damasc., Augustin. *semel* (ad Rom. T. III. p. 914.) |Orig. *περὶ εὐχῆς* T. I. p. 199. *ter* hoc affert: *στεναγμοῖς ἀλαλήτοις ὑπερεντυγχάνει τῷ θεῷ*|Epiph. in Cantic. Cantic. c. 1. v. 2. *interpellat pro nobis ad dominum*|54. Chrys. semel, sed in Mt. 3. 8. bis *ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεν. ἀλαλ.*.| Rufin. h. l. 47. *ὑπὲρ ἡμῶν ἐντυγχάνει* (Ruf. *ὑπερεντ.*) *στεν. ἀλαλ.* | Mt. h. *ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων* (e v. 27., ubi 32.

---

*) Male *Griesbachius* ad h. l. et in Symb. crit. II, 483. Origenem *περὶ εὐχῆς* (pro *τὸ γὰρ τί προςευξώμεθα καθὸ δεῖ οὐκ οἴδαμεν*: nunc *ὃ γὰρ δεῖ προςεύξασθαι καθὸ δεῖ οὐκ οἴδαμεν* (I, 197.), nunc *τί δὲ δεῖ προςεύξασθαι καθὸ δεῖ οὐκ οἴδαμεν* (I, 199.), nunc *ὅ,τι* [*γάρ*] *προςεύξασθαι δεῖ καθὸ δεῖ οὐκ οἴδαμεν* [I, 199.] legere contendit. Neque enim ibi Origenes ipsa codicis v. laudat, sed tenens vulgatam scripturam, quam in eodem libro I, 221. integram affert nisi quod *προςευξόμεθα* habet, verborum *sententiam* suae disputationi illigatam libertate usus cuivis concessâ refert.

47. in m. ὑπὲρ ἡμῶν e nostro vs. sumtum continent) στεν. ἀλαλ.. Damnavit ὑπὲρ ἡμῶν *Mill.* Prol. §. 1286., neci prope addixit *Griesb.*, expunxit *Lachm.* probante *Meyero.* Defenderem ὑπὲρ ἡμῶν, si aliquot perantiqua subsidia hoc vs. ὑπὲρ ἡμῶν ὑπερ εντυγχάνει στεν. ἀλαλ. et v. 27. ὑπὲρ ἡμῶν pro ὑ. ἁγίων suppeditarent. Sic enim facillime excidere potuisse ὑπὲρ ἡμῶν appareret, quamquam etiam post ὑπερεντυγχάνει facile neglectum est, et ὑπὲρ ἡμῶν hoc vs. antiquitus positum fuisse luculento testimonio constaret. Nunc ὑπὲρ ἡμῶν et τῷ θεῷ (v. etiam *Oecum.*) interpretum glossae esse videntur, e re atque contextu haustae. Ἐντυγχάνειν τινὶ περί τινος est *convenire aliquem de* re aut personâ (v. Act. 25,24. et *Wetst.* ad h. l.) i. e. ut de re aut homine cum aliquo colloquare, ἐντ. τινὶ ὑπέρ τινος aliquem *pro* aliquo compellare, pro aliquo intercedere, deprecari (v. 34. Hebr. 7,25. Joseph. A. J. 14,10,13.) et ἐντ. τινὶ κατά τινος aliquem *in alicujus detrimentum* convenire h. e. aliquem apud aliquem *accusare* (11,2. 1 Macc. 8,32. 10,61. 11,25.). Non differt ὑπερεντυγχάνω (quod verbum hoc uno l. legitur, sed recte formatum est: cf. ὑπεραπολογεῖσθαι, ὑπεραποκρίνομαι et similia et *Bezam* et *Meyerum* ad h. l.) scil. τινί [ὑπέρ] τινος ab ἐντυγχάνω τινὶ ὑπέρ τινος. Documento est et v. 27., ubi de eadem re ἐντυγχάνειν ὑπέρ τινος legitur, et verbum verbo ὑπερεντυγχάνω oppositum κατεντυγχάνω τινός τινι *accusare aliquem apud aliquem*, quod a Basilio M. et Eusebio usurpatum esse *Albertius* docuit ad Hesych. s. v. κατεντευχθέντα] κατεντυχηθέντα. Cf. etiam Photium 147,1. — κατεντευκτής, κατήγορος. Job. 7,20. Errarunt igitur qui verbo decomposito ὑπερεντυγχάνειν defensionem *acrem*, *vehementem*, *efficacem* indicari putarunt (*Oecum.*, *Lutherus*: sondern der Geist selbst vertritt uns aufs Beste, *Heum.*, *Thol.* al.). στεναγμοῖς ἀλαλήτοις] De horum sensu verborum valde dubitatum est. Mitto *Albertii* p. 311. *gemitus vagos* aut *conturbatos* h. e. qui ex animo fluctuante et consternato, quasi trepido tumultu prodeant et labris oberrent. Male enim ad Hesychii glossas ἀλάλημαι· πεπλάνημαι et ἀλάλητα· τεθορυβημένα (v. ibi interpretes) provocavit e confudit Adjectivum ἀλάλητος cum Substantivo ὁ ἀλαλητός Hom. Il. 2, 149.. Permulti nixi significatu vocis ἀλάλητος *qui dici non potest* (cf. Aristoph. Ran. 839. ἀπεριλάλητος qui garriendo vinci *non potest*, unumschwatzbar) vertunt *gemitus inenarrabiles* (imo *infandos*), unaussprechliche (imo unsägliche) Seufzer (*Vulg.*, *Luther.* al.) varieque exponunt, v. c. *suspiritus, quorum vim et sententiam nullis verbis exprimas* (*Orig.*, *Meyer.* al.), *ingentes gemitus* (*Oecum.*: — τοῦτο

οὖν λέγει, ὅτι καὶ αὐτὴ ἡ χάρις τῆς εὐχῆς ὑπὲρ ἡμῶν τῷ θεῷ ἐντυγχάνει *μεγίστοις στεναγμοῖς*.). Posterior ratio et exemplorum lucem habet (cf. Virg. Aen. 2,3. *infandum dolorem* et cognatae significationis vocabula *inenarrabilem* declarantia ἀνεκδιήγητος et ἀνεκλάλητος 2 Cor. 9,15. — ἐπὶ τῇ ἀνεκδιηγήτῳ αὐτοῦ δωρεᾷ. 1 Petr. 1,8. ἀγαλλιᾶσθε χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ —. Ignat. ep. ad Ephes. c. 19. — καὶ τὸ φῶς αὐτοῦ [sideris quum Christus nasceretur exorti] *ἀνεκλάλητον ἦν.*: lege sqq. Liv. 44,5. inenarrabilis labor.) et bonam per se fundit sententiam. Diceret enim P. spiritum s. piorum Christianorum rite precari nescientium causam apud Deum agere *graviter gemendo*, ut impensam eius in pios Christianos voluntatem quâ nihil quam ut Deus iis opitularetur mallet enuntiaret. Sed quoniam v. v. 27. ὁ ἐρευνῶν τὰς καρδίας *causam* continent, cur quid sibi velint *οἱ ἀλάλητοι* στεναγμοὶ τοῦ πνεύματος Deus intelligat, non possunt στεναγμοὶ ἀλάλητοι esse nisi *gemitus muti*. Quare ii quoque errarunt, qui a potestate *non dicendus* profecti στεναγμοὺς ἀλαλήτους *gemitus mysticos* h. e. quorum rationem non reddas quosque te a pectore ducere pietatis sensu perfusus vix ipse sentias (sic fere sensum descripserunt *de Ammon.* et *dW.* quamquam v. ἀλάλητος aliter converterunt), στεναγμοὺς ἀῤῥήτους, μυστηριώδεις. Cf. Philodemi epigr. in *Jacobsii* Anthol. gr. II, p. 74. n. XVII. Τὸν σιγῶντα, Φιλαινί, συνίστορα *τῶν ἀλαλήτων* (dicuntur amoris mysteria) | λύχνον ἐλαιηρῆς ἰκμεθύσασα δρόσου | ἔξιθι. Recte *Grot.*, *Heum.*, *Morus*, *Boehm.*, *Rosenm.* al. *gemitus tacitos*, *mutos* explanant. Quemadmodum enim multa Adjectiva verbalia *active* usurpata sunt (ut ἄκλαυστος et ἀστένακτος Eur. Alcest. 173. v. not. I,59.), ita etiam λαλητός *vocis usu praeditum*, qui *potest loqui et loquitur* alexandrinis scriptoribus λαλεῖν pro λέγειν dicere solitis valuit, ut ἀλάλητος esse possit *qui loqui non potest neque loquitur*, *elinguis*, *mutus*. Eustathius p. 873, 13. — ἴσως δὲ ὥσπερ *λαλητὸν ζῶον* ὁ *ἄνθρωπος* ὡς *λαλοῦν* (haec ex Eratosthene aliove scriptore alexandrino hausta videntur), οὕτω καὶ νεμεσητὸς Ἀχιλλεὺς ὁ νεμεσῶν. LXX. Job. 38,14. ἢ σὺ λαβὼν γῆν πηλὸν ἔπλασας ζῶον καὶ *λαλητὸν* αὐτὸ ἔθου ἐπὶ γῆς; Sirac. 18,33. ἔσῃ γὰρ ἐπίβουλος τῆς ἰδίας ζωῆς λαλητός. (insidiator *loquens* s. *disertus* i. e. *manifestus*, non *famosus* v. *Schleusn.* Thes. III, 427.). Sunt autem *gemitus muti aut non loquentes* gemitus *quos quum tolluntur nulla verba comitantur*, quos qui de pectore ducit ita tollit ut simul non loquatur. Quamobrem quod P. spiritum s. pro piis Christianis apud Deum intercedere *gemitibus mutis* affirmavit, id hanc vim habet, intercedere illum *gemendo*,

non loquendo (*στεναγμοῖς, οὐ λόγοις*). *Koppius στεναγμοὺς ἀλαλήτους indictos* gemitus i. e. desideria animi *clandestina* in imo pectore recondita, *non voce prolata ut audiantur* interpretatus est. A quo profecit *Tholucc.*, qui p. 319. indictos s. mutos gemitus eos esse narrat, qui quum se de imo pectore sustulerint rursus occidant, ita ut neque per nares neque per os erumpant. Rarum hoc genus suspiriorum, si modo est ullum, neque Graeci *στεναγμούς*, neque Romani *gemitus* vocarunt. Sed rem illud conficit, quod Apostolum *στεναγμοὺς ἀλαλήτους* gemitus, quos verba non adjuvent, e v. v. 27. *ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας οἶδε κτλ.* dixisse certum est. Superest ut hujus vs. *sententia* accurate explicetur. Permulti quod P. div. spiritum mutis gemitibus nos qui rite precari nesciamus apud Deum defendere h. l. affirmat hoc sibi velle temere dixerunt: *dictare* nobis, qui rite precari nequeamus, spiritum s. *mutos gemitus* atque *efficere*, ut sine verborum prolatione ingemiscamus. Cf. v. c. *) *Augustin.* Propos. etc. III, 914. *Theodoret.*, *Lutherus* in *poster. comment.* ad Gal. c. 4., *Calv.*, *Beza*, *Grot.*, *Calov. Hunnius*, *Balduin.*, *Carpz.*, *Heum.*, *Tholucc.*, *Olsh.*. Eorum multi *preces* et *pios sensus* in *suspiriorum* locum subdunt **) divinumque spiritum in nobis ad rite precandum non idoneis *preces et pios animorum motus excitare* Paulum hîc docere opinantur. Nihil efficiunt eo quod qui domum aedificari jubeat domum aedificare vulgo dici observant. Neque melius *Calvinus* div. spiritum idcirco *precantem* (!) induci, quo significantius quod div. spiritus efficiat spiritus gratiae totum tribuatur, perhibet. Verba enim *τὸ Πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει στεναγμοῖς* nisi sic

---

*) Non haec est *Origenis* opinio. Is enim ipsum div. spiritum gemitus in Christianorum animis tollere, quibus *μυστικῶς* cum Deo colloquens amicos consilii inopes adjutet, sed simul eo consilio ibi gemere putat, ut Christiani ex se ingemiscere discant. Hinc spiritum s. cum ludimagistro comparat rudibus pueris literarum nomina praeeunte.

**) Idem vitium a *Turretino* commissum est, cujus perversam et jejunam explicationem *de Wettius* nuper repetiit. Loci sensum hunc esse ille perbibuit: *docere nos spiritum s., quomodo Deum orare nos oporteat* Non sunt *στεναγμοί preces*: non significat *τὸ πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπέρ τινος στεναγμοῖς* *preces fundit div. spiritus alicujus loco* et multo minus *div. spiritus preces alicui subministrat, ut eas fundat*, sed *deprecatur pro aliquo apud aliquem gemendo, causam alicujus agit, adjuvat aliquem apud aliquem gemendo*. Postremo *τὸ πνεῦμα* ab hominibus christ. diserte distinguitur ac dicit P. hos praesentium malorum sensu perturbatos in summâ consilii inopiâ esse: itaque *ipsum* div. spiritum *pro iis qui taceant quum rite precari nesciant* apud Deum *intercedere gemendo*.

intelligi nequeunt: *intercedere* spiritum s. *gemendo* et confirmat hanc interpretationem v. 27., ubi et *τὸ φρόνημα τοῦ* [*στενάζοντος*] *Πνεύματος* commemoratur et *τὸ Πνεῦμα κατὰ Θεὸν ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἁγίων* diserte dicitur. Accedit illud: *discernitur* v. 26. *τὸ Πνεῦμα* a nobis ad rite precandum ineptis et dicitur div. spiritus in *nostrum qui recte precari non possimus locum* succedere quum apud Deum pro nobis mortalis corporis onere pressis v. 18. 23. intercedat gemendo, non loquendo. Hinc non pios Christianos, sed *div. spiritum* iis consulentem gemere conficitur (v. librum m. Präliminarien u. s. w. p. 73. sq.) *). Hoc quaeritur, utrum spiritus s. nobis opem laturus *in coelo* an *intus in animis nostris* gemat. Illâ sententiâ, quam l. c. defendi, probatâ P. hoc affirmat: spiritum s. pro Christianis, qui rite precari nesciamus, *in caelestium concilio* apud Deum in regiâ sellâ constitutum et caelitum coronâ stipatum deprecari gemitibus, non verbis (v. 1 Reg. 22, 19. sq. Jes. c. 6. Apoc. c. 4.). **) Minime hoc a spiritus s. naturâ abhorret. Est enim div. spiritus *natura* (non vis) *augustior* et cui *in caelo* domicilium constitutum sit Matth. 3, 16. Joh. 15, 26.. Hinc quum Deus caelicolarum concilium indixerit, spiritum s.,

---

*) Eorum, qui ab hàc perspicuâ verborum sententiâ aberrarunt, commenta mentione vix digna sunt. Chrys., cui *ἀσαφὲς τὸ εἰρημένον* videtur *διὰ τὸ πολλὰ τῶν τότε γινομένων θαυμάτων πεπαῦσθαι νῦν*, Apostolorum aetate praeter charismata 1 Cor. 12, 8. sq. memorata etiam *χάρισμα εὐχῆς* fuisse et ipsum *τοῦ πνεύματος* nomine decoratum 1 Cor. 14, 32., quo imbutus et, pro plebe rite precari nesciente ecclesiae salutaria a Deo oraret et alios rite precari doceret. Igitur v. 26. priore loco *τὸ πνεῦμα spiritum s. ipsum*, posteriore l. et v. 27. *τὸ χάρισμα τῆς εὐχῆς* s. *τὴν καρδίαν* hominis, illo charismate praediti = *τὸν ἄνθρωπον τὸν πνευματικόν* notare perhibet. Ceterum ultima v. 27. v. *Ὅτι κατὰ θεὸν ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων* sui juris esse opinatur: Nempe ut Deo gratum est homo illo charismate decoratus pro hominibus Deo consecratis precando intercedit i. q. scilicet ita Deus rem instituit, ut haberemus, unde rite preçari disceremus. Sequuti sunt *Chrysostomum Theophyl.*, *Oec.* et *schol. Matth.*, nisi quod nonnulli v. 27. *τὸν ἐρευνῶντα τὰς καρδίας αὐτὸν τὸν παράκλητον* dici et *ὑπὲρ ἁγίων* Neutrum esse (= *ὑπὲρ σημνῶν καθαρῶν πράξεων*) sibi persuaserunt (v. *Oec.* et *schol. Matth.*).

**) Non fuit in hàc aut finitimâ sententiâ *Corn. a Lapide*, quum p. 112. haec scriberet: „Spiritus s. postulat, i. e. desideria amicorum suorum eorumque gemitus — in consistorio ss. Trinitatis quasi paracletus, i. e. advocatus, noster exponit magnâ instantiâ, magno pondere et magnâ auctoritate." Imo haec dixit: quos *in nobis excitaverit* gemitus eos excitatos et nobis suggestos ipsum spiritum s. sibi totique ss. Trinitati objicere et proponere. Cf. p. 113. *Gemimus* igitur illo auctore *spiritus s. impulsu*, sed spiritus s. suspiriorum suà auctoritate ductorum in concilio ss. Trinitatis et disertus explicator est et gravis commendator.

quemadmodum angelorum principes, se sistere credas. Et quum spiritus s. piorum Christianorum magister sit et tutor Joh. 16,13. Act. c. 2. Gal. 5,22., quidni homines quibus faveat in caelitum concilio defendat? Certe Christus nunc caelo receptus amicorum suorum causam agit apud Deum 8,34. Hebr. 7,25.. Quod autem gemendo, quam loquendo et acerbos hominum, quorum tutelam gerat, casus narrando apud Deum intercedere malit, id pudori et reverentiae, quam vel archangelis Dei praesentia et majestas incutiat, ut sua vota modeste gestu lubentius adsignificent, quam quum ea verbis enuntiaverint, immodestiae crimen incurrant, tribui potest. Non obstant huic interpretationi v. v. 27. ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας (*Chrys.*, *Meyer.*). Nam hoc quoque Deus se *animorum* recessus cognitos habere ostendat, quod quae *spiritus s.* mente suâ abdiderit sciat licet verbis non exposita. Sed nunc spiritum div. *in animis nostris* pro nobis ad rite precandum ineptis apud Deum gemitibus, non verbis de Pauli sententiâ intercedere arbitror. Primo enim haec explicatio eo commendatur, quod Ap. spiritum s. nostrae infirmitati non minus, quam *constantem futurae felicitatis exspectationem* opitulari scripsit. Hanc vero *mente* conceptam fovemus. Deinde div. spiritum ad nos benigne divinitus missum animisque nostris receptum nobis quovis pacto prospicere constanter N. T. scriptores docuerunt Joh. 15,26. 16,13. Act. 1,8. 2,1. sq. 19,2. 1 Cor. 3,16. Gal. 5,22. Eph. 1,14. 4,30. al., nunquam hoc numen in caelitum concilio nos defendere contenderunt. Tum quod P. divinum spiritum intus in mentibus nostris aliquid agere dixit, quum ipsi nihil agamus, nullam offensionem habet. Nam si quod numen alicujus corpus mentemque occupavit, non ibi torpet, sed tanquam in suo domicilio hominis membris usum pro suis operatur, jubet vetat, clamat tacet distinguique potest quod numen moliatur ab eo quod homo faciat, tum si suo illud Marte aliquid instituat, ut h. l., tum si reluctante homine, quem in potestate habeat, aliquid peragat. Socrati quum defensionem meditari vellet ἠναντιώθη τὸ δαιμόνιον Xen. Mem. 4,8,5.. Impuri daemones hominum corpora ingressi loquuntur et clamant Matth. 8, 28. sq. Mr. 1,26. al. v. *Eisenmengeri* Neuentdecktes Judenth. II, 47. sq.. Non tam Apostoli coram judicibus ipsi loquuntur, quam div. spiritus verba iis suppeditans v. Matth. 10,19. sq. cl. Luc. 12,11 sq.. Spiritus s. mentibus nostris a Deo inditus κράζει ἀββᾶ Gal. 4,6.. Quum P. Rom. 8,15. nos *spiritus s. impulsu* κράζειν· ἀββᾶ affirmaret, non illud div. spiritum facere negavit, sed eum auctorem nobis esse, ut suum exemplum imitati et ipsi ἀββᾶ ploremus enuntiavit. De-

nique distingui h. l. div. spiritus institutum ab iis quae ipsi faciamus dicique τὸ πνεῦμα, quum ipsi *inertes* simus, ἐντυγχάνειν ὑπὲρ ἡμῶν τῷ θεῷ στεναγμοῖς ἀλαλήτοις fidem faciunt persimilia aliorum scriptorum l., v. e. Hermae Past. l. II. mand. X. c. 3. ἆρον οὖν ἀπὸ σοῦ τὴν λύπην καὶ μὴ θλίβε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ἐν σοὶ κατοικοῦν, μήποτε ἐντεύξηται τῷ θεῷ καὶ ἀποστῇ ἀπὸ σοῦ. Τὸ γὰρ πνεῦμα τοῦ θεοῦ τὸ δοθὲν εἰς τὴν σάρκα ταύτην λύπην σαρκικὴν οὐχ ὑποφέρει, οὐδὲ στενοχωρίαν. Sed cur tandem *gemendo* spiritus s. animis nostris inditus causam nostram apud Deum agit, qui pro augustiore suâ naturâ sine gemitu ratione, quae nostrae intelligentiae vim vincat, sua Deo vota significare potuerit? Consilio, non casu factum credo, quod postquam P. universam rerum naturam, tum genus humanum et pios Christianos praesentis miseriae taedio *gemere* scripsit v. 22. 23., h. l. divinum spiritum pro Christianis *gemendo* apud Deum deprecari affirmat. (v. *Orig.*) Nempe fautorem in doloris, qui hominem cui bene velit fodiat, partem venire decet. Ingemunt patroni clientium malis moventurque numina earum nationum cladibus, quibus propitia sint. Non igitur spiritus s. in tanto clientium suorum ejulatu est ἀστένακτος, imo pro iis malorum mole ita pressis, ut rite precari nesciant, intercedit apud Deum *gemendo* *). — V. 27. Causa additur, cur quidnam sibi

---

*) Quomodo spiritus s. deprecatio a Christi in caelum reversi 8, 34. deprecatione differret valde quaesitum est. Veteres nostri coetus Theologi Christum a Dei dextrâ constitutum *verbis* tanquam redemtorem *meritis* „*in statu exinanitionis consummatis*" *nixum* pro piis Christianis apud Deum intercedere, spiritum s. *ut advocatum qui clientes suos rite precari doceret* (at v. supra) deprecari statuerunt! v. Calov. ad h. l. et Hebr. 7, 25., *Carpz.* et *Wolf.* ad h. l.. *Olshaus.* Christi intercessionem habere vim expiantem (! Hebr. 9, 28. Rom. 3, 25.), spiritus s. ἔντευξιν eo valere, *ut lustremur et votis spiritus s. impulsu enuntiatis* (v. supra) *potiamur* jecit. Mitto eorum nugas, qui absurde philosophando efficere nunc student, ut et ingeniosi Theologi et subtiles librorum s. interpretes esse videantur. Neque enim ss. scriptorum sententiae ad tua commenta detorquenda sunt, sed quid illis placuerit et qui factum sit, ut id illis placeret, exquirendum est. Spiritus s. igitur pro piis Christianis apud Deum deprecatur ut *fidelis custos* iis a Deo appositus, Christus partim ut *memor amicus*, partim ut *pontifex maximus*. Nam quum nemo tum dubitaret, quin spiritus s. Christianis a Deo datus esset, ut *omnibus modis* eos juvaret, tum quoque illum pro amicis apud Deum intercedere, quum hujus vitae aerumnis perturbati ipsi rite precari non possent, consentaneum visum est. Christum autem coelo receptum pro amicis suis apud Deum deprecari par erat multas ob causas. Decet virum bonum altum dignitatis gradum adeptum memorem esse tenuium amicorum. Quidni igitur Christus *dum in hâc terrâ viveret* benevole pro amicis apud Deum deprecatus Joh. 17, 9, 20., idem faceret in caelum sublatus,

muti spiritus s. gemitus velint Deus intelligat (v. 26.). Inclusit eam P. circumloquutioni ὁ ἐρευνῶν τὰς καρδίας (Apoc. 2,23. Ps. 7,10.). Cf. 4,24. 8,11.: Scit autem *qui mentes scrutatur*, cujusmodi sit div. spiritus inceptum, aut quid spiritus s. paret atque intendat. Exploratum Deo est, *quia mentes scrutatur et cogitata perspicit*, quo spectent spiritus s. gemitus: verbis non opus est, quibus quae mente volvens ingemiscat div. spiritus Deo explicet. Verbis ὅτι κ. ϑ. ἐ. ὑ. ἁ. praecedentia vocc. τί τὸ φρόνημα τ. Πν. accuratius constituuntur: scit Deus spiritus s. inceptum, (nempe) eum apud Deum pro ejusmodi hominibus, qui (fide Christo adjunctâ) Deo consecrati sint, (gemendo) deprecari. Cf. *Krueger*. ad Xen. Anab. 1,8,21. καὶ γὰρ ᾔδει αὐτὸν ὅτι μέσον ἔχοι τοῦ Περσικοῦ στρατεύματος, not. m. ad Marc. p. 34. et 1 Joh. 4,8. ὁ μὴ ἀγαπῶν οὐκ ἔγνω τὸν ϑεὸν ὅτι ὁ ϑεὸς ἀγάπη ἐστίν. κατὰ ϑεόν] *in Deum quasi conversus* i. e. *coram Deo*, *apud Deum*, ut recte, *Boehm.*, *Reich.*, *Win.* gr. p. 380. al. Cf. κατὰ πρόςωπον Luc. 2,31. Gal. 2,11. Thucyd. 1,106. Diod. 14,26. et κατ᾽ ὄμμα Eur. Androm. 1065.. Male Rueck. sic Pronomen ponendum fuisse objecit. Potuit κατ᾽ αὐτόν scribi, non debuit. Nam distinctius, quam necessarium fuerat, loqui Paulo licuit. Pejus etiam *Rueck*. Articulum κατὰ τὸν ϑεόν requisivit. Cf.

---

ut amicis suis, quorum miserrima in hâc terrâ conditio esset, prodesset (Matth. 28,20.)? Aucta est haec sententia postquam Christiani Jesum suum pontificem maximum, qui in caelo, vero, non adumbrato, templo sacra faceret, venerati sunt. Erat autem Judaeorum pontifici maximo pro populo jud. peccatis contaminato apud Deum deprecandum. Multo magis hoc Christo pro suis alumnis faciendum erat, perfecto pontificis maximi exemplari Hebr. 7,25. 9,24.. Fortasse etiam consentaneum nonnullis visum est, Messiam Mosis exemplum imitari Exod. 32,30. sqq.. Postremo illa sententia gravi curâ et sollicitudine Christianos liberavit. Scilicet ratio ineunda erat, quâ Deus levioribus et quae condonari posse viderentur peccatis ab hominibus *postquam Christo fidem adjunxissent* patratis veniam daret. Etenim Christi supplicio ea tantummodo peccata expiata sunt, quae quis commisisset *priusquam ad Christi sacra accessisset* (Eph. 1,7. cl. 5,5. Hebr. 10,26. al.). Itaque Christus deprecator in caelo constitutus est, qui *levioribus et quibus ignosci posse videretur* suorum amicorum peccatis, ne illi aeternâ beatitate exciderent, veniam a Deo impetraret intercedendo 1 Joh. 2,1.. (v. supra I,276.) Sed quae tu Christianus factus egregiisque a Deo ornamentis condecoratus *prudenter et voluntate* peccaveris eorum neque deprecator est neque iis a Deo ignoscetur duabus de causis. *Utique* enim Deus *ingratos* in se et Christum homines poenis afficiet (v. Hebr. 6,6. cl. 8. et 10,29.) et nullum est piaculum, quo horum ingratorum hominum peccata expientur (Hebr. 10,26—31.), quandoquidem *semel* se Christus obtulit, non *iterum* se oblaturus est (Hebr. 9,25.).

2 Cor. 7,9. sq. Eph. 4,24. Col. 2,8. Gal. 4,28.. Tam ut v. *κατὰ θεόν* omitti potuerint, quoniam *apud quem* div. spiritus deprecetur, res et contexta oratio perspicue docent, tamen voce. *κατὰ θεόν* prorsus otiosa esse non dixerim (*Meyer*.). Ob id ipsum, quod P. v. 26. non dixerat, ὑπερεντυγχάνει θεῷ, rem h. l. plene et perspicue proferre ei concessum erat. Postremo locus verbis *κατὰ θεόν* datus in iis nescio quod pondus repositum esse minime ostendit (*Rueck*.). Nam v. intime connexa ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων Ap. divellere noluit. Itaque aut ὅτι κατὰ θεὸν ἐ. ὑ. ἁ., aut ὅτι ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἁγίων κατὰ θεόν scribendi optio ei erat. Quorum prius numerose cadit, posterius languet. Si Ap. voce. ὑπὲρ ἁγίων ponderosa esse voluisset, v. sic ordinasset: ὅτι ὑπὲρ ἁγίων ἐντ. κατὰ θεόν. Innumerabiles interpretes (*Syr.*, *Ambrosiaster*, *Oec.*, *Beza*, *Grot.*, *Rueck.*, *Meyer*. al.) *κατὰ θεόν secundum Dei voluntatem, ita ut Deo placet* (*κατὰ τὸ θέλημα τ. θ.* 1 Joh. 5,15.) explicant (2 Cor. 7,9. sq.) *). At sic notio inculcatur ab h. l. remota. Deum, *quia mentes scrutetur*, *quamquam spiritus s. tantummodo ingemiscat*, non simul cogitata sua edisserat, tamen scire *eum pro hominibus Deo consecratis* [apud se] *deprecari dum ingemat* h. e. sublatos ab eo gemitus eo spectare, ut hominibus Deo consecratis consultum velit h. l.

---

*) Male *Win*. gr. p. 381. *Bengelii* interpretationem probavit: „*secundum* hîc significat *sensum animi Deum spectantis et sequentis*. — tristitia poenitentium mentem cum Deo conformat." *Λυποῦμαι κατὰ θεόν* nemo concise hoc s. dixit: *tristitiâ afficior versus Deum* i. e. tristitiâ tangor, in quâ positus mentis aciem in Deum defigam eumque reverear, *λυποῦμαι εἰς τὸν θεὸν ἀποβλέπων* Hebr. 11,26. (*τὸν θεὸν φοβούμενος*). Fortasse *Beng. rem*, *non verba* explicare voluit, ut qui suam sententiam confirmaturus e Philostrato *κατὰ θεὸν ἥκω* citaverit. Late patere *ποιῶ* (*πάσχω*) *τι κατά τινα* constat. Potest enim valere *ad alicujus exemplum* (Gal. 4,28.), ad a. *mentem* (2 Cor. 11,17.), *pro alicujus impetu* (nach Jemandes Einfluß, Einwirkung: v. *Wetst.* ad Rom. 8,27., *Heindorf.* et *Winckelmann.* ad Plat. Euthyd. 272. E. et *Kypk.* ad 2 Cor. 11,10. et 1 Cor. 12,8., cum quo l. contende Menandri fragmentum in *Brunckii* poëtis gnomicis p. 266. ed. Lips. *Τρία γάρ ἐστι, δέσποτα, δι' ὧν ἅπαντα γίγνετ', ἢ κατὰ τοὺς νόμους, | ἢ ταῖς ἀνάγκαις, ἢ τὸ τρίτον ἔθει τινί.*) et finitima. Hoc l. res et contexta oratio hanc interpretationem flagitant: *ad Dei mentem*. *Λυπεῖσθαι κατὰ θεόν* est tristitiâ affici *e Dei sententiâ* h. e. quae Deo probetur et *ἡ κατὰ θεὸν λύπη* tristitiam declarat, *quam Deus expetit*. In hanc conjecti sunt, qui peccatis suis dolent et moleste ferunt quod in officio claudicarunt, unde fit, ut nihil, quam peccata sua corrigere malint (v. 11.). Cui opponitur v. 10. *ἡ τοῦ κόσμου λύπη tristitia profanis hominibus propria*. Hos pungunt accepta incommoda, non commissa peccata, et gaudium e rebus percipiunt, quae maerorem iis afferre debebant. Itaque eorum luctus exitiosus est v. 10..

dicendum est, non hoc declarandum: Deo *quoniam mentes perspiciat* spiritus s., *qui gemitus sustulerit*, *non verba ad Deum fecerit*, consilium cognitum esse, nempe eum *ita ut Deo placeat* apud Deum deprecari. Ne deprecatur quidem spiritus s. quum ingemiscit, ceterum tacet, pro piis hominibus, sed quia Deo intimi animorum recessus patent, spiritui s. studium pro piis hominibus deprecandi gemitus excitasse Deus non ignorat. Itaque τοὺς ἀλαλήτους στεναγμοὺς τοῦ πνεύματος propter summam Dei perspicaciam votorum pro piis hominibus nuncupatorum vim habere Paulum affirmare oportet: scire Deum spiritum s. *qui Deo probetur modo* pro piis hominibus intercedere hîc dicere plane nequit *). Perverse plerique interpretes ὅτι *nam* vertunt (v. c. *Lutherus*, nuper *Rueck.* et *dW.*). Est enim causa, cur Deus τὸ φρόνημα τοῦ πνεύματος intelligat, in summâ Dei perspicacitate (ὁ δὲ ἐρευνῶν τὰς καρδίας οἶδε), non in eo sita, quod spiritus s. κατὰ θεόν pro piis hominibus deprecetur.

V. 28.—30. Praeterquam quod hujus vitae aerumnas et sempiternae felicitatis spes v. 24. 25. et provida div. spiritus cura consolatur, v. 26. 27., est aliquod praesentium malorum fomentum in eo positum, quod *piis Christianis* vel acerbos casus emolumento esse scimus. Nam iis e Dei instituto ad Christi sacra invitatis Deus aeternam beatitatem daturus est v. 28—30. Quidni igitur Deus iis quod multo minus est largiatur, ut aut tristem hujus vitae conditionem in laetam fortunam convertat, aut saltem acerba et quae nocere videantur fata eo flectat, ut etiam vere prosint?

V. 28. Cf. *J. A. Gadolini* Rom. 8, 28—30. explicandi periculum Helsingf. 1834. 4. — οἴδαμεν δέ] *notum autem est nobis*. Hâc formulâ P. ad solatium transit vel atrocissimis calamitatibus leniendis aptissimum. Omnino autem, in-

*) Vulgo Origenem et Ambrosiastrum κατὰ θεόν *pro divinâ suâ naturâ* contra loquendi usum explicuisse observant. Origenis v. *ambigua* sunt. Sed videtur facta ab eo oppositio divini spiritus, qui „non secundum carnem sed secundum Deum pro sanctis interpellet" et Christi, qui „non secundum Deum, sed secundum carnem mortuus dicatur" verba potius, quam sententiam complecti, ità ut κατὰ θεόν *apud Deum* enarraverit. Attende ad v.: *Ideo* non verbis *offerre* dicitur spiritus interpellationem pro sanctis, sed *gemitibus*, et non communibus istis gemitibus, sed *inenarrabilibus*. Quomodo enim enarrari potest *quod spiritus Dei loquitur Deo*, quum —? Ambrosiaster autem κατὰ θεόν exposuit *ita ut Deo placet*. Neque enim ejus explicatio verbis — „sed sicut competit ejus divinitati" sed vocabulis continetur: „et haec petit quae scit Deo placere et nobis prodesse."

inquit, ut efficacissimam medicinam adhibeam, nos non fugit etc. Male *Beng*: „novimus autem] Antitheton: non novimus v. 26." Ita saltem τοῦτο δὲ οἴδαμεν ponendum fuerat. πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν] A. B. πάντα συνεργεῖ ὁ θεὸς εἰς ἀγ., quod *Grotio* probatum recepit *Lachm.* | Orig. Sel. in Ps. (II, 569.) πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθὸν ὁ θεός. Est ὁ θεός eorum glossema, qui antiquitus non πάντα, sed *Deum* Subjectum esse credidissent, ut Orig. περὶ εὐχῆς (1, 264.) et *Oec.*, non *Chrys.*, qui vulgarem ingressus interpretationem sensum paullo liberius descripsit. Has nuper *Bretschneid.* Lex. II, 468. sequutus est: „ipsum amantes Deus *fortunat*(?) omni in re." Dicitur sane συνεργεῖν τινί τι, quae praegnans structura est idem declarans, quod συνεργοῦντα πορίζειν τινί τι (Xen. Mem. 3, 5, 16. cf. etiam Soph. Philoct. 143. ὑπουργεῖν τινί τι). Quocirca vv. τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν πάντα συνεργεῖ [sc. ὁ θεὸς] εἰς ἀγαθόν valere *possunt*: iis qui Deum diligunt omnia Deus *opitulans largitur* ita ut iis bene sit. Nihilo secius haec explicatio prava est, primo quia haec v. poscit — ὅτι ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν — deinde quoniam notio verbo συνεργεῖ subjecta nonnihil offendit, ut nemo non simpliciter dictum mallet — ὅτι ὁ θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτὸν πάντα χαρίζεται, ut v. 32., postremo quod hunc vs. male cum v. 27. connectit h. m.: haud ignoramus autem, Deum piis Christianis *omnia* opitulantem dare, ut bono fruantur (scil. quum se pro iis spiritus s. interposuerit v. 27.). At locus de div. spiritus clientelâ versu 26. et 27. absolvitur. Hoc vs. novum malorum solatium exponitur, non illud a spiritus s. in Christianos voluntate ductum, sed a *consilio* repetitum, quod *Deus* de piis Christianis captum destituere nequeat. Recte igitur longe plerique interpretes πάντα sententiae Subjectum fecerunt. De singulis v. haec accipe. Primus l. verbis τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεόν assignatus est, ut hanc oppositionem indicarent: *iis qui Deum diligunt*, non iis qui Deum non diligunt. Sunt οἱ ἀγαπῶντες τὸν θεόν (Ps. 97, 10. 1 Cor. 2, 9. Jac. 1, 12.) homines pii et quidem pii Christiani. De his enim h. l. agitur: cf. τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς οὖσιν. Et pios tantummodo Christianos Deum vere posse diligere P., si sibi constitit, judicavit. Aestimatur amor Dei quum affectu, tum obsequio. At turpis erat gentilium vita 1, 26 sq. Eph. 2, 2. et Judaei, ut servi herum, sic Deum metuebant v. 15. Gal. 4, 3.. Sed τοῖς πιστοῖς div. spiritus metum absterget, sensum animumque liberorum a Deo adoptatorum affert et virtutis studium accendit v. 15. Gal. 4, 6. 5, 22. πάντα] *nulla non res* h. e. non solum res secundae, sed

etiam adversae. Nam et toto h. l. hujus vitae aerumnas Ap. consolatur et exponit v. *πάντα* v. 35.. Chrys.: — *ὅταν δὲ εἴπῃ* [P.] *πάντα, καὶ τὰ δοκοῦντα εἶναι λυπηρὰ λέγει.* *Augustini* [De correptione et gratiâ c. 24. X. p. 763. ed. Bened.] ejusque adstipulatorum interpretationem: omnes res, *peccata quoque*, piis Christianis emolumento sunt, quum modestiores eos reddant et doctiores atque efficiant, ne arroganter dicant: *nunquam titubabimus* Ps. 30, 7., recte sprevit *Calvinus* ut a P. disputatione remotam. *ὅτι τοῖς ἀγ. τ. θ. π. συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν*] *iis qui Deum diligant vel tristem fortunam ad emolumentum conferre.* *Συνεργεῖν τινι* in universum valet *socium, adjutorem esse alicui* i. q. *συνεργὸν εἶναί τινι* (cf. *ὑπουργεῖν* et *ὑπηρετεῖν τινι* i. q. *ὑπουργὸν* et *ὑπηρέτην εἶναί τινι*). Hinc saepe est *aliquem adjuvare* (Xen. Mem. 4, 3, 12. Polyb. 1, 70, 5. 1 Macc. 12, 1. Jac. 2, 22.). Sed h. l. *alicui adjutorem esse ad rem* notat *alicui utilem esse ad aliquid*, Jemandem beisteuern (*συμβάλλεσθαι* v. Polyb. 11, 9, 1., ubi *συμβάλλεσθαι* et *συνεργεῖν* juncta sunt), behülflich sein, beitragen zu Etwas. Diog. Laert. 7, 104. — *διχῶς δὲ λέγεσθαι ἀδιάφορα· ἅπαξ μὲν τὰ μήτε πρὸς εὐδαιμονίαν, μήτε πρὸς κακοδαιμονίαν συνεργοῦντα, ὡς ἔχει πλοῦτος κτλ..* Test. XII Patriarch. p. 679. — *τὸ γὰρ πνεῦμα τοῦ μίσους διὰ τῆς ὀλιγοπιστίας συνεργεῖ τῷ Σατανᾷ ἐν πᾶσιν εἰς θάνατον τῶν ἀνθρώπων* —. Ridicule interpretes, quum causam, cur *συνεργεῖν τινι εἴς τι* valeret *alicui utilem esse ad rem*, hanc esse, quod illa loquutio idem dicat quod *συνεργὸν εἶναί τινι εἰς τὶ* non intellexissent, res circumspexerunt, *quibuscum πάντα* bene cederent. Sic *Beza* praepositionem verbi ad res *non adversas* rettulit, quae *cum* rebus adversis utiles sint piis hominibus et *Olsh.* res voce *πάντα* indicatas *συνεργεῖν unâ facere ad emolumentum* dici opinatus est. Sed pessime *Tholucc.* eodem captus errore hunc l. pervertit: scimus autem, *simul cum Dei amore*, quo pii Christiani incensi sint, tristes hujus vitae casus ad salutem facere (ita ut Dei amor salutem pariat, acerba autem fortuna rem adjuvet eoque valeat, ut salus pariatur) i. e. *οἴδαμεν δέ, ὅτι τῇ ἀγάπῃ τοῦ θεοῦ, τῇ ἐν τοῖς ἁγίοις πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν.* V. librum m.: Präliminarien u. s. w. p. 52 sq.. *εἰς ἀγαθόν*] *ad emolumentum*, zum Guten. Male *Reich.* *ad aeternam salutem*, i. q. *εἰς τὴν δόξαν* v. 18. 30.. Confudit *εἰς ἀγαθόν* cum *εἰς σωτηρίαν* 1, 16.. Articulo *εἰς τὸ ἀγαθόν* non opus est. (Cf. Theognis 163. *Πολλοί τοι χρῶνται δειλαῖς φρεσί, δαίμονι δ' ἐσθλῷ,* | *οἷς τὸ κακὸν δοκέον γίγνεται εἰς ἀγαθόν.* In Eur. Rheso 317., quem l. vulgo addunt, nunc editur: *ὅταν πολίταις εὐσταθῶσι δαίμονες* | *ἔπει κατάντης συμφορὰ*

πρὸς τἀγαθά.). Praebent eum Clemens Strom. IV, p. 359. ed. *Commel.*, *Orig.* bis (quater omittit), Theodoret, Theophyl. A. 57. 72. 73. 74. et aliquot alii. *Lachm.* eum recepit. Cum sententiâ contende Plat. De rep. p. 613. (p. 500. *Bekk.*) *Οὕτως ἄρα ὑποληπτέον περὶ τοῦ δικαίου ἀνδρός, ἐάν τ' ἐν πενίᾳ γίγνηται ἐάν τε ἐν νόσοις ἤ τινι ἄλλῳ τῶν δοκούντων κακῶν, ὡς τούτῳ ταῦτα εἰς ἀγαθόν τι τελευτήσει ζῶντι ἢ καὶ ἀποθανόντι.* Sirac. 39, 27. Genes. 50, 20. et fabulam de Nachumo, qui cognomen איש גם זו ex eo invenerit, quod vel summo infortunio conflictatus dixerit: גם זו לטובה *hoc quoque (malum) in bonum cedit* apud *Schoettg.* ad h. l. — *τοῖς κ. πρ. κλ. οὖσιν*] Appositio: iis qui deum diligunt h. e. iis qui ex sententiâ homines invitati (s. arcessiti v. not. ad v. 30.) sunt. Appositioni causa illigata est, propter quam piis Christianis tristes casus prosint. Joh. 13, 14. *Dei* propositum ab Ap. dici et res ostendit (constanter enim a P. *τὸ καλεῖν* Deo tribuitur, v. I, 19.) et vs. 30. commonstrat, ubi eos Deum vocasse legimus, ad quos *ἡ πρόθεσις τοῦ θεοῦ* pertinuerit, et formula docet. Repetit enim Ap. hominum salutem a quodam *Dei* consilio Eph. 1, 5. 11., quod ab aeterno initum Christi operâ exsequutus sit Eph. 3, 11. 2 Tim. 1, 9.. Quocirca et disputationem Pauli et dogmata everterunt, qui praejudicatis opinionibus impediti, ne nonnullis hominibus ne oblatam quidem salutem esse, quia eos invitare Deus non constituisset, e Pauli verbis efficeretur, *κατὰ πρόθεσιν* ad *hominum* propositum rettulerunt. Orig. IV, 604. „Nam hi, qui *secundum propositum bonum et bonam voluntatem quam circa Dei cultum gerunt* vocantur, ipsi sunt qui *secundum propositum* vocati dicuntur: et isti sunt qui vocati justificantur. „Bono enim eorum proposito deerat sola vocatio." *Chrys.*, *Theophyl.*, *Oec.*, *Hammond.*, *Clericus* al.. Eodem consilio *Pelag.* *Dei* decretum beandi *eos*, *quos fidem habituros esse praescisset* enarravit, *Kopp.*, *Rosenm.* al. *τὴν πρόθεσιν benignam Dei voluntatem* esse finxerunt, et *Grot.* *τὴν πρόθεσιν Dei voluntatem* valere jecit quumque *τοὺς κλητοὺς* a P. dici *qui vocati obediant* sibi persuasisset hunc l. sic explicuit: *iis qui se ad omnem Dei voluntatem accommodant.* Ad permultos autem haec vana opinio pertinet, declarare *τοὺς κλητοὺς* Paulo *eos, qui divinae invitationi obtemperaverint* ac nihil differre *τοὺς κλητοὺς* a *τοῖς ἐκλεκτοῖς* Rom. 8, 33. (v. v. c. *Turretin.*, *Usterius* Entwickl. u. s. w. p. 293., et dW.). At e l. Rom. 1, 1. 6. 1 Cor. 1, 1. 2. Jud. 1. Apoc. 17, 14., ubi Christiani, ergo *homines divinitus se invitari passi*, *κλητοί* appellantur nihil efficitur. *Sunt* enim Christiani homines divinitus invitati seu evocati, ut quos Deus missis qui

doctrinam div. iis exponerent ad se arcessiverit Rom. 10, 14. sq.. Non melius illi ex 1 Cor. 1, 24. argumentati sunt. Ibi sane αὐτοὶ δὲ οἱ κλητοὶ Judaeis et paganis opponuntur. Sed non cogitarunt, vs. 22 — 24. muniri versum 21.. Itaque v. 23. 24. Ἰουδαῖοι καὶ ἔθνη respondent τῷ κόσμῳ v. 21., verbis autem v. 24. αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς Ap. ad τοὺς πιστεύοντας v. 21. revertitur (animum àdverte ad αὐτοῖς). Quare sine ullâ ambiguitate homines christ. h. l. homines divinitus evocatos nominare P. potuit, quum quia ab Judaeis et paganis clare discernuntur, tum quoniam verbis αὐτοῖς δὲ τοῖς κλητοῖς ad τοὺς πιστεύοντας v. 21. redit, cujus vocabuli notio perspicua est. Quae si perspexisset *Rueckertus*, non eum αὐτοῖς offendisset. Postremo male ad Rom. 8, 30. καὶ οὓς ἐκάλεσε, τούτους καὶ ἐδικαίωσεν provoces, quae v. *neminem non*, quem Deus evocaverit, integrum a Deo judicari doceant. Nam toto l. P. de τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν disputat. Male *Usterius* l. c. Paulo τοὺς κλητοὺς homines esse, quibus Deus stabili decreto sempiternam felicitatem destinarit, *ut oblatam sulutem ne possint quidem respuere* perhibuit. Nam aspernatos esse nonnullos oblatam beatitatem P. docet Rom. 10, 16.. Licuerat igitur ei hos quoque κλητοὺς nominare, quippe non minus a Deo invitatos, quam qui oblatam conditionem accepissent. Ut brevi praecidam. Non commiscuit P. diversas hominum *invitatorum* (τῶν κλητῶν) et *electorum* (τῶν ἐκλεκτῶν) notiones, sed οἱ κλητοὶ *constanter* ei honorificus Christianorum ut hominum *divinitus arcessitorum* s. *invitatorum* titulus est, quemadmodum alias Christiani οἱ πιστοί ut homines *fide conspicui*, οἱ ἐκλεκτοί *ut homines ex improborum hominum colluvione delecti* Apoc. 17, 14., οἱ ἅγιοι *ut Deo consecrati* aliisque nominibus (1 Thess. 1, 4. Col. 3, 12.) honorifice dicuntur. Nusquam P. τοὺς κλητοὺς τοῖς ἐκλεκτοῖς opposuit, ut illud voc. *non magnae frugis vulgus*, hoc *spectatae pietatis homines* declararet. Imo illius farinae homines τοὺς ἀδοκίμους 1 Cor. 9, 27., 2 Tim. 3, 8., hoc genus τοὺς δοκίμους 1 Cor. 11, 19. vocavit. Neque peculiare iis nomen imposuit, qui oblatam salutem aspernati essent, sed eos, et recte quidem, ad τοὺς ἀπίστους rettulit, quibus opposuit τοὺς πιστούς.

V. 29. et 30. Firmatur praecedens (v. 28.) sententia h. m.: hominibus qui Deum diligant h. e. qui *e Dei decreto* invitati (s. evocati) sint vel gravissimos casus prodesse (v. 28.) ex eo elucet, quod *quos Deus decreto suo antea complexus est* aeternam iis felicitatem largietur v. 29. 30.. Quidni igitur Deus *summum* piis Christianis *ornamentum* daturus *rem multo minorem* iis concedat, ut acerbos hujus vitae

casus ad laetum exitum perducat et efficiat ut quae nocere videantur etiam prosint? (v. 31. 32.) — Male *Cornelius a Lapide* p. 115. versum 29. protasin continere putavit, cujus argumento graviter repetito verbis v. 30. οὓς δὲ προώρισε apodosis his vocc. concepta sit *τούτους καὶ ἐκάλεσε: nam quos ante scivit* filio suo similes fore et ante constituit, ut tales essent, ut — — —, *quos vero* [non *inquam*] ante constituit, hos etc.. Nam vox δέ v. 30. minime apta est, quum neque δέ in protasi v. 29. praecedat [οὓς δὲ προέγνω καὶ προώρισε], neque adversativum δέ v. 30. [οὓς δὲ προώρισε] habeat quo referatur (v. *Herm.* ad Vig. p. 844. et *Hartung*. Lehr. von den Partikeln d. gr. Spr. I, 173 sq.). Deinde hoc pacto *utrumque* v. in protasi collocatum repetendum fuerat (οὓς δὲ προέγνω καὶ προώρισε), non posterius tantummodo. Tum credibile est, Paulum versum 28. muniturum a τῇ προθέσει τοῦ θεοῦ profectum esse, confirmatque hanc suspicionem membrorum ratio. Nam non solum verbis rem e prius memoratâ quocunque modo natam declarantibus, ut par erat, *καί* praefixum est, sed etiam orationem constanti aequabilique ratione variatam esse videas. Secundum et quartum membrum vinctum est per δέ, tertium, ut oratio distingueretur, per καί (καὶ οὓς ἐκάλεσε), primum per ὅτι, quod argumentatio poposcit. Jam si illa suspicio vera est, προέγνω v. 29. verbis κατὰ πρόθεσιν v. 28. respondeat necesse est, neque valere potest *ante scivit*. Τούτους autem, quod voc. *Corn. a Lap.* requisivit, in οὓς latet; et fortasse argutetur, qui subtiliorem quandam causam, cur P. hoc τούτους non scripserit, comminiscatur dicatque idcirco omissum videri, quia non tantopere discreta sit ἡ πρόγνωσίς (ἡ πρόθεσις) τοῦ θεοῦ a τῷ προορισμῷ, quantopere ὁ προορισμὸς a τῇ κλήσει et sic porro. Puerile est enim, in hujusmodi rebus summam aequabilitatem a scriptore postulare. Recte igitur tantum non omnes interpretes apodosin a verbis καὶ προώρισε incipere statuerunt. *Generatim* sane P. loquutus est ὅτι οὓς προέγνω καὶ προώρισε — —. οὓς δὲ προώρισε, τούτους κ. ἐκάλεσε κτἑ.. Sed *res* tamen ejusmodi est, ut in *pios Christianos* tantummodo quadret, *de quibus P. disputat* (v. v. 28.). Nam ad hos solos (ἡ πρόθεσις) ἡ πρόγνωσις, ὁ προορισμός et ἡ ἐκλογὴ τοῦ θεοῦ pertinent Eph. 1, 4 sq. 11. 1 Petr. 1, 2.. Neque opus erat, ut Ap. Subjectum diserte adderet ὅτι οὓς προέγνω ὁ θεός. In neminem enim τὸ προγινώσκειν, τὸ προορίζειν, τὸ καλεῖν, τὸ δικαιοῦν et τὸ δοξάζειν cadit nisi in *Deum*.

οὓς προέγνω] Explicatores *Augustino* superiores et inferioris aetatis permulti (v. c. *Toletus*, *Calov.*, *Kopp.*, *Ammon*, *Rosenm.*, *Flatt.*, *Reich.*, *Wahl.*, *Meyerus* al.), ne Deus

justitiâ et sanctitate privaretur, quum pro arbitrio aliis pietatem et sempiternam felicitatem, aliis impietatem et aeterna tormenta decrevisset, homines autem libertate orbarentur quum Dei decreto congruenter sentire et vivere cogerentur, hoc Paulum dicere censuerunt: Deum eos, quos *ante novisset probos homines fore et Christo fidem habituros*, ad id destinasse, ut Christi similitudinem adepti Dei filii fierent. Ita enim et Deus suum cuique tribuisse videbatur, et homines, qui aeternâ felicitate excidissent, justam malefactorum suorum mercedem habere. Sed praeterquam quod nonnulli inepte v. προγινώσκω explicuerunt*), ii ipsi, qui huic verbo *praesciendi* (v. *Wetst.* et Xen. de officio magistri equitum 8, 12. Herodian. 3, 12, 13.), *praevidendi*, *ante cognoscendi* significatum tribuerunt, mancam quam putarunt orationem diversimode expleverunt, v. c. οὓς προέγνω ἀξίους τῆς κλήσεως (*Theophyl.*), συμμόρφους τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ ἀναστροφῇ (*Pelag.* „quos praevidit *conformes futuros in vitâ*, voluit, ut fierent conformes in gloriâ."), ἱκανοὺς πρὸς τὴν αἰώνιον ζωήν (*Ammon.*, *Wahl.*), πιστοὺς καὶ προσκαρτεροῦντας τῇ πίστει (*Heum.*) μέλλοντας ἔσεσθαι. Frustra haec interpretatio hoc argumento impugnata est, ne apice quidem Paulum indicasse, *quales* Deus eos fore praevidisset, de quibus h. l. exponatur (*Rueck.*). Duobus enim modis hoc vitium recte tollas. Quippe enarrare licet οὓς προέγνω *quos* (i. e. quorum ingenium) ante cognitos (cognitum) habuit, die er vorher erkannt hat. Jam si *virtutem ac pietatem*, quam in hominibus futuram esse praevidisset, Deo felicitatem decernendi causam fuisse P. doceret, homines, quos Deus h. l. ante cognovisse diceretur, non esse nisi probos et Christo fidem adjuncturos res et contextus monstraret. Sed multo melius sic explices: quos ante *notos* habuit, die er vorher gekannt hat Act. 26, 5. Novimus homines moribus studiisque nobiscum congruentes et qui nobis faveant amicos cumque iis congregamur, ceteros ut alienos parum curamus. Sic Deus *sui amantes* nosse dicitur 1 Cor. 8, 3. Gal. 4, 9. 2 Tim. 2, 19. Itaque οὓς προέγνω esse potest *quos priusquam nascerentur* (sive potius *ante mundum conditum*) *suos esse existimavit*, quia nimirum eos sui studiosos fore praevidit. At enim vero P. hominum beatitatem non a Dei providentiâ, per quam homines qui suo beneficio digni exstituri essent ab indignis discrevisset,

*) Sic *Origenes*, quum nixus diversi generis locis Genes. 4, 1. 2 Tim. 2, 19. 2 Cor. 5, 21. οὓς προέγνω valere „*quos in dilectione habuit sibique sociavit*" putasset, ut Ap. diceret, quod h. l. dictum vellet, precario mente addidit: *quia eos suos fore scivit.*

sed a liberâ nullisque legibus circumscriptâ Dei voluntate repetiit (v. 9, 11. 19. 22. 23. Eph. 1, 4. sq. 11. cl. Act. 13, 48. 1 Petr. 2, 8.). Quod argumentum non eo labefactatur, quod P. alias tantum in hominibus situm esse scripsit, ut *possint* Christo et fidem habere et denegare (9, 32. 10, 16.) habitamque fidem et illustrare virtute et impietate profundere (1 Tim. 1, 19.). Cf. *Reich.* Nam utrumque P. defendit, omnia a Dei nutu voluntateque nulli conditioni adstrictâ pendere, et esse honestatis et turpitudinis electionem studiumque in hominum potestate. Illud ei quum in Dei majestatem intuetur placet, hoc ubi quantum hominibus, ut recte praemiis poenisque afficiantur, tribuendum sit cogitat. Jam boni interpretis est, utrum quoque l. Ap. dixerit videre, mali, utrumque ita confundere, ut aut libertatem hominibus ademisse nullâ re non ad Deum relatâ Paulum contendat, aut eum libertate homines ornasse, a Deo vim voluntatemque nullis legibus terminatam abjudicasse perhibeat. H. quidem l. Ap. de *Dei* efficacitate disputat. Quare illa interpretatio admitti nequit, quum praesertim v. οὓς προέγνω notionem verbis κατὰ πρόθεσιν v. 28. subjectam continere manifestum sit (v. supra). Tum *Jac. Cappellus*, *Turretinus*, *Chr. Fr. Schmid.* al. explicuerunt *nam quos antea dilexit* (*Grot.*, ut sententiam, quam interpretatio a nobis modo repudiata fundit, indipisceretur *ut filio suo credentes* adjecit: „quos enim *ut filio suo credentes approbavit* jam ante"). Usui loquendi haec interpretatio consentanea est. Nam ita nonnunquam Deus in V. T. aliquos homines *novisse* (יָדַע) dicitur, ut eorum notitia, quam Deus habuerit, pro emolumento cum illâ notitiâ conjuncto h. e. pro favore commemoretur, quo Deus notos amplexus fuerit Exod. 33, 12. 17. Amos. 3, 2. Genes. 18, 19.. Quippe homines nobiles ac potentes eos fovent, qui sibi in notitiam pervenerint, ceteros negligunt, ut *principi innotuisse* poni possit pro *in principis favorem pervenisse*. Haec res in V. T. in Deum translata est. Etiam in N. T. loquutio *Deo innotuisse* divini favoris, in quem veneris, et clientelae, in quam Deus te receperit, adsignificationem continet 1 Cor. 8, 3. Gal. 4, 9. 2 Tim. 2, 19.. Possunt igitur v. οὓς προέγνω valere *quibus antea* (ante mundi primordia) *favit* Rom. 11, 2.. Qui hunc usum nuper negarunt, iis duo fraudi fuerunt. Nam quum multos ad eum alieno tempore (Matth. 7, 23. Rom. 7, 15. 1 Joh. 2, 3. al.) provocare vidissent, tota iis res suspecta visa est. Praeterea confuderunt formulae significatum cum sensu. Sane illa nunquam non *nosse aliquem* significat, sed *Deum hominem nosse* in perspicuo sententiarum nexu pro *Deum alicui fa-*

vere dici potest, ut aut causa pro effectu aut res pro aliâ re, quae cum illâ juncta sit, memoretur. Neque ea interpretatio Pauli formulae repugnat. Fuit enim decretum, quo Deus nos in filios adoptare constituit, *benevolentiae* plenissimum Eph. 1, 5.. Nihilominus hanc quoque explicationem repudio, quoniam h. l. non *studii* aut *benevoli* decreti, sed simplicem et nudam *decreti* notionem jure requiras. Recte *Rueckertus*, *Koellnerus* al. eorum rationem revocarunt, qui οὓς προέγνω *quos ante decrevit*, *constituit* verterunt. Notat γινώσκω *decernere*, neque solum de judicis sententiâ usurpatur (*Reich.*, *Meyer.*), sed de quocunque consilio, quod aliquis ceperit (v. v. c. Joseph. A. J. 1, 11, 1. *Χαλεπήνας οὖν ἐπὶ τούτοις ὁ θεὸς ἔγνω τιμωρήσασθαι τῆς ὑπερηφανίας αὐτούς.* Alciphr. ep. 1, 25. init. *οὐδέν με τῆς γῆς ἀμειβομένης τῶν πόνων ἄξιον ἔγνων ἐμαυτὸν ἐπιδοῦναι θαλάττῃ καὶ κύμασι.* et l. a *Berglero* ad h. l., a *Villoisono* Animadv. ad Longum p. 194. et *Kypkio* ad 1 Petr. 1, 20. collecta. Potest igitur *προγινώσκω* per analogiam declarare *ante decernere*. Sane hoc significatu a Graecis verbum compositum non usurpatur. Nam Xen. Cyr. 2, 4, 11. *ταῦτ' οὖν ἐγὼ οὕτω προγιγνώσκων χρημάτων δοκῶ προςδεῖσθαι* hoc dicitur: *quum igitur haec ita praevideam* (scil. fidos fore milites, quos mihi beneficiis obstrinxerim), etc. siquidem, de quo dubitari potest, *προγινώσκων* recte propagatur. *Schneiderus* e libro Altorfino edidit *γιγνώσκων*, ceterum *προγιγνώσκω* h. l. in indice explicans: *apud animum* statutum habere. (cf. *προτίθεσθαι*). Sed in N. T. locis minime ambiguis *προγινώσκω antea decernere* (1 Petr. 1, 20.) et *ἡ πρόγνωσις consilium antea captum* Act. 2, 23. 1 Petr. 1, 2. denotat. Aptissima est autem haec interpretatio propterea, quod eâ initâ P. versum 28. firmaturus a Dei proposito tanquam ab ultimâ ornamentorum in nos collatorum causâ proficiscitur notionique verbis *κατὰ πρόθεσιν* proxime enuntiatae suam argumentationem superstruit. At *οὓς προέγνω* re non additâ, quam Deus hominibus antea destinaverit, dici vix potest. Facile huic dubitationi occurras sic struendo: *ὅτι οὓς προέγνω συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ καὶ προώρισε συμμόρφους τ. ε. τ. υ. α. nam quos antea voluit filii sui imaginem ferre*, eos etiam (ut alio verbo utar) *filio suo similes esse decrevit*. Sed nemo erit, quin loco 1 Petr. 1, 2. *ἐκλεκτοῖς — κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρός* cum h. l. et Eph. 1, 5. 11. 2 Tim. 1, 9. collato hanc rationem spernat. Tum probabiliter sic disputes, vocari Christum 1 Petr. 1, 20. *προεγνωσμένον πρὸ καταβολῆς κόσμου* hoc sensu, quem contexta oratio monstret: *ante mundi primordia divinitus*

decretum, scil. qui ad homines legatus veniret et pro iis moreretur. Eodem jure Paulo scribere licuisse οὓς προέγνω re non adjectâ, quam Deus antea destinaverit. Nam P. disputationem ostendere, hoc eum dicere voluisse: nam quos *beare* antea constituit, ὅτι οὓς προέγνω δοξάσαι. Ne hoc quidem mihi placet. Imo sic sentio. Οὓς προέγνω per se plenum est, quemadmodum v. 30. οὓς δὲ προώρισε: *quos antea* (i. e. ut ex *aliis* l. liquet 1 Cor. 2, 7. Eph. 1, 4. 3, 11. 2 Tim. 1, 9. *ante mundi primordia*) *constituit, designavit*, i. e. de quibus antea decretum fecit, die er vorher beschlossen hat i. e. über die er einen Vorbeschluß gefaßt hat. Non differunt *re* ἡ πρόγνωσις τοῦ θεοῦ et ὁ προορισμὸς τοῦ θεοῦ. Nam quos homines illa complectitur, ad eosdem hic pertinet, neque aliud illa decus hominibus destinat, aliud hic. Non est igitur ἡ πρόγνωσις τοῦ θεοῦ, de quâ Ap. disserit, nisi ὁ εἰς τὴν υἱοθεσίαν προορισμός v. 1 Petr. 1, 2. cl. 1 Cor. 2, 7. Eph. 1, 5. 11.. Duabus tantummodo notis, quae rem non attingunt, distant. Nam verbo προγινώσκω notio *consilii antea a Deo capti aut facti ab eo decreti* absolvitur (dicitur autem non aliud, quam quo nonnullos homines per Christum beare decrevit), verbo προορίζω *praefinire*, vorher bestimmen eadem cogitatio exprimitur, sed ut res addi soleat, cujus adeptionem Deus hominibus praefiniverit. Eph. 1, 5. — προορίσας ἡμᾶς εἰς υἱοθεσίαν κτλ. v. 11. — ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν προορισθέντες (sc. κληρωθῆναι) κατὰ πρόθεσιν τοῦ —. Deinde verbum προορίζω in hâc re *technicum* vocabulum fuisse videtur (1 Cor. 2, 7. Act. 4, 28.), contra προγινώσκω raro sic legitur.*) Jam si P. v. 28. *technico* vocabulo usus τοῖς κατὰ τὸν προορισμὸν κλητοῖς οὖσιν scripsisset, sic, opinor, v. 29. disputationem continuasset: ὅτι οὓς π ρ ο ώ ρ ι σ ε συμμόρφους— — ἀδελφοῖς, τ ο ύ τ ο υ ς κ α ὶ ἐ κ ά λ ε σ ε κτέ.. At quum v. 28. τοῖς κ α τ ὰ π ρ ό θ ε σ ι ν κλ. ο. dixisset, a notione τῆς προθέσεως acute profectus sic disseruit: — iis qui *ex Dei sententiâ* evocati sunt. Nam de quibus Deus *sententiam antea tulit*, iis etiam (ut et *technicâ* voce utar et *quod* Dei sententia *ornamentum* complexa sit afferam) filii sui quam referrent

---

*) Male *Erasmus* προγινώσκειν ad *decretum*, προορίζειν ad *decreti promulgationem* rettulit. *Rueckertus* autem verbo προγινώσκειν Dei consilium, quo aliquem beare *secum constituerit*, verbo προορίζειν Dei consilium *ex illo natum* indicari perhibuit, quo homines, quibus beatitatem destinasset, *secum* a ceteris hominibus, ut a dispari hominum genere, jam discreverit iisque filiorum suorum conditionem et ornamenta (τὸν ὅρον) assignarit. *Rueckertus* in verbi προορίζειν etymologiâ inepte argutatus distinctionem plane ridiculam procudit.

similitudinem *praedestinavit*; unde patet, nihil piis hominibus nocere posse, *si Deum consilium suum ad effectum adduxisse reputaveris v.* 30.. συμμόρφους]. Noli supplere γενέσθαι (*Grot.*, *Turret. Kopp.* al.). Προορίζειν h. l. duplicem Accusativum habet: *aliquem antea destinare*, *ut aliquis sit.* cf. 3, 25. (I, 193.) Jac. 2, 5. — οὐχ ὁ θεὸς ἐξελέξατο τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου πλουσίους ἐν πίστει καὶ κληρονόμους τῆς βασιλείας—; Adjectivum σύμμορφος non minus recte cum Genitivo quam cum Dativo Phil. 3, 21. consociatur. V. librum m. Sendschreiben an Tholuck p. 52. et *Kuehneri* Ausf. Gr. II, 172.. Quamquam P. — προώρισε συμμόρφους τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ scribere concessum erat, bene tamen comparatum est quod posuit πρ. συμμόρφους τῆς εἰκόνος τ. υἱοῦ αὐτοῦ *eos etiam tales antea destinavit*, *qui formâ cum filii sui imagine congruerent.* Pertinet enim formae congruentia nobis divinitus decreta ad Christi *imaginem* s. formam cui nostram formam respondere Deus voluit. Expende 1 Cor. 15, 49. 2 Cor. 3, 18.. Non igitur v. τῆς εἰκόνος pleonasmo laborant (*Tholucc.*, *Rueck.*). Neque pudore adductus P. vocc. τῆς εἰκόνος adjecit, quod aut homines Christi similes esse contendere verecundaretur (*Reich.*), aut sentiret, ne posse quidem homines συμμόρφους τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ h. e. *divinae Christi naturae* (!) *conformes* vocari (*Theodoret.*). Imo quod P. posuit a συμμόρφους τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ non differt, nisi quod illud magis perspicuum est. Dixit autem Ap. τὴν εἰκόνα τοῦ υἱοῦ τ. θ. *Christi formam coelo recepti* 1 Cor. 15, 49. i. q. τὸ σῶμα τῆς δόξης τοῦ Χρ. *augustum quo nunc Christus amictus est corpus* Phil. 3, 21.. Speravit enim P. fore, ut qui nunc aeternam felicitatem nondum adepti *terreni* Adami similitudinem corpore caduco, fragili et aerumnoso gestaremus 1 Cor. 15, 49., *caelestis* Adami similitudinem aliquando referremus 1 Cor. 15, 49. 2 Cor. 3, 18., quippe qui de caelo redux factus vile nostrum corpus transfiguraturus esset, ut suo augusto corpori exacte responderet Phil. 3, 21.. Jam corpus *filii Dei* corpori consentaneum consequutus τὴν υἱοθεσίαν *re* habet, non spe tantummodo (v. 24.), quippe τῆς υἱοθεσίας *ornamenta* adeptus. Quum igitur v. προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ *adoptionis in liberos nobis antea destinatae* cogitationem efferant, in promtu est, cur Ap. τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, quam τοῦ Χριστοῦ scribere maluerit. Simul apparet, vocc. πρ. συμμόρφους τῆς εἰκόνος τ. υἱοῦ αὐτοῦ *proprie* intelligenda esse, *non figurate*, ut Ap. filii Dei *formâ* nobis decretâ *adoptionis in filios nobis destinatae* notionem luculente enuntiaverit et tanquam oculis subjecerit (*Meyerus*). Male *Calvinus*, *Grot.*, *Boehm.*

al. τὴν εἰκόνα τοῦ Χριστοῦ, quam in nobis Deus exprimere constituerit, *constantem atrocium malorum tolerantium aeternâ felicitate remunerandam* (v. 17.), *Oec.*, *Turret.*, *Heum.* al. *Christi sanctitatem nobis imitandam* 1 Petr. 2, 21. dici putarunt. Nam has expositiones neque vocc. συμμόρφους τῆς εἰκόνος τ. υἱοῦ αὐτοῦ recipiunt (inepte enim *dW.* τὴν μορφὴν h. l. et Phil 2, 6. *conditionem*, *vitam* significare jecit!), neque l. 1 Cor. 15, 49. 2 Cor. 3, 18. Phil. 3, 21. admittunt, neque P. disputatio capit. Scilicet necessarium est, ut verbis προώρισε συμμ. τ. εἰκ. τ. υἱοῦ *res* declaretur, in quâ ἡ δόξα cernatur. Nam *quam rem* Deus hominibus antea destinarit, *eâ ut homines potirentur* Deum curavisse exponit v. 30.. Quocirca v. προέγνω συμμόρφους κτλ. *sensu* verbo ἐδόξασε respondere debent. εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρ. ἐ. π. ἀ.] *Quâ mente* (*Meyerus*) Deus filii sui formam nobis antea decreverit, Ap. adjungit. Fecit illud *eo consilio, ut Christus primogenitus esset inter multos fratres* (Hebr. 2, 11.). Ergo non ut nos, sed ut *Christum* ornaret, tantum in nos decus conferre Deus statuit. Nititur haec disputatio sententiâ a piis Christianis concedendâ: *Deum omnium rerum principatum Christo detulisse* Col. 1, 18.. Fac Deum adoptionem in filios nemini destinasse. Ita Christus ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ θεοῦ esset et qui unicus naturâ esset Dei filius non primum locum inter eos obtineret, quibus idem Deus ornamentum dedisset. Nulli enim reperirentur. Itaque Deus, ut Christo etiam *ut Dei filio* principatus esset *multos homines in filios adoptavit*. Sic Christus ὁ πρωτότοκος (Hebr. 1, 6.) ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς (Hebr. 2, 10. 11.) i. e. natu maximus eoque nobilissimus (Ps. 89, 28.) Dei filius exstitit et numerosae familiae dux et antesignanus. In vocabulo πρωτότοκος tum notio *primum nati* (multo enim prius Christus naturâ Dei filius fuit, quam homines in Dei filios adoptati sunt Col. 1, 15. 17.), tum *principis* et *ducis* cogitatio (v. Deut. 21, 17. Col. 1, 18. Apoc. 1, 5. Ps. 89, 29.) tenenda est, quamquam haec h. l. praeponderat. Non perceperunt P. mentem, tum qui v. εἰς τὸ εἶναι α. πρ. ἐ. π. ἀ. *parentheticam* et *obiter adjectam sententiam* complecti perhibuerunt (*Heum.* *Rueck.*), tum qui Ap. *parum recte* εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς pro εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, αὐτὸν δὲ πρωτότοκον scripsisse culparunt (v. *Rueck.* cl. *Tholuccio* et *dW.*). Haec opinio vel per se absurda est neque quidquam subtilis videlicet ratio, quâ communitur, *h. l. non de praecipuo quodam* C h r i s t i *decore*, *sed de Christi similitudine* C h r i s t i a n i s *divinitus destinatâ potissimum exponi* (*Rueck.*, *dW.*) probat, nisi illos interpretes dormitasse. V. 30. Nexus: Minime autem

Deus captum consilium destituit v. 29., imo, quantum in ipso fuit, exsequutus est sempiternâ beatitate iis et oblatâ et collatâ, quos Christi caelo recepti similes esse antea constituisset. — οὓς δὲ πρ., τ. κ. ἐκάλεσε] *quos autem antea destinavit, eosdem etiam vocavit.* Καλεῖν, *technicum* verbum, quo Dei per Christi doctrinam aeternam felicitatem offerentis actio declaratur, vulgo *invitare* (cf. קָרָא *ad coenam vocare* 1 Sam. 9, 22.) explicant. Ita ἡ κλῆσις *invitationem* et κλητός *invitatum* denotat. Sed *Rueck.*, *Usterius* l. c. p. 293. al. *arcessere*, *evocare* exponunt, ut similitudo a regibus petita sit, qui arcessunt quibus favent, ut eos honoribus praeficiant. (Cf. קָרָא Jes. 22, 20. 42, 6. 48, 12. 49, 1. 51, 2.). Sic ἡ κλῆσις *muneris* (conditionis) *oblationem*, die Berufung, et κλητός *eum* designat, *cui munus oblatum est*, einen Berufenen. Sed neutra ratio omnibus locis accomodari potest. Nam Apoc. 19, 9. v. καλεῖν haud dubie *vocare* i. e. invitare valet. Neque id aliter ceperim 1 Tim. 6, 12. 1 Cor. 1, 9. 1 Petr. 5, 10. 2 Th. 2, 14.. Contra alias dubitari non potest, quin verbo καλεῖν *arcessendi* notio subjecta sit: cf. v. c. 1 Cor. 7, 24. ἕκαστος ἐν ᾧ ἐκλήθη, ἀδελφοί, ἐν τούτῳ μενέτω παρὰ θεῷ. Tum 1 Petr. 2, 9. — ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς. nihil nisi *avocare* valere crediderim. Postremo nonnunquam s. scriptores a *compellandi, alloquendi* notione profecti esse videntur (Phil. 3, 14. 2 Tim. 1, 9. Hebr. 3, 1. κλῆσις *alloquium*). Scilicet Deus Mosen Exod. 3, 4. et Samuelem 1 Sam. 3, 4 sq. alloquutus est, mandata iis daturus: similiter Luca auctore Act. 9, 4. 17. Saulum Christi et Ananiae operâ usus. Itaque scriptores s. verbum καλεῖν e V. T. haustum ita in rem christ. transtulerunt, ut diversos verbi significatus rei declarandae attemperarent. Contende quae de voce κληρονόμος ad 4, 13. et 8, 17. monuimus. Res, ad quam homines vel invitantur vel vocantur, beatitate per Christum partâ continetur eaque diversis formulis exprimitur, καλεῖ ὁ θεὸς εἰς τὴν αἰώνιον ζωήν (1 Tim. 6, 12.), εἰς τὴν αἰώνιον αὐτοῦ δόξαν (1 Petr. 5, 10.), εἰς περιποίησιν δόξης τοῦ Χριστοῦ (2 Th. 2, 14.), εἰς κοινωνίαν τοῦ υἱοῦ Ἰ. Χρ. (1 Cor. 1, 9.). Invitat s. vocat *Deus* (non Christus) non tam propterea, quod in V. T. homines negotio praeficiendos *vocandi et arcessendi* munus Deo tribuitur, quam idcirco, quia res ipsa flagitavit, ut ita N. T. scriptores sentirent. Nam Deus sempiternae felicitatis *distributor* est, Christus is, *per* quem Deus suum beneficium hominibus distribuit. Postremo *invitat* (s. *vocat*, s. *compellat*) homines *per Christum* (1 Petr. 5, 10. Phil. 3, 14. Hebr. 3, 1.) eos-

que qui in Christi locum successerunt magistros, sive, quod eodem redit, *per doctrinam christ.*, *quam tradunt* 2 Th. 2, 14.. Nam quum ii tantummodo beentur, qui acceptis Dei conditionibus fidem Christo habuerint et pie vixerint, ne potest quidem Dei invitatio s. vocatio aliâ re peragi, quam earum conditionum, ad quas iis veniendum sit, qui per Christum beari voluerint, expositione h. e. *διὰ τοῦ εὐαγγελίου* Rom. 10, 14—17.. Alioquin enim quid se facere Deus vellet, ut in sempiternum felices evaderent, homines nescirent. Male *Rueck.* et *dW. Calvini* opinionem revocarunt, *τὴν κλῆσιν* praeter doctrinae christ. expositionem omnia ea complecti, quae Deus efficiat, ut homines sibi obediant arbitrati, v. c. pios animi motus et ejusmodi fata, quae homines ad fidem Christo adjungendam propensos faciant. Sane P. nihil non a Deo pie repetens ab hâc sententiâ minime abhorret, non sine numine tum fidem nos in Christo collocare tum fidei firmitatem probare v. Rom. 12, 3. Eph. 4, 7. Phil. 2, 13. cl. Joh. 6, 44.. Sed nusquam pios animi motus, fata, quae te ad suscipiendam Christi disciplinam proclivem reddant et hujus generis alia, quae Deus instituat ut homines ad se tanquam alliciat, P. ad *τὴν κλῆσιν* contulit, quo *Calvini* argumentum corruit, idcirco suam explicationem necessariam esse rati, „*quia de electis agatur, quos Deus non voce tantum compellet, sed intus etiam trahat.*" Etenim inepte *Rueck.* et *dW.* ad Rom. 9, 24. 1 Cor. 1, 9. 7, 15. 17. 24. Gal. 1, 6. 15. 5, 8. Eph. 4, 4. provocarunt, e quibus l. nihil nisi hoc discas, dixisse Paulum homines christ. *a Deo invitatos s. vocatos.* Recte quidem; nam quum ἡ πίστις nascatur ἐξ ἀκοῆς, eos qui fidem Christo habuerint, Deus *διὰ τοῦ εὐαγγελίου* invitaverit s. vocaverit necesse est Rom. 10, 14—17. (v. supra). *οὓς δὲ ἐκ., τούτους κ. ἐδικαίωσεν*] *quos autem vocavit*, *eosdem etiam insontes declaravit* (datâ peccatorum veniâ, v. 1, 48.). Male ex his v. colligas, Paulum libertate ab hominibus abjudicatâ, quam iis alias tribuat Rom. 10, 16., h. l. non posse homines a Deo vocatos non fidem habere, ut integritate potiantur, contendere. (*Rueck.*) Perperam etiam *Meyerus* *καλεῖν* hoc vs. *ita vocare*, *ut vocatus obtemperet* (v. not. ad v. 28.) notare hinc confecit et sententiam suam hâc ratione munivit, eos qui Dei invitationem aspernati fuerint non in eorum numero reponendos esse, ad quos *ἡ πρόγνωσις* et *ὁ προορισμὸς τοῦ θεοῦ* pertinuerit. Non reputarunt VV. DD., Paulum h. l. tantummodo de piis aut *Dei amantibus* hominibus disserere v. 28.. Hos vero Deus *προέγνω, προώρισεν, ἐκάλεσεν, ἐδικαίωσε καὶ ἐδόξασε* neque metuendum est, ne hi fidem invitati denegent. Praeterea Paulo, ut piis Christianis

vel acerbissimos vitae casus moderarete Deo prodesse v. 28. efficeret, ea tantummodo referenda erant, quae *Deus* eos beatos redditurus faceret et alieno l. ea memorasset, quae *hominibus* obeunda essent, ut beati fierent. *οὓς δὲ ἐδ., τούτους καὶ ἐδόξασε*] *quos autem insontes declaravit*, *in eosdem etiam sempiternam majestatem contulit* i. q. iidem etiam tales sunt, quos aeternâ beatitate *decoraverit*. Nam certissimus τῆς δικαιοσύνης fructus est ἡ αἰώνιος ζωή 5, 21., ut τὴν δόξαν adeptum esse cui ἡ δικαιοσύνη contigerit et illam hâc contineri recte existimes. Ponitur autem Aoristus de re, quae, quamvis futura sit, tamen pro peractâ recte censeatur, quum vel aliâ re jam factâ contineatur, ut h. l., vel a conditione suspensa cogitetur, quam jam obtinuisse finxeris V. Hom. Il. 4, 161. Joh. 15, 6. et *Herm.* de emend. ratione graecae gr. I, 190 sq.. Hujus Aoristi ignorata ratio perversas peperit interpretationes. Sic *Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Erasm.* al. ἐδόξασε in hunc modum exposuerunt: majestate eos ornavit scil. *divini spiritus donis datis et adoptione in filios iis concessâ.* At ἡ δόξα *sempiternâ vitâ* absolvitur (v. v. 18.), ornamenta, quae τοῖς πιστοῖς in hâc vitâ divinitus contingunt, neque τὴν δόξαν totam faciunt, neque ejus partem constituunt. Male igitur *Carpz.* Apostolum ἐδόξασε collocasse perhibuit ut τὴν δόξαν, quae in vitâ aeternâ perficiatur, *initium cepisse* per virtutis studium a div. spiritu accensum Tit. 2, 14. indicaret. *Flattus ἐδόξασε solet δοξάζειν* explicuit. *Koppius* al. Aoristum pro *Praesente*, *Glassius*, *Heum.* al. pro Futuro positum esse finxerunt. *Grot.*, *Beng.*, *Turretin.*, *Reich.* al. enarrarunt *decoravit*, *quatenus decorare ab aeterno decrevit. Rueck.* Apostolum quia animo vehementius commotus rem futuram cum re peractâ confudisset ἐδόξασε pro δοξάσει scripsisse sibi persuasit. Cf. I, 210.. — Sane P. non ut homines vi libertateque exueret hanc (v. 29. 30.) disputationem ingressus est, sed ut pios Christianos hoc solatio recrearet, singulari eos Deum amore prosequi et sempiterno beatos eos reddere, quos amet. Quapropter ea tantummodo hic persequitur, quae *Deus*, ut homines sui amantes beati fierent, administraverit, officia *hominibus* facienda de industria reticet, ceterum posse eos aliquid conferre, ut benigna Dei consilia rata fiant, fidem Christo habendo minime negat (v. supra). Nihilo secius P. disputationem ejusmodi esse, ut omnia Deo tribuantur, hominum potestati nihil rellinquatur, ingenuum interpretem fateri oportet. Nam eo, quod ultimam aeternae felicitatis causam in Dei *consilio* ante mundi primordia capto inesse docuit v. 29., fati necessitate homines devinxit, quandoquidem Dei con-

siliis eventum respondere debere, etiamsi Satanae satellites, non modo homines, iis reluctentur non possumus non judicare. Ita homines libertate spoliantur et beati evadunt quos Deus bene voluit quia Deo ita visum est, non qui omnes nervos intendunt, ut fidem habendo et pie vivendo digni reperiantur, qui beentur. Deinde eo, quod hominibus, quos Deus olim decreto complexus fuerit (οὓς προέγνω), Deum impense favere P. scripsit, nobis eorum cogitationem hominum movit, *de quibus nullum Deus decretum antea fecerit.* His autem aditus tum ad pietatem vitaeque honestatem tum ad vitam sempiternam interclusus est. Nam omnipotentis Dei consilia eventu destitui nequeunt. Ergo, quum aeterna beatitas *fide* comparetur, ne homines, de quibus nullum factum est Dei decretum, beentur cohibendi divinitus sunt, quominus fidem mentibus concipiant, contra ii, ad quos ante captum Dei consilium pertinet, ad fidem perpellendi, ut et homines pii evadant Deique amantes et per pietatem beati. Non capiunt Pauli simul omnia ad Deum revocantis, simul hominum libertatem defendentis (v. not. ad v. 28.) disciplinam nostrae mentis angustiae neque unquam exsistet tantâ subtilitate philosophus, qui concordare quae humanae menti vel maxime inter se repugnare videantur, doceat.

Nondum P. ostendit v. 29. 30. quod demonstrare voluit v. 28.. Recte enim objicias, fieri posse, ut Deus homines sui studiosos et aeternâ felicitate ornet, et eos quamdiu in hâc terrâ vivant ab improbis hominibus miserandum in modum vexari patiatur, quippe hujus vitae aerumnas sempiternâ beatitate compensaturus. Itaque Ap., ut argumentationem absolvat, ex hoc ipso, quod Deus sui amantibus impense faveat, eum tristes hujus vitae casus in laetos, res pestiferas in utiles conversurum esse recte concludi monet. Nam qui longe amplissimo nos dono affecerit *suo* pro nobis ad supplicium filio dato, ab eo beneficia minus ampla, ut hujus vitae aerumnas mitiget easque ad laetum exitum dirigat, jure sperari v. 31. et 32.

V. 31. τί οὖν ἐρ. πρὸς ταῦτα;] *quidnam igitur dicemus ad haec* (sc. ὅτι προώρισεν, ὅτι ἐκάλεσεν, ὅτι ἐδικαίωσεν, ὅτι ἐδόξασεν v. 29. 30. schol. Matth.)? i. e. *quidnam ex his colligemus* (v. I, 356.)? Cf. Xen. Anab. 2, 1, 20. Κλέαρχος δὲ πρὸς ταῦτα εἶπεν. Luc. 14, 6. Ovid. Metam. 12, 542. Tristis *ad haec* Pylius, et similia. Male *Meyerus* contulit πρὸς ταῦτα *propterea*, citato *Blomfieldii Glossario* in Prom. p. 158. ad v. 1065.. *dW.* τί οὖν ἐροῦμεν; sententiae *male* collectae, τί οὖν ἐροῦμεν π ρ ὸ ς τ α ῦ τ α; *recte* effectae praemitti dixit. Vanissimum est hoc discrimen, quia neque harum formularum naturam attingit et a P. ipso refellitur, qui 9, 30. τί οὖν ἐροῦμεν; posuerit sententiam allaturus,

recte ex ante dictis conclusam eoque concedendam. Utraque formula quidnam re aliquâ vel positâ vel demonstratâ in disputando dicendum, colligendum, objiciendum sit percontantis est neque minus locum habet ubi scriptor rationem bene conclusam expositurus est, quam ubi rem temere ex praegressis collectam sibi ipse objecturus est, ut eam refellat. Uberior formula hoc uno a breviori distat, quod rerum expositarum notionem, ad quas jam in disputando respondendum sit, diserte enuntiatam (*πρὸς ταῦτα*) continet. Non valet *εἰ quandoquidem*, quia P. assumat quod adstruxerit (*Grot.*), sed est hypotheticum *si*. Bene Deum piis Christianis cupere lectores ex ante dictis judicare facile possunt. Quare satis est illud commemorari, quod consequatur, *si* Deus hominibus sui studiosis faveat. *εἰ ὁ θεὸς — τίς κ. ἡ.*;] *si Deus* (summus omnium rerum moderator) *pro nobis propugnat*, *ecquis nos oppugnabit*? Non negat P. graves hostes piis Christianis exstituros esse (et magno semper odio pii homines apud impios fuerunt); illud affirmat, adeo non vel acerbissimis inimicis adversus eos, quos Deus protegat, consilia successura esse, ut eos contemnere et pro nullis putare liceat. De sententiâ contende Ps. 56, 5. 12. 118, 6., de verbis Luc. 9, 50. et Arriani Exped. Alexand.: 2, 7, 6. — *παρεκάλει θαῤῥεῖν* — — *ὅτι ὁ θεὸς ὑπὲρ σφῶν στρατηγεῖ ἄμεινον* —.

V. 32. Munitur praecedens v. 31. sententia eo, quod *summi* Deum amoris documentum piis Christianis dedisse ostenditur. *ὅςγε*] Rationi reddendae inservit, *qui quidem*, der ja (v. *Herm.* ad Soph. Oed. R. 688. Thuc. 1, 11. 74. Lucian. Tim. 42. Tox. 2.). D*. F. G. Clar. Boern. *ὃς οὐδὲ υἱοῦ ἰδίου ἐφ.* Haec lectio, quae vel propterea displiceat, quod *ἰδίου* post *υἱοῦ* rejectum est, interpretibus sensum declarantibus debetur. Syrus vs. 31. invitatu *ὅςγε libere vertit καὶ εἰ* (ܘܐܢ), non codicis lectionem expressit. *Beza* eum *εἰ καὶ* habere narrat, *Griesb.* *εἴγε*. *ὅςγε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο*] *qui quidem suo filio non pepercerit.* Recte *Orig.*, *Theophyl.*, *Chr. Fr. Schmid.* al. *τὸν ἴδιον υἱόν suum* filium, den eignen Sohn (Joh. 5, 18.), seinen Sohn interpretantur, h. e. *naturâ filium* (Joh. 3, 16. cf. Rom. 8, 3. *τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν*) ut ab *adoptatis* filiis discernatur; male *Kopp.* aliique *filium suum* vertunt, voc. *ἴδιος* pronominis possessivi *omni pondere destituti* vices explere opinati. Raro *ἴδιος* in N. T. pronominis possessivi Substantivo sine vi postpositi potestatem habet (Tit. 2, 9. cl. 5. Eph. 5, 22. 1 Petr. 3, 1.), multo frequentius vi suâ Pronomini ante Substantivum ponderose collocato respondet. Expende

1 Cor.

1 Cor. 7, 2. — ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἐχέτω καὶ ἑκάστη τὸν ἴδιον ἄνδρα ἐχέτω. cl. Rom. 11, 24. 14, 4. 1 Tim. 2, 6. Hebr. 9, 12. 13, 12. Sed rem conficit, quod P. hoc ipso capite v. 15. (ubi v. not.) homines *adoptione* Dei filios redditos esse, qui naturâ non fuissent, indicavit tantamque Christi majestatem esse docuit, quantam in mortales, quos Deus in filios adoptaverit, cadere nemo dixerit Phil. 2, 6. sqq. Col. 1, 15. sqq.. Qui vocem ἰδίου ponderosam esse concesserunt, distinguere eam Christum ab adoptatis Dei filiis negarunt, rem non clare animis informarunt. Sic *Rueck.* voci ἰδίου hoc pondus subesse contendit: qui suo *adeo* filio non pepercerit (i. e. ὅςγε καὶ τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο)! *Meyerus* autem ἰδίου additum esse quo fortius amoris a Deo declarati magnitudo exprimeretur putavit. Nimirum hoc uno sententiae pondus accedere potest, quod Deus ei non pepercerit, qui non ut homines in filios adoptati, sed *plane suus* filius sit i. e., ut P. formula docet, naturâ secum intime junctus. οὐκ ἐφείσατο] *qui quidem suo filio non pepercerit* i. e. non acerba et dira a suo filio averterit. Cf. Genes. 22, 12. νῦν γὰρ ἔγνων, ὅτι φοβῇ τὸν θεὸν σὺ καὶ οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου τοῦ ἀγαπητοῦ δι' ἐμέ. 2 Petr. 2, 4. et *Wetst.* ad h. l.. Multi Paulum ad Genes. 22, 12. allusisse credunt (*Grot.*: „Quod in Abrahamo signum fuerat amoris in Deum Genes. 22, 12., id in Deo signum benevolentiae in homines."). Male. Usitata est enim et quae se Paulo hîc ultro offerret loquutio φείδεσθαί τινος (*Rueck.*). Praeterea si suae disputationi pondus adjecturus lectoribus illum l. in memoriam redigere voluerat, ita rem instituere debuerat, ut illi eo respici intelligere possent. Omnino Paulum illum locum oblique tetigisse incredibile est propterea, quod animo vehementer commoto vs. 31—39. scripsit. Poterat Ap. verbis ὅςγε τ. ἰ. υ. ο. ἐφείσατο defungi. Nam eum de Christi morte, quâ pestis ab hominibus abigeretur, loqui nemo non percepisset. Sed pietatis sensu perfusus in divini amoris cogitatione diutius immoratur dicitque quod neganti sententiae illigaverat etiam per affirmationem ἀλλ' ὑπὲρ κτλ.. *Reich.* v. ἀλλ' ὑπὲρ ἡμ. π. π. α. addenda fuisse censet, ne quis rationem concluderet ut Brutus apud Dion. Hal. 5, 10. ἔπειτα ἐγὼ τῶν ἐμῶν οὐ φεισάμενος τέκνων σοῦ φείσομαι, Κολλατῖνε; At Deum non ut hominum neci praeluderet, sed ut pestem ab hominibus depelleret suum filium ad supplicium dedisse lectoribus exploratissimum esse debuit. ὑπὲρ ἡμ. π.] non *pro omnibus hominibus* (*Grot.*), *sed pro nobis*, *qui Deum diligamus*, *omnibus* i. e. judaeis paganis, servis liberis, divitibus pauperibus, ignobilibus nobilibus. Nam de piis Christianis P. toto l. disputat v. v. 28. 31. 33. 35. sqq. Verba

ὅσγε — παρέδωκεν αὐτόν, gravitatis causa i. e. h. l. quoniam sententiae interrogotivae causam complectuntur, de more percontationi praeposita sunt. Xen. Anab. 3, 1, 17. — ἡμᾶς δέ, οἷς κηδεμὼν μὲν οὐδεὶς πάρεστιν, ἐστρατεύσαμεν δ' ἐπ' αὐτὸν ὡς δοῦλον ἀντὶ βασιλέως ποιήσοντες —, τί ἂν οἰόμεθα παθεῖν; ibid. 3, 2, 16. fin. Matth. 13, 56. Cic. Acad. pr. II, 7, 21. — aut *ita qui sentiat* non apertissime insaniat? Nihil dicunt, qui ὅςγε — παρέδωκεν αὐτόν protasis causam afferentis vicem explere et *pro* ἐπειδὴ γὰρ τοῦ ἰδίου κτέ. locata esse perhibent. (*Rueck.*, *dW.*). πῶς οὐχὶ καὶ —;] καί cum particulis interrogativis, non cum v. σὺν αὐτῷ connectendum est: *quidni etiam* —? wie sollte er auch (doch) nicht —? (v. not. ad v. 24.). Intendit καί h. l. notionem particulis interrogativis subjectam, *credibilem* rem esse et assensu probandam. Non breviter P. σὺν αὐτῷ scripsit pro χαρισάμενος ἡμῖν αὐτόν (*Tholucc.*), sed satis perspicue hoc ipsum verbis σὺν αὐτῷ continetur: quidni etiam *cum Christo* (ut res et nexus docent *benigne nobis dato* i. q. quum Christum nobis benigne dederit) quae habeat omnia nobis benevole in posterum largiatur? Τὰ πάντα] *omnia quae Deus possideat*, *omnes suas opes* (male articulum, quo plane opus est, om. D*. F. G.) i. e. non solum vitae aeternae ornamenta (τὴν δόξαν), sed etiam ea bona, quae hanc vitam vitalem faciunt. Nunc demum effectum est, quod Ap. ostendere voluit v. 28.. Ex eo, inquit, quod Deus hominibus sui studiosis vitam aeternam stabili decreto destinavit et Christo misso curavit ut eâ potirentur v. 29. 30., eum vel acerbissima mala, quibus illi nunc jactentur, ita gubernaturum esse, ut iis etiam prosint consequitur (v. 28.). Certe enim iis favet, quibus sempiternam vitam dare constituerit. Defendet igitur eos ab injuriis et pro suâ omnipotentiâ eorum conatus irritos reddet, qui hominibus, quibus ipse bene cupiat, nocere studeant (v. 31.). Namque *summo* Deus favore homines sui amantes complexus est, ut qui *suum* filium de caelo missum pro iis mori jusserit (Joh. 3, 16. 1 Joh. 4, 9. 14.). Nonne igitur admodum credibile est, Deum *amplissimo* suo muneri munera *minus ampla*, quibus hanc vitam nobis exhilaret, adjecturum esse et pro quibus, quia eos amaret, carissimum filium a patris pectore avulsum trucidandum ad homines legaverit, iis *omnes suos thesauros* reseraturum esse? (v. 32.). Argumentatur Ap. v. 32. a majore ad minus, ut 5, 9.. Χαρίσεται] *Erasmus* ἐχαρίσατο antiquitus lectum fuisse suspicatur, quia Vulg. Clar. et nonnulli PP. *donavit* (non *donabit*) habeant. At donavit non est nisi sollemnis librariorum *b* et *v* confundentium error (v. Ven. *D. Schulzius*

ad Matth. 15, 5.). *Verborum* acumen est, si P. in πάντων et τὰ πάντα compositione vim quaesivit. Nam si de *sententiâ* quaeritur ὁ ἴδιος υἱός et τὰ πάντα invicem opponuntur.

Jam P. gaudio exsultans, quod ei divini favoris in pios Christianos versi conscientia affert, ante v. 28. – 32. disputatorum summam facit, quâ superius dicta magis confirmet dicitque hominibus a Deo delectis neque vitam sempiternam a quoquam eripi posse v. 33. 34. (cf. v. 29. et 30.) neque, dum in hâc vitâ cum calamitatibus conflictentur, Dei amorem v. 35.—39. (cf. v. 31. et 32.) Haec ita sublate alteque dicuntur, ut magnificentius a nemine dici potuerint.

V. 33. et 34. τίς ἐγκ. κ. ἐ. ϑ.;] *ecquis hominum a Deo delectorum accusator exsistet?* i. e. *nemo exsistet, qui hos homines accuset.* Ac neminem exstiturum esse verbis ϑεὸς ὁ δικαιῶν ita ostenditur, ut paucioribus et gravioribus v. demonstrari non potuerit. Falluntur qui aut ad Satanam, piorum hominum calumniatorem Apoc. 12, 10. (*Orig.*), aut ad Judaeos et paganos Christianis conviciari solitos (*Theophyl.*, *Grot.*, *Turretin.* al.) respici putarunt. Nam inveniri posse, qui pios Christianos accusent, P. in universum negat (v. v. 31. 34. 35. 37.), non quaerit qui ejusmodi sint, ut id facturi esse videantur. Praeterea posterior sententia eo evertitur, quod h. l. de peccatorum, ob quae vitâ aeternâ indignus sis, exprobratione et de condemnatione, quâ sempiternâ beatitate priveris, agitur. Paulo hic l. Jes. 50, 8. 9. et Job. 34, 29. obversata esse nego. Sunt enim, si ab interrogatione negativâ et ab universali sententiâ discesseris, parum similia. Hic autem singula prope v. e Theologiâ paullinâ (δικαιοῦν, κατακρίνειν) et sacro Christianorum usu loquendi (v. 34.) depromta sunt. Ἐγκαλεῖν κατά τινος est *crimina proferre contra aliquem*, Anklage erheben gegen —. Soph. Philoct. 327 τίνος γὰρ ὧδε τὸν μέγαν | χόλον κατ' αὐτῶν ἐγκαλῶν ἐλήλυϑας; (Luc. 23, 14. κατηγορεῖν τι κατά τινος) Schol. Thucyd. 1, 26. ἐγκλήματα ἔχοντες] ἀντὶ τοῦ κατὰ τῶν Κερκυραίων ἐγκαλοῦντες. Adde ἐπεγγελᾶν κατά τινος et similia, quae *Lobeckius* ad Aj. 969. (p. 413. ed. 2.) contulit. *Bretschneideri* Lex. I, 336. interpretatio: „quis in jus vocabit (persequutores) propter electos Dei [*de* hominibus a Deo electis: v. *Lobeck.* ad Phryn. p. 272. et *Schaef.* ad Demosth. I, 412. sq.] i. e. propter calamitates, quibus Christianos vexant? Deus hoc faciet, qui (Christianos) absolvit et beat. Quis autem istos (persequutores) puniet? Christus, qui quidem interfectus tamen in vitam rediit summumque imperium tenet." multis vitiis laborat. Percontationem *negativam* esse, non voce τίς v. 33. et 34. eum exquiri, qui in jus vocaturus et puniturus sit, e vs. 31.

et 35. manifestum est. Deinde hominum qui Christianis adversentur notio contra quam fieri debuerat a P. non enuntiata est (*τίς ἐγκαλέσει τῷ κόσμῳ κατὰ ἐκλ. θεοῦ;* et v. 34. *τίς ὁ κατακρίνων αὐτόν;* v. Sap. 12, 12.). Tum etiam *θεὸς ὁ δικαιῶν αὐτούς* [*τοὺς ἐκλεκτούς*] et *Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν ὑπὲρ αὐτῶν* scribendum fuerat. Accedit quod v. v. 34. *ὁ ἀποθανών* et *ὅς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν* inepta sunt. Non facile enim dixeris, quid causae mors, quam occubuerit, et quod pro Christianis apud Deum *deprecetur, Christianorum adversarios puniendi* Christo afferre potuerit. Ceterum male *Bretschn.* explicuit: qui quidem interfectus *tamen* in vitam rediit. Denique toto l. Ap. piis Christianis gratulatur, quod nemo iis nocere possit, non eorum adversariis poenas divinas denuntiat. *κατὰ ἐκλεκτῶν θεοῦ*] *adversus homines a Deo delectos* (v. Dissert. II. in 2 ep. ad Cor. p. 31. et בְּחִיר יְהוָֹה Ps. 106, 23.). Ita P. pios Christianos de industriâ vocat, ut neminem eos cum eventu accusaturum esse hâc appellatione indicet. Nam qui homines a Deo delectos criminabitur Deum oppugnabit qui eos delegit. Male *Grot.*, *Kopp.*, *Tholucc.*, *Wahl.* al. *ἐκλεκτοὺς θεοῦ homines, quos Deus valde diligit* explicant. Et verba (*ἐκλέγεσθαι* Eph. 1, 4., בָּחַר Jes. 14, 1., *οἱ ἐκλεκτοὶ τ. θ.* Tit. 1, 2. בְּחִירֵי יְהוָֹה Ps. 105, 43.) e V. T. repetita sunt et notio iis subjecta ab judaicâ disciplinâ ad christianam translata. Res *hominum delectu* absolvitur, quem Deus habuerit, ut a ceteris hominibus segregatos (Joh. 17, 6.) ut suos tueretur iisque prospiceret. Dei delectus olim eo valuit, ut Israelitae in Dei tutelam pervenirent et populi Deo consecrati locum obtinerent Ps. 105, 43. 106, 5.. Nunc Dei electione ante mundi primordia institutâ efficitur, ut reddamur per Christum beati Eph. 1, 4 sq. 2 Th. 2, 13.. Est igitur Dei tutela et amor, quo homines delectos prosequitur, electionis fructus Rom. 11, 28.. Et quamquam Deus iis bene voluit, quos ut beati fierent, delegit Eph. 1, 4. sq., non tamen inde sequitur, N. T. scriptores deligendi et diligendi notiones confudisse V. *Rueck.* ad h. l. et *Harless.* ad Eph. 1, 4. p. 11. sq. Hominum a Deo delectorum accusatorem non exstiturum esse Ap. graviter his paucis v. efficit: *θεὸς* [sc. *ἐστίν*] *ὁ δικαιῶν Deus is est, qui eos absolvat, integros esse pronuntiet.* Multo hoc fortius est, quam *θεὸς δικαιοῖ* et valde errarunt articulo neglecto, qui *θεὸς ὁ δικαιῶν* pro *θεὸς δικαιοῖ* positum esse perhibuerunt. Imo Participium cum Articulo Substantivi in Praedicato positi locum obtinet et gravius dici *sum qui aliquid efficiam aut alicujus rei effector*, quam *efficio aliquid* perspicuum est. Cf. Deut. 3, 21. עֵינֶיךָ הָרֹאֹת אֵת כָּל־אֲשֶׁר עָשָׂה יְהוָֹה Xen. Anab. 3,

2, 18. — οἱ δ' ἄνδρες εἰσὶν οἱ ποιοῦντες ο τι αν ἐν ταῖς μάχαις γίγνηταί. ibid. 3, 1, 42. 5, 9, 13. 7, 7, 36. ibid. 5, 7, 9. Matth. 10, 20. Joh. 5, 32. Phil. 2, 13. et *Matthiae* Ausf. gr. Gr. §. 270.. Eodem modo proximus vs. expediendus est. V. τίς ὁ κατακρίνων; *negativam* interrogationem complectuntur: *quis est qui condemnet?* i. q. *nemo* est, qui (τοὺς ἐκλεκτοὺς τ. θ.) condemnet. Haec sententia firmatur verbis Χριςτὸς [sc. ἐστίν] ὁ ἀποθανὼν κτλ. *Christus is est, qui mortuus sit, immo potius* etc. i. q. neminem reperiri, qui pios Christianos condemnet, ex eo apparet, quod Christus (quem Deus hominum judicem constituit) mortuus est, immo revixit, Deo a dexterâ assidet et nostram Deo causam commendat. Sic recte hunc l. ceperunt *Syr.*, *Lutherus* (qui tamen precario vertit: Deus (Christus) *praesto est*, qui — h. e. ἰδοὺ ὁ θεὸς ὁ δικαιῶν), *Calv.*, *Beza*, *Wolf.*, *Boehm.*, *Ammon.*, *Rueck.* al.. Contra Augustinus De doctr. christ. 3, 3. et De diversis quaest. ad Simplicianum l. II. qu. V. locum sic interpungendum esse dixit: θεὸς ὁ δικαιῶν; et v. 34. Χριστὸς ὁ ἀποθανών; μᾶλλον δὲ — — ὑπὲρ ἡμῶν; Nam quum verba temere sic intellexisset: θεὸς ὁ δικαιῶν scil. ἐγκαλέσει κατὰ ἐ. θ. et Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν sc. κατακρινεῖ τοὺς ἐκλεκτοὺς τ. θ., nisi per v. θεὸς ὁ δικαιῶν et Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν κτλ. interrogari sumseris ineptas oriri sententias dicique Deum qui absolvat homines delectos accusaturum esse, Christum eos condemnaturum sibi persuasit. *Augustinum* multi sequuti sunt (*Schoettgen.*, *Griesb.*, *Kopp.*, *Knapp.*, *Lachm.*, *Reich.*, *Koelln.*, *Meyer* al.) graviorem sic fieri et quae animum vehementius feriat Pauli disputationem arbitrati. Acute enim Ap. haec dicere: non invenietur, qui pios Christianos accuset et condemnet, nisi forte, quod temere statuas, Deus et Christus, qui iis faveant, hoc facturos esse credes. Mihi *Augustini* opinio plane intolerabilis esse videtur. Nam primum quidem τίς ἐγκαλέσει κ. ἐ. θ.; et τίς ὁ κατακρίνων; *negativae* percontationes sunt, quae *neminem* homines a Deo delectos accusare et condemnare enuntiant (v. v. 31. et 35.). Non igitur post eas novae interrogationi locus est quâ num *Deus* illos homines postulaturus, *Christus* damnaturus sit quaeratur. Deinde interrogatio: num Deus *qui absolvit* homines electos accusabit? inconcinna est. Deus enim quatenus *aliquem insontem declarat* (δικαιοῖ) *judex* cogitatur. Judicis autem est non accusare, sed accusatum aut absolvere aut condemnare. Quare num judex accusabit? absurde interroges, quoniam accusatio in judicem prorsus non cadit. Augustini opinionem veram esse e v. ὅς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τ. θ. κτλ. cognosci male contenditur. Nam ὅς ad *Christi in vitam reversi* notio-

nem pertinet (ὅς scil. ὁ ἐγερθεὶς Χριστός). Scilicet recte P. v. 34. scripsisset: Χριστὸς ἀπέθανε, μᾶλλον δὲ ἠγέρθη, ὅς ἐστιν ἐ. δ. θ. κτλ.. Bene igitur etiam comparatum est quod posuit, quum ab illo non nisi gravitate differat. Tum tota loci compositio, nostram explicationem veram, *Augustini* interpunctionem falsam esse docet. Unaquaeque enim percontatio negationem continens continuo *confirmatur*. Ita quae v. 31. legitur vs. 32. munitur et quae v. 35. continetur versu 37. corroboratur. Hinc v. τίς ἐγκ. κ. ἐ. θ.; verbis Θεὸς ὁ δικαιῶν. et vocc. τίς ὁ κατακρίνων; verbis Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν — ὑπὲρ ἡμῶν. fulciri credibile est. Denique ex eo, quod v. 32. antecedens sententia *per interrogationem* munitur, verba v. 33. et 34., de quibus lis est, percontationem complecti non sequitur. Licet enim tibi rem confirmare *tum interrogando tum affirmando*. Multo minus res e vs. 35., ubi per interrogationem *respondeatur* (*Meyer*), conficitur. Neque enim v. 35. ad interrogatum respondetur, sed verbis θλίψις, ἢ στενοχωρία — ἢ μάχαιρα; praecedens interrogatio *continuatur*. Responsum, sive potius negativae sententiae, quae percontationibus continetur, confirmatio versui 37. inest. Perperam *Orig*. ad h. l. et Sel. in Ps. II, 724., *Chrys*., *Erasm*., *Turret*. al vocc. Θεὸς ὁ δικαιῶν (scil. ἐστι), τίς ὁ κατακρίνων; copulant, non quod sic interrogatio τίς ἐγκαλέσει κ. ἐ. θ.; nullam subjectam habeat *responsionem* (*Beza*), sed quia totius l. ratio docet, verbis θεὸς ὁ δικαιῶν. percontationem negativam, quae proxime praecedit, firmari (v. supra), et quia membrorum concinnitas v. 33. et 34. perturbatur neque v. Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν etc. habent quo referantur. Nemo enim non post ὑπὲρ ἡμῶν hoc pacto requireret τίς οὖν ἐγκαλέσει κατ' αὐτῶν; aut simile quid. Sed videntur illi, quia Dei absolutio condemnationi et Christi patrocinium accusationi respondeat, hunc disputationis ordinem exspectasse: τίς ἐγκαλέσει κ. ἐ. θ.; Χριστὸς ὁ ἐντυγχάνων ὑπὲρ αὐτῶν. τίς ὁ κατακρίνων; Θεὸς ὁ δικαιῶν. In hâc opinione fuit *Calvinus*, qui Paulum purgaturus accusationi absolutionem opponi, ut ne locum quidem patere iis accusandis, quos Deus pro justis habeat, nedum ut rei peragantur, declaretur, tum condemnationi Christi patrocinium ex adverso collocari, ut Christi expiationem praevertisse judicium, ut ne in disquisitionem quidem veniant nostra peccata, ostendatur, probante *Beza* observavit. At nititur haec expositio falsâ verborum v. 34. Χριστὸς ὁ ἀποθανών, μᾶλλον δὲ [καὶ] ἐγερθεὶς interpretatione. Multo simplicius rem ita expedias. Dicit h. l. P., piis Christianis vitam *sempiternam* a nemine eripi posse. Hâc vero non potietur, nisi qui et τὴν δικαιοσύνην τ. θ. adeptus sit (5,21.)

et quem Christus judex a Deo constitutus Act. 17, 31. Rom. 14, 10. publice insontem esse declaraverit. Itaque P. partibus inter Deum, τῆς δικαιοσύνης καὶ σωτηρίας auctorem, et Christum, divinae sententiae praeconem distributis, hominibus a Deo delectis aeternam vitam a nemine eripi posse (cf. v. 29. et 30.) egregie sic docet: ecquis eos, ut peccatores aeternâ vitâ indignos, postulabit? Deus is est, qui eos absolvat iisque integritatem adjudicet. Ecquis est, qui eos (in sollemni judicio) condemnet? Christus (hominum judex) et olim eos amavit et nunc iis favet. (Indemnati igitur erunt in sollemni judicio neque enim eos Christus damnabit quos diligit.). Inconsiderate *Rueck.* subtiliter quaerendum esse negat, quî singula enuntiata Χριστὸς ὁ ἀποθανών, μᾶλλον δὲ [καὶ] ἐγερθεὶς etc. non condemnatum in homines a Deo delectos comprobent. Absurde enim Ap. garrivisset, si *neminem pios Christianos damnaturum esse* probaturus res memorasset, quae sententiam quae demonstranda esset non ostenderent. Vulgo Christi mortem, quia peccata nostra eâ expiata sint, reditum in vitam, quoniam is Christum piaculum caesum esse argumento sit (4, 25.) commemorari statuunt (*Rueck.*, *Reich.*, *dW.*, *Meyer.* al.). Sic duo P. argumenta afferret, quae indemnatos fore pios Christianos ostenderent, scelerum expiationem per Christum effectam et Christi ad summam potestatem evecti favorem. Mihi secus videtur. Nam prius argumentum vi destitutum est propterea, quod quicunque Christi sacris susceptis sceleste vixerint, licet eorum peccatorum, quae priusquam Christiani facti essent commisissent, veniam Christi morte nacti fuerint, damnabuntur Gal. 6, 8., Eph. 5, 5.. Deinde v. μᾶλλον δὲ [καὶ] ἐγερθείς, ὅς ἐστιν ἐν δεξιᾷ τ. ϑ. eo consilio adjecta esse elucet, ut transitum pararent ad rem in hâc disputatione praecipuam: ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. Itaque vocc. μᾶλλον δὲ [καὶ] ἐγερθεὶς cum v. Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν ita cohaerere, ut unum argumentum absolvant, nequeunt. Possunt etiam v. Χρ. ὁ ἀποθανὼν nimis nuda videri, quibus addendum fuerit ὑπὲρ αὐτῶν. Imo Christi mors pro summi, quo Christus nos amplexus fuerit, amoris documento commemoratur (Joh. 15, 13. Gal. 2, 20.) dicitque P. homines a Deo delectos neminem condemnaturum esse, quoniam Christus (eorum judex) et olim eos impense amaverit, quum pro iis mortem adierit, et nunc iis faveat, postquam vitam receperit et summam apud Deum auctoritatem adeptus sit. Χριστὸς] Χριστὸς Ἰησοῦς A. C. F. G. 17, 31. Copt. Vulg. al., quod mihi parum placet. Vulgata lectio in l., ubi summa animi concitatio expromitur, brevitate commendatur. Cf. ϑεὸς ὁ δικαιῶν. *Lachm.*

Χριστὸς [Ἰησοῦς]. μᾶλλον δὲ] Se corrigentis est: *imo vero* v. Xen. Cyr. 5, 4, 49. et *Jacobs.* ad Achill. T. II, 955. Gal. 4, 9.. καὶ ἐγερθείς] καί in A. B. C. 17. 39. 71. Copt. al. omissum delevit *Lachm.*. Quo deleto hoc dicitur: *immo* (ut a *mortui* amici, in quo nullum praesidium est, cogitatione vos avocem) *qui revixit*. Quod si καί retinueris sensus hic est: *imo qui* (quid enim te adjuvet amicus *mortuus*?) *etiam* (i. e. non solum mortuus est, sed etiam) *revixit*. (Eph. 5, 11. μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε *imo adeo*). καί ante ἔστιν ἐν δεξιᾷ τ. ϑ. om. A. C. 67. Copt. Vulg. al. probante *Millio* Prol. §. 1487.. *Lachm.* [καὶ]. Cumulat P. in oratione concitatâ καί *etiam* Eph. 1, 11. 13. Col. 2, 11. 12.. Sed hoc καί e sequente, quod nemo infestavit ὅς καὶ ἐντ. ὑ. ἡ. ortum est. Mihi etiam καί post μᾶλλον δέ suspectum est. Certe eo exstincto nervosior est P. oratio. ἐγερθεὶς] ἐγερθεὶς ἐκ νεκρῶν A. C. 17. 31. Copt. al. e glossemate. ὅς ἔστιν ἐν δεξιᾷ τ. ϑ.] Christum ad coelicolas reversum in supremo-coelo, in quo regalis Dei sella esset (v. Eph. 4, 10. Hebr. 4, 14. 7, 26. cl. 2 Cor. 12, 2.) dexterâ Deum assedisse N. T. scriptores pie crediderunt (Luc. 24, 51. Mr. 16, 19. Act. 1, 9. sq. 2, 33. 7, 56. Eph. 1, 20. Col. 3, 1. Hebr. 1, 3. 8, 1. 1 Petr. 3, 22. Apoc. 3, 21.) Haec opinio ex Ps. 110, 1. fluxit, ubi hunc Messiae honorem portendi, ut a Dei dextrâ sederet, vulgo putarunt. Erraret sane, qui N. T. scriptores nihil nisi hoc dicere voluisse existimaret: *sedere* nunc Jesum in supremo coelo a Dei dextrâ in sellâ. Nam iis l. refelleretur, quae Jesum eo summam et dignitatem et vim consequutum esse perspicue declarant, quod Deum dexterâ assedisset Eph. 4, 10 sq. 1 Petr. 3, 22. Apoc. 3, 21.. Sed non minus ii falluntur, qui, ut tantum N. T. scriptores dicant, quantum ipsis credibile videtur (v. *Straussii* Streitschriften I, 181.), loquutionem εἶναι (καθίσαι) ἐν δεξιᾷ τ. ϑ. et vicinas de Jesu usurpatas *figuratas* esse neque nisi summae, quam Jesus nactus sit, amplitudinis cogitationem continere, *loci* (coeli), quo se Jesus contulerit, notione prorsus seclusâ perhibent (sic *Tholuccius* passim, v. c. ad Hebr. 1, 3. et *Harless.* ad Eph. 1, 20. p. 110.). Nam si Apostoli et primi Christiani Christum *in coelo* a Dei dexterâ esse non statuissent, et eorum narratio, qui Jesum videntibus Apostolis ita sublimem abisse, ut nubes eum amicorum oculis subtraheret, tradiderunt, nullum sensum haberet (Act. 1, 9. cl. Luc. 24, 51. Mr. 16, 19.), et vana eorum opinio esset, qui Jesum ita de coelo aliquando descensurum esse, ut eo ascendisset, pios autem Christianos tum, ut Christo obviam proficiscerentur, tollendos *in aerem* esse putarunt Act. 1, 11. 1 Th. 4, 16. sq.. Neque Stephanus

coelum intuitus sibi visus esset apertis coeli foribus Jesum videre a Dei dexterâ stantem, nisi Jesum in coelo apud Deum versari pie existimasset Act. 7, 55.. Postremo, ne alia addam, in multis, quae hûc pertinent, l. *loci*, in quo nunc Christus sit, notio tam clare expressa est, ut eam quivis deprehendere debeat, nisi cui theologica praejudicia oculorum aciem hebetaverint Col. 3, 1. sqq. Phil. 3, 20. Hebr. 4, 14. 7, 26. al.. Quamobrem sic potius sentiendum est, N. T. scriptores Jesum eo summam et dignitatem et vim adeptum esse censuisse, quod ei in *coelum* sublato *dexter* a Deo locus assignatus esset. Nam proximos regi honores occupavit, cui a regis dexterâ sedes dabatur (Ps. 45, 10.). Humana autem instituta Apostoli ad coelum transtulerunt (v. *Knapp*. Scripta var. arg. p. 53.). Neque aliter Graeci. Non illi dubitarunt, quin Minerva, Jovis filia, Jovi dextro loco in Olympo assideret Hom. Il. 7, 24. 24, 100.. Sed hoc ipso proximos Jovi honores eam occupasse (Horat. Od. 1, 12, 15.) et auctoritate Jovis nuntios vincere statuerunt, quod a Jovis dexterâ sederet. Item Apollo, Jovis filius Hom. Il. 7, 23., choro praemium persolvere potest, *quia* ab Jovis dexterâ sedet: v. *Knapp*. l. c. et *Dissenius* ad Pind. Fragm. XI, 9. (*Πῦρ πνέοντος ἅ τε κεραυνοῦ | ἄγχιστα δεξιὰν κατὰ χεῖρα πατρὸς | ἵζεαι.*) II, p. 655. *εἶναι ἐν δεξιᾷ τινος in dexterâ alicujus esse* h. e. ibi esse, ubi alicui a dexterâ sis. Cf. de hoc usu ἐν 1 Petr. 3, 22. Xen. Anab. 1, 5, 1. 5. 5, 2, 24. 25.. *ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν*] Jesum coelo receptum pro súis alumnis apud Deum deprecari utique existimarunt Apostoli (v. *Rueck*. et *Reich*. et quae I, 276. et ad 8, 26. in subjectâ notâ a nobis disputata sunt.). Multi interpretes, ut hîc quoque rem extunderent, quae ab ipsis credi posse videretur, loquutionem *Χριστὸς ἐντυγχάνει τῷ θεῷ ὑπὲρ ἡμῶν* figurate non proprie explicuerunt. *Chrysostomo*, quocum *Theodoret*. et *Theoph*. faciunt, nihil nisi amoris, quo nos Christus prosequatur, magnitudo et vehementia *ἀνθρωποπαθῶς* a. P. declarari videtur. *Calvinus*, quia Christus „appareat assidue [apud Deum] cum morte et resurrectione suâ, quae vice sint aeternae intercessionis et vivae orationis efficaciam habeant, ut patrem nobis concilient atque exorabilem reddant"; idcirco eum „merito dici intercedere" perhibet. Alii alias nugas proferunt. Totius l. ratio haec est: Ecquis homines a Deo delectos postulabit (ut peccatores vitâ aeternâ indignos)? Deus is est, qui integritatem iis tribuat. Ecquis est, qui eos (in sollemni judicio) condemnet (et condemnatos in geennam abire jubeat)? Christus (hominum judex) is est, qui (amore adductus) mortuus sit, imo vero qui [etiam] revixerit (ut *possit* amicis

etiamnum prodesse), qui a Dei dextrâ sedet (habet igitur amicos adjuvandi *vim* et *facultatem*), qui etiam pro nobis deprecatur (ergo etiam facit quod potest, ut nos tuetur: qui igitur quos amat in geennam compingat?).

V. 35. — 37. Non ut rebus proxime memorandis (*θλίψις* etc.) *personarum* dignitatem tribui indicaret (*Calv.*, *Beza*, *Grot.* al.) P. *τίς* pro *τί* scripsit, sed aut Pronominis genus ad Substantivorum *θλίψις*—*μάχαιρα* genus accommodavit, aut, quod magis credo, vs. 31. 33. et 34. invitatu *τίς* posuit. Sic primo interrogat: ecquis nos disjunget ab amore, quo nos Christus [Deus] prosequitur? *neminem* id effecturum esse indicaturus (*Oec.*). Deinde interrogationem continuans num eae res illûc valiturae sint, quae Christi [Dei] erga nos amorem exstinguere posse videantur, ut id quoque neget (v. 37.), percontatur (*θλίψις* — *ἢ μάχαιρα*;). Itaque *τίς* v. 35. neque pro *τί* positum est, neque aliam vim habet, quam v. 31. 33. 34.. *ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ*] Plerique *amorem*, *quo nos Christus amplexus est* interpretantur, pauci *amorem*, *in quo nos Christum habemus* (*Orig.*, *Basilius* Opp. II, 657., *Ambrosiaster*, *Corn. a Lapide*, *Majus* Obs. s. l. II, p. 127., *Heum.*, *Mor.*, *Koelln.* al.), quamquam multos antiquitus hanc explicationem ingressos esse titulus docet vs. 35. — 39. datus: *περὶ τῆς ὀφειλομένης ἀγάπης Χριστῷ* (cf. *Matthaeii* ed. min.). Si *τοῦ Χριστοῦ* a P. profectum esset, illa interpretatio unice vera esset. Toto enim l. Ap. pios Christianos beatos esse, quia iis et Deus faveat et Christus, exponit, non tantam eorum in Deum aut Christum pietatem esse demonstrat, ut nulla eam calamitas delere possit. Insisteret igitur favoris, quo Christus in nos propenderet, cogitationi (v. 34.) ita, ut quum neminem nos ab amore, quo Christus nos amaret, divellere posse affirmasset, id vel tristissimos vitae casus effecturos esse eo negaret, quod in his omnibus longe superiores discederemus viribus a Christo acceptis, qui suum erga nos amorem testatum fecisset moriendo. Levia sunt argumenta, quibus haec explanatio impugnata, altera defensa est. Nam posse res adversas efficere, ut *hominum amor erga Christum* refrigescat et saepe eas hanc vim habuisse, ut Christi sacra desererentur, *non posse* Christianorum calamitates *Deum* aut *Christum* movere, *ut miseros homines amare desinat* objectum est. Scilicet id ipsum P. dixit, amicorum aerumnas non eam vim apud Christum [Deum] habere, quam in homines exerceant. Homines beatos amicos admirantur, extollunt, tuentur: graves fortunae injurias passos saepe flocci non faciunt easque contemnunt. Longe aliter Christus [Deus] facit, qui vires

etiam in afflictâ fortunâ nobis suppeditet, quibus adversarum rerum impetum frangamus (v. 37.). Male *Rueck.* et *dW.*, eo hîc respici, quod homines quia cum adversâ fortunâ conflictari cogantur frigere jam in se Deum perverse saepe argumententur, cum multis interpretibus opinati, ut illam objectionem diluerent, Paulum de amoris, in quo Christo simus, *sensu* et *conscientiâ* loqui perhibuerunt. At totius disputationis v. 35. — 39. cardo in hoc vertitur, ut nihil Christi [Dei] erga nos *amorem tollere* possit atque efficere, ut non diutius diligat quos antea dilexerit. Non felicius *Meyerus* negare Paulum, posse nobis calamitates *salutarem* amoris, quo Christus nos malorum victores reddat, *vim* adimere cl. v. 37. affirmavit. Neque enim P. rationem sic concludere V. D. reputavit: non vel gravissimis vitae casibus Christi [Dei] erga nos amorem exstingui ex eo emergit, quod in iis longe superiores discedimus Christo [Deo] auxiliante (v. 35. 37.). Qui igitur mala *ejus* amorem tollant, *qui* in malis amanter nobis auxilium ferat, ut ea egregie vincamus? Praeterea *Meyeri* interpretationem v. 38. et 39. non admittunt, ubi v. 37. confirmatur. Deinde interpretationem, quam tuemur, ferri non posse, quia P. non dixerit: *τίς τὸν Χριστὸν χωρίσει ἀπὰ τῆς ἀγάπης ἡμῶν;* mire observatum est. Sive Christus ab amore tui avellatur, sive tu ab amore, quo te Christus amet, abstraharis, nihil aliud efficitur, quam ut te Christus amare desistat. Nihilo secius rei accommodatum est quod P. posuit. Nam neminem tam saevum adversarium *nobis* exstiturum esse dicit, qui Christi [Dei] amorem maligne nobis eripiat. Et oppugnant *nos* persequutio, fames et cetera quae P. commemorat mala. Quodsi *τίς τὸν Χριστὸν χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης ἡμῶν;* scripsisset, neminem tanto impetu *Christum* oppugnaturum esse, ut amorem erga nos deponat, sentiremus. Tum male ad *ὑπερνικῶμεν* v. 37. provocatum est. Nam ex eo, quod *nos longe superiores discedimus* ibi P. dixerit, metuendum esse ne *nos* a Christo deficiamus h. l. dictum esse intelligi (*Koelln.*). Nititur hoc argumentum falsâ rationis, quâ v. 37. cum v. 35. continetur, explicatione (v. supra). Idem valet de hâc conclusione: dicimur v. 37. per amorem, quo nos Deus amplectitur, egregiam victoriam reportare: quod quum hanc vim habeat: efficere Dei erga nos amorem, ut Christum diligere persistamus, h. l. de nostro erga Christum amore disputari in promtu est (*Koelln.*). Postremo quamquam v. 36. *propter te supplicio afficimur* valet quoniam te diligimus, non quia tu nos diligis, tamen h. l. de nostro erga Christum amore agi inde non consequitur (*Koelln.*). Nam quomodocunque v. 36. ex-

ponas, pertinet is tantummodo ad v. ἢ κίνδυνος ἢ μάχαιρα; non ad totam v. 35. sententiam: et negat P. vitae discrimina, quae Christi [Dei] amore adducti adeamus eo valitura esse, ut Christus [Deus] suum erga nos amorem deponat, sine ullâ repugnantiâ. Sed Paulum ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ scripsisse (ecquis nos ab amore, quo nos Deus amplectitur, avellet?) certum est. Hoc tenent 7. 74. 76. 91. Mt. n. Scholia in 39. 42. et aliis, Orig. ad h. l. (I, 316. II, 631. III, 640. τοῦ Χριστοῦ habet), Basilius II, 657. III, 613. (alias τοῦ Χριστοῦ legit I, 126. 200. II, 468.), Ephrem, Antiochus, Theophyl., Oec., tum Hilarius in Ps. 65., Hieronymus l. 3. in ep. ad Eph., Sedulius, MSC. Floriac., Epiphanius, Beda. | ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ B. et *fortasse* Hilar. in Ps. 62.. Verba τῆς ἐν Χρ. Ἰ. e v. 39. repetita sunt. Exarasse Paulum v. 35. ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ sic ostenditur. Firmatur v. 38. 39. sententia v. 37.. Jam quum v. 39. de Dei erga nos amore sermo instituatur, apparet τὸν ἀγαπήσαντα v. 37. *Deum* dici. Atqui v. 37. ὁ ἀγαπήσας non potest alius esse, quam de cujus erga nos amore v. 35. dicitur, quandoquidem eum, de quo agitur, suum erga nos amorem quia iniquâ fortunâ jactemur non depositurum esse, eo probatur, quod is in calamitatibus nobis etiam opituletur. Itaque P. v. 35. τοῦ θεοῦ scripsit. Pondere ea destituuntur, quibus interpretes τοῦ Χριστοῦ v. 35. defendere conati sunt, v. c. Paulum in disputationis clausulâ v. 39. Dei et Christi amorem conjunxisse (Sendschreiben an Tholuck p. 85.), solere Ap. in clausulis quae in quaque re ultima et extrema sint commemorare (*dW.*). Nam de uno eodemque v. 35. — 39. exponi logicis quae vim afferant rationibus evincitur (v. supra). Pejus etiam ita disputes: „cum amore Christi unum esse amorem Dei v. 39" (*Beng.*). Nam quum amoris fons in Deo sit, Christus autem divinum amorem ad homines pertulerit, Christo Dei amorem inesse neque Christi amorem esse nisi Dei amorem Christi missione et supplicio declaratum. Recte igitur P. v. 35. Christi amorem pro divini amoris documento commemorasse, contra v. 39. ut *qualis* esset Christi amor ostenderet, non eum a Dei amore per Christum declarato differre monuisse (v. *Meyer*. ad v. 39. cl. *Calvino* et *Beza*). Sane per Dei et Christi amorem salus nobis obtigit. Ille enim hominum amore adductus Christum ad nos legatum supplicio affici passus est (v. 32.); hic autem, quia homines diligeret imperatam legationem suscepit neque pro nobis mori recusavit Gal. 2, 20.. Sed hinc non differre Dei amorem a Christi amore et alterum pro altero poni posse male concluditur. Differunt enim qui amant, quandoquidem alius est

Deus, alius Christus. Deinde aliam vim Dei erga nos amor habuit, aliam Christi. Ille eo valuit, ut Deus Christum ad supplicium daret, hic effecit, ut Christus mortem oppeteret. Tum h. l. non de ornamentis, quae ille Dei et Christi amor nobis pepererit, h. e. de τῇ δικαιοσύνῃ et τῇ αἰωνίῳ ζωῇ agitur, sed hoc exponitur, Deum pios homines licet calamitatibus obrutos amare iisque pro suo amore in miserâ fortunâ opitulari. Postremo v. 39. non τὴν ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ quo *Meyerus* putavit modo explicari v. docent: ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ θεοῦ τῆς ἐν Χρ. Ἰ.. Nam hoc pacto ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ, ἥτις ἐστὶ καὶ τοῦ θεοῦ aut simili modo dicendum fuerat. Sane pervetusta est vulgata scriptura, ut quam Tertullianus (Scorpiacum adv. Gnosticos sub finem) et Origenes sequantur. Sed facile dicas quomodo orta sit. Scilicet proxime v. 34. Christi facta mentio est et multi v. 36. ἕνεκεν σοῦ et v. 37. διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς ad *Christum* rettulerunt. Ceterum τοῦ Χριστοῦ v. 35. altas radices egisse non mirum est. Nam postquam Christo ἡ ὁμοουσία publice decreta erat, Theologi non modo non offensi sunt Christi mentione v. 35., sed etiam eâ gavisi. Videbatur enim quod res, quae paulo post v. 39. Deo tribueretur, hîc ad Christum referretur, Christi divinitatem stabilire. *Chrys.* ad h. l.: καὶ οὐκ εἶπε τοῦ θεοῦ· οὕτως ἀδιάφορον αὐτῷ καὶ Χριστὸν καὶ θεὸν ὀνομάζειν. Firmavit etiam lectionem τοῦ Χριστοῦ eorum explicatio, qui h. l. de piorum Christianorum erga Christum amore exposuerunt (v. supra). θλίψις ἢ στενοχ.] v. not. ad 2, 9.. διωγμός] *Persequutio* injurias complectitur, quas Judaei et ethnici Christianis propter doctrinae christ. professionem imposuerunt (ut verbera, delationes, vincula, relegationem). *Notione* suâ ὁ διωγμός a τῇ θλίψει differt, ita ut hoc voc. latius quam illud pateat. v. Act. 8, 1. Matth. 13, 21. ubi *dW.* temere mihi obloquitur. Pleraque mala, quae hîc recensentur, P. ipse expertus est 2 Cor. 11, 23. sq. 4, 8. sq.. V. 36. καθὼς γέγραπται] LXX. Ps. 43, [44,] 23.. Ibi poëta de vexationibus lamentatur, quibus Judaei quoniam Jehovam pie colerent sub Antiocho Epiphane obnoxii fuerunt. Cf. *b. Rosenm.* et Ven. *Hitzigium.* Si P. sacri poëtae v. ad suam rem accomodavit (*Grot.*, *Heum.*, *Kopp.*, *Mor.* al.), ultima v. 35. vocc. ἢ κίνδυνος ἢ μάχαιρα; illustravit h. m.: *an vitae discrimen*, *an gladius*, ut nostra conditio eorum fortunae respondeat, qui in Psalmo lamentantur, *nos a Dei erga nos amore evellet?* Sin ut vatis, qui piis Christianis necem portenderet, vocem Psalmi versum citavit (*Koelln.*, *Meyer.* al.), recte etiam κίνδυνον et μάχαιραν ad mala, quae Christianos premerent, ab se relata esse

vetusto oraculo comprobavit h. r.: an calamitas nos a Dei erga nos amore disjunget — *an vitae periculum*, *an intentatus gladius?* Quandoquidem vetus vates cecinit, fore ut hi quoque terrores nos, qui Deum pie coleremus, circumstarent. Mihi posterior ratio magis placet, quum Ap. de malis, quae Christiani jam experti essent, agere videatur (v. v. 37. cl. Act. 8, 1.). Sic non mirabilem debere videri aut Christianorum animos consternari tantam malorum tempestatem quippe in V. T. praedictam apte P. monuerit. Sed utrumcunque praetuleris delitescit v. 36., ut qui nonnisi ultima v. 35. v. aut explicet, aut communiat, neque ad disputationis summam pertinet. Non igitur ii reprehendendi sunt, qui eum uncis incluserunt. Nam ἐν τούτοις πᾶσιν v. 37. etiam ad v. 36. spectare (*Meyer.*) male contenditur, neque verum est ἀλλά v. 37. ineptum esse, si. v. 37. tantummodo ad v. 35. referatur (*Rueck.*, *dW.*). ἕνεκεν σοῦ ϑ. ὅ. τ. ἡ.] *propter te*, h. e. quoniam te (*Deum* dicit, non Christum: est enim v. 35. genuina lectio τοῦ ϑεοῦ) pie veneramur, *supplicio afficimur* (nunc hi, nunc illi) *per totum diem* (a mane ad vesperum). ἕνεκα σοῦ] Recte *Griesb.* et *Lachm.* ἕνεκεν σοῦ ex A. B. F. G. Clem. Orig. Method. Chrys. al. dederunt. ὅλην τὴν ἡμέραν] Sic LXX. l. c. male verterunt כָּל־הַיּוֹם, quod ibi esset *quotidie*, καϑ' ἑκάστην ἡμέραν (Ps. 42, 4.) non *per totum diem* (Jes. 62, 6.). ἐλογ. ὡς πρ. σφ.] *aestimati sumus* (ab adversariis) *ut oves caedi destinatae*. Neque enim nostri adversarii per totum diem nos *jugularent*, nisi nos in mactandarum ovium numero *duxissent*. v. 37. Tollit P. suspicionem percontatione v. 35. ϑλίψις — — ἢ μάχαιρα; comprehensam objectione, quae illam ex cujusvis animo ejiciat. An calamitas, an persequutio, an fames, an intentata mors nos ab amore quo Deus nos prosequitur avellet? *At* in his omnibus malis egregiam victoriam reportamus per Deum qui nos amavit. Absurdum est igitur existimare, Deum quoniam calamitatibus jactemur suum erga nos amorem deponere. Vires enim ille nobis suppeditat, quibus illas calamitates egregie vincamus. Ἀλλά objicientis et per objectionem refutantis est, ut in l., quem Hermogenes p. 306. e Demosth. or. pro coronâ attulit: τί γὰρ βουλόμενοι μετεπέμπεσϑ' ἂν αὐτούς; ἐπὶ τὴν εἰρήνην; ἀλλ' ὑπῆρχεν ἅπασιν· ἀλλ' ἐπὶ τὸν πόλεμον; ἀλλ' αὐτοὶ περὶ εἰρήνης ἐβουλεύεσϑε. Cf. *Hartung.* Lehre von den Part. d. gr. Spr. II, 36.. Sic Romani *at* usurpant. Cf. Cic. ad Att. 7, 11, 3. pro Plancio 1, 4, 11.. ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερν.] *in his omnibus*, quae v. 35. dicta sunt (ϑλίψις ... ἢ μάχαιρα;), *malis magnopere vincimus* (Soph. El. 216. ἀλλ' ἐν γὰρ δεινοῖς οὐ σχήσω | ταύτας ἄτας,|

ὄφρα μὲ βίος ἔχῃ. Ael. V. H. 1, 24. καὶ ἐν πᾶσι τούτοις ἡττᾶται Λεπρέας.). ὑπερνικῶμεν] *plus quam vincimus*, i. e. *egregie vincimus*, non solum pares sumus malis, sed etiam iis longe superiores. Quippe salvi e malis emergimus (v. 28. 2 Cor. 4, 8. sq.) impavidumque est pectus servatis. Intendit ὑπέρ verbi simplicis vim. Cf. ὑπερφοβεῖσθαι Xen. Cyr. 1, 4, 2. ὑπερεχθαίρειν Soph. Antig. 127. et not. ad 5, 20. I, 351. (Male *Kopp.* hûc rettulit ὑπερισχύειν et ὑπερκρατεῖν Joseph. A. J. 11, 3, 2. et 3. *praeponderare*, *plus pollere quam* —). In ceteris l., in quibus ὑπερνικᾶν legitur, *immodice vincere*, *justo plures et majores victorias reportare* designat et in vitio ponitur. Socrates H. E. 3, 21. ὁ δὲ (Julianus) οὐκ ἔπαθε τὴν ψυχὴν οὐδὲ τοὺς ἱκετεύοντας ἠλέησεν· ἀλλ' οὐδὲ τὸ τοῦ λόγου κατὰ νοῦν ἔλαβεν, ὡς ἄρα νικᾶν μὲν καλόν, ὑπερνικᾶν δὲ ἐπίφθονον. Non secus in l. a *Wetst.* citatis: Leo Tact. 14, 25. (ubi ejusdem proverbii mentio injicitur) et Metaphr. MSC. II. φ. 315.. Recte PP. gr. praeeunte Origene I, 317. ὑπερνικᾶν plus esse quam νικᾶν monuerunt. Sed neque satis accurate ὑπερνικᾶν exposuerunt *facile*, *sine labore ac negotio vincere* et in v. ἐν τούτοις πᾶσιν, quae explicarent *per haec omnia* argutati sunt, quum haec dici opinarentur: ea ipsa quae nos affligunt afferunt nobis victoriam nullo negotio reportandam (*Chrys.*, *Theoph.*, *Oec.*). διὰ τοῦ ἀγ. ἡμᾶς] *per eum*, *qui nos amavit* h. e. viribus ab eo datis, auxilio nobis ab eo lato. Dicitur *Deus* (non Christus v. not. ad v. 25.) et Aoristo ad Christi supplicium alluditur, quo Deus suum erga nos amorem manifestavit (v. v. 32. Joh. 3, 16.). *Rueck.* τὸν ἀγαπήσαντα *Christum* vocari putavit, tum quod Christus Paulo is sit, *per* quem Deus *Salutem* nobis paraverit, tum propter Phil. 4, 13.. At h. l. de salute per Christum nobis partâ non agitur (v. supra). Item alterum *Rueckerti* argumentum contexta oratio redarguit. Potest sane altera lectio διὰ τὸν ἀγαπήσαντα ἡμᾶς (D. E. F. G. Vulg. al.), quae *Millio* Prol. §. 452. placuit, sic explicari: *propter eum, qui nos amavit* h. e. *quia* opem nobis fert qui nos amavit, ut hoc uno a vulgatâ scripturâ discrepet, quod *minus distincte* rem enuntiet. At primo nemo lectionem quae vulgatur Clementis, Origenis, Syri et tot Cdd. testimonis fultam aspernetur. Deinde in promtu est, accusativum aut invectum esse ab iis, qui v. 35. sqq. de nostro erga Christum amore disseri credidissent, aut saltem (id enim historia testatur), quum eum calami error peperisset, fotum et propagatum (propter eum qui nos amavit i. q. *amore erga Christum moti* facile haec omnia mala superamus). Itaque argumentum, quo *Mill.* Accusativum defendere studuit, con-

tra eum valet. *Tertullianus* Scorpiac. adv. Gnosticos p. 726. ed. Frob. vertit: sed in omnibus istis supervincimus *pro eo qui* nos dilexit. Item Cyprianus l. 3. Testim. p. 311.. Legerunt aut ὑπερνικῶμεν ὑπὲρ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, aut ὑπερν. διὰ τὸν ἀγαπήσαντα ἡμᾶς idque quum hunc l. de nostro erga Christum amore cepissent libere verterunt. Hoc mihi probabilius videtur. Nam v. 35. τοῦ Χριστοῦ habent.

V. 38. et 39. Nexus: Nos in calamitatibus *per Deum* qui nos Christo, ut supplicium subiret misso amavit egregie vincere (v. 37.) ex eo elucet, quod, ut mihi prorsus persuasum est, nulla res tam potens est, quae Dei erga nos amorem tollat, quem Christum legando declaravit (v. 38. 39.). Nullius rei, quae quidem magnam ad Dei amorem exstinguendum vim habere videri possit, cogitationem ita P. enuntiat, ut nonnulla, quae potissimum illuc valere posse aliquis existimet, concitatorum oratorum modo pro exemplis commemoret. Similiter 1 Cor. 3, 22. *omnium* rerum notionem exaggerat. Ineptam condiderunt regulam, qui in hujusmodi l. quo jure unaquaeque res exempli loco posita ad id referatur de quo agatur interpreti examinandum esse negarunt, velut h. l., qui ζωή, θάνατος, ἄγγελοι etc. ut a Dei amore avellamur efficere videri possint (v. *Rueck.* ad h. l. et ad 1 Cor. 3, 22. cl. *Kopp.* et *Mor.* ad h. l.). Neque enim res explicanda et tanquam oculis subjicienda exemplis illustraretur, nisi apta essent exempla. Imo haec lex in hujus generis l. explicatori scribenda est, ne interpretationem e longinquo repetat, quoniam qui commoto animo scribunt non in remota intuentur, sed efficacissimis et quae cuique se facile offerant utuntur exemplis. οὔτε θάνατος οὔτε ζωή] Magna vis mortis est et vitae ad amorem tum concipiendum tum deponendum. Homines mortuos saepe diligunt, quos dum viverent non curaverant et vicissim quos vivos caros habuerant, eorum obliviscuntur mortuorum cohonestatis exsequiis. At nos neque mors neque vita a Dei amore avellet h. e. nos sive moriamur (per adversariorum injurias v. 35.) sive vivamus eo Deus amore amplectetur, quem nobis per Christum manifestavit. *Hieronymi* ad Aglas. qu. 9., *Theophyl.*, *Grotii* al. explanatio *neque mortis metus neque vitae spes* propterea admitti nequit, quoniam h. l. non de nostro in Deum, sed de Dei erga nos amore agitur. οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί] neque angeli (in universum), neque qui magistratum obtinent angeli (angeli potentes et praecipui). *Elsneri* al. explicatio: neque angeli neque qui magistratum gerunt homines (Tit. 3, 1. Aristoph. Nub. 1197.) sensu destituta est, quandoquidem tantam esse hominibus

nibus

nibus qui honoribus fungantur vim, ut metuendum sit, ne Dei voluntatem ab aliquo abalienent, nemo sanâ mente praeditus finxerit, et loco 1 Petr. 3, 22. refellitur. *Clemens Alex.* Strom. l. IV. p. 373., *Grot.*, *Reich.* et multi alii οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαὶ ad malos angelos, qui Satanae serviunt Eph. 6, 12. referunt, quia in bonos angelos malevolentia non cadat, ut Deum ab hominum amore avocare conentur. At h. l. non improbae naturae quae pro suâ malitiâ incumbere videantur, ut Deum ab hominibus avertant, recensere vult P. atque frustra illas laborare ostendere, sed rebus nominatis, quas quum *validissimae* sint Dei erga nos amorem tollere posse credas, demonstrare, nihil fingi posse tantâ vi instructum, ut Deum ex amico inimicum nobis reddere queat. Aptissima est igitur *bonorum* angelorum, quorum praecipua sit dignitas, ut *praepotentium* naturarum, mentio. Neque enim utrum eas nocere nobis velle consentaneum sit an dissentaneum quaeritur; illud affirmatur, *si* nocere velint non posse (Cf. Gal. 1, 8.). *Theophyl.*: Οὐχ ὡς τῶν ἀγγέλων δὲ ἀφιστώντων τοὺς ἀνθρώπους ἀπὸ Χριστοῦ εἶπε τοῦτο, ἀλλὰ καθ' ὑπόθεσιν τὸν λόγον τιθείς —. Neque voc. ἄγγελοι nude positum, nisi in claro contextu, malos angelos, Satanae satellites, designat (v. Jud. 6. cl. Matth. 25, 41. 2 Cor. 12, 7. 2 Petr. 2, 4.). Eodem argumento *Wolfii* al. ratio evertitur, qui voce ἄγγελοι *malos* angelos, vocabulo ἀρχαὶ *bonos* angelos dici existimant. Precario etiam vocem ἄγγελοι *bonos*, voc. ἀρχαὶ *malos* angelos notare diceres 1 Petr. 3, 22.. Perspicue naturarum, quarum contraria esset indoles, oppositio indicanda fuerat. Et tota haec ratio imbecillo nititur argumento, quia res oppositae et ante (θάνατος, ζωή) et post (ἐνεστῶτα, μέλλοντα. ὕψωμα, βάθος) commemorentur, necessarium esse, ut vocc. ἄγγελοι et ἀρχαὶ contraria angelorum genera complectantur. Neque enim id nunc agit P., ut res sibi oppositas cumulet, séd ut ne potentissimas quidem res Dei erga nos amorem exstinguere posse moneat. Recte igitur bonos diversi generis angelos commemorat, quos viribus praepollere Christiani cum Judaeis vulgo putarunt. Et quod ter h. l. res sibi oppositas Ap. memoravit, id non P. consilio, sed *rei* tribuerim. Multum enim illae in re, de quâ exponitur, possunt. *οὔτε δυνάμεις*] Haec vocc. post οὔτε ἀρχαὶ vulgo lecta, si genuina essent (v. infra), *neque potestates* i. e. neque qui habent potestatem aut magistratum (Abstr. pro Concr., Würdenträger cf. ἀρχαί, ἐξουσίαι, κυριότητες, θρόνοι) valerent et aliquem bonorum angelorum ordinem declararent. Quippe diversa esse bonorum angelorum genera P. Judaeis assensus statuit, quae his nominibus distinxit: ἄγγελοι,

ἀρχαί, ἐξουσίαι, δυνάμεις (v. Eph. 1, 21. 3, 10. Col. 2, 10. cl. 1 Petr. 3, 22.), κυριότητες, θρόνοι (Col. 1, 16. Eph. 1, 21.). Praeterea 1 Th. 4, 16. ἀρχάγγελος commemoratur. Sed quae P. cuique classi negotia dederit et quas cuique generi sedes assignarit nescimus, quoniam nunquam suam de hâc re sententiam exposuit, sed semper angelorum ordines ut nemini ignotos memoravit. Haec tamen tenenda sunt. I. Rabbini, quamquam eorum minime constans disciplina est, decem angelorum genera esse fingunt: 1. אראלים (Jes. 33, 7.) *leones Dei*, heroes: 2. אישים, *viri*: 3. בני האלהים (Genes. 6, 2. Job. 38, 7.) *filii Dei*: 4. מלאכים, angeli: 5. חשמלים *electro fulgentes* (Ez. 1, 4. 27. 8, 2.): 6. תרשישים (Ez. 1, 16.) *tartessiâ gemmâ splendentes*: 7. שאננים (Job. 12, 5.) *tranquille viventes*: 8. כרובים (Genes. 3, 25.): 9. אופנים *rotae* (Ez. 1, 16.) i. e. angeli, divinae sellae motores: 10. שרפים (Jes. 6, 2.). Suum autem cuique generi ducem praeficiunt. Sic Arellim ducit Michael, Ofannim Raphael. Vide locum, quem ex ברית מנכחה attulit *Eisenmengerus* Entdecktes Judenth. II, 374. et *Bartoloccii* Biblioth. magnam rabbin. 1, 267 sqq. Haec Paulo placuisse vel propterea credi nequit, quod nomina ab eo angelorum generibus imposita, ut quae in universum *dominos*, *magistratum gerentes* et *in imperio constitutos* declarent, nominibus non respondent, quibus Rabbini diversos angelorum ordines vocarunt. Nam esse τοὺς ἀγγέλους Rom. 8, 38. 1 Petr. 3, 22. Rabbinorum המלאכים et vel τὰς ἀρχάς vel τὰς ἐξουσίας Judaeorum האראלים non est verisimile (v. *Harless.* ad Eph. p. 113.). II. Οἱ ἄγγελοι prius quam αἱ ἀρχαί et αἱ ἐξουσίαι h. l. et 1 Petr. 3, 22. memorati aut angeli sunt in genere, aut angelorum duces, archangeli. III. Αἱ ἀρχαί et αἱ ἐξουσίαι praepotentium angelorum genera sunt, quae τὰς δυνάμεις auctoritate superent. Ceterum altius est τῶν ἀρχῶν quam τῶν ἐξουσιῶν fastigium. Constanter enim hoc ordine recensentur: ἀρχαί, ἐξουσίαι, δυνάμεις Eph. 1, 21. 3, 10. Col. 1, 16. 2, 10. 1 Petr. 3, 22. Adde quod in Testam. XII. Patriarch. p. 549. sq. in *tertio* caelo αἱ δυνάμεις τῶν παρεμβολῶν, in *septimo* θρόνοι καὶ ἐξουσίαι collocantur. IV. Θρόνοι (כסאות v. *Schoettgenii* H. H. ad Col. 1, 16.) i. e. non angeli in thronis sedentes, neque angeli Dei sellam cingentes Tob. 12, 15. Luc. 1, 19. (*Usterius* Entwick. p. 417.), sed *majestates*, Hoheiten i. e. angeli majestate conspicui ad superiores, contra κυριότητες (dominationes i. e. dominantes) ad inferiores angelos pertinere videntur. Nam Eph. 1, 21. κυριότης post δύναμις ponitur. At θρόνοι in *septimo* caelo habitant, v. Testam. XII. Patriarch. l. c. Quocum P. concordat Col. 1, 16. εἴτε θρόνοι εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ εἴτε ἐξουσίαι, si eum supe-

riorem classem cum inferiori his composuisse statuas, ut *θρόνοι* et *ἀρχαί* majores, *κυριότητες* et *ἐξουσίαι* minores angelos comprehendant. Sed Satanas quoque, non solum Deus, suum quoddam regnum habet Matth. 12, 26. Quare tenebrarum rex ministris, qui ejus ingenium referant, carere nequit Matth. 25, 41.. Horum quoque diversa genera esse P. docet, quae et ipsa *τῶν ἀρχῶν, τῶν ἐξουσιῶν* et *τῶν δυνάμεων* nominibus discernit, quippe Diaboli regnum ut Dei regnum temperatum esse aequum ratus. Plurimum possunt *αἱ ἀρχαί*, minus pollent *αἱ ἐξουσίαι*, quibus dignitate *αἱ δυνάμεις* cedunt 1 Cor. 15, 24.. Habitant autem Satanae satellites in aëre, unde iis opibus quibus facilius quam humanis succumbas, cum piis Christianis belligerant Eph. 6, 12. 2, 2. Col. 2, 15.. *οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα*] neque tempus praesens, neque futurum. Tempus et jungit amicitias et discindit. Homines diligere saepe incipiunt quos antea oderant et quibuscum nunc in gratiâ sumus ii nos paullo post aliquâ offensione interpositâ inimice insectantur. At Deus nos et nunc amat et in posterum amabit. Male *Grot.*, *Kopp.* al. exponunt: *nec quae nunc sentimus mala, nec quae nobis imminent.* Non enim de nostro in Deum amore h. l. disseritur. *Ἐνίστημι* in temporibus intrans. *in propinquo esse* notat. *Propinqua* autem cogitari possunt et quae proxime instant et quae jam adsunt. Hinc Grammaticis *ὁ ἐνεστὼς χρόνος* est tempus *praesens*. Argutatus est igitur qui *τὰ ἐνεστῶτα quae fieri incipiunt*, non *praesentia* valere nuper contendit. *οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος*] *neque sublime, neque profundam* h. e. neque coelum neque terra. Dissuunt hominum amicitias locorum intervalla. Quos nos praesentes in oculis tulimus, eorum nos saepe sensim sensimque oblivio capit peregre profectorum. Nos vero ubicunque locorum simus Deus diligit, sive in coelo Christi consortio utamur (v. not. ad v. 10.), sive in terrâ aetatem degamus. Haec interpretatio unice apta est. Proxime enim praecedit *temporis* mentio. Unde locorum distantiam temporum intervallis a P. addi probabile est, ut hoc exprimat: nos et semper et ubicunque simus Deus amat. Sane מָרוֹם, ubi locum editum i. e. *coelum* declarat, graece *τὸ ὕψος* Jes. 40, 26. Luc. 1, 78. 24, 49. et *τὰ ὑψηλά* Jes. 33, 5. Hebr. 1, 3., non *τὸ ὕψωμα* verti solet. Nihilo secius *ὕψωμα* recte ad *coelum* h. l. referas. Sive enim *τὸ ὕψωμα quod sublimem locum adeptum est* enarres, sive ita differre *τὸ ὕψωμα* a *τῷ ὑψηλῷ*, ut *sublimitas*, vox abstracta, a *sublimi*, vocabulo concreto (Job. 24, 24. 2 Cor. 10, 5.), sumseris, recte eâ voce coelum indicatum est. Vocabulo *βάθος terra* (Jes. 7, 11. Eph. 4, 8. 9.), non

tartarus (*Theodoret.* al.) i.e. ἡ ἄβυσσος Luc. 8,31. et ἡ γέεννα Jac. 3,6. dicitur. Et divellit nos a Dei amore *geenna*, quum in eam non conjiciantur nisi homines impii et quos Deus non diligat. *Wolfius* post *Olearium neque magnae neque exiguae auctoritatis homines* explanavit. Potest *altum fastigium consequutus* ὕψωμα vocari (Judith 15, 9.), sed *homo vilis* a nemine βαθύς s. βάθος dictus est. Neque cum antegressis οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί, οὔτε ἐν. οὔτε μέλλοντα *Wolfii* ratio congruit. Grot.: *neque spes honorum*, *neque metus ignominiae*: *schol. Matth.*, *Kopp*: *neque altum secundae fortunae fastigium*, *neque adversae fortunae profunditas* Aq. Eccles. 10,6. Jac. 1, 9. (apta haec essent, si de nostro in Deum amore h. l. disputaretur): *Vatabl.*: neque ulla vis e *coelo*, ut grando, tonitru, neque pericula quae in *mari* oriri solent. Hujus modi nugae recte taceantur. Jam P. ut omnia paucis v. complectatur οὔτε τις ἑτέρα κτίσις *neque* (noch) *ulla alia res* (13,9. 1 Tim. 1,10.) addit. Τις ante κτίσις nonnulli librarii (abest a D. E. F. G. al.) per errorem omiserunt. ἀπὸ τ. ἀγ. τ. θ. τῆς ἐν Χρ. Ἰ.] *a Dei amore qui per Christum* (missum et necatum) *declaratus est*. Cf. v. 32. 1 Tim. 1,14. 2 Tim. 1,9.. — Sequitur, ut de verâ hujus l. lectione disputem. Scriptura Elseviriana — οὔτε θάνατος οὔτε ζωή, οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαὶ οὔτε δυνάμεις, οὔτε ἐνεστῶτα κτλ. ducta est e Syro (nisi quod is οὔτε ἐξουσίαι pro οὔτε ἀρχαί habet), Orig. de princip. 3,2., Chrysostomo, Vulg. et Cdd., maxime recentioribus, haud paucis, siquidem criticorum silentium fide dignum est. Sed incredibilis est Cdd., Verss. et Patrum eccles., qui hunc l. citarunt, dissensio. ἄγγελοι] D. E. F. G. ἄγγελος | οὔτε ἀρχαί] C. 46. 73. 80. al. 5. Mt. a 3. b. bis l. E. οὔτε ἀρχαὶ οὔτε ἐξουσίαι | D. E. οὔτε ἐξουσία οὔτε ἀρχαί | 44. οὔτε ἐξουσίαι οὔτε ἀρχαί. | Omittit οὔτε δυνάμεις Mt. f. | οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα] οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα οὔτε δυνάμεις A. B. C. D. E. F. G. [sed horum nonnulli οὔτε δύναμις continere videntur 1., quia, ut D. E. paullo ante legunt οὔτε ἄγγελος et οὔτε ἐξουσία: 2., quoniam in iis saepe ει pro ι scriptum invenias et in G. οὔτε ΔΥΝΑΜΕΙΣ latine vertitur *neque virtus*: 3. quoniam Verss. et PP. lat. licet diversis l. *neque virtus* s. *fortitudo* praebent, quod haud dubie e graecis Cdd. ductum est.] 37. 47. 73.. Nunc Verss. et PP. audiamus. Arm. post μέλλοντα addit οὔτε ἐξουσία. | Clem. Al. Strom. l. IV. p. 373. ed. Commel. (ubi hunc l. verbotenus explicat): — οὔτε θάνατος οὔτε ζωή, οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί, οὔτε [τὰ] ἐνεστῶτα (om. οὔτε μέλλοντα), οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος, οὔτε τις κτίσις ἑτέρα οὐ (hoc οὐ non e Cd. hausit, sed ipse

addidit, ut nonnullis explicationis causâ interjectis se ad P. sententiam referret) δυνήσεται κτλ. Quare Clemens, ut Mt. f., οὔτε δυνάμεις praetermittit. | Orig. I, 316. — οὔτε θάνατος οὔτε ζωή, οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί, οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα οὔτε *δυνάμεις*, οὔτε ὕψωμα κτλ. Item prorsus ad Rom. 8, 38. IV. p. 608. Sed de princip. 3, 2. (I, 141.) et praef. in ep. ad Rom. (IV, 459.) — neque mors neque vita, neque angeli neque principatus (ἀρχαί) *neque potestates* (δυνάμεις), neque praesentia neque futura *neque virtus* (οὔτε δύναμις), neque altitudo neque profundum, neque alia ulla creatura etc.. | Ephremus Syrus f. 615 ed. Oxon. — οὔτε θάνατος οὔτε ζωή, *οὔτε ἀρχαὶ οὔτε ἐξουσίαι*, οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα, *οὔτε δυνάμεις οὔτε ἄγγελοι*, οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος, οὔτε τις κτλ. | Basilius l. II. de baptismo (II, 673.) — οὔτε θάνατος οὔτε ζωή, *οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί, οὔτε ἐξουσίαι οὔτε δυνάμεις*, οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα, οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος, οὔτε τις κτλ. | Sangerm. et Clar.: — neque mors neque vita, neque *angelus* neque *potestas* (οὔτε ἄγγελος οὔτε *ἐξουσία*) neque *initia* (οὔτε ἀρχαί), neque instantia neque futura *neque virtus* (οὔτε δύναμις), neque altitudo neque profundum, neque creatura alia etc. | Vulg.: neque mors neque vita, neque angeli neque principatus *neque virtutes* (οὔτε ἀγγ., οὔτε ἀρχαὶ οὔτε δυνάμεις), neque instantia neque futura *neque fortitudo* (i. e. οὔτε δύναμις, non οὔτε ἰσχύς: nam quum antegressum οὔτε δυνάμεις *neque virtutes* vertisset, ne idem voc. repeteretur *neque fortitudo* posuit.), neque altitudo neque profundum, neque creatura alia etc. | Tertull. adv. Gnost. c. 13. p. 726. ed *Rhen.* — neque mors neque vita *neque virtus* neque sublimitas neque profunditas neque alia *conditio* (κτίσις) poterit etc. Sed Tert. P. v. ad compendium contulisse videtur. | Hilarius in Ps. 118. — neque mors neque vita, neque angeli neque potestates, neque praesentia neque futura *neque virtutes* etc. | Hieronymus in Amos. 7, 8., ad Algas. qu. 9., in Gal. 1, 8. in Eph. 6, 12. — neque mors neque vita, neque angeli neque principatus neque instantia [praesentia] neque futura, neque *fortitudo* (δύναμις), neque altitudo neque profundum neque creatura alia etc. | Ambrosius in Ps. 43. neque mors neque vita, *neque angeli neque potestates* [in Ps. 118. neque angeli *neque principatus neque potestates*], neque praesentia neque futura *neque fortitudo* etc. | Ambrosiaster ad h. l.: — neque mors neque vita, *neque angelus neque virtus*, *neque altitudo neque profundum*, *neque praesentia neque futura* neque alia creatura etc.. | Fulgentius contra Fastid. p. 341. — neque mors

neque vita, neque angeli neque principatus, neque instantia neque futura, neque *fortitudines* (δυνάμεις) etc. — Vel ex his quae attulimus hunc l. graves librariorum injurias expertum esse patet. Nempe I. alii Singularem (ἄγγελος etc.), alii Pluralem (ἄγγελοι) praebent: II. membra valde disjecta sunt, quod non mirum est, quum repetitum οὔτε scribis caliginem offuderit: III. οὔτε ἐξουσίαι [ἐξουσία] et οὔτε δυνάμεις [δύναμις] alii diversis quidem l. inculcant, alii praetermittunt. Jam Singularem, quum Pluralis melius, quam Singularis, testatus sit, male recipias. Item vulgatus incisorum ordo (οὔτε θάνατος οὔτε ζωή, οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί, οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα, οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος) retinendus est. Nam optimos auctores habet et rei unice convenit. Quamobrem utrum eorum subsidiorum, quae οὔτε ἐξουσίαι et οὔτε δυνάμεις tenent, aliqua ratio habenda sit, tantummodo quaeritur. *Bengelius* οὔτε δύναμις post οὔτε μέλλοντα reponendum esse censuit. *Griesb.*, *Knapp.*, *Tittm.*, *Lachm.* al. οὔτε δυνάμεις post οὔτε μέλλοντα dederunt plaudentibus multis (v. c. *Rueckerto*, *Koelln.*, *Reich.*), quia tot subsidiis, quae eo l. οὔτε δυνάμεις offerant, temere obsistatur et οὔτε δυνάμεις ii post οὔτε ἀρχαί collocaverint, qui τὰς δυνάμεις ad τοὺς ἀγγέλους et τὰς ἀρχάς pertinere putassent (*Meyer.*). Hanc κρίσιν mihi tumultuariam videri fateor. Nam I. subsidia, quae οὔτε δυνάμεις post οὔτε μέλλοντα repraesentant, eo suam auctoritatem elevant, quod male vel οὔτε ἀρχαὶ οὔτε ἐξουσίαι (C. 73.) tenent, vel οὔτε ἐξουσία οὔτε ἀρχαί (D. E.) habent, vel, ut Orig. de princip. 3, 2. hoc comma οὔτε δυνάμεις bis diversâ formâ continent (οὔτε ἀρχαὶ οὔτε δυνάμεις — οὔτε μέλλοντα οὔτε δύναμις.) II. Οὔτε δυνάμεις [δύναμις] post οὔτε μέλλοντα *tribus* de causis ferri plane nequit. Scilicet I. P. h. l. *binas* res composuit (οὔτε θάνατος οὔτε ζωή, οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί etc.). Quare οὔτε δυνάμεις inter οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα et οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος alienum locum occupasse ex eo emergit, quod altera res deest, quae cum οὔτε δυνάμεις jugum efficiat v. c. οὔτε δυνάμεις οὔτε κυριότητες. II. Verba οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα, οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος, quoniam *temporum* et *locorum* discrimina enuntiant (v. supra), aliarum rerum interjectione divelli nequeunt. Hinc ne Ephremi (l. c.) quidem lectio — οὔτε μέλλοντα οὔτε δυνάμεις οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ὕψωμα — probari potest. III. Δυνάμεις Paulo aliquod angelorum genus significant (v. supra). Itaque οὔτε δυνάμεις apte ponuntur post ἀρχαί, inepte post μέλλοντα. Absurde *Bengel.* in Gnom. v. οὔτε δύναμις per *Chiasmum* post μέλλοντα locatâ esse perhibuit,

ut tum *οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος* tum *οὔτε δύναμις οὔτε τις κτίσις ἑτέρα* intime cohaereant. Nam binis aliquot rebus positis omnia quae quis praetermissa esse putet verbis *οὔτε τις κτίσις ἑτέρα* P. comprehendit. Per se igitur plenum est *οὔτε τις κτίσις ἑτέρα* neque ad aliud *οὔτε* refertur, quocum aliquod rerum par constituat. Eandem ob causam *Beng.* in vulgatâ scripturâ tum *οὔτε θάνατος οὔτε ζωή* ad *οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα*, tum *οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαὶ οὔτε δυνάμεις* ad *οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος οὔτε τις κτίσις ἑτέρα* concinne referri male contendit, quum praesertim hoc pacto *οὔτε ὕψωμα οὔτε βάθος* in aliam seriem conjiciatur, quam quae verbis *οὔτε ἐνεστῶτα οὔτε μέλλοντα* respondeat (v. supra). Jam aliquod incisum, quod cum *οὔτε δυνάμεις* unum jugum faceret, post *οὔτε ἀρχαί* Paulo restituendum esse aliquis suspicetur. Hoc conjectanti per critica subsidia non nisi hoc reponere licet: *οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαί, οὔτε ἐξουσίαι οὔτε δυνάμεις.* At hoc male suscipitur propterea, quod eo *αἱ ἐξουσίαι* a *ταῖς ἀρχαῖς* distrahuntur. Componere enim solet P. *τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας* ut potestate finitimas Eph. 3, 10. 6, 12. Col. 1, 16. 2, 10. 15. Locus esset illi conjecturae, si e Cdc. scribi posset: *οὔτε ἀρχαὶ οὔτε ἐξουσίαι, οὔτε δυνάμεις οὔτε κυριότητες* Eph. 1, 21.. Itaque aut scripturam quae vulgatur *οὔτε ἄγγελοι οὔτε ἀρχαὶ οὔτε δυνάμεις* retineas, aut v. *οὔτε δυνάμεις* cum Clem. Al. et Mt. f. expellas necesse est. Jam ut vulgata lectio per se tolerari possit, quamquam quum concinnitatem turbet venusta non est, tamen quominus eam defendas subsidia critica impediunt. Nam haud pauci Cdd. qui *οὔτε δυνάμεις* tenent male *οὔτε ἐξουσίαι* habent. Praeterea Critici non cogitarunt, magis etiam *οὔτε δυνάμεις* suspectum esse quam *οὔτε ἐξουσίαι.* Nam *οὔτε δυνάμεις* non solum, quemadmodum *οὔτε ἐξουσίαι* incertae sedis et formae est, verum etiam in aliquot subsidiis *bis* invenitur. Sic igitur sentiendum est. Contentio hujus l. cum 1 Cor. 15, 24. Eph. 1, 21. 1 Petr. 3, 22. antiquitus facta tum *οὔτε ἐξουσίαι*, tum *οὔτε δυνάμεις* in hunc l. invexit. E quibus l. quum alii *οὔτε ἐξουσίαι οὔτε δυνάμεις* 1 Petr. 3, 22., alii *οὔτε ἐξουσία οὔτε δύναμις*, 1 Cor. 15, 24. Eph. 1, 21. in margine scripsissent, haec alii apto l. in ordinem receperunt (post *ἀρχαί*), alii ineptas iis sedes dederunt, quod eo minus mirum est, quo majorem colorum perturbationem repetitum *οὔτε* in Cdc. effecerat.

CAP. IX.

ARGUMENTUM.

Magnâ me tristitiâ affectum esse et perpetuo dolore compungi credite sanctissime affirmanti (v. 1. 2.). Nimirum optarem, ut ipse ego diris devotus a Christo divellerer in Judaeorum emolumentum, quibuscum mihi sanguinis cognatio est, quum Israelitae sint hominesque summis beneficiis a Deo nobilitati, si meâ peste salutem iis parare possem (v. 3. — 5.); qui Judaeis et gentilibus aeque prospicit Deus propter illa in consanguineos meos collata beneficia pie celebretur (v. 5.)! Sed procul abest ut *Dei edictum* ad irritum ceciderit. Nempe non omnes ab Israele orti Deo judice Israelitae sunt jure et privilegiis, neque quoniam Israelis nepotes Abrahami posteri sunt, ideo eos omnes Abrahami filios Deus censet. Imo hoc Dei oraculum in Genesi 21, 12. perscriptum legitur; *per Isaacum Abrahamo posteritatem esse homines praedicabunt* (v. 6. 7.), hoc est *non naturales Abrahami filii Dei, qui olim beabuntur, filii sunt, sed homines divini promissi virtute et efficacitate generati pro* (beatâ) *Abrahami posteritate a Deo reputantur* (v. 8.). Quam divini oraculi interpretationem veram esse ex eo emergit, quod in divini promissi Abrahamo dati formulâ (Genes. 18, 10. 14.) *Sarae*, quae contra naturae ordinem legemque divinis roborata viribus Isaacum peperit, non Hagari, ancillae ad pariendum idoneae, filius annuntiatur (v. 9.). Non solum autem Sarae de filii sui fortunâ divinum oraculum datum est, sed etiam Rebecca, cum uno Isaaco complexu venereo juncta, cujus filiis quippe ab Isaaco, verorum Abrahamidarum progenitore (v. 7. — 9.), generatis *eandem* fortunam destinatam fuisse crederes, de filiorum sorte divinitus monita est (v. 10.). Quamvis enim nondum nati essent neque bene maleve meriti, Deus, quia Jacobum amaret, Esavum odio haberet, Esavum in Jacobi servitute fore matri dixit, idque eo fine, ut *ex hominum delectu, non bene factorum admonitu, sed invitantis Dei impulsu, factum homines beandi consilium, quod olim in Isaaci historiâ declarasset* (v. 7. — 9.) *manere neque ab se revocatum esse per ambages nobis ostenderet* (v. 11. — 13.). [Quare felicitate per Christum partâ potiuntur quotquot Deus quoniam iis faveret ut essent per Christum beati pro arbitrio delegit.] Num igitur justitiâ Deus vacat, qui pro arbitrio per Christum beet quibuscunque bene cupierit? Minime vero (v. 14.). Nam Mosi (Exod. 33, 19.) dicit: *misericors ero* quibuscunque esse placuerit: esse autem felicitatis messianae largitionem rem, quâ Deus te *pro suâ misericordiâ et benignitate* augeat, patet (v. 15.). Itaque ergo non ab optante aut contendente homine, sed a *miserante Deo* felicitatis messianae adeptio pendet (v. 16.). Hoc ex eo apparet, quod homines, quorum Deum *non misereat*, contumaces Deum reddere, ne per Christum beati fiant, Codex sacer eo loco docet, quo divinam aliquam vocem Pharaoni dictam (Exod. 9, 16.) refert (v. 17.). Itaque ergo misericordiam Deus tribuit, messianam beatitatem impertiendo, quibus tribuere *vult* (cf. v. 15.), quem

autem *vult* contumacem, qui pro suâ contumaciâ felicitate messianâ excidat, reddere, reddit cf. v. 17. (v. 18.). Dices igitur mihi: si Deus contumacem reddit, ut fide Christo negatâ miser fiat, quem vult, male Deus de iis conqueritur, quorum animus a fide et pietate abhorreat. Nam quum Deus omnipotens sit, talis quisque sit, qualem Deus eum esse jusserit, necesse est (v. 19.). Inanis haec objectio est, quae, quum temere homuncio cum Deo altercetur, ne proponenda quidem fuerit. Totus homo Dei opificium est, quemadmodum vas figlinum figuli, et licet Deo ex eodem luto tum honorem tum contumeliam habituros homines condere, sicut figulus ex eadem cretâ figlinâ et pretiosa et vilia vasa fingit pro arbitrio (v. 20. 21.). Nonne vero sententiae v. 18. asperitas, quae te offendat, sublata est, si, quamvis vellet Deus ostendere suam iram et patefacere potentiam suam, *tamen admodum indulgenter tulit* vasa, quibus iratus esset, composita ad exitium, *idque propterea, ut patefaceret* (quae alioquin in promtu non essent) suae majestatis *divitias* in vasa cara, quae ante parasset ad splendorem, quos *etiam invitavit* nos, non solum ex Judaeis, *sed etiam e gentilibus*? (v. 22. — 24.) Nempe multis gentilibus (v. 25. 26.), perpaucis Judaeis Deum integritatem et felicitatem messianam daturum esse prophetae vaticinati sunt (v. 27. — 29.). — Quid igitur ex aute dictis (v. 24. — 29.) colligemus? Hanc tristem nimirum sententiam: gentiles, qui integritatem non persequantur, integritatem et veram quidem, quae fide comparatur, integritatem assequutos esse, Israelitas, qui legem, quae integritatem pariat, possidere ardenter cupiant, legem, quae integritatem gigneret, non adeptos esse (v. 30. 31.). Quâ de causâ Israelitae ad hanc legem non pervenerunt? Quoniam non a fide, sed a pulcre scilicet factis profecti eam legem persequuti sunt. Nam (quum nihil fidei, omnia benefactis tribuerent) Christus iis displicuit fideque ei denegatâ legem, quae integritatem afferret, non obtinuerunt (v. 32.). Hanc ingratae rei causam esse ex Jes. 28, 16. et 8, 14. apparet (v. 33.).

V. 1. Ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι
συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου ἐν πνεύματι
ἁγίῳ, 2. ὅτι λύπη μοί ἐστι μεγάλη καὶ ἀδιάλειπτος
ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου. 3. Ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ
ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν
μου, τῶν συγγενῶν κατὰ σάρκα, 4. οἵτινές εἰσιν Ἰσ-
ραηλῖται, ὧν ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ διαθῆκαι
καὶ ἡ νομοθεσία καὶ ἡ λατρεία καὶ αἱ ἐπαγγελίαι, 5. ὧν
οἱ πατέρες καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα· ὁ ὢν
ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.
6. Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Οὐ
γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραήλ, οὗτοι Ἰσραήλ· 7. οὐδ' ὅτι εἰσὶ
σπέρμα Ἀβραάμ, πάντες τέκνα, ἀλλ' ἐν Ισαὰκ κλη-
θήσεταί σοι σπέρμα; 8. τουτέστιν, οὐ τὰ τέκνα
τῆς σαρκός, ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τέκνα
τῆς ἐπαγγελίας λογίζεται εἰς σπέρμα. 9. Ἐπαγγελίας

γὰρ ὁ λόγος οὗτος· κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι καὶ ἔσται τῇ Σάῤῥα υἱός. 10. *Οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαάκ, τοῦ πατρὸς ἡμῶν.* 10. *Μήπω γὰρ γεννηθέντων μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακόν, ἵνα ἡ κατ᾽ ἐκλογήν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ, οὐκ ἐξ ἔργων ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ καλοῦντος,* 12. *ἐῤῥήθη αὐτῇ ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι,* 13. *καθώς γέγραπται. τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαῦ ἐμίσησα.*

De l. c. IX, 1.—5. doctum edidit progr. Ven. *Winzerus* Lips. 1832. 4. Praeterea contende si placet Versuch einer pneumatisch hermeneutischen (!) Entwicklung des neunten Capitels im Br. an die Römer. Nebst einem Anhange. Von *J. T. Beck*. Stuttg. 1833. 8. et *Steudelii* commentationem: Nachweisung der in Rom. c. 9. liegenden Sätze als zu Gunsten eines unbedingten Rathschlusses Gottes nicht deutbarer. insertam libro: Tübinger Zeitschr. für Theologie 1836. fasc. I, p. 1.—95. Adde S. V. *Bauri* disputationem, quae eodem l. fasc. III, p. 59.—178. legitur, hoc inscriptam titulo: Ueber Zweck und Veranlassung des Römerbriefs und die damit zusammenhängenden Verhältnisse der röm Gemeinde. Eine historisch-kritische Untersuchung.

Postquam Apostolus *integritatem quam Deus expetat non aliâ re nisi fide in Christo repositâ parabilem esse* gravissimis argumentis ostendit (1, 17 sqq.) eorumque felicitatem, qui illam integritatem adepti sint, oratione ad percellendos lectorum animos compositâ persequutus est (c. 8.), res ipsa eum hortatur, ut qui paucos tantummodo Judaeos et fidem in Christo collocasse et pro eâ fide summae beatitatis participes futuros esse meminerit, accurate de gentis judaicae conditione disserat, quod facit c. 9.—11.. Redimerem, inquit, gentis jud., quam summis Deus beneficiis ornavit, salutem vel meâ ipsius miseriâ, si efficere possem, quod non possum, ut Dei edictum de *nonnullorum* Judaeorum felicitate propositum *omnes* Judaeos complecteretur c. 9. v. 1.—13.. Quod Deus *nonnullis* Judaeis summi favoris specimen dedit, ceteris negavit, non injuste fecit c. 9. v. 14.—21., imo tenendum est, eum se clementissimum et benevolentissimum omnibus hominibus praebuisse c. 9. v. 22.—29.. Acerbum sane videri potest, quod pagani, qui integritatem non sequantur, sinceram illam, quae *fide* comparatur, integritatem consequuti sint, Judaei divinae legi, quae integritatem polliceatur, adstricti integritatem non adepti sint s. 9. v. 30. 31.. Sed nimirum Judaeos sibi assignare oportet quod divini favoris compotes facti non sunt. Nam quae *fide* paranda erat integritas, eam pulcre

factis et virtute quaeri posse sibi persuaserunt. Frustra culpam ab Judaeis amovere coneris. Praeterquam enim quod scire debuerunt, neminem non, sive Judaeus sit sive paganus, qui *fidem* habuerit salvum fore, divina Christi doctrina longe lateque disseminata est. Potuissent igitur Christo fidem adjungere c. 9. v. 30. — c. 10. v. 21.. Non autem Deus totum suum populum suo favore privavit, sed, quemadmodum olim, sic nunc quoque aliquod piorum Judaeorum seminarium esse voluit, ceteros Judaeos pervicaces reddidit, qui Christo fidem denegarent c. 11. v. 1. — 10.. Quamquam ne hi quidem titubarunt ut caderent, sed iis prodesse Deus voluit, quum per paganorum fidem, quibus salus per Judaeorum pervicaciam oblata esset, eorum aemulationem accendisset. Temere pagani superbiant spretis pervicacibus Judaeis. Etenim multo facilius hi in integrum restituantur, quam gentiles in Dei gratiam recepti sunt c. 11. v. 11. — v. 24.. Et ne quis dum Judaeos infamet sapere sibi videatur aliquod mysterium aperiam. Nempe Deus pro suâ, quae mentem humanam longe longeque exsuperat, sapientiâ rem sic instituit, ut qui nunc obduruerunt Judaei tum fidem animis concepturi sint, quum gentilium agmen ad Christi sacra accesserit. Quippe Deus, ut omnes denique homines bearet, per Judaeorum obstinationem felices reddidit gentiles, per gentilium obsequium Judaeos, quum illorum virtutem aemulati fuerint, et ipsos in fidem suam recepturus c. 11. v. 25. — 36.. — Disputationis Paullinae ratio et subtilitas c. 9. — 11. tum ex argumento, quod singulis capitibus praefiximus, tum ex interpretatione nostrâ plane perspici poterit. Erat tamen dissertationis *summa* h. l. afferenda, ut et quid hâc disputatione Ap. efficere voluisset et quae eum res movisset ut hanc disputationem ingrederetur, constitui posset. Illud ex ipso hujus l. c. 9. — 11. argumento liquet. Nam quod pauci illo tempore Judaei in Christo fidem collocaverant sollicitudines judaicae stirpis Christianis, altos spiritus iis, qui olim gentiles fuissent afferre poterat. Superquam enim quod suam quisque gentem diligit, Deus messianam felicitatem Judaeis, deliciis suis, spoponderat. Christiani autem, qui aliquando pagani fuissent, quum multos sui generis homines, paucos Judaeos ad Christi sacra transisse animadvertissent, sumto spiritu Judaeos contemnere contemtuque Judaeorum eos sui coetus Christianos laedere potuerunt, qui olim Judaei fuissent. Itaque illis omnem aegritudinem absterget, his, ut insolentia tollatur hominumque ex diversis nationibus collectorum concordia conservetur, modestiam commendat. Duae autem res judaicae stirpis Christianos

sollicitos habere debebant: una, quod *pagani*, qui nullam in eo operam posuissent, ut Deo probarentur, integritatem nacti essent, Judaei summo eam studio consectati eâ excidissent 9, 30. sq.: altera, quod Deus Judaeos olim sibi carissimos destituisse 11, 1. et promissa iis data revocasse 11, 29. videretur. Docet igitur Ap. gentiles Dei favorem consequutos esse, quia credidissent, Judaeos in Dei favorem non venisse, quoniam fidem quam habere potuissent habere noluissent. Quare Judaeos nihil accusare posse, nisi suum errorem et temeritatem 9, 30. — 10, 21.. Deinde adjungit, quod Deus Judaeis nuntium remisisse videatur, vanam speciem esse. Nam non repudiatum esse a Deo populum judaicum ex eo elucere, quod ipse Paulus aliique Judaei Christo fidem adjunxerint 11, 1. — 10.. Et ne quis majorem Judaeorum partem a Deo neglectam esse moleste ferat, haec consideranda esse: I. Deum sua beneficia non omnibus promiscue Judaeis sed selectis Judaeis in V. T. pollicitum esse 9, 6. — 13.: II. hoc Deum *sine cujusquam injuriâ* facere potuisse 9, 14. — 21.: tum III. *clementer* Judaeos abjectos accepisse, 9, 22. sq.: postremo IV. consilium a Deo initum et *sapientissimum* et *benignissimum* esse. Necessariam enim esse *temporarium* multorum Judaeorum rejectionem, ut etiam gentiles, non solum Judaei, per Christum beentur. Negat igitur Ap. jud. stirpis Christianum animo cadere oportere, quum Judaeos stato tempore salutis a Christo partae participes fore secum reputaverit 11, 11. — 15. 25. — 36.. Gentiles autem, ne Judaeis superbe spretis sui coetus Christianos, qui antea Judaei fuissent, offendant ita P. monet 11, 17. sq., ut multum Judaeis tribuat longeque majorem Judaeorum quam paganorum dignitatem esse fateatur v. 11, 17. 24. 28. cl. 15, 8. 9.. Quae Paulum res impulerit, ut hanc disputationem ante dictis adderet, certo dici nequit. Fieri potest, ut P. res h. l. expositas idcirco Romanis scripserit, quod eas Romanis usui futuras esse *conjecisset*. Nam in coetu christiano ex Judaeis et paganis commisto quod pauci adhuc Judaei fidem in Christo collocassent, quemadmodum ipsum saepe momordisset, ita jud. stirpis Christianos curâ et sollicitudine afficere, eos autem qui a paganorum superstitionibus ad Christi sacra accessissent superbos reddere posse, ut Judaeos, in quorum locum se successisse opinarentur, contemnerent P. suspicari potuit et existimare, si divina de Judaeis consilia enarrasset, se judaicae stirpis Romanos curâ et metu liberaturum, Romanos qui olim gentiles fuissent a superbiâ avocaturum, omnium autem Romanorum et concordiam aucturum et admirationem doctrinae

christ. debitam, quum audivissent, sua Deum consilia in re, quae alteris dolorem, alteris nimiam laetitiam apportare posset, non alio direxisse, nisi ut *omnes* homines per Christum felices redderet. Sed verisimilius est, Paulum, quum ab amicis, qui Romae viverent, aversum multorum Judaeorum a Christo animum judaicae stirpis Romanos pungere et solicitos habere, barbarae stirpis Christianis spiritus afferre accepisset, hâc disputatione illorum dolorem consolari, horum insolentiam coercere, omnium autem concordiam et pietatem adjuvare voluisse, quum temporariâ multorum Judaeorum rejectione nihil Deum consequi velle, nisi ut omnes denique per Christum beentur, compperissent. Multo tamen magis Apostolus in levandis jud. nationis Christianis, quam in admonendis barbarae stirpis Romanis occupatus est. Nam multis verbis in illam rem factis 9, 1. — 11, 16., Romanos, qui antea gentiles fuissent, ne Dei benignitate temere inflati Judaeos contemnant paucis versibus cohortatur 11, 17. — 24, finitque suam disputationem mysterii, quod *judaicae* stirpis Romanis solatio esse debebat, enunciatione 11, 25. 29.. Ceterum Apostolum et bene praeparatum ad hunc locum accessisse neque minori eum emolumento Romanis esse voluisse quam praecedentem, disputationis Paullinae diligentia et subtilitas docet, ut ii fallantur, qui (*Tholucc.*, *Koelln.*, *dW.* al.) c. 9. — 11. appendicem praegressae disputationi 1, 17. — 8, 39. adjectam continere perhibent. Potest ita iis videri, qui Pauli ad Rom. literas doctam de τῆς δικαιοσύνης, quae fide comparetur, rationibus *commentationem*, non epistolam esse sibi persuaserint. In constituendâ hujus l. c. 9. — 11. sententiâ ii proxime a vero abfuerunt, qui Paulum *defendere* Deum voluisse, quod promissis populo judaico datis non satisfecisset, quum permulti Judaei fide Christo denegatâ beatitatis spem perdidisse viderentur, autumarunt (v. *Reichium* II, 254.), sed errarunt tamen. Sane P. nonnullis locis Deum defendit, ut qui injustitiae crimen ab eo propulset 9, 14. sq., clementer eum fecisse moneat 9, 22. sq. initisque ab eo consiliis nihil sapientius fingi posse observet 11, 25. sq.. Sed nihil Paulum h. l. efficere voluisse, nisi ut Dei instituta defenderentur, tum demum credi posset, quum suum, quem e tristi Judaeorum conditione accepisset, dolorem praefatus nihil hîc nisi Dei de Judaeis capta consilia justissima, clementissima, sapientissima et toti hominum generi saluberrima esse ostendere conaretur. At eum judaicae stirpis Romanos consolatione lenire maxime voluisse multa loca docent 9, 30. sq. 11, 1. 11. 25. 28. 29.. Praeterea barbarae stirpis Chri-

stianorum Judaeos spernentium fastum comprimere haud dubie studuit 11, 17. sqq.. *)

---

*) Nolo in eorum, qui de disputationis Paullinae consilio aliter judicarunt, opinionibus refellendis multus esse. Plerique eo peccarunt, quod theologicis partim praejudiciis capti, Paulum h. l. id unice sequutum esse crediderunt, quod nonnullis dissertationis Paullinae versibus, non totâ Pauli disputatione, continetur. Fuerunt etiam, qui ne partem quidem trium capitum 9. — 11. argumenti satis perciperent. Sed peculiarem tamen S. V. *Bauri*, egregii Theologi sententiam, quam docte et ingeniose in l.: Tübinger Zeitschrift für Theologie 1836. fasc. III, p. 59. — 178. exposuit, stringere placet. Sic igitur V. D. disputavit: Scripta est Pauli ad Romanos epistola in *judaicae stirpis* Christianos, qui, ne Judaei ornamento divinitus dato fraudarentur, gentiles non prius in Christi societatem recipiendos esse, quum tot Judaei Christo fidem habuissent, ut *populum judaicum* ad Christi sacra transisse recte diceres, aequum esse opinati, Paulo succenserent, qui salutem messianam nemini non qui in Christo *fidem* posuisset, sive Juduaeus esset sive paganus, a Deo destinatam esse arbitratus tot gentiles ad Christi disciplinam adduxisset, ut Judaei e loco divinitus dato summoti viderentur (v. l. l. p. 72. 77. 79. 100. 114.). Id igitur Apostolum hâc epistolâ egisse, ut se recte et sensisse et fecisse, quum Christi doctrinam paganis tradidisset, errare judaicae stirpis Romanos, qui gentiles in beatitatis messianae societatem venire nollent, demonstraret. Et rem ipsam, quae Paulo, ut suas et sententias et instituta defenderet, potissimum exponenda esset, c. 9. — 11. contineri, cap. 1. — 8. non nisi *praefationis* vim habere V. D. statuit p. 87.. Illic igitur, ne judaicae stirpis Romanos pungeret, quod gentiles in populi judaici, quem Deus in summâ caritate apud se esse voluisset, locum successisse viderentur, haec Apostolum docuisse: I. Dei filius aliquis redditur non eo, quod ab Abrahamo originem ducit, sed hoc, quod *mente* Dei filius est [hoc P. non dixit c. 9, 6. — 13.] eumque filium esse Deus benevole jussit: quare neque adoptio in filios Judaeis, Abrahami posteris, debebatur et licebat Deo gentiles in filios benigne adoptare 9, 6. — 29.: II. quod permulti Judaei filiorum Dei privilegiis non potiti sunt, ipsorum culpâ factum est: neque enim divinae doctrinae ipsis traditae *fidem* adjunxerunt, quâ unâ messiana felicitas paratur c. 9, 30. — 10, 21.: III. nihilominus nihil de Judaeorum jure deminutum est, quandoquidem nonnullos sibi Deus Judaeos secrevit, qui fidem in Christo collocarent, permultorumque, qui Messiae fidem derogarunt, pervicacia temporaria erit, sapienter ea quidem a Deo immissa, ut omnes denique homines Christi beneficio bearentur c. 11. (p. 70. sq.). Hîc Paulum, ut refellerentur et qui, ne quid Judaeis detraheretur, gentiles ad Christi sacra admittendos esse negarent et qui plus juris paganis quam Judaeis dare viderentur, haec praefatum esse V. D. censuit: neutris est praecipuum jus, quum utrique peccatis se contaminaverint et integritas Deo probata, quae felicitatem aeternam gignat, neque obsequio legi mos. praestito neque aliâ re nisi *fide* Christi habitâ quaeratur c. 1. — 8. (p. 78. sq.). Tum Paulum, ut Judaeis concederet quod recte iis concedi posset, Jesum et Apostolos *prius* Judaeis quam gentilibus salutem obtulisse, Rom. 1, 16. 2, 9. 10. dixisse (p. 91. sq.) et Actorum scriptorem, ut Paulum

Magnâ tristitiâ se affectum esse Paulus asseverat v. 1. 2.. Redimeret enim Judaeorum, quorum est a Christo

---

semper privilegii Judaeis divinitus dati memorem fuisse ostenderet, eum tum demum ad paganos se convertisse, quum ab Judaeis repulsam tulisset, saepe finxisse (Act. 13, 46. 14, 1. 18, 4. sq. 19, 8. sq. 28, 17. sq. v. p. 94. sq. 112. sq.) doct. *Baurus* affirmavit. Fuisse autem Romae tum temporis jud. stirpis Christianos, qui, observandâ lege mos. salutem comparari, opinati Pauli aeternam felicitatem a *fide* repetentis ideoque gentiles ad Christi sacra admittentis formulam improbarent, *Bauro* judice et homiliae testantur, quae Clementi romano male tributae sunt (p. 118. sq. 124. 127.), et Ambrosiaster, qui in commentarii praefatione et ad Rom. 1, 10. 13. Paulum idcirco epistolam ad Romanos confecisse, ut ii corrigerentur, qui hominibus christ. legem mos. servandam esse contendissent, scripserit (p. 141. sq.). Ingeniose haec disputata sunt, non vere, ut mihi quidem videtur. Repugnat enim V. D. sententia iis quae P. ipse affirmavit, hanc epistolam se Romanis inscripsisse, ut docendo commonendoque eorum fidem firmiorem redderet 1, 11. 15, 14.. Nihil autem vir a praejudicatâ opinione liber in totâ epistolâ deprehendat, quod illi consilio non belle respondeat. Deinde argumentum c. 9.—11., quae *primaria* in hâc epistolâ Viro D. visa sunt, Ven. *Bauri* opinionem non recipit. Quae si vera est, jud. stirpis Christiani exasperato *in Paulum* animo fuerunt, quod et *fide* Dei favorem obtineri doceret et permultos gentiles ad Christi disciplinam adduxisset: Sic vero *purgare se objurgatoribus* P. debebat et dicere, quoniam Dei favor *fide* tantummodo comparetur et *omnes* Deus homines felices reddere decreverit, dogmata sua et instituta male ab jud. stirpis Christianis reprehendi tenendumque iis esse, se paganorum magistrum et a Deo constitutum esse Act. 26, 17. et a summae auctoritatis Apostolis agnitum Gal. 2, 7. sqq.. At sic P. c. 9.—11. disputat, ut eum jud. stirpis Christianorum sollicitudines ex eo ortas, quod populus jud. jam *Deo invisus esse* aut *ab eo negligi* videretur 9, 30. 11, 1. 11. 25. sq. 29., tollere voluisse pateat. Itaque *Dei instituta* epistolae lectores curâ affecerant, *non Pauli consilia* eos exacerbaverant. Non recte V. D. Rom. 1, 16. 2, 9. 10. πρῶτον, quod ibi *potissimum* valet, *ad tempus* rettulit (v. ibi not.). Tum Paulum gentilium magistrum fuisse, quia gentiles, non Judaeos sibi edocendos sumsisset, *Baurus* existimasse videtur p. 103. sq.. Sed exstitit P. gentilium doctor, Petrus Judaeorum, quod hic Judaeam, ille exteras terras, in quibus plerique essent gentiles, provinciam sortitus esset (v. meam comment. de nonnullis P. ad Gal. ep. l. II, 22. Rostochii 1834. 4.) In quâ provinciâ Paulo et Judaei et pagani erudiendi erant, et illi quidem, ut Dei promissa rata fierent Rom. 15, 8., potissimum. Omnes igitur veritatis notas habet, quod Lucas in Actis memoriae prodidit, non prius Paulum gentiles magistrum adiisse, quam ab Judaeis rejectus esset. Nihil V. D., quo suam de dogmaticâ epistolae ad Romanos parte sententiam corroboraret, ex homiliis, quae Clementis Romani nomine circumferuntur, protulit, nisi hoc, earum scriptorem non minus, quam jud. stirpis Romanos, ad quos Paulus epistolam dedisset, salutem messianam obsequio legi mos. praestito, non fide Christo adjunctâ quaeri censuisse (p. 124. et 127.). Hanc jud. nationis Christianis, quibus P. episto-

abalienata voluntas, popularium suorum hominumque, qui multa prae ceteris gentibus a Deo acceperunt praecipua, salutem suâ miseriâ, si posset v. 3. — 5..

V. 1. et 2. ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ] *verum dico ut vir cum Christo copulatus, ut homo in Christi castris positus, ut homo Christianus* i. q. ἀλήθειαν λέγω ὡς Χριστιανός 1 Petr. 4, 16. Cf. *Jac. Cappellus*, *Clericus*, *Rueck.*, *Winz.* l. c. p. 4., *Meyerus* et quae scripsi in l.: Ueber die Verdienste Tholuck's um die Schrifterkl. p. 53.. Firmat hanc interpretationem usus loquendi Paullinus. Cf. 2 Cor. 2, 17. — κατενώπιον τοῦ θεοῦ ἐν Χριστῷ λαλοῦμεν coram Deo (in Deum intuiti) *ut homines cum Christo nexi* loquimur. (2 Cor. 12, 19.) Eph. 4, 17. τοῦτο οὖν λέγω καὶ μαρτύρομαι ἐν κυρίῳ (— *obtestor ut domini discipulus*) 1 Thess. 4, 1. — ἐρωτῶμεν ὑμᾶς καὶ παρακαλοῦμεν ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ (— cohortamur vos ut Jesu alumni) et v. not ad 8, 1.. Qui hanc explicationem languidam et jejunam sententiam fundere objecerunt, quum praesertim Ap. hunc l. ab asseveratione orsus fuerit (*Koelln.*), non cogitarunt, leve sane esse, si vir Christiani nomine indignus se ut hominem christianum vera loqui affirmet, sed tam grave, ut ne fingi quidem possit sanctior affirmatio, si idem vir dicat, qui *re*, non nomine sit Christianus omnesque suas et cogitationes et actiones ad Christum referat. Permulti (v. c. *Beng.*, *Wolf.*, *Noesseltus* in interpretatione gramm. cap. 9. ep. D. Paulli ad Rom. §. 2. Opusc. p. 131. Halae 1781. 8., *Kopp.*, *Rosenm.*, *Koelln.*, *Reich.*) ἀλήθειαν λέγω, ἐν Χρ. sic explicuerunt: *verum dico*, *per Christum*, quia Judaei graece scribentes ad similitudinem hebraicae loquutionis נִשְׁבַּע בְּ Genes. 21, 23. 22, 16. Joh. 2, 12. dixerint ὀμόσαι ἐν τινι LXX. Jer. 5, 7. Dan. 12, 7. Matth. 5, 34. 23, 16. Apoc. 10, 6.. Sed

---

lam inscripsit, opinionem fuisse ex ipsâ epistolâ effici nequit. Nam quae P. Rom. 3, 21. sq. 28. sq. 7, 1. sq. aliisque l. scripsit, ad eos scribere potuit, quos aeternam felicitatem e fide nexam esse secum sentire sciret, sed quos vereretur, ne ad pristinam, quam Judaei sequuti essent, sententiam revolverentur, Dei favorem servandâ lege mos. expugnari. De iis autem, quae, ut suam sententiam muniret, ad paraeneticam epistolae ad Rom. partem ex illis homiliis *Baurus* citavit, infra ad c. 13. et 14. separatim dicetur. Minus etiam ad Ambrosiastri testimonium provocandum erat, quum is *testimonium* in hâc re dicere plane nequeat et quae scripsit ejusmodi sint, ut epistolâ ad Romanos cum epistolâ ad Galatas collatâ ab ipso conjecta, non ex auctoribus fide dignis sumta esse appareat. Ceterum V. D. infirmis, nisi fallor, argumentis c. 15. et 16. epistolae ad Rom. a Paulo abjudicavit (p. 144. sq. et 97. sq.), sed egregrie *Olshausenum* refutavit p. 163. sq., qui Petrum et Romae fuisse et ibi occisum esse pie credidit.

Sed ex eo, quod N. T. scriptores Hebraeos imitati *ὀμόσαι ἔν τινι* usurparunt, non sequitur iis *ἔν τινι* jurantis formulam fuisse: *per aliquem*. Dixerunt Graeci *ὀμόσαι κατά τινος* (v. etiam LXX. Jes. 62, 8. Am. 8, 14.): et tamen *κατὰ Διός* pro *πρὸς Διός* usu non receptum est. Mire enim usus dominatur. Nullam igitur vim habet *Reichii* ad analogiam structurae *ὀμόσαι ἔν τινι* provocatio. Accedit, quod nostros scriptores *ἔν τινι* pro *πρός τινος* (*per* aliquem) posuisse ostendi nequit. Hoc rem conficit, ut argumento sane lubrico supersedere possimus, non alias Paulum per Christum jurasse. Nam eodem jure, quo per Christi veritatem aliquid asseveravit 2 Cor. 11, 10. et per Christum et angelos amicum obtestatus est 1 Tim. 5, 21., per Christum jurare potuit. Quod per affirmationem verbis *ἀλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ* P. enuntiavit, idem graviter rem confirmaturus per negationem exprimit vocabulis *οὐ ψεύδομαι — ἐν πνεύματι ἁγίῳ*. Cf. 1 Tim. 2, 7. *ἀλήθειαν λέγω, οὐ ψεύδομαι.* et Lysias *περὶ τραύματος ἐκ προνοίας* 101. (p. 174. *Reisk.*) *ἀλλὰ ψεύδεται καὶ οὐκ ἀληθῆ λέγει.* Verba *συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου* causalem, quâ *οὐ ψεύδομαι* corroboretur, non parentheticam (v. v. c. *Griesb.* et *Knapp.*) sententiam continent. Nam non dicti mendacii non aliud nisi conscientiae nostrae testimonium proferre possumus, quandoquidem mentiri est dicere contra quam senseris. Verte: non mentior, quum *mecum testetur* mea conscientia h. e. quum quod dicturus sum conscientia mea testimonio comprobet, quum ad verba mea tanquam altera testis conscientia mea accedat. Quare ne hîc quidem *συμμαρτυρεῖν* idem pollet quod verbum simplex (*Grot.*, *Kopp.*, *Koelln.* al.). Cf. not. ad 2, 15. et 8, 16.. Male *Grot.*, *Ammon.*, *Vater.* al. v. *ἐν πνεύματι ἁγίῳ* arctissime cum vocc. *τῆς συνειδήσεώς μου* copularunt: conscientia mea, quae est in spiritu s. i. e. per spiritum s. (qui conscientiam illuminat, *Bengel.*) regitur. Sic enim aut — *τῆς ἐν πνεύματι ἁγίῳ συνειδήσεώς μου* aut *τῆς συνειδήσεώς μου τῆς ἐν πν. ἁγίῳ* ponendum fuerat. Adde quod nemo ita loquutus est, ut diceret *ἡ συνείδησίς μου ἡ ἐν τῷ πν. ἁγίῳ* mea, quam div. spiritus gubernat, conscientia. Denique haec verborum conjunctio concinnitatem perturbat a P. haud dubie quaesitam. Rectius alii (*Syrus*, *Beza*, *Boehm.*, *Rueck.*, *Meyerus* al.) v. *ἐν πνεύματι ἁγίῳ* a Participio *συμμαρτυρούσης* suspendunt: quum conscientia mea *mecum testetur per* spiritum s. h. e. spiritu s. impellente, spiritu s. duce et moderatore. Cf. Matth. 22, 43. Luc. 2, 27. Mr. 12, 36. 1 Cor. 12, 3.. Sententia bene comparata est: quod dicturus sum conscientia mea div. spiritus impulsu confirmat, ut non tam me, quam

div. spiritum testem excitasse videri debeam.*). Sed haec quoque interpretatio orationis concinnitatem tollit. Manifestum est enim, vocc. οὐ ψεύδομαι ἐν πν. ἁγίῳ verbis ἀλήθειαν λέγω ἐν Χρ. respondere. Restat igitur, ut ἐν πνεύματι ἁγίῳ cum οὐ ψεύδομαι connectamus, non quo *Noesseltus* l. l. p. 132., *Morus* aliique fecerunt modo: non mentior — *per* spiritum s. (nam ἐν πν. ἁγίῳ non magis jurantis formula esse potest, quam ἐν Χριστῷ), sed ut ἐν πν. ἁγ. idem esse dicamus, quod ὡς ἐν πνεύματι ἁγίῳ ὢν, ὡς πνευματικός. Quemadmodum enim ille vocum ἐν Χριστῷ et ἐν κυρίῳ usus e formulâ εἶναι ἐν Χριστῷ natus est, ita etiam ἐν πνεύματι ἁγίῳ pari ratione usurpari potuit, in loco maxime, ubi scriptor concinnitatem consectatus est. Quippe loquutio εἶναι, γίνεσθαι ἐν πνεύματι usu trita erat Marc. 1,23. 5,2. Apoc. 1,10.. Idem voluisse videtur Ven. *Winzerus* his v. (p. 4.): non mentior, *instructus quippe spiritu s..* — Ὅτι vs. 2. vulgo non intellectum est ab interpretibus. Quorum alii *quia* (It. Vulg. *quoniam*) interpretati sunt, asseverationem v. 1. ad vs. 3. spectare et versu 2. voti v. 3. *causam* afferri opinati (*Bengel.*), alii colo posito post ἐν πν. ἁγ. versum 2. sic exposuerunt: *nempe* magna mihi tristitia est etc. (cf. *Griesb.*, *Knapp.*, *Tittm.*, *Stolz.*). Enimvero virgula post ἐν πν. ἁγ. collocanda est. Et haec quidem explicatio suâ facilitate alicui blandiatur: verum dico — non mentior — *in eo quod* magnâ tristitiâ affectus sum i. e. in eo, quod me in magnâ tristitiâ esse narro: ἀλήθειαν λέγω — οὐ ψεύδομαι — — διηγούμενος, λέγων ὅτι —. Sed vix dubitari potest, quin ea interpretatio vera sit, quae primo obtutu haud paullo difficilior videatur. Scilicet non quidem ἐν Χριστῷ aut ἐν πν. ἁγ. v. 1. jurantis formula est, ut nonnulli sibi persuaserunt, sed totus vs. 1. gravis asseverationis vim habet, ex quâ v. 2. ὅτι κτἑ. suspensa sunt. Struuntur enim asseverantium formulae cum ὅτι, quia sententia iis subjecta *confirmo per rem aut personam* (ἰσχυρίζομαι πρός τινος), facio mihi aliquem (aliquid), qui (quod) rem alicujusmodi esse *testetur* (Rom. 1, 9. Phil. 1,8. 2 Cor. 1, 23. Xen. Anab. 7, 7, 39. καίτοι αὐτόν σε μάρτυρα σὺν τοῖς θεοῖς εἰδόσι ποιοῦμαι ὅτι —.) tantummodo spectatur. Cf. 2 Cor. 11, 10. ἔστιν ἀλήθεια Χριστοῦ ἐν ἐμοί,

*) Hanc explicationem etiam *Oecumenius* iniit: ἀλήθειαν, φησί, λέγω ἐν Χριστῷ καὶ οὐ ψεύδομαι καὶ ἡ συνείδησίς μοι εἰς τοῦτο μάρτυς σὺν τῷ ἁγίῳ πνεύματι., nisi forte σὺν πν. ἁγ. legit, ut F. G. Saepe a librariis ἐν et σὺν confusa sunt: v. *Bastii* comment. palaeogr. p. 714.. H. l. ἐν πνεύματι ἁγ. stabilitur verbis ἐν Χριστῷ, quae praecedunt.

ὅτι ἡ καύχησις αὕτη οὐ φραγήσεται εἰς ἐμὲ ἐν τοῖς κλίμασι τῆς Ἀχαΐας (confirmo per id, quod Christi veritas mihi inest, hanc laudem — non cessaturam esse). Gal. 1,20. ἃ δὲ γράφω ὑμῖν, ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ (2 Cor. 2, 17. 1 Tim. 5, 20. scil. λέγω s. γράφω), ὅτι οὐ ψεύδομαι. Hom. Il. τ'. v. 258. ἴστω νῦν Ζεὺς πρῶτα, θεῶν ὕπατος καὶ ἄριστος, | Γῆ τε καὶ Ἥλιος καὶ Ἐριννύες — — μὴ μὲν ἐγὼ κούρῃ Βρισηΐδι χεῖρ' ἐπενεῖκαι —. Nominativus ἐγώ a sententiâ pendet in verbis ἴστω Ζεύς latente, quae haec est: ὄμνυμι τὸν Κρονίδην. Sic h. l. ὅτι v. 2. ab asseveratione suspensum est, quam formulae v. 1. ἀλήθειαν λέγω ἐν Χρ. et οὐ ψεύδομαι ἐν πν. ἁγίῳ continent h. s.: *confirmo* per id, quod verum dicam, ut homo christ., *assevero* per id, quod non mentiar, quum conscientia mea quod dicturus sum testimonio comprobet, ut vir div. spiritu instructus, *magnam mihi tristitiam esse et perpetuum moerorem animo meo* i. q. me in magno moerore esse certum putate quum hoc affirmans verum me dicere, ut hominem christ., non mentiri, quandoquidem conscientia mea quod dicturus sum suo testimonio comprobet, ut virum div. spiritus afflatu dignatum, moneam (Μαρτυρῶ s. ἰσχυρίζομαι πρὸς (s. διὰ Rom. 15, 30.) τούτου ὅτι ἀλήθειαν λέγω ἐν Χρ., οὐ ψεύδομαι — ἐν πν. ἁγ., ὅτι κτλ.). Ὀδύνη h. l. *animi dolor* est h. e. *moeror* LXX. Ps. 12,3.. Quae res se in tristitiam conjecisset non hoc vs. P. dixit (schol. Matth.: ἀδιάλειπτος] λείπει διὰ τὴν Ἰουδαίων ἀποβολὴν (Rom. 11, 15.) καὶ διὰ τὴν ἀπιστίαν.), sed indicavit proximo vs.. Interpretes igitur, ut explicarent, cur Ap. rem, de quâ doleret, v. 2. non commemorasset, multa excogitarunt. Alii enim vel animi perturbationem (*Flatt.*, *Winz.* p. 5. al.), vel doloris vehementiam (*Reich.*) impedimento fuisse, quominus v. 2. doloris causam adderet contenderunt, alii perhumaniter Paulum rem quâ pungeretur, ut ingratam jud. stirpis lectoribus, v. 2. non commemorasse (*Theodoret.*, *Meyerus* al.) observarunt. Fuerunt etiam, qui callide Paulum quâ re morderetur vs. 2. non dixisse, quia ei nondum opportunum visum esset interitum gentis jud. aperte exprimere perhiberent (*Calvinus*). Mihi sic videtur. Licet scriptori causam *rei* et sententiae obiter intexere et separatim eam ponere. Illud si Paulo placuisset, sic disputasset: valde tristis sum, *quia*, quum meorum popularium salutem vel *meâ* miseriâ redimere vellem, non possum. Sed hoc P. facere maluit: In magno moerore jacio. *Nempe* popularium meorum salutem *vel meâ* peste redimerem, si possem. Utrumque recte dicitur, nisi quod posterius

magnificentius. Unde id Paulo animi commotio suppeditavit. Sic res quae confirmatur per Infinitivum jurijurando annecti solet Xen. Anab. 7, 6, 18., sed magnificentius ab jurantis formulâ ita distrahitur, ut sententiam fundat alieno arbitrio non subjectam. Cf. Hom. Il. ό. v. 34. sq. *ἴστω νῦν τόδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν, καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ — — , σή θ' ἱερὴ κεφαλὴ καὶ νωΐτερον λέχος αὐτῶν κουρίδιον, τὸ μὲν οὐκ ἂν ἐγώ ποτε μὰψ ὀμόσαιμι· μὴ δὲ ἐμὴν ἰότητα Ποσειδάων ἐνοσίχθων πημαίνει Τρῶας τε καὶ Ἕκτορα, τοῖσι δ' ἀρήγει.* Superest, ut quae res Paulum impulerit, ut se Judaeos impense diligere sanctissime asseveraret, disquiramus. *Tholuccius* amoris, quo populares suos prosequeretur, sensu vehementius commotum Paulum hoc fecisse autumat. At sic non apparet, cur *identidem* hanc rem affirmaverit (10, 1. sq.). Hûc accedit, quod nonnulla Ap. fecit, quae ejus in Judaeos voluntatem suspectam reddere possent. Quippe homines christ. Mosis legibus solvit 7, 1. sq. Gal. 4, 21. sq., messianam salutem nemini non qui Christo fidem habuisset, sive Judaeus esset sive paganus, destinatam esse docuit pluresque gentiles quam Judaeos ad Christi disciplinam adduxit. Itaque se populares suos summo amore amplecti sanctissime affirmavit propterea, quod veritus est, ne si simpliciter dixisset, judaicis Christianis parum credibile videretur, qui se nimium gentilium fautorem, iniquum Judaeorum obtrectatorem Act. 21, 21. esse fortasse putarent. Hic metus etiam fecit, ut identidem se Judaeos diligere diceret 10, 1. sq. multisque l. se Judaeorum jura agnoscere fateretur 3, 1. sq. 11, 1. sq. 15. sq. 15, 8.. Sic recte plerisque interpretibus visum est, nisi quod nonnulli sic disseruerunt, ut Paulum callide potius, ut judaicorum Christianorum benevolentiam captaret, quam ex animi sententiâ se Judaeos valde diligere dixisse arbitrati esse videantur. Sed praeterquam quod P. et vir bonus erat, et non nomine tantum sed etiam re homo christ., et summus Christi Apostolus, ut etiam non jurato fides a nobis habenda esset (v. *Rueck.*), res ipsa declarat, eum vere non simulate Judaeos dilexisse. Naturâ enim duce suam quisque gentem caram habet. Deinde Judaei vel maxime suae nationis ornamenta admirari solent. Videmus autem Paulum transitione ad Christum factâ non deposuisse admirationem Judaeis divinitus concessorum privilegiorum, sed ad suam doctrinae christ. formulam accommodare studuisse 9, 4. 11, 1. sq. 11, 11. 15. sq. 25. sq. 29 .sq. 2 Cor. 11, 22. Phil. 3, 5.. Postremo ipsa P. verba ejusmodi sunt, ut sincerum amorem spirent, non callidam simulationem redoleant (11, 3. 4. 10, 1. 11, 1. 2. 11 sq. 28. 29. 15, 8. 9.).

V. 3. — 5. Jam rem P. aperit, ob quam in moestitiâ sit. Nempe redimeret gentem jud., quâ nulla est nobilior natio, a miseriâ *vel suâ ipsius* peste v. 3.—5.; at hoc fieri nequit .ηὐχόμην] nempe *optarem*, ut ipse ego diris devoverer et a Christo divellerer in popularium meorum emolumentum scil. si diris devotus et a Christo sejunctus iis prodesse possem (*εἰ ἀνάθεμα γίνεσθαι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου ἠδυνάμην*). Hanc sententiam Paulo quum ηὐχόμην scriberet in animo fuisse e vs. 6. cognoscitur, ubi ad ηὐχόμην mente reversus fieri nequaquam posse, quod, si posset, ut fieret optaret enuntiat (sic recte v. c. *Photius* apud Oec. et schol. Matth.). Juvenal. III, 315. His alias poteram et plures subnectere causas: | sed jumenta vocant et sol inclinat; eundum est. Hujusmodi Imperfecta ad suppressam sententiam conditionalem referenda esse bene docuerunt *Bernhardyus* Wissensch. Synt. p. 373. sq. et *Kuehnerus* Gramm. II, 68.. Est igitur *ἐβουλόμην* s. *ἤθελόν* (Gal. 4, 20.) *τι ποιεῖν* (*ποιεῖσθαι*) *vellem* aliquid facere (fieri) np. si possem (posset), si liceret. Iidem VV. DD. hunc usum ex eâ Imperfecti vi, quâ actionem imperfectam aut actionis conatum declarat, nasci ostenderunt. Male *Win.* gr. pg. 259. in *ηὐχόμην*, *ἤθελον* et *ἐβουλόμην* quod etiamnum velis per modestiam aut urbanitatem tale dici, quod antea volueris, contendit. Nam haec explicatio in paucis tantummodo locis apta est, v. c. Act. 25, 22. et Lucian. Dial. Mort. 20, 4., a permultis abhorret, ut his ab ipso *Winero* allatis Arrian. Epict. I, 19, 18. Lucian. Abdic. 1. Char. 6. Gal. 4, 20.. Hûc etiam noster l. pertinet, ubi summa animi concitatio, quâ ultima se pro popularibus suis pati paratum esse Ap. ostendit, urbanitatem *Winerianam* excludit. Quamquam in illis etiam l., si satis attenderis, *ἐβουλόμην* ad conditionem referri facile animadvertas. Act. 25, 22. Agrippa Festo dicit: *ἐβουλόμην καὶ αὐτὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀκοῦσαι* vellem ipse quoque Paulum audire np. si tibi volupe esset. Cui Festus respondet *αὔριον ἀκούσῃ αὐτοῦ*. Lucian. D. Mort. 20, 4. *ὅμως ἐβουλόμην ἰδεῖν αὐτόν, εἴ που ἐνθάδε ἐστίν*. nihilo minus vellem (np. si tibi placeret) Socratem videre, si forte hîc est. Qui ἄν post ηὐχόμην supplendum esse et ηὐχόμην ἄν idem valere quod εὐξαίμην ἄν Act. 26, 29. perhibuerunt (*Kopp.*), eorum indigna est quae refellatur opinio. Contende de *ἐβουλόμην ἄν* *Hermannum* Opusc. IV, p. 66. sq.. *Pelagius* aliique, confisi pravâ It. et Vulg. translatione *optabam* (male etiam Lutherus: ich habe gewünscht), Paulum h. l. narrare, quam sibi ad Christi disciplinam nondum transgressus fortunam exoptasset. Haec interpretatio prava est, non solum quia sententiam gignit a P. disputatione

remotam, sed etiam quoniam ne verba quidem P. eam admittunt. Debebat enim P. ηὐξάμην γάρ ποτε hoc pacto scribere, deinde haec subjungere: *sed Deus hoc fieri noluit, sed resipui* 2 Cor. 12, 8. sq. Philem. 13. sq.. Praeterea vox ἀνάθεμα quoquo te vertas, huic consilio officit, quae quum hominem declaret Dei irae obnoxium (v. infra), apparet, Paulum esse se ἀνάθεμα sanâ mente, quum esset Judaeus, nunquam optare potuisse. Sed exornavit illam explicationem cupideque defendit *Heumannus*. Nempe ea quae Ap. c. 8, 38. 39. de summo suo erga Christum amore dixisset, ei tristem incredibilis, quo olim in Christum incensus fuisset, odii memoriam redintegrasse V. D. censuit. Itaque eum v. 3. haec dicere *Heumannus* credidit: nam *ego idem* P. (qui acerrimus olim Christi adversarius mentem nunc mutavi) optabam Pharisaeus jurejurando interposito me nullam cum Christo societatem habere pro meis popularibus (i. e. pro relligione judaica!). Ne superius dicta moleste repetam, male *Heum.* Paulum 8, 38. sq. de suâ in Christum voluntate disputasse sumsit. Deinde *ego idem* non est αὐτὸς ἐγώ, sed ἐγὼ ὁ αὐτός (*Krueg.* ad Xen. Anab. 7, 3, 3.). Postremo, ne plura adjiciam, ἀνάθεμα non hominem denotat, qui jurejurando se obstrinxit (v. infra). Male enim in hanc rem l. Act. 23, 12. sqq. citatus est. αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι] A. B. D. E. F. G. Syr. p. It. Chrys. (etiam in 3. 8.) Ruf. ἀνάθεμα εἶναι αὐτὸς ἐγώ. Hoc magni fecit *Griesb.*, recepit *Lachm.*. Ac sane, quum αὐτὸς ἐγώ non cum εὐχόμην, sed cum ἀνάθεμα εἶναι cohaereat, *Lachmanni* lectionem legitimum et usitatum verborum ordinem referre confitendum est et fieri potest, ut multi librarii *oscitanter* αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι pro ἀνάθεμα εἶναι αὐτὸς ἐγώ exararint. Non tamen ut in re dubiâ vulgatam scripturam mutare ausus sum. Nam primarium argumentum, quo ἀνάθεμα εἶναι αὐτὸς ἐγώ defendas, inverti potest, ut contra hanc lectionem faciat. Fortasse enim P., quia αὐτὸς ἐγώ ad ἀνάθεμα εἶναι pertinere ex ipsâ re perspici putavit, *gravitatis* causâ verbis ἀνάθεμα εἶναι praeposuit, ii autem libri, qui ἀνάθεμα εἶναι αὐτὸς ἐγώ praebent, nihil nisi grammaticorum, qui structuram in margine notaverant, transpositionem contextae orationi illatam repraesentant. Verborum αὐτὸς ἐγώ ratio obscura est. Possunt enim sic enarrari: optarem, *me ipsum diris devoveri et a Christo sejungi in popularium meorum emolumentum*, non solum levioribus pro eorum salute incommodis affici v. c. contumelias perferre, capitis discrimen adire, rei familiaris jacturam facere 2 Cor. 11, 23.. Sic gravissimum malum in eo positum, ut *totus homo* miserrimus fiat, quo popularium salutem P. redimeret, si

posset, levioribus et quae corpus maxime affligant malis opponitur, quae promtius etiam adiret, si his perferendis prodesse posset Judaeis. Sed simplicior et aptior altera est, quae patet, interpretatio. Nempe semet ipsum P. *aliis hominibus* opponit, *qui pro suo in Judaeos studio eos a peste* redimant. Optarem, inquit, *me ipsum* diris devoveri et a Christo avelli in popularium meorum salutem, non solum nescio quem alium suâ miseriâ Judaeos a peste liberare. Amat patriam qui optat, ut aliquis ei liberator existat, qui vitam pro eâ profundat; sed vehementius is patriam amat, qui pro patriae salute mortem ipse oppetere voluerit. *Grotius*, *Kopp.* al. αὐτὸς ἐγώ] ego ipse, *qui haec male ominata de Judaeis cogor dicere: Rueck.*, *dW.*, *Meyer.* al. ego ipse, *non mei populares.* *Grotii* expositio ferri nequit, quia male ominata se de Judaeis dicturum esse P. nondum indicavit. Praeterea languidam fundit sententiam. *Judaeis* autem αὐτὸς ἐγώ cum *Rueckerto* opponi nequit, quoniam Judaei non eo beari potuerunt, quod ipsi fierent ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ ἑαυτῶν. Male igitur vox αὐτός explanata est. Imo sic Paulo sententia a *Rueckerto* huic l. obtrusa enuntianda fuerat: ηὐχόμην γὰρ ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χρ. ὑπὲρ (pro i. e. *loco*) τῶν ἀδελφῶν μου. Quamquam hoc ipsum nego Paulum hic enuntiasse, *esse Judaeos nunc* ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ seque optaturum esse, ut *eorum loco* fieret ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Χρ., si id fieri posset (v. infra). *Chrysostomus* autem, quum αὐτὸς ἐγώ sic exponeret: ὁ διδάσκαλος πάντων γενόμενος, ὁ μυρία κατορθώματα συναγαγών, ὁ μυρίους ἀναμένων στεφάνους, ὁ ποθήσας αὐτὸν (Christum) οὕτως, ὡς πάντων προτιμῆσαι αὐτοῦ τὴν ἀγάπην κτλ. neque *modestiae* Paullinae (1 Cor. 15, 8. sq.) memor fuit, neque quid *res* postularet consideravit. Vocabulo ἀνάθημα et ἀνάθεμα *donarium Diis consecratum* (v. Pollux 1, 28. Arrian. Exp. Alex. 1, 16, 11.) non significatu, sed formâ a Graecis discreta sunt. Nam Atticos ἀνάθημα, Hellenistas ἀνάθεμα pronuntiasse recte monuerunt Atticistae, ut Moeris p. 28. Ἀνάθημα ἀττικῶς, ἀνάθεμα ἑλληνικῶς (v. *Lobeckium* ad Phryn. p. 249. et 445.). Quod praeclarum Atticistarum praeceptum temere contemsisse *Schaeferum* ad Plut. V, p. 11., *Lobeckius* immensae vir doctrinae, egregie atque ita ostendit, ut Atticistarum contemtores ne hiscere quidem possint, Dissert. *de nominum in* μα *exeuntium formatione* (v. *Lobeckii* Paralipomena grammaticae graecae. II, p. 391. sqq. Lips. 1837. 8.). Aliam vim habet τὸ ἀνάθεμα in libris sacris et ecclesiasticis, sed quae tamen cum nativo vocis significatu (res Deo consecrata) arcte cohaereat. Potest enim Deo honos tribui tum bonae rei dedi-

catione, ut eam in deliciis ille habeat, tum pestiferae rei consecratione, ut eam Dei irae subjicias honoremque Deo habiturus devites, abomineris, perdas. Et gentiles quidem, quum numinibus abundarent, facile repererunt Deos, quibus grata esset nocentium hominum quibus moriendum esset addictio. Hos igitur Diis manibus, qui caede delectarentur, sacros esse voluerunt Liv. 3, 55. Horat. Sat. II, 3, 181.; Sed Hebraei, quum *unum* Deum mundo praefecissent, eidem numini et bonas res dedicare, ut eas caras haberet, et malas sacrare debuerunt, ut iis iratus esset. Illam consecrationem verbis הִקְרִיב et הִקְדִּישׁ Levit. 27, 9. 14., hanc verbo הֶחֱרִים Levit. 27, 28. enuntiarunt. Quod quum vi suâ a communi usu secretum (Deo) *consecrare* notaret, eo tamen, quod tantummodo de detestabilium rerum sacratione, quâ divinae irae subderentur, ab Hebraeis usurpatum est, factum est, ut *sacratione aliquid div. irae subjicere, Deo abominabile reddere* designaret. Hinc ductum Substantivum חֵרֶם duo significat: I. sacrationem, quâ quis irae div. devovetur Jes. 34,5. II. hominem tali sacratione irae div. subditum Jos. 7, 12. aut rem irae div. subjectam Jos. 7, 1.. Jam LXX. חֵרֶם recte verterunt *ἀνάθεμα consecrationem* et הֶחֱרִים *ἀνατιθέναι* Levit. 27, 28. 29. Mich. 4, 13. (*Deo consecrare*) et *ἀναθεματίζειν τι* (i. q. *ἀνάθεμά τι ποιεῖν*) v. c. Jos. 6, 21.. Sed quod LXX. constantissime, quum חֵרֶם transferrent, formâ *ἀνάθεμα* usi sunt, eo Atticistarum, quod supra memoravi, praeceptum corroboratur. Quamquam hoc discrimen multis judaicis et christ. scriptoribus placuisse videtur ut *ἀνάθημα* dicerent *donarium*, *ἀνάθεμα* id vocarent, quod Hebraeis חֵרֶם fuisset. Grammaticus Ammonio missus p. 43. *ἀνάθημα τὸ ἀνιερούμενον, ἀνάθεμα δὲ τὸ ὕβρεως ἐχόμενον καὶ ἀναθεματισμοῦ.* Etym. M. M. 96, 27. *ἀνάθεμα, παρὰ τὸ ἐν τῇ στήλῃ ἀνατίθεσθαι* (cf. Socratis Hist. eccles. 7, 34.) *. ἀνάθημα, ἄγαλμα, κόσμημα εἰς τὸ .....* In libris ss. Cdd. huic discrimini plerumque favent Judith. 16, 19 2 Macc. 9, 16. Luc. 21, 5., raro obstrepunt, ut 2 Macc. 2, 13.. Sed fuisse, qui spretâ hâc subtilitate, quum *ἀνάθεμα* formâ non re ab *ἀνάθημα* differre meminissent, aut *τῷ ἀναθήματι* et *donarii* et *rei div. irae sacratae* significatum tribuerent aut utrumque enuntiaturi formam *ἀνάθεμα* usurparent, satis certum videtur. Suidas: *ἀνάθεμα καὶ τὸ ἀνατιθέμενον τῷ θεῷ καὶ τὸ εἰς ἀφανισμὸν ἐσόμενον· ἀμφότερα σημαίνει· λέγεται δὲ καὶ ἀνάθημα τὸ τῷ θεῷ ἀνατεθειμένον.* Theodoretus ad Rom. 9, 3.: *τὸ ἀνάθεμα διπλῆν ἔχει τὴν διάνοιαν· καὶ γὰρ τὸ ἀφιερωμένον τῷ θεῷ ἀνάθημα ὀνομάζεται, καὶ τὸ τούτου ἀλλότριον τὴν αὐτὴν ἔχει προσηγορίαν.* (Idem saepe repetiit alias).

Quare formâ non origine aut significatu ἀνάθημα et ἀνάθεμα distinxit et alios semper ἀνάθημα, alios nunquam non ἀνάθεμα pronuntiasse apparet. Adde Chrysostomum ad Rom. 9,3.: — Καθάπερ γὰρ τοῦ ἀναθήματος τοῦ ἀνατιθεμένου τῷ θεῷ οὐδεὶς ἂν τολμήσειεν ἁπλῶς ταῖς χερσὶν ἅψασθαι οὐδὲ ἐγγὺς γενέσθαι, οὕτω καὶ τὸν χωριζόμενον τῆς ἐκκλησίας πάντων ἀποτέμνων καὶ ὡς ποῤῥωτάτω ἀπάγων τούτῳ τῷ ὀνόματι ἀπὸ τοῦ ἐναντίου καλεῖ, μετὰ πολλοῦ τοῦ φόβου πᾶσιν ἀπαγορεύων αὐτοῦ ἀποχωρίζεσθαι —. Revertor ad τὸ ἀνάθεμα, quo Judaei graece loquentes voc. hebr. חֵרֶם converterunt. Habet autem iis τὸ ἀνάθεμα tot significatus, quot Hebraeis חֵרֶם. Et primo quidem *sacrationem* denotat, quâ aliquid div. irae obnoxium redditur Deut. 20, 17. Act. 23, 21.. Deinde aut rem (i. q. τὸ ἀναθεματισμένον) aut personam (i. q. ὁ ἀναθεματισμένος cf. Gal. 3, 13. κατάρα i. q. κατάρατος) declarat, quae istâ sacratione irae div. subjicitur Deut. 7, 26. Jos. 7, 13.. Sic semper P. hoc voc. posuit. Gal. 1, 8. 9. (1 Cor. 16,22.) ἀνάθεμα ἔστω *sit irae div. obnoxius, Deum habeat iratum*. 1 Cor. 12, 3. λέγειν ἀνάθεμα Ἰησοῦν *Jesum dicere Deo sacrum, cui Deus iratus sit*, quâ gravior in Jesum, delectum Dei filium Rom. 8, 32., contumelia dici nequit. Est igitur homo qui ἀνάθεμα חֵרֶם exstitit ἀβέβηλος et cui τοὺς ἁγίους (ἡγιασμένους), הַקְּדֹשִׁים recte opponas. (Formula ἀναθεματίζειν ἑαυτὸν sq. Inf. Act. 23, 12. 14. 21. non *jurare se aliquid facturum esse* simpliciter notat, sed ita jurare designat, ut ni feceris quod spoponderis ἀνάθεμα te futurum aut Deum tibi iratum habiturum esse denunties.) Anathematis ecclesiastici et notio et vox ex LXX. repetita et ex ecclesiâ jud. in christ. ecclesiam translata est. Est autem anathema ecclesiasticum, quod *majus* vocatur, sacratio, quâ homo christ. irae div. subjicitur, ut iratum Deum habeat, non, quemadmodum antea, propitium. Homo ita sacratus, nisi forte suis opibus ei obsistere posset, qui eum Deo sacrum pronuntiasset, et Christianorum coetu exclusus est et sacris christ. prohibitus et omnibus Christianorum privilegiis privatus. Cf. loquutiones τῷ ἀναθέματι συνδέειν τινά, ἀναθέματι καθυποβάλλειν apud *Suic.* Thes. eccles. I, 270.. Sed multi veteres vocabuli τὸ ἀνάθεμα in N. T. et in usu ecclesiastico vim et rationem parum intellexerunt causasque novae potestatis pro suo quisque ingenio alii alias excogitarunt.*) Nunc quae

---

*) *Chrysostomus* ad h. l. τὸν χωριζόμενον τῆς ἐκκλησίας ἀνάθεμα (i. q. ἀνάθημα) a Paulo propterea vocari fingit, quod indicare

modo diximus ad nostrum l. transferenda sunt. Ubi ἀνάθεμα hominem denotat irae div. devotum et loquutio ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ praegnans est, quam ita resolvas: — ἀνάθεμα εἶναι καὶ χωρίζεσθαι ἀπὸ —. Cf. καταργεῖσθαι ἀπὸ τοῦ νόμου Rom. 7, 2., φθείρεσθαι ἀπὸ τῆς ἁπλότητος 2 Cor. 11, 3., Ps. 17, 22. LXX. οὐκ ἠσέβησα ἀπὸ τοῦ θεοῦ μου (לֹא רָשַׁעְתִּי מֵאֱלֹהָי) et formulam ecclesiasticam, quae hunc P. l. imitatur, ἔστωσαν ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος h. e. ἔστωσαν ἀναθεματισμένοι καὶ κεχωρισμένοι ἀπὸ — (v. *Suiceri* Thes. eccles. I, 270.). Noli hûc referre Levit. 27, 28. 29. πᾶν δὲ ἀνάθεμα ὃ ἐὰν ἀναθῇ ἄνθρωπος τῷ κυρίῳ ἀπὸ πάντων ὅσα αὐτῷ ἐστιν, ἀπὸ ἀνθρώπου ἕως κτήνους καὶ ἀπὸ ἀγροῦ κατασχέσεως αὐτοῦ οὐκ ἀποδώσεται οὐδὲ λυτρώσεται... Καὶ πᾶν ἀνάθεμα ὃ ἐὰν ἀνατεθῇ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων οὐ λυτρώσεται... Nam v. 28. ἀπὸ *genus* declarat, *unde* aliquod ἀνάθεμα *sumtum sit* (homines, pecudes, agros); v. 29. autem ii nominantur, *a quibus* alicujus rei devotio profecta sit. Qui ἀπό i. q. ὑπό declarare putarunt, non solum praeverbia confuderunt, quae et N. T. scriptores et qui non pessime loquuti sunt, probe distinxerunt (cf. v. c. *Ellendt.* ad Arriani Exp. Al. I, 229. sq.), verum etiam sententiam perdiderunt. Neque enim apparet, ut multi recte observarunt, cur *a Christo* potius, quam a Deo ἀνάθεμα se declarari P. optaverit.

---

voluerit, hominem exsilio ecclesiastico affectum *ut detestabilem* nemini non fugiendum esse, quemadmodum *contra* donarium Deo dicatum ut rem sacram propter verecundiam nemo attrectare eique appropinquare ausus fuerit. Scriptores ecclesiastici hominem ecclesiâ exclusum ἀνάθεμα appellant, non Paulus. Deinde τοῦ ἀναθέματος notio in libris s. non haec est, ut τὸν κεχωρισμένον πάντων significet: imo hominem divinae irae sacratum designat et *sejunctionis* cogitatio verbis ἀπὸ τοῦ Χρ. inclusa est (v. supra). Alii anathema ecclesiasticum ex eo appellatum esse, quod sententia in hominem illo mulctatum dicta tanquam in tabulâ proposita fuerit et tali homini ignominia publice injuncta, commenti sunt. Etym. M. 96, 27. ἀνάθεμα παρὰ τὸ ἐν τῇ στήλῃ ἀνατίθεσθαι. Socrates H. E. 7, 34. — κοινῇ μέντοι ψήφῳ πάντες οἱ κληρικοὶ αὐτὸν (Nestorium) ἀνεθεμάτισαν. Οὕτω γὰρ οἱ Χριστιανοὶ καλεῖν εἰώθαμεν τὴν κατὰ τοῦ βλασφήμου ψῆφον, ὅταν αὐτὴν ὥσπερ ἐν στήλῃ ἀναστήσαντες φανερὰν τοῖς ἅπασι καταστήσωμεν. Neque defuerunt, qui hominem in exsilium ecclesiasticum ejectum idcirco ἀνάθεμα vocatum esse, quia a Deo avulsus ἀνάθημα *Satanae* dedicatum exstitisset, opinarentur (v. *Suic.* Thes. eccles. I, 273.). Sane homines a Christi disciplinâ alieni sub *Satanae* imperio sunt Act. 26, 16.. Sed ἀνάθεμα Judaeis graece loquutis hominem irae *divinae* sacratum denotavit, nihil praeterea (v. supra).

Quin etiam hoc additamentum ὑπὸ τοῦ θεοῦ idoneâ ratione destitueretur. Nam rei cardo in hoc vertebatur, ut P. suis popularibus profuturus ἀνάθεμα *fieret*: utrum Deus an homines eum ἀνάθεμα esse pronuntiarent, h. l. ad rem nihil faciebat. Lectio ὑπὸ τ. Χρ. (D. E. G.) nihil nisi librarios ἀπό et ὑπό confundere solere confirmat. Paciani autem scriptura (ep. 2. p. 309. et 3. p. 313.) *in Christo*, ἐν τῷ Χριστῷ *correctio* est, quum vulgata lectio aut parum percepta esset, aut asperiorem sententiam fundere visa esset. Itaque sententiae asperitatem alii perversâ interpretatione (v. infra), alii lectionis mutatione mitigarunt. At simul εἶναι ἐν Χριστῷ et εἶναι ἀνάθεμα non potes. Ὑπὲρ sine ullâ dubitatione *loco*, *vice* notat *Rueckerto* judice. Mihi contra non dubium est, quin *in emolumentum* designet. Num quum P. per totum hunc l. c. 9. — 11. Judaeorum qui Christum repudiaverant errorem lenissime interpretetur (v. c. 9, 31. 32. 10, 2. 3. 11, 7. 14. 17.), semel tantum τὴν ἀποβολὴν αὐτῶν obiter commemoret (11, 15.) magnumque iis honorem habeat (11, 12. 15. sqq. 24. 28.), parum credibile est, eum in ipso disputationis suae exordio esse illos Deo invisos ita pronuntiasse, ut tristissimâ et quae judaicae stirpis homini horrorem incuteret voce usus eos nunc ἀνάθεμα esse enuntiaret. Hoc igitur P. dicit: nempe optarem, *me ipsum* (*non solum alium quempiam Judaeorum amicum*, quo voto non summum erga Judaeos amorem declararem) hominem esse divinae irae subjectum et a Christo avulsum *in hominum qui mihi fratrum loco sunt emolumentum* i. e. *ut popularibus meis prodessem*. Sed hoc Pauli votum insanum et impium multis interpretibus visum est. Inepte enim Apostolum optavisse, ut a Christo avelleretur, quem summo esset amore amplexus Phil. 3, 8.: insanire, qui ut alienam salutem procuret, suam in perpetuum abjiciat, quandoquidem naturâ duce summam miseriam aversemur, et improbissimum hominem esse, qui quacunque tandem de causâ iram Dei et aeternam a Christo distractionem deposcat (cf. v. c. *Elsnerum* et *Turret*. ad h. l. et *Noesseltum* l. c. p. 135. sq.). Itaque ut indignum tanto Apostolo votum tolleretur Pauli v. alii aliter perverterunt. Verum sane est, homines a Christo sejunctos de P. sententiâ felicitate aeternâ excidere et sempiternis geennae tormentis subjici. Nam eos tantummodo beatos fore docuit, qui fidé Christo habitâ Deo probati essent (v. not. ad 1, 17.). Homines autem ad sempiternam beatitatem non admissi in geennâ torqueantur necesse est, quoniam auctoribus N. T. scriptoribus status non reperitur, qui inter conditionem

hominum in aeternâ vitâ constitutorum eorumque, qui in geennâ crucientur, medius interjectus sit. Sed nego Paulum homines a Christi societate distractos *sempiternae felicitatis* jacturam facere, quum scriberet ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, distincte secum reputasse. Immo *longe miserrimum* esse nullam cum Christo societatem habere expendit. Itaque quod se votum facturum esse dixit, si eo Judaeis prodesse posset, nihil nisi summum amorem declarat, quo in populares suos flagraret, sicut vehementissimum *Christi* studium apud Ignatium ep. ad Rom. c. 5. fin. hâc detestatione effertur: πῦρ καὶ σταυρός, θηρίων τε συστάσεις, ἀνατομαί, διαιρέσεις, σκορπισμοὶ ὀστέων, συγκοπὴ μελῶν, ἀλησμοὶ ὅλου τοῦ σώματος, κακαὶ κολάσεις τοῦ διαβόλου ἐπ' ἐμὲ ἐρχέσθωσαν, μόνον ἵνα Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιτύχω. Fac tamen Paulum, perpetuo miserum futurum esse hominem a Christo segregatum, quum hunc l. dictaret cum animo suo cogitasse: ne sic quidem ejus votum impium recte vocetur. Honeste enim unum hominem impium esse, quam multos sceleratos, malueris magnumque tuum erga alios amorem bene eo ostendas, quod temet ipsum malle impium et miserum esse, quam caros amicos impietatis poenas subire declares. Quid quod impensam suam in Christum voluntatem hoc ipso P. enuntiaverit, quod illi multos potius Judaeos, quam unum Paulum addictum esse optaverit? Sed quum *miseriae* tantummodo sibi a Christo sejuncto futurae Ap. h. l. memor fuerit, ejus votum nihil nisi disertissimum singularis quo Judaeos amplexus est amoris argumentum continet. Hoc vero male reprehendas. Nam jure admiramur benevolentiae magnitudinem, quae fecit, ut amicus pro amico mortem oppetere vellet, quemadmodum Pylades pro Oreste (Cic. Lael. 9, 29. Eurip. Alc. 282 sq. 2 Sam. 9, 1.: cf. etiam rabbinicam summae caritatis testificationem לו אנו כפרתך *simus nos expiatio tua* apud *Buxt.* Lex. talm. p. 1078.) recteque laudamus Deciorum devotiones (Cic. D. N. D. 3, 6, 15.) eorumque consilia, qui amore adducti ne multis quos diligerent pereundum esset se ipsos morti consecrarunt Exod. 32, 32. (cl. Num. 11, 15.), sicut eos recte exsecramur, qui, ut multis prodessent, unum virum insontem injuriâ afficiendum esse improbe censuerunt Joh. 11, 50.. Nihili est *Bengelii* sententia, quae nonnullis VV. DD. nuper perplacuit (ut *Rueckerto* et *Meyero*), facienda. Is Paulum excusaturus magnitudinem animi, quam pro nostris animi angustiis homines vulgares non capiamus, eum, ut Mosen, interdum ita abstulisse, ut sui paulisper oblivisceretur,

censet.*) Amor, non animi excelsitas, homines impellit, ut pro caro homine extremum malorum suscipere velint, quandoquidem leves et voluptarii adolescentes se pro amicâ mortem adituros esse, aut sempiternâ suâ miseriâ amicae gravius aegrotantis salutem redemturos esse omni asseveratione saepe affirmant. Itaque ipsum Pauli votum nihil nisi vehementer eum populares suos dilexisse docet, quod recte fecit, et quia vel naturâ duce nostrae stirpis homines caros habemus (v. 3. ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, τῶν συγγενῶν κατὰ σάρκα), et quoniam eos dignos esse qui diligerentur multis Deus beneficiis in eos collatis ostenderat (v. 4. et 5.). Sed Pauli ingenium et vita et mores non permittunt, ut eum, quemadmodum leves homines solent, amorem erga Judaeos temere jactasse putemus, imo postulant, ut quod commemoravit votum et suscepturum et persoluturum fuisse credamus, si eo pestem ab Judaeis avertere potuisset. Nunc mirabilia eorum interpretum commenta refellenda sunt, qui, ne impium P. votum nuncupaverit, si nostra explicatio probata fuerit, veriti, ejus v. mire contorserunt. Vetus opinio est, quae jam a *Chrysostomo* commemorata permultis interpretibus placuit (v. c. *Hieronymo* ep. ad Alg. qu. 9, *Zegero*, *Elsnero*, *Carpzovio*, *Noesselto* l. c. p. 136. sq., *Rosenm.*, *Flatto*, *Reichardo*, *Schotto*, *Ammonio*, *Bretschneidero* in Lex. al.), Paulum se, ut *moreretur pro Judaeis*, optaturum esse affirmare, si hoc voto eos beatos reddere posset, quamquam vocem ἀνάθεμα et verba ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ diversimode explanarunt. Alii enim ἀνάθεμα *hominem ad mortem devotum* notare perhibuerunt (v. c. *Noesselt.*), alii ἀνάθεμα *piaculum*, *hominem piacularem* (v. c. *Bretschn.*) designare sibi persuaserunt. Tum ἀπὸ τοῦ Χρ. vel cum ἀνάθεμα εἶναι consociarunt, ut esset pro ὑπὸ τ. Χρ. positum (optarem me ipsum a Christo *morti addici*, aut *morti destinari tanquam piaculum*), vel ἀπὸ τοῦ Χρ. breviter dictum esse putarunt pro καὶ χωρίζεσθαι ἀπὸ τ. Χρ. (v. *Chrys.*), vel vocc. ἀπὸ τ. Χρ. cum ηὐχόμην copularunt (*Elsner.*, *Carpz.*: *precaret a Christo*).

*) „Verba humana non sunt plane apta, quibus includantur motus animarum *sanctarum*: *neque semper iidem* sunt motus illi, *neque in earum potestate est*, tale semper votum ex sese elicere. Non capit hoc anima non valde provecta. De mensurâ amoris in Mose et Paulo non facile est existimare. Eum enim modulus ratiocinationum nostrarum non capit, *sicut heroum bellicorum animos non capit parvulus*. Apud ipsos illos duumviros intervalla illa, quae bono sensu *ecstatica* dici possint, *subitum quiddam et extraordinarium* fuere. Ne in ipsorum quidem potestate erat, tales actus ex sese quovis tempore elicere."

Quod illi suae opinionis fundamentum esse voluerunt, necatum esse apud Hebraeos hominem ἀνάθεμα declaratum Lev. 27, 28. Jos. 7, 25., id nullum est. Nam τοῦ ἀναθέματος apud veteres Hebraeos vis haec fuit, ut *hominem divinae irae subjectum* denotaret: ut talis homo antiquitus interficeretur res postulavit, quum homines numinis loco ultionem ab homine sacrato exigere suum arbitrarentur. Quare hominem *quacunque de causâ necandum* ἀνάθεμα vocare nemini in mentem venit. Neque *hominem piacularem*, i. e. κάθαρμα, ἀνάθεμα usquam valet. Qui ἀπὸ τ. Χρ. pro ὑπὸ τ. Χρ. locatum esse existimarunt, neque firmum praesidium habent in l. Levit. 27, 29. et sententiae parum consuluerunt. Cur enim ut *a Christo* aut morti addiceretur, aut, ut piaculum, supplicio destinaretur P. optaret? Quodsi ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τ. Χρ. concise dictum putaveris pro ἀνάθεμα εἶναι (morti addici) καὶ χωρίζεσθαι ἀπὸ τ. Χρ. (et a Christo avelli), mortem, quam pius Christianus pro amicis occumbat, eo valere debere, ut *ad Christum veniat*, recte cum *Chrys.* objicitur. Postremo *Elsneri* et *Carpzovii*, cum ηὐχόμην ἀπὸ τ. Χρ. jungerent, ad Latinismum provocatio (Graeci enim struunt εὔχεσθαί τινι Act. 26, 29. et πρός τινα 2 Cor. 13, 7.) vel propter verborum ordinem vana est, qui flagitat, ut ἀπὸ τ. Χρ. cum ἀνάθεμα εἶναι copulemus. Deinde *Drusius*, *Thol.*, *Rueck.* al., ut sententiae asperitas mitigaretur, ἀνάθεμα *hominem dici*, *qui per* חֵרֶם, quae de Gemarae et Rabbinorum sententiâ gravior fuit ab ecclesiâ jud. exclusio, quum lenior esset נִדּוּי et gravissima auctoribus recentioribus Rabbinis שַׁמַּתָּא, *ex ecclesiâ christ. expulsus* sit contenderunt. Sed primo quidem nihil lucrati sunt. Hoc enim P. diceret: optarem me ipsum per חֵרֶם a coetu christ. excludi *et a Christo avelli*. Fieri autem non potuit, quin e Christianorum coetu expulsus omnium, quae Christus peperisset, ornamentorum jacturam faceret. Praeterea jam Jesu Apostolorumque temporibus exilii ecclesiastici per נִדּוּי et חֵרֶם discrimen apud Judaeos obtinuisse ostendi nequit (v. *Wineri* Realw. I, 158.), multo minus, hoc discrimen a Christianis receptum esse. Postremo Judaeos *graece* loquutos tum Judaeorum exilium eccles., quod חֵרֶם dicebant, ἀνάθεμα vocasse, tum hoc voc. etiam *hominem per* חֵרֶם *ab ecclesiâ exclusum* nuncupasse precario illi sumserunt. Nam Esr. 10, 8., ubi hominis ex ecclesiâ expulsi div. irae sacrari jubentur bona, ἀναθεματίζεσθαι vim habet in V. T. usitatam, in N. autem T., *ubi* τὸ ἀνάθεμα *nunquam non eâ potestate pollet*, *qua* חֵרֶם *in V. T.*, *aliquem a coetu s. excludere* sic effertur: ἀφορίζειν τινα Luc. 6, 22. et ἀποσυνάγωγόν τινα ποιεῖν Joh. 16, 2.. Denique alia con-

silia magis etiam absurda vix est quod commemorem. *Wolfius* sic interpretatur: optarem, np. *si fas esset* (at v. supra dicta cl. v. 6.). *Morus* ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τ. Χρ. nihil nisi *magnâ calamitate a Christo* (?) *affectum esse* designare fingit, quia magnum haud dubie malum sibi imprecetur qui se ἀνάθεμα esse optet. Photius apud Oec. Paulum hoc dicere se optaturum esse, ut *nondum* esset homo christ., sed etiamnum Judaeus, si hoc voto populares suos beare posset, commentus est: ἀνάθεμα εἶναι, τουτέστι κεχωρισμένος ἔτι εἶναι καὶ μήπω τῷ Χριστῷ προςελθεῖν. Nemo enim *hominis ad Christi disciplinam nondum adducti* notionem voce ἀνάθεμα enuntiavit. *Grotius* τὸν Χριστόν h. l. *Christi ecclesiam* (1 Cor. 12,12. Gal. 3,27.) declarare perhibuit h. s.: „velim (vellem) non modo carere honore apostolatus, verum etiam contemtissimus esse inter Christianos, quales sunt qui excommunicati sunt." At neque ἀνάθεμα hominem e coetu sacro ejectum notare effici potest (v. supra) et male *Grot.* τὸν Χριστόν *ecclesiam christ.* valere sumsit. Nam 1 Cor. 12, 12. ὁ Χριστός, corpus est, quod Christus cum discipulis suis efficit, ita ut ille corporis caput sit, hi corporis membra Eph. 5, 32. Col. 2, 19. et Gal. 3, 27. Christum induere is dicitur, qui Christi, *filii Dei indolem* assumserit (v. vs. 26. cl. 4, 4.). Adde eodem, quod homo e coetu christ. ejectus ne Christianus quidem est, non modo contemtissimus Christianus. Sed plures hujusmodi nugas persequi nolo. Indicavit P. eo, quod Judaeos τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ appellavit, *vel naturae instinctu* officiosissimum se in Judaeos futurum esse, si iis prodesse posset. Nam suae quisque stirpis homines naturâ duce diligit. Idem proximis vocc. τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα Ap. exprimit: *qui mihi propinqui sint* *corpore aut sanguine.* Nam κατὰ πνεῦμα s. ἐν Χριστῷ Apostolo cognatio fuit cum *hominibus christ.* Philem. v. 16. Gal. 6, 16.. Sed μου post συγγενῶν quod abest ab D*. G. Mt. f., Clar., Boern., Cyr., Hieron. semel, Aug. Ambr. Ambrosiast. et Paciano, mihi valde suspectum est, ut quod aut librarii e proximis v. ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου temere repetierint, aut interpretes invitante re addiderint. Auget suspicionem altera lectio ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου, τῶν συγγενῶν τῶν κατὰ σάρκα (D. E. F. G. al.), quae neque aptam sententiam fundit (in fratrum meorum commodum, qui propinqui sint *et quidem sanguine propinqui*, tanquam cognationem, quae Paulo cum Judaeis intercederet, ne male intelligeretur, accuratissime constitui referret) et vocem repraesentat τῶν e proximâ syllabâ συγγενῶν natam. Itaque μου expunxi. — V. 4. Sed

male beneficia in consanguineos conferas, nisi iis dignos. Itaque P. *jure* se popularium suorum, quos sanguine attingeret, salutem suâ, si posset, miseriâ redemturum esse ex eo efficit, quod ipse Deus summis in eos ornamentis collatis esse eos *generosam* hominum nationem declaraverit v. 4. et 5.. Falluntur, qui ab Apostolo Judaeorum jura h. l. idcirco recenseri existimant, ut non esse Paulum Judaeis iniquum lectores intelligant (Koelln.). *Οἵτινες* causam reddit praecedentis v. 3. sententiae (1,25. 2,15.): optarem, me ipsum irae div. subjici et a Christo avelli in fratrum meorum sanguine propinquorum emolumentum, *quippe qui sint* Israelitae i. q. optarem — — emolumentum; *nam* sunt Israelitae. Sed omnia ornamenta, quibus Deus Judaeos cumulavit, Paulus in eo sita esse judicat, quod Jacobi posteri sint et *Israelitae* vocentur honorifico Israelis nomine, quod ipse Deus Jacobo imposuisset Genes. 32,29., ad posteros translato (v. 6. 11, 1. Phil. 3,5. 2 Cor. 11,23.). Nonnulla autem egregia jura Judaeis *ut Israelitis* data, ut quot quantisque ornamentis Deus Israelitas splendere voluerit exemplis cognoscatur, concitatâ oratione persequitur anaphorâ usus *ὧν* — *ὧν* — *καὶ ἐξ ὧν* —. Phil. 3, 19.. Esse autem Jacobum יִשְׂרָאֵל a Deo propterea appellatum, quod feliciter cum Deo hominibusque pugnaverit (שָׂרָה pugnare Hos. 12, 4.), mythographus Genes. 32, 29. male contendit. Est potius יִשְׂרָאֵל boni ominis nomen ei inditum, *pro quo Deus propugnaturus sit*, valens *pugnabit Deus*, יִשְׂרָא אֵל. Cf. יִשְׁמָעֵאל *Deus precanti annuet*, et יִשְׁמְרַי *Deus tutabitur*. Quae exempla eos refellunt, qui יִשְׂרָאֵל *pugnator Dei* (*Win.* Lex. hebr.) aut *princeps Dei* (שָׂרָה i. q. שׂוּר *imperare*) explicant (v. *de Bohlenum*, virum egregium, ad Genes. l. c.). Pessima est Philonis De confusione linguarum p. 328. (I, 413. *Mang.*) *ὁ τὸν θεὸν ὁρῶν Ἰσραήλ* (אִישׁ רֹאֶה אֵל) originatio. In proximis v., quae magnam habent animi concitationem, tum pronominis relativi tum copulae iteratione aestimandam, naturâ duce admodum numerose P. scripsit. Nam primum quidem *duo*, quae *latissime* patent, Judaeorum decora posuit (*ὧν ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα*), tum *quattuor* magni momenti ornamenta illis comprehensa, quae uno spiritu pronuntianda sunt, sui juris esse et tanquam copiarum suarum manipulum facere voluit (*καὶ αἱ διαθῆκαι καὶ ἡ νομοθεσία καὶ ἡ λατρεία καὶ αἱ ἐπαγγελίαι*), denique *duobus* gravissimis ornamentis, quae numero bene responderent primum commemoratis, apte hunc l. conclusit (*ὧν οἱ πατέρες καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα*). *ὧν ἡ υἱοθεσία*] *quorum* (Israelitarum) *adoptio in filios est*, i. q. qui sunt (a Deo) in filios adoptati. Israelitae

adoptione

adoptione Dei filii sunt. Nam si *naturâ* essent, eo filii Dei exstitissent, quod *homines* nati essent. At eo Dei filii facti sunt, quod eos Deus e ceteris hominibus delectos filiorum loco sibi esse jussit Deut. 14, 1. 2. (Jerem. 31, 9. 20. Hos. 11, 1.) et Abrahami posteris patronum se futurum esse promisit, v. Genes. 12, 1. sq. 13, 14. al.. Quare ne hic quidem ἡ υἱοθεσία *filiorum conditionem* designat, quam vim nusquam habet. Ceterum adoptio in Dei filios Israelitis quamdiu viverent opes et commoda attulit (Genes. 13, 14. 15, 16.) vitaeque aeternae per Messiam obtinendae *spem* (cf. καὶ αἱ ἐπαγγελίαι) fecit, Christianis τὴν κληρονομίαν parit h. e. sempiternam beatitatem Rom. 8, 15 — 17.. Καὶ ἡ δόξα] i. e. *et majestas*, *praestantia* in universum (Cyprianus Testim. adv. Jud. 2, 6. *et claritas* vertit), ut ἡ δόξα *omnia* decora complectatur, quibus Deus Israelitas honestavit (*Calov.*, *Wolf.*, *Semler.*, *Morus*, *Koelln.* al.), non miracula tantummodo, quae gentem jud. nobilitarunt: Theodoretus: ἡ δόξα] περιφανεῖς γὰρ ἀπὸ τῶν θαυμάτων ἐγένοντο. Firmatur nostra interpretatio argumento, quo impugnari solet, non posse τὴν δόξαν tam late patere, quoniam inter angustioris ambitus ornamenta media interjecta sit (*Winzer.* p. 7., *Meyerus* al.). Latissime enim patet ἡ υἱοθεσία, quippe quae omnia Judaeorum decora, quae deinceps ponuntur (καὶ αἱ διαθῆκαι κ. τ. λ.), comprehendat, quandoquidem iis singula jura, quae P. inde a verbis καὶ αἱ διαθῆκαι recensuit, a Deo propterea data sunt, quod in filios adoptati erant. Idem de v. καὶ ἡ δόξα valet. Eo enim Israelitae *majestate conspicui* sunt, quod jura *pro majestatis exemplis* paullo post memorata iis Deus tribuit. Ne multa, Paulum primo Judaeorum decora, quae nullum eorum privilegium non contineant (ὧν ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα), ponere, deinde nonnulla eorum ornamenta illis vocabulis comprehensa, ut exemplis dicta illustrentur, sigillatim referre (καὶ αἱ διαθῆκαι etc.) illi explicatores non consideraruntt. Quare vocabulis ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα schema, quod ἓν διὰ δυοῖν vocant, inesse nequit (*Tholucc.*) *adoptio et quidem majestas* i. q. adoptio et praestans quidem adoptio, quae opinio etiam propterea vana est, quia καί *in cumulatione* copula esse debet. Plerique interpretes (nuper *Noesseltus* p. 140., *Rosenm.*, *Rueck.*, *Winzer.*, *Reich.*, *Meyerus* al.) τὴν δόξαν *Dei splendorem*, כְּבוֹד יְהוָה *Dei nimbum*, h. e. lucidam nubem, quâ veteres Hebraei, qui concretionem mortalem a Deo plane segregare nesciverunt, numen divinum amictum in mundo conspici putarunt Exod. 24, 16. 33, 18. 22. 40, 34. sq. 1 Reg. 8, 11. Ezech. 1, 28. 2 Macc. 2, 8., significare perhibuerunt. Hanc rem

Rabbini שְׁכִינָא, שְׁכִינְתָּא (*Buxt.* Lex. talm. p. 2394.) *vicinitatem* np. Dei vocarunt. Hoc uno ista explicatio refellitur, quod ἡ δόξα non, ut sequentes voces, singularem quandam rem notare potest, sed generali vocabulo decora in Judaeos collata complecti debet (v. supra). Cetera argumenta ei opposita nullam vim habent. Nam Genitivo ἡ δόξα τοῦ θεοῦ non opus erat. Etiam Rabbini Dei splendorem simpliciter שְׁכִינָה appellarunt (v. *Buxt.*) apteque nota res in *cumulatione* unâ voce exprimeretur. Languere enim ὧν ἡ υἱοθεσία τοῦ θεοῦ καὶ ἡ δόξα τοῦ θεοῦ quivis sentit. Homines christ. eo esse Dei templum, quod τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ in iis habitet P. censuit 1 Cor. 3,16.. Sed ex eo non sequitur, eum *Judaeorum* decus in eo situm fuisse, quod כְּבוֹד יְהוָה habuissent, negavisse 2 Cor. 6,16.. Quod autem Rabbini secundum Judaeorum templum שְׁכִינָה h. e. *nubem quae* div. numen complexa *nunquam non super arcâ foederis ferretur* continuisse infitiantur (v. *Buxt.* l. c. p. 2397), neque ad rem quidquam facit (eo enim P. h. l. contentus esse potuisset, quod Dei majestas Judaeorum majores ornasset) et vanum Rabbinorum commentum est (v. *Wineri* Realwörterb. I, 239.) e Levit. 16,2. haustum. Inepte *Beza*, *Drusius*, *Grot.* al. τὴν δόξαν *arcam foederis* exposuerunt, quae nunquam ἡ δόξα vocata est. Nam 1 Sam. 4,21. 22., ut summum esse Israelitarum ornamentum arcam foederis declaretur, arcâ foederis ablatâ jam *decus e gente israeliticâ* exsulare affirmatur. *Καὶ αἱ διαθῆκαι*] *et foedera* scil. quae Deus cum Noacho Genes. 9,9., Abrahamo Genes. 17, 20., et Mose usus ministro cum universo populo israelitico fecit Exod. 24,8. Ephes. 2,12. Sap. 12,21. 18,22. 2 Macc. 8,15.. Inepte *Calovius*, *Wolf.* al. dici putant tum antiquum foedus Mosis operâ ictum, tum novum Christi interventu compositum cf. Gal. 4,24. Jer. 31,31.. Nam Paulo hîc decora commemoranda erant, quibus Israelitae nondum ad Christi disciplinam adducti splenderent quaeque eos dignos reddere viderentur, qui *novi* foederis 2 Cor. 3,6. non expertes essent. *Beza* auctore (cf. *Semlerum*) αἱ διαθῆκαι *duas foederis tabulas* per metonymiam significant, i. q. לֻחוֹת הַבְּרִית Deut 9, 11. (αἱ [δύο] πλάκες τῆς διαθήκης LXX. Deut. 9,11. Hebr. 9,4.)! *Grot.* interpretatur *verba foederis scripta in duabus tabulis* (Exod. 34,28.), *decalogum*, quae opinio *Rosenmuellero* propterea placet, quia Deut. 4, 13. בְּרִית יְהוָה verbis עֲשֶׂרֶת הַדְּבָרִים exponatur et διαθῆκαι per atticismum pro διαθήκη collocari soleat! Videlicet Deut. 4, 13. de *decalogo* agitur. Atticos autem, quum διαθήκας γράφειν dicerent, non Pluralem pro Singulari posuisse, sed *pacta* quae aliquod foedus facerent in mente habuisse constat. Quam-

quam optimi quique scriptores *Thomae* regulae (*διαθήκας γράφειν τὶς λέγεται, οὐ διαθήκην*) saepe non obtemperarunt (cf. Aristoph. Av. v. 439. et Thomae Mag. interpretes). Paucorum lectio subsidiorum *ἡ διαθήκη* (B. D. gr. E. gr. F. G. gr. Vulg. ed. Chrys. in Mt. 3,8. Cypr. Ruf. ms. Hieron. semel. Sedul.), quam *Lachm.* dedit, nullius frugis est, quum aut calami error eorum sit, qui ob soni similitudinem *αἱ διαθῆκαι* et *ἡ διαθήκη* confudissent, aut scribarum correctio, qui Plurali, quoniam Singularis et praecederet et sequeretur, offensi essent (nam eadem fere subsidia paullo post habent *ἡ ἐπαγγελία* pro *αἱ ἐπαγγελίαι*) eumque fortasse ne intellexissent quidem. *Τῆς νομοθεσίας* vocabulum, ut vernaculum die Gesetzgebung, duo notat: I. *legis lationem, promulgationem* (Suid. *νομοθεσίαν, θέσιν τοῦ νόμου*) II. *legum latarum corpus* i. q. *τὰ νομοθετηθέντα, τὰ προςτάγματα* (Joseph. A. J. 3, 15, 3.). Dionysius Hal. A. R. 10,57. *Reisk.* *καὶ μέχρι πολλοῦ διετέλεσαν ἐν κοινῷ μετὰ τῶν ἀρίστων ἀνδρῶν συνεδρεύοντες καὶ τὴν ἀκριβεστάτην ποιούμενοι τῆς νομοθεσίας ἐξέτασιν.* c. 58. — *ἀτελὴς γὰρ ἡ νομοθεσία ἐφαίνετο.* 11,6. — *ἀλλ' ἕως ἂν καταστησώμεθα πᾶσαν τὴν νομοθεσίαν.* Philo De vitâ Mosis I, 657. (Mang. II, 138.) *τὸ δὲ τῆς νομοθεσίας ἱεροπρεπὲς ὡς οὐ παρ' Ἰουδαίοις μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὰ πᾶσι τοῖς ἄλλοις τεθαύμασται, δῆλον ἔκ τε τῶν εἰρημένων ἤδη κἀκ τῶν μελλόντων λέγεσθαι.* 2 Macc. 6, 23. Cf. *Carpz.* ad h. l., *Kypkium* Obs. s. II, 173. et *Bretschn.* Lex. s. v. *νομοθεσία.* H. l. posterior vocabuli vis obtinet, ita ut *omnes* Dei leges, Mosis operâ promulgatas, tum quibus Israelitarum respublica conderetur, tum quibus eorum sacra constituerentur, comprehendat, non propterea, quod sollemnis legis Mos. promulgatio Exod. c. 19. sq. brevissimo temporis spatio absoluta fuerit, hic autem Paulo stabilia Judaeorum ornamenta et quibus etiam sui aequales conspicui essent, memoranda fuerint (*Noesselt.* p. 141., *Reich.* al. nam magnâ cum pompâ facta divinae legis promulgatio, cujus memoriam sacra historia conservavit, Judaeis, qui Pauli tempore vixerunt, non minus honori fuerit, quam praeclara patriarcharum jam dudum exstinctorum facta et fata, quae in literis s. perscripta sunt: cf. v. 5. *ὧν οἱ πατέρες*), sed idcirco, quia res *Mosis legibus* fundata proxime sequitur (*καὶ ἡ λατρεία*). *καὶ ἡ λατρεία*] *et cultus divinus* (publicus), ut Judaei bene exstructum templum possideant, in quo preces rite mittantur, magnifica sacrificia fiant et sacerdotes publici sacris operentur etc. Hebr. 9, 1. sq.. *καὶ αἱ ἐπαγγελίαι*] Acute *Harlessius* ad Eph. 2, 12. p. 210. et *Meyerus* Paulum per conversionem rhetoricam v. *καὶ αἱ ἐπαγγελίαι*, quae vocabulis *καὶ αἱ δια-*

ϑῆκαι ita respondeant, ut καὶ ἡ λατρεία vocibus καὶ ἡ νομοϑεσία (nata enim esse Dei promissa e foederibus, quae cum Abrahamo aliisque composuisset, quemadmodum cultus Judaeorum publicus Mosis legibus fultus sit), quarto loco posuisse observarunt. Sed hâc observatione *causa* non manifestata est, quae Paulum impulisset, ut voce. καὶ αἱ ἐπαγγελίαι a v. καὶ αἱ διαϑῆκαι avulsa ultimo loco collocaret. Ducuntur autem cordati scriptores in conversione rhetoricâ ratione idoneâ, non verba temere spargunt. Scilicet verbis καὶ αἱ ἐπαγγελίαι ultimum locum propterea Ap. dedit, ut sibi ad *Christi* mentionem v. 5. transitum pararet (Gal. 3,16.). Hinc duo lucramur. Patet enim τὰς ἐπαγγελίας promissa dici *patriarchis*, Abrahamo maxime, data, quae Messiae et aurei aevi sub ejus imperio transigendi spem facerent (Genes. 22,16. 26,2. sq. 28,13. sq. Rom. 4, 16. 21. Gal. 3, 16. sq. Hebr. 7,6.). Male igitur Theodoretus: καὶ αἱ ἐπαγγελίαι] ἴσως αἵ τε πρὸς τοὺς πατέρας παρὰ τοῦ ϑεοῦ γεγενημέναι καὶ αἱ διὰ τῶν προφητῶν προςενηνεγμέναι. Deinde vs. 5. τοὺς πατέρας *patriarchas* h. e. Abrahamum, Isaacum et Jacobum, sed Abrahamum potissimum, excepto Davide (Act. 2,29.) ceterisque illustribus Judaeorum majoribus (v. *Beckium* l. c. p. 20.), ab Apostolo nuncupari elucet (v. Genes. 28,13. Exod. 3, 6. Matth. 22,32. Act. 7, 32. Hebr. 7, 6. cl. Rom. 4, 1. 11, 28. 15, 8.). Nam mentio injecta Messiam portendentium *promissorum* fecit, ut primum quidem patriarchae, *qui ea accepissent*, commemorarentur Gal. 3, 16., deinde Christus, *qui esset Judaeis divinitus promissus*. Sed maxime Israelitas *Christus* honestat, qui *humanam* originem a gente jud. traxit Joh. 4,22. Act. 3, 22. et Davidis nepos natus est. Rom. 1,3.. τὸ κατὰ σάρκα] *quod ad corpus humanum attinet*, *quo amictus aliquamdiu inter homines versatus est*, was das Leibliche anlangt, Rom. 1, 3. 8, 3. (v. Rom. 12, 18. 15, 17. 16, 19.) et *Matthiae* Ausf. gr. Gr. §. 283.). Oppositio subindicata, non verbis expressa haec est: οὐ τὸ κατὰ τὴν ϑεότητα, nicht was seine höhere Natur betrifft. Nam τὸ μὴ κατὰ σάρκα Christus primus omnium rerum natus Col. 1,15. mundum procreavit ipsumque genus humanum condidit, et mundum ab se procreatum tuetur atque conservat v. Col. 1, 16. sq. Phil. 2,6. sq. cl. Hebr. 1,2. sq. Joh. 1,1. sq..

Sequitur doxologia Theologorum studiis et cupiditate saepe obscurata, ceterum ei satis perspicua, qui nihil praejudicati ad ejus explicationem attulerit. Verba ὁ ὢν ἐπὶ πάντων ϑεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. nullo vitio affecta sunt. Nam leve est, quod unus Aeth. ἐπὶ πάντων

excludit, pauci ex interpretamento ἐπὶ πάντας (Iren. III, 16.) et ἐπὶ πάντα (Theodoretus alicubi) continent, Tertullianus adv. Prax. c. 10. fin. p. 416. ed. *Froben.* ἐπὶ πάντων vitiose per *omnia* vertit et nonnulli PP. lat. ἀμήν omittunt. Vocem autem θεός neque Syrus praetermittit (v. *Grot.*), neque Chrys. ad h. l., Cyprianus Testim. adv. Jud. 2, 6. et Hilarius ad Ps. 122. demunt (v. *Erasmus*). Nam Chrys. l. c. v. θεός in textu positum in interpretatione eum v. ἐπὶ πάντων omittit, quoniam h. l. hâc observatione defungi voluit, doxologiâ ὁ ὢν (i. e. ὅς ἐστιν) εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. *Christum* a P. celebrari. Sed Chrysostomum vocem θεός agnovisse ex eo patet, quod θεός saepe habet, v. c. ad 1 Cor. 8, 6. hom. 20., ubi τὸν υἱὸν εἶναι θεόν *e nostro l.* efficere studet. In *Cypriano* l. l. boni libri et manu exarati et typis exscripti vocem *Deus* recte tenent. Est enim ibi ea vox necessaria, quum scriptor *Deum esse Christum* e multis librorum s. locis ostendere conetur. In Hilario l. c. malae editiones perperam omittunt *Deus* (ex quibus Christus, qui est super omnia benedictus) v. c. ed. *Frob.* II, 272. 1523. f. Sed ne hic quidem vox *Deus*, quae est in ed. Bened. I, 443., deesse potest, ubi Jesum Christum esse deum e libris div. scriptor doceat. Vide *Millii* notam ad h. l., quam in compendium redegit *Koppius*. Tum nullam vim habet, si Leo alicubi (vulgo male citant epist. 83.) θεός praetermittit, quum ipse alias retineat (v. *Beng.* in Appar. ad h. l.) et nobilissima Pauli doxologia ab innumerabilibus hominibus ita saepe efferatur, quemadmodum in nostris editionibus perscripta est.. Postremo Iren. 3, 16, 3. et Tert. adv. Prax. c. 10. ineunte, quum non accuratissime hunc l. citarent, θεός ante ἐπὶ πάντων collocarunt idemque fecerunt Syrus et Erp. interpretum libertate usi. Quum igitur nulla subsidia inveniantur, quae vulgatae lectioni suspicionem conflent, tum demum conjecturis eam tentare licet, quum eam ineptam sententiam gignere cognoveris. Quamquam parum credibile est, in l., qui Theologis gravissimus visus est antiquitus ideoque a multis saepe in quaestionem vocatus, genuinam lectionem periisse. Conjecturam quidem a *Schlichtingio*, *Tayloro* aliisque factam ὧν ὁ ἐπὶ πάντων θεός etc. ineptam esse docet praecedens καὶ ἐξ ὧν κτλ.. Nam P. hoc pacto sic scripsisset: ὧν οἱ πατέρες, ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τ. κ. σ. καὶ ὧν ὁ ἐπὶ πάντων θεός etc.. Jam de eo acriter contenditur, utrum virgulâ post τὸ κατὰ σάρκα locatâ verba ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός appositionem contineant *ad Christum* pertinentem, an quum post τὸ κατὰ σάρκα vel plene interpunxeris (*Lachm.*), vel colon

Legendum super ?

posueris vocabula ὁ ὢν — ἀμήν sui juris sententiam complectantur, quâ Dei laudes celebrentur. Si illud placuerit, de singulis v. sic statuendum est: V. ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός appositionem faciunt ad ὁ Χριστός referendam, et quum ὁ ὢν idem sit quod ὅς ἐστι (Joh. 1, 18. ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν [ὅς ἐστιν] εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο. 12, 17. ἐμαρτύρει οὖν ὁ ὄχλος ὁ ὢν [ὃς ἦν] μετ᾽ αὐτοῦ, ὅτι —. 2 Cor. 11, 31. ὁ θεὸς — οἶδεν, ὁ ὢν [ὅς ἐστιν] εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ὅτι οὐ ψεύδομαι.) Christum ἐπὶ πάντων θεόν, non τὸν ἐπὶ πάντων θεόν appellari in promtu est. Hoc ipsum affirmarunt cordati formulae Nicaenae fautores, qui εἶναι τὸν Χριστὸν ἐπὶ πάντων θεόν ex hoc Pauli l. effecerunt (v. c. *Epiphanius* Haer. 57, 9.). Pauci tantummodo, qui parum caute loquuti sunt, Christum h. l. τὸν ἐπὶ πάντων θεόν vocari perhibuerunt. v. c. Theodoretus ad h. l. et schol. Cod. q. d. ap. Matth. ed. maj. p. 220.. Hanc opinionem neque grammaticae rationes recipiunt, neque Pauli disciplina, qui Deum et Christum distinxit 1 Cor. 8, 6. Eph. 4, 5. 6., admittit, neque formula ecclesiastica patitur, quae repugnans Noëto, Sabellio aliisque haereticis personarum discrimen mordicus tenet. Loquutionem εἶναι ἐπί τινος valere alicui vel rei vel personae (Arrian. Exp. Al. 3, 5, 4.) praepositum esse, rei praeesse, rem moderari constat. Cf. Ephes. 4, 6. Demosth. de Cor. 309, 9. *Reisk.* — διαφθείρειν τοὺς ἐπὶ τῶν πραγμάτων., *Lobeckium* ad Phryn. p. 474., *Schaeferum* ad Demosth. II, 172. et *Bernhardyum* Wissensch. Synt. p. 247.. H. l. arcte cohaerent v. ἐπὶ πάντων, θεός Deus, qui omnibus praeest. Πάντων plerique Neutrum esse existimant cl. Matth. 11, 27., pauci Masculinum v. c. *Beza*, qui ad patriarchas refert, quibuscum Christus conferatur! Itaque haec est totius l. ratio: — et ex quorum gente Christus exortus est quod ad corpus humanum attinet, qui est omnia moderans Deus (welcher über allen Dingen waltender Gott ist), celebrandus perpetuo. Amen! Hanc interpretationem inierunt *Iren.* c. Haer. 3, 16, 3., *Tertull.* adv. Prax. c. 10. bis., *Orig.* ad h. l., *Athanasius* contra Arianos Orat. II. T. I, p. 331., *Epiphanius* Haeres. 57, 9. 76, 30. p. 977. sq., *Chrys.*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius* et omnes, quibus fuit aliquod nomen et nonnulla auctoritas antiquitus, interpretes neque nisi tenuia exstant alterius explicationis, quae vocc. ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. a praegressis segregata ad Deum refert, vestigia.*) Retenta est interpretatio a PP. eccles.

---

*) Personatum Ignatium, Origenem, Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Theodoretum aliosque nostro l. *Dei* laudes celebrari

proposita a *Luthero*, *Calvino* et plerisque nostri coetus Theologis. Neque nuper defuerunt, qui eam gravibus

---

existimasse vel recentissimi interpretes (v. c. *Meyerus* et *dW.*) male crediderunt *Wetstenio* ad h. l.. Bene enim sibi constitit Origenes, quum h. l. Christum ἐπὶ πάντων θεόν dici in commentariis contenderet, l. VIII. c. Celsum I, 752. *ed. de la Rue* eum τὸν μέγιστον ἐπὶ πᾶσι θεόν recte vocari negaret. Quippe τὸν υἱὸν δεύτερον εἶναι θεόν, ἐκ τοῦ πατρὸς ὄντα s. ἐκ θελήματος τοῦ πατρὸς γεννηθέντα, ceterum patre inferiorem Joh. 14,28. putavit, v. Orig. ad Cels. l. VIII. l. c. et ad Joh. IV, p. 50.. Perperam autem *Wetst.* ex eo, quod PP. eccl. Christum τὸν ἐπὶ πάντων θεόν appellandum esse infitiati sunt, eos hunc l. *ad Deum* rettulisse conclusit. Nam quum Monarchiani, ut Noëtus, ab iis librorum s. locis profecti, unde *unum* esse Deum discimus Exod. 3, 6. 20, 3., personarum divinarum discrimine sublato Deum et Christum confudissent, Deum ipsum ad homines venisse et in crucem sublatum esse opinati suumque commentum nostro l. confirmassent, quod ibi Christus ὁ ἐπὶ πάντων θεός nominaretur (v. *Hippolytum* contra haeresin Noëti c. 2. fin. et Epiph. Haer. 57, 2.), PP. ecclesiastici et quum sententia de divinâ Christi naturâ fluctuaret et quum formulae Nicaenae adstricta esset, appellationem ὁ ἐπὶ πάντων θεός (Ephes. 4, 6.) Deo tribuerunt, a Christo abjudicarunt (cf. personatus Ignatius ad Tarsenses c. 2. et 5. ad Philipp. c. 7.), quem esse θεόν aut ἐπὶ πάντων θεόν tum ex aliis N. T. l. *tum e nostro* ostenderunt (v. Tert. adv. Prax. c. 10. Hippol. l. l. c. 5. et 6., Epiph. Haer. 57, 9. Ancor. p. 69., Chrys. al.). Vehementer autem oppugnatos esse Noëtianos non mirum est. Superquam enim quod eorum opinio absurda videbatur, multis N. T. l. Deus pater et Jesus Christus clare distinguuntur v. c. Joh. 1, 18. 17, 3. 20, 17.. Quare ne ii quidem Theologi, qui formulae Nicaenae paruerunt, personarum divinarum discrimen missum fecerunt, sed Deum τὸν ἐπὶ πάντων θεόν, Christum θεόν et ἐπὶ πάντων θεόν esse, i. e. συμπρέπειν τῷ τοῦ πατρὸς ἀξιώματι, quippe γεννηθέντα ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός, θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός, θεὸν ἀληθινὸν ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ, ut est in symbolo Nicaeno, nostro l. confirmarunt, cf. Epiph. Haer. 76, 30. p. 977. sq.. Christum esse τὸν ἐπὶ πάντων θεόν si Monarchianos, tum nonnullos interpretes, qui in nostri l. explicatione festinarunt (v. supra), postremo imperitam plebem, quae eruditionis theologicae expers Deo cum Christo confuso Christum τὸν ἐπὶ πάντων θεόν imploravit (v. Euseb. H. E. 8, 11. cl. Origene l. VIII. c. Celsum I, 752.), exceperis, nemo affirmavit antiquitus. Non multa esse, quae v. Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. ad *Deum* antiquitus relata esse indicent, supra concessimus. Hoc *Basilium* Comment. in Esajam c. 13. I, p. 579. fecisse male perhibuit *Matthaeius* ed. min. ad h. l.. Ne citavit quidem ille Rom. 9, 5., sed ut ostenderet, hominem *nobilem*, de quo Luc. 19, 12. fabula narratur, *Christum* esse haec monuit: ut εὐγενής haud dubie sit a rege prognatus, sic Christum nobilem esse, τὸν πρὸς οὐδένα ἄλλον τὴν κοινωνίαν τοῦ γένους, ἢ πρὸς τὸν ἐπὶ πάντων θεὸν κεκτημένον i. e. τὸν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρὸς τὴν ὕπαρξιν ἔχοντα. L. IV. adv. Eunomium I, 282. Basilius Rom. 9, 5. cum vulgo ad Christum pertinere putat. Ex Origene ad h. l. nonnullos nostri l. parum memores propter P. vocem 1 Cor. 8, 6.

argumentis oppugnatam aeriter defenderent, *Chr. Fr. Schmid.*, *Noesselt.* l. c. p. 143. sq., *Kopp.*, *Flatt.* Opusc. p. 394. sq. et in comment. ad h. l., *Rueck.*, *Beck.* p. 20. sq., *Olshausenus* al.. Audeo tamen re iterum iterumque expensâ hanc explicationem rudis antiquitatis judicio et vanâ pietatis specie multis commendatam *absurdam* vocare. Licuerat sane Paulo Christum θεόν et ἐπὶ πάντων θεόν appellare, ut nihil metueret, ne a se dissidere attentis lectoribus videretur. Dixit enim Johannes, quocum P. de divinâ Christi naturâ et auctoritate maxime concordat, Christum θεόν Ev. 1, 1. sibi minime repugnans. Est Christus Paulo natura, quae *primum a Deo procreata* Col. 1, 15. (eadem Johannis 17, 24. sententia est) mundum condidit Col. 1, 16. (Joh. 1, 3. Hebr. 1, 2.), conditum tuita est Col. 1, 17. (Hebr. 1, 3.) et divinae majestatis consors Phil. 2, 6. 2 Cor. 4, 4. (Hebr. 1, 3.), sed Dei imperio subjecta fuit 1 Cor. 11, 3. 15, 27. sq.. Itaque quum eam Deus ad homines ire generi humano salutem allaturam *jussisset* Rom. 8, 3. Gal. 4, 4., patris mandato *paruit* et divinâ majestate depositâ, ut a Mariâ *homo* nasceretur passa Gal. 4, 4. inter mortales aetatem, ut ne ignominiosam quidem mortem, quae saluti esset hominibus, quominus adiret, recusaret, obedienter egit Phil. 2, 8. 2 Cor. 8, 9.. Sed tantum obsequium *ut idoneo Deus praemio remuneraretur* Christum ex inferis excitatum

---

Christum Deum dicere noluisse apparet, non, fuisse qui Rom. 9, 5. de Deo exponi contenderent, elucet. Neque id ex Ambrosiastri verbis *tuto* colligas: „*Si quis* autem non putat de Christo dictum, *qui est Deus*, det personam, de quâ dictum est. De patre enim Deo h. l. mentio facta est. Sed quid mirum, si in h. l. Christum Deum super omnia apertâ voce loqueretur, de quo aliâ in epistolâ (Phil. 2, 10.) hunc sensum tali sermone firmavit, dicens etc." Idem de loco Quaestionum ex N. T., quae Augustino tribuuntur (III, I. p. 1066. ed. *Ben.*) dicendum est: „Sed *forte* ad patris personam pertinere (Rom. 9, 5.) dicatur. Sed h. l. nulla est paterni nominis mentio. Ideoque *si de Christo dictum negatur*, persona cui competat detur. Quare autem Christo non competat, cujus nomini coelestia, terrestria et inferna genu flectunt (Phil. 2, 10.)?" Gravius est, quod Julianus auctore Cyrillo (v. *Wetst.*) neque Paulum, neque Matthaeum neque Marcum Christum Deum vocare ausos esse, sed hoc fecisse τὸν χρηστὸν Ἰωάννην asseveravit. Objecit Juliano Cyrillus Rom. 9, 5., sed credibile est, illum, qui sacros Christianorum libros bene nosset, nostro l. *Deo* laudes gratesque agi censuisse. Postremo fluctuans in nonnullis Codd. interpunctio (47. post κατὰ σάρκα, 71. post ἐπὶ πάντων, 77. post θεός plene interpungit) et dubiam nonnullis nostri l. interpretationem visam esse antiquitus, neque plane defuisse qui verbis ὁ ὢν — ἀμήν. a praegressâ oratione sejunctis doxologiam agnoscerent, quâ *Deus* laudibus afficeretur, utique docet.

coeloque receptum in pristinam dignitatem restituit rebusque omnibus, quibus priusquam homo natus esset praefuisset, se excepto praefecit Phil. 2, 9. sq. Eph. 1, 20. sq. 1 Cor. 15,25. sq..*) Jam quemadmodum ab homine ortus recte homo dicitur, quia hominis satus humanae naturae particeps factus est, licet filius a patris nutu et auctoritate totus pendeat, ita Paullo Johannem Ev. 1, 1. imitanti concessum erat Christum et θεόν et ἐπὶ πάντων θεόν vocare. Erat enim θεός, quia Dei satu divinam naturam sortitus erat, et ἐπὶ πάντων θεός, quoniam divinam naturam adeptum omnibus rebus Deus praefecit Col. 1, 15. sq. Eph. 1, 21. sq.. Neque erat Paulo metuendum, ne Christum θεόν s. ἐπὶ πάντων θεόν appellando in Polytheismi errorem delabi recte existimaretur. Nam τὸν θεόν omnium rerum auctorem et gubernatorem istâ appellatione minime sustulisset, sed ei *secundarium* quendam Deum addidisset h. e. numen divinae quidem naturae particeps, sed quod omnia τοῦ θεοῦ auctoritate perageret neque quidquam suo arbitratu gerere posset (v. Joh. 1, 1. cl. 14, 28.. 1 Cor. 11, 3. 15, 27. sq.). Nihilominus Paulum non solum nunquam θεόν Christum dixisse, sed etiam, veritum, ne Dei majestatem imminuerit, ita illum dicere reformidasse, certum est: quo uno pia ista interpretatio corruit. Nempe ubi P. Deum cum Christo componit, illum *Deum patrem nostrum*, hunc *dominum nostrum Jesum Christum* vocat Rom. 1, 7. 1 Cor. 1, 3. 15, 47. 2 Cor. 1, 2. 4, 5. Gal. 1, 3. Eph. 1, 2. 4, 5. 6. Phil. 1, 2. 2 Thess. 1, 2. 2 Tim. 1, 2. al.. Jam quum ibi quoque, ubi *divinam Christi majestatem celebrat*, nihil P. postulet, nisi ut κύριον esse Ἰησοῦν Χριστόν pie fateamur Phil. 2, 11., in promtu est, Apostolum Christum θεόν appellare verecundatum esse. Tollit omnem dubitationem l. 1 Cor. 8, 6., ubi non nisi unum esse θεόν v. 4. praefatus, tametsi multi esse Dii et domini a gentilibus temere credantur (v. 5.), at homines christ. ἕνα θεόν, τὸν πατέρα (Col. 1, 12.) et ἕνα κύριον, Ἰησοῦν Χριστόν agnoscere v. 6. adjungit. Cf. etiam Eph. 4, 5. 6.. Paulus igitur, qui excepto Deo patre neminem neque dicendum neque colendum Deum

*) Dissensit nonnihil a Paulo Johannes. Ille enim ita se Christum, quum Deo obsecundans homo fieret, divinâ majestate abdicasse, ut eam non recepturus fuisset, nisi Deus singulare ejus obsequium insigni praemio afficere statuisset, censuit: hic Christum eâ lege coelo relicto legatum ad homines abisse existimavit, ut opere quod Deus injunxisset perfecto pristinam dignitatem recuperaret et coeleste domicilium repeteret Joh. 17, 4. 5.. Aequo igitur animo ferendum est, si quis de rebus divinis nobiscum dissentiat, quum ne Apostolorum quidem summa fuerit in primario dogmate consensio.

affirmaverit, secum ipse discors esset, si Christum h. l. ἐπὶ πάντων θεόν nuncupasset. 1 Tim. 3, 16. recte a *Griesbachio* editum esse: ὃς (vulgo θεός) ἐφανερώθη ἐν σαρκί, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι κτλ. ut quisque artis criticae peritus est, ita facile concedet (v. doctam *Griesbachii* notam). Postremo frustra laboravit V. D., qui in librorum indicibus a *Tholuccio* editis (1837. n. 4. sq. et 17.) Christum Tit. 1, 3. 2, 13. 3, 4. a P. Deum vocari ostendere nuper conatus est*). Praeterea piae, quam impugnamus, explicationi

---

*) Ita V. D. *Usterii* l. c. p. 325. 326. argumenta repetiit, ut nihil firmi ipse adderet. Tit. 1, 1. — 3. Παῦλος, δοῦλος θεοῦ, ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ Χρ. κατὰ πίστιν ἐκλεκτῶν θεοῦ — —, ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς θεὸς πρὸ χρόνων αἰωνίων, ἐφανέρωσε δὲ τὸν λόγον αὐτοῦ ἐν κηρύγματι, ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ κατ' ἐπιταγὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ, Τίτῳ κτλ. τὸν σωτῆρα ἡμῶν θεόν *Christum* dici V. D. ex eo apparere putavit, quod P. κατ' ἐπιταγὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ, non κατ' ἐπιταγὴν αὐτοῦ [imo αὑτοῦ] scripserit (v. *Usterium* p. 326.). Non cogitavit, de industriâ Paulum et v. 2. *veracem* Deum vocasse et v. 3. *servatorem nostrum.* Nam in pollicitationibus *veracitas* recte spectatur, quae facit, ut fidem suam exsoluturum esse, qui nobis aliquid pollicitus fuerit, credamus: in doctrinae vitam aeternam in lucem protracturae hominesque felices redditurae praedicatione alicui demandatâ Deus *hominum servator* cognoscitur. Neque enim hoc munus alicui Deus injungeret, nisi homines servatos vellet. Sic Rom. 16, 26. 27. Deus primo appellatur αἰώνιος, ubi *aeternitatis* ratio ducenda est, deinde σοφός, ubi *Dei sapientia* celebranda est. Et saepe Nomen repeti, ubi Pronomen suffecisset, vel per negligentiam, vel perspicuitatis causâ, vel etiam ut gravitas orationi accedat, in vulgus constat, v. Joh. 3, 23. 24. Ἦν δὲ καὶ Ἰωάννης βαπτίζων ἐν Αἰνὼν..... (οὔπω γὰρ ἦν βεβλημένος εἰς τὴν φυλακὴν ὁ Ἰωάννης). Eph. 4, 11. Col. 2, 11. *Krueg.* ad Xen. Anab. p. 27. et *Ellendt.* ad Arriani Exp. Alex. I, 55. Adde Cic. Acad. II, 33.. Deinde verba κατ' ἐπιταγὴν Viro D. hanc explicationem postulare videntur: quae (doctrinae divinae praedicatio) mihi concredita est secundum mandatum, quod servator noster Deus (i. e. Christus) *ipse* mihi dedit Act. 9, 6. 15. *Constanter* enim se Paulum ἀπόστολον διὰ θελήματος θεοῦ Cor. 1, 1. Col. 1, 1. al. nuncupare, ἀπόστολον κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ (i. e. τοῦ πατρός) *nunquam* (v. *Usterium.* l. c.). At quum P. se *a Deo* Apostoli muneri praepositum esse *Christo interprete* saepe affirmet (cf. not. ad Rom. 1, 5. Tom. I, pg. 15., ubi Gal. 1, 1. idem dici docuimus), causa nulla apparet, cur se ἀπόστολον διὰ θελήματος θεοῦ *Apostolum per Dei* (summi rerum gubernatoris) *voluntatem constitutum* dicere non dubitaverit, ἀπόστολον κατ' ἐπιταγὴν τοῦ θεοῦ *Apostolum secundum Dei mandatum constitutum*, quod eodem redit, se vocare plane noluerit. Et ita se appellavit 1 Tim. 1, 1. Παῦλος, ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, Τιμοθέῳ κτέ. Sed praejudicata opinio tantum apud V. D. potuit, ut *conjecturâ* scribi juberet: — κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Χριστοῦ Ἰησοῦ

illud nocet, quod P. *Dei* laudes doxologiâ saepe celebravit (Rom. 1,25. 11,36. Gal. 1,5. 2 Cor. 11, 31. 1, 3. Eph. 1,3.),

---

secundum Dei imperium, qui simul servator noster est Christus J.! Col. 3,17. Quamquam haec non Viri D. conjectura est, sed Ambrosiastri lectio. Postulant variantes, ut *κυρίου* deleamus et *Χριστοῦ Ἰησοῦ* reponamus *Griesbachium* imitati: praeterea credibile est: Paulum *κατ' ἐπιταγὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ καὶ* (sic 73. 80. al.) *Χριστοῦ Ἰησοῦ* etc. (cf. 1 Tim. 3, 2. Tit. 1, 3. 2, 10.) scripsisse, quum in variantibus lectionibus *τοῦ* post *ἐπιταγήν* usque recurrat. Sed Ambrosiastri scriptura et lectio ei vicina *κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, κυρίου Ἰ. Χρ. quisquiliae* sunt. Ceterum quod P. *Christum* alios apostolos, alios prophetas fecisse dixit Eph. 4, 7. 11., minime iis l. repugnat, in quibus se *a Deo per Christum* Apostolum exstitisse contendit. Nam Christum coelo receptum ita omnia regere censuit, ut Dei vicarius sit nec nisi Dei mandata exsequatur 1 Cor. 15, 24. sqq. Denique *Christum* Tit. 1, 3. *τὸν σωτῆρα ἡμῶν θεόν* vocitari ex eo elucere V. D. opinatur, quod paucis v. interjectis v. 4. *Jesus Chr. ὁ σωτὴρ ἡμῶν* appelletur. Non in *eadem* sententiâ, quae paucis verbis absolveretur, P. tum Deum tum Christum *τὸν σωτῆρα ἡμῶν* dixisset, v. c. in bono voto: *χάρις ὑμῖν, καὶ εἰρήνη ἀπὸ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ καὶ Χριστοῦ Ἰ., τοῦ σωτῆρος ἡμῶν.* In longiore periodo hoc facere P. non dubitavit Tit. 3, 4. 6. Sed h. l. in aliâ sententiâ (in epistolae inscriptione) v. 3. *Deus*, in aliâ (in bono voto) v. 4. *Christus, servator noster* nuncupatur. Multo minus Christum Tit. 2, 13. *τὸν μέγαν θεόν* apellatum esse credi potest: *Ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις, παιδεύουσα ἡμᾶς, ἵνα —— εὐσεβῶς ζήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, προσδεχόμενοι την μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα κτλ.* Nam si — *exspectantes adventum majestatis Jesu Chr., qui magnus Deus est et servator noster* explicueris, confundit P. cum Deo Christum, quod nunquam fecit, magnum Deum eum vocando, dicitque Deum patrem, ut *Patripassiani*, pro hominum salute mortuum esse (vide quae supra diximus in comment.)! Futilia argumenta sunt, quibus ista interpretatio nuper defensa est. *Usterius* l. c. *τὴν δόξαν τοῦ μεγάλου θεοῦ ad Deum* recte referri propterea negavit, quod hoc pacto P. *theophaniam* sine exemplo commemoraret. Non attenderat V. D. ad vocc. *τῆς δόξης τ. θ.* Scilicet solemnis Christi ultimum judicium exerciturі reditus tum *Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιφάνεια* erit, quatenus Christus, qui nunc non conspicitur Col. 3, 3. sq., tum magnâ cum pompâ de coelo profectus in conspectum se nobis dabit Matth. 25, 31. sq. 1 Thess. 4, 16., tum *ἐπιφάνεια τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ* erit. Illustrem enim *magni* Dei *majestatem* reddet, qui angelos comites Christo revertenti adjunget ceteramque pompam, quae in terrarum orbem redeuntem honestabit, suggeret. Quamobrem eo, quod Christus majestate insignis conspicietur, *Dei majestas*, qui Christum tanto angelorum comitatu alioque apparatu ornaverit, in conspectu nostro erit, et quia *magna* redeuntis Christi pompa erit, inde *magnum* et *augustum* Deum esse, qui tantas opes Christo suppeditaverit, nobis patebit. Deinde *Christum* h. l. *τὸν μέγαν θεόν* appellari ex eo concludi-

Christi nunquam (nam 2 Tim. 4, 17. 18. *de Deo* agitur). Parum igitur credibile est, Paulum, quod nunquam fecit alias, semel h. l. fecisse. Quod argumentum non eo infirmatur, quod *alii scriptores* pro suâ adversus Christum reverentiâ Christum laudibus doxologiâ enuntiatis extollere non dubitarunt (v. 2 Petr. 3, 18. Apoc. 5, 12. sq. Ev. Tho-

---

tur, quod non opus fuerit, ut Deus, quem magnum esse nemo facile negaset et *μεγάς* diceretur, Christus, cujus magnitudo tot homines praetereat, apte *μέγας* vocetur (v. *Usterium* l. c. et *anonymum* l. l. p. 135.)!! At ego putaveram, Deum quum *sit magnus*, jure etiam *magnum appellari* neque nostros homines reprehenderam, quos Du großer Gott! dicere saepe audivissem. Apte autem h. l. Deum *magnum* dictum esse, quod *quantus* esset magnâ pompâ declaraturus videretur Christo de coelo redeunti adjiciendâ jam supra indicavimus. Denique anonymus *debuisse* Paulum, si servatorem nostrum Jesum Christum a magno Deo discriminare voluisset, notissimae legi grammaticae obsequutum *καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* scribere contendit idque propterea prorsus necessarium fuisse putavit, quod P. tum Deum tum Christum *servatorem nostrum* dicere soleret. Itaque Articuli adjectione se praeter Deum etiam Christum commemorare, ne lectores utrum Deum an Christum servatorem nostrum vocaret, dubitarent ostendendum ei fuisse, Articuli omissionem Christum simul magnum Deum simul servatorem appellari docere perhibuit. At Nominibus propriis et praeponi potest Articulus et non praeponi. Et P. *Ἰησοῦς Χριστός* et *Χριστὸς Ἰησοῦς* plerumque scribit, raro *ὁ Χριστὸς Ἰησοῦς* Col. 2, 6. [Joh. 21, 15. *ὁ Σίμων Πέτρος*]. Jam quoniam P. h. l. *Ἰησοῦ Χριστοῦ* exaraturus erat, ne appositioni quidem nomini praemissae Articulum praeposuit. Contende Rom. 1, 7., 1 Cor. 1, 3. 2 Thess. 1, 12.. *κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς* cum Col. 2, 6. *ὡς οὖν παρελάβετε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν κύριον* etc. Ceterum non ambigue P. scripsit. Nam *alium* esse Jesum Christum, Dei legatum, *alium* Deum patrem (*τὸν μέγαν θεόν*), qui Christum legaverit neminem non intellecturum esse existimavit (v. quae supra in comment. diximus). Non magis igitur P. oratio offendit, quam dictis vernacule unser Retter Jesus Christus. Loca ab anonymo allata, ut Paulo *καὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰ. Χρ.* exarandum fuisse efficeretur, diversi generis sunt. Nam 2 Tim. 1, 10. Tit. 2, 10. 3, 4. nomini recto praemissus est Articulus, quia eum nomen regens habet, et Luc. 1, 47. Tit. 1, 4. 3, 6. appositio legitur nomini ad quod pertinet subjecta. Injuriâ igitur anonymus *Winero* gr. p. 122. sq. obloquutus est. Tertius l. epistolae ad Titum, in quo Christum Deum vocari nonnulli credunt, est 3, 4. sqq. *Ὅτε δὲ ἡ χρηστότης καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ, οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίου οὗ ἐξέχεεν ἐφ᾽ ἡμᾶς πλουσίως, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, ἵνα κτλ.* Sed h. l. *de Deo* exponi res docet, quandoquidem *qui nos per Christum servavit* alius sit, quam Christus, cujus operâ ille utatur, necesse est. Omitto alia, quae nostram sententiam confirmant, indicia, quae partim non praeterierunt *Usterium* l. c. p. 326..

mae Israelitae c. 19. fin.) *). Sed fac verisimile esse, Christum aliquando *θεὸν ἐπὶ πάντων* a P. vocatum esse neque Apostoli morem impedire, quominus Christum ab eo doxologiâ ornatum esse largiamur, sic quoque interpretatio, quam nunc evertere conamur, multis de causis inepta est. Nam et majestatis, quâ Christus sit *ἐπὶ πάντων θεός*, mentio ab h. l. abhorret ineptisque verbis concepta est, et doxologia, quâ aeternae laudes Christo tribuuntur. Temere piae explicationis propugnatores sui commenti necessitatem certatim eo firmant, quod vocabulis *ὁ ὢν ἐ. π. θ.* — *ἀμήν* ad Deum relatis desit, quod verbis *τὸ κατὰ σάρκα* oppositum sit (v. v. c. *Noesselt*. p. 143. et *Rueck*.). *Disertâ* enim oppositione non opus fuisse et e locis cognoscitur (cf. v. 3. 1 Cor. 1,26. [Act. 2,30. *Elsev*.] et *Koelln*.), et ex re ipsâ. Limitibus rem circumscribit *τὸ κατὰ σάρκα*, sed quales sint positi fines, attentus lector ex ipsis v. *τὸ κατὰ σάρκα* cum vi adjectis, ut suâ quisque sponte indicatam oppositionem cogitando adderet, intelligit. Arrian.

---

*) Etiamsi scriptorem libri Sohar et hujus generis alios scriptores judaicos Messiam יְהוָֹה צְבָאוֹת, et הַקָּדוֹשׁ בָּרוּךְ הוּא vocasse doceri posset (v. *Kopp*. et *Tholuc*. ad h. l.), non id tamen eo valeret, ut Paulum, quem Christum *θεόν* appellare noluisse apparet, Christo Dei nomen tribuisse putaremus. Sed loca a *Sommero* in Specim. theologiae soharicae p. 77. sq., *Schoettgenio* in Horis ebraic. II, 8., *Bertholdto* in Christol. p. 132. sq. aliisque citata illos scriptores Jehovae nomina Messiae tanquam ei propria ejusque majestati debita imposuisse minime probant. Imo nixi V. T. locis, in quibus tum Dei nomina legerentur tum de Messia exponi iis videretur, Messiam nomine יְהוָֹה et finitimis nominibus *oblique* notari posse putarunt. Sic Messiam nomine יְהוָֹה recte designari ex eo probarunt, quod Jer. 23, 6., quo loco de Messia agatur (cf. v. 5.), יְהוָֹה צִדְקֵנוּ legatur. Eadem ratio fecit, ut in Messiae nominibus *Davidis* et *Eliae* nomina reponerent (v. *Kopp*. ad h. l.). Neque illi Judaei Messiam cum Jehovah confuderunt, sed Jehovam, quemadmodum Johannes et Paulus, *τὸν ἀόρατον* (Col. 1, 15.) et *ἐνδιάθετον θεόν*, Messiam actuosum et qui divinam majestatem foras proferret (*τὸν προφορικὸν θεόν* s. *τὸν δεύτερον θεόν*) fecerunt. Hinc esse Messiam cum Schechinah (v. *Bertholdt*. p. 132.), esse Metatronem Dei omnipotentis (שַׁדַּי) indumentum, omnes Sephiras vestitas esse Metatrone (v. *Sommerum* p. 37. sq.) et similia affirmarunt. Eadem sententiâ Johannis 12, 41. locum Jes. c. 6. ad Messiam referentis interpretatio nititur. *Tholuccius*, qui nunc gnaviter in eo laborat, ut imperitae plebi *πολυΐστωρ* esse videatur, ne prima quidem literarum elementa se didicisse hic quoque ostendit. Nam notissimam et quae singulis librorum rabbinicorum paginis invenitur siglam הקב״ה p. 365. sic resolvit: הַקֹּדֶשׁ (!!) בָּרוּךְ הוּא Ferreus sit oportet, qui amplam viri eruditionem admirari nolit!

Exp. Alex. 3, 28, 8. *τὸ δὲ ὄρος ὁ Καύκασος ὑψηλὸν μέν ἐστιν ὥσπερ τι ἄλλο τῆς Ἀσίας — —, ψιλὸν δὲ τὸ πολὺ αὐτοῦ τό γε ταύτῃ.* Caucasum *ἄλλῃ* non esse *ψιλόν* indicari quivis assequitur. Rom. 12, 18. Romani cum omnibus hominibus in pace esse jubentur *τὸ ἐξ αὐτῶν quantum in ipsis sit* h. e. non si alii eos inimice insectentur. Col. 3, 22. *οἱ κατὰ σάρκα κύριοι* servorum tacite distinguuntur a Christo. Itaque quam illi oppositionem desiderarunt, ea indicata verbis est *τὸ κατὰ σάρκα*, ut mente eam addamus: *οὐ τὸ κατὰ τὴν θεότητα, οὐ τὸ μὴ κατὰ σάρκα* (v. supra), non vocabulis diserte expressa. Deinde ne continent quidem vv. *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός* quod vocabulis *τὸ κατὰ σάρκα* oppositum sit. Haberemus non justam oppositionem, sed speciem tamen oppositionis, si P. scripsisset: *ὁ ὢν κατὰ τὴν θεότητα* (s. *κατὰ τὴν φύσιν* s. *τὸ μὴ κατὰ σάρκα*: nam *κατὰ πνεῦμα* sensu h. l. destitueretur) *ἐπὶ πάντων θεός, εὐλογητὸς κτλ.*. Quin colo post *σάρκα* posito ita P. loqui debuerat: *τὸ γὰρ κατὰ τὴν θεότητα* (s. *ἐπεὶ τὸ κατὰ τὴν θεότητα* etc.) *ἐπὶ πάντων θεός ἐστιν, εὐλογητὸς κτξ.*. Quamquam haec quoque observatio lectoribus paullo subtilioribus jure displiceret, tum quia supervacanea esset tum quoniam Pauli disputationem interrumperet. Qualis quantusque esset Christus majestate quam a Deo ante mundi primordia accepisset scire lectores suos P. existimavit (cf. Rom. 8, 3. Gal. 4, 6.). Quare ubicunque Christi divinitatem copiosâ et elatâ oratione persequutus est, non hoc fecit, ut rem novam et inauditam lectoribus traderet, sed ut refricandâ notae rei memoriâ vel suae pietati satisfaceret, vel lectores pietate perfunderet suaeque disputationi vim et robur adderet 1 Cor. 15, 27. Eph. 1, 20. sq. Phil. 2, 5. sq. Col. 1, 14. sq. Rom. 1, 3. 4.. Male igitur P. esse Christum divinâ naturâ spectatâ omnia moderantem Deum, tanquam lectores edocturus, obiter h. l. observasset, quum praesertim talis observatio ab institutâ disputatione aliena fuisset. Cumulavit P. beneficia a Deo in Israelitas collata, ut eos Deo judice dignos esse, pro quibus extrema pateretur, ostenderet v. 4. 5.. Jam honestavit Israelitas Christus Deo gubernante *homo* Davidis semine ortus (1, 3.): Christus, *Deus* ante mundi initia a Deo patre procreatus Col. 1, 15. sq., neque Israelitas neque aliud genus hominum propinquitate contigit. Praeterea doxologiam *Christo* dicatam absonam esse contendimus. Nam si dicas, Paulum divinâ Christi majestate memoratâ animo vehementius commotum aeternâ Christum laude celebrasse, parum id verisimile est, quum ne ibi quidem hoc Ap. fecerit, ubi Christi divinitatem orationis ubertate et splendore celebra-

vit Eph. 1,20. sq. Phil. 2,5. sq. Col. 1,15. sq.. Hoc autem l., vel si veram esse, quae falsa est, interpretationem concesseris, Christi non suâ causâ, sed quoniam humanis suis natalibus *Judaeos* ornavit, mentio injecta est v. 5., deinde divina ejus natura obiter et commemorata et laudata est. Haud dubie igitur ea hujus l. explicatio illi praeferenda est, in quâ idoneam doxologia rationem habeat, ut ipsum loci argumentum eam genuerit, quum praesertim P. nunquam temere doxologias adsperserit 1,25. 11, 36. 2 Cor. 11,31. Gal. 1,5. 2 Tim. 4,18.. Absurde *Chr. Fr. Schmidius*, *Rosenm.*, *Jaspis.* al. Paulum, „ne *quasi* (!) injurius in Christum fuisse videretur commemorandâ ejus cum Judaeis *nunc rejiciendis* cognatione". doxologiam addidisse perhibuerunt. Nam P. longe nobilissimam esse Israelitarum gentem censuit (v. not. ad 1,16. 9,4.) neque dubitavit, quin degeneres Israelitae Deo cari essent propter pios majores Rom. 11, 28.. Praeterea divinae sapientiae instituta postulasse, non solum ut Christus *homo* nasceretur, sed etiam ut *inter Judaeos* in lucem ederetur Gal. 4,4. putavit. Quocirca clari et qui divinae ejus majestati bene responderent Christi natales Paulo videri debuerunt; vereri, ne ejus cum Judaeis cognatione memoratâ injuriam Christo intulisset, non potuit. His lectis mirabere quid *Rueckerto* in mentem venerit, qui *praejudicia dogmatica* multos movisse, ut interpretationem a nobis explosam inire nollent, dixerit: nihil enim eâ *simplicius*, nihil *grammaticis legibus convenientius* fingi posse! Idem dixit *Usterius* l. l. p. 324.. Imo pie piam explicationem valere jubeamus, quandoquidem nullâ re magis pietatem colas, quam investigandâ, approbandâ et defendendâ veritate. Veteres autem interpretes errore captos hunc l. summo consensu ad *Christum* rettulisse ei non mirum videbitur, qui quanta tum fuerit artis hermeneuticae infantia quantaque hominum cupiditas meminerit. Quippe *Dei*, cui exceptis improbissimis hominibus honorem nemo detracturus videbatur, res satis salvas arbitrati multa *Christo* ab haereticis mire vexato castella munienda esse existimaverunt. Itaque PP. eccles. non iis tantum l., quibus obiter lectis utrum Dei an Christi majestas celebretur, dubites de Christo exponi perhibuerunt, sed iis etiam l. Christum laudari, quae ne dormitantes quidem interpretes ad Christum nunc referant, obstinate defenderunt. Verissime *Erasmus*, *Semlerus*, *Boehmius*, *Winzerus* l. c. p. 9. sq., *Koellnerus*, *Meyerus* al. verba ὁ ὢν ἐπὶ πι θ. εὐλ. εἰς τ. αἰῶνας, ἀμήν. ab antegressâ oratione separata laudes Deo tributas continere censuerunt. Est tamen haec explicatio

et magis expolienda et accuratius fundanda, quam hucusque factum est. *Πάντων* non *Neutrum* est (*Erasm.*, *Koelln.*, *Meyer.* al. qui *omnibus rebus* praeest Deus laudetur perpetuo), sed *Masculinum.* Dicuntur *πάντες omnes homines* i. e. tum Judaei tum pagani (v. Rom. 10, 12. 11, 32. 3, 29.): *qui omnibus praeest hominibus* (i. e. qui et Judaeis et gentilibus consulit Deus, der über allen Menschen waltende Gott) *sit celebratus perpetuo*, *amen.* Multorum magnorumque beneficiorum, quibus Deus Israelitas affecisset, mentio v. 4. et 5. ita Apostoli animum commovit, ut Dei laudes doxologiâ celebraret (11, 36. Gal. 1, 5. 2 Tim. 4, 18.). *Omnium* autem *hominum saluti providentem* Deum P. nominavit, memor eorum, quae hâc disputatione efficere voluit, omnia Deum consilia, nunc quidem Judaeis acerba, eo direxisse, ut omnes denique homines per Christum bearentur (11, 32.). Hanc igitur doxologia sententiam fundit: qui omnibus hominibus prospicit Deus, ut male credas Judaeos ab eo destitutos esse, quia nunc eos parum curare videatur, et temere ei succenseas, quod *gentiles* favore nunc amplexus sit, laudetur ob beneficia Judaeis tributa perpetuo. Dei *omnibus hominibus consulentis* appellatione P. usus est, quo aequiore animo judaicae stirpis Christiani, quos tristis quae tum esset Judaeorum conditionis misereretur, asperas, quae proxime v. 6. sqq. enuntiandae essent, sententias legerent, quum ex illâ laetam disputationis Paullinae exitum conjectare possent. Qui utrum masculini an neutrius generis *πάντων* sit constitui posse negarunt neglecto dissertationis Paullinae consilio singulorum hujus l. verborum contemplatione defuncti sunt. Argumenta verborum juncturae quam probavimus opposita plumâ leviora sunt. Quam ferri non posse, quia P. non scripserit: *ὁ θεὸς ὁ ὢν ἐπὶ πάντων εὐλογητός* etc. temere objicitur. Flagitabat notissima lex grammaticae, ut *aut ὁ θεὸς ὁ ὢν ἐπὶ πάντων εὐλ. κτἑ.*, *aut ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς κτλ.* P. poneret (v. *Kuehneri* gr. II, 138. et *Win.* gr. p. 123. sq.), ut non intelligam quid *Reich.* sibi voluerit, qui Paulum purgaturus *inversione* eum usum esse contenderit. Jam si Ap. *ὁ θεὸς ὁ ὢν ἐπὶ πάντων εὐλ. κτλ.* exarasset, *Dei* notio eminuisset, Dei *omnibus hominibus prospicientis* cogitatio delituisset. Jam quoniam haec eminere debebat, illi male praecipua vis h. l. indita esset, recte P. *ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλ. κτἑ.* posuit. Deinde *ὢν* non solum supervacaneum esse (suffecisse enim v. *ὁ ἐπὶ πάντων θεός* Eph. 4, 6.), sed etiam inepte, doxologiâ *ad Deum* relatâ, additum esse *dW.* ed. 2. jecit. At quum recte dicatur *ὁ θεὸς ὁ ὢν* (i. q. *ὅς ἐστιν*) *ἐπὶ πάντων εὐλ. κτλ.*, non minus recte *ὁ ὢν ἐπὶ πάν-*

πάντων θεὸς εὐλ. κτλ. dici apparet. Eph. 4, 6. εἷς θεὸς καὶ πατὴρ πάντων, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ διὰ πάντων καὶ ἐν πᾶσιν ἡμῖν, vox ὢν non scripta cogitatur tamen. Neque hiare structuram, quia P. non dixerit ὁ δὲ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλ. κτέ. (1 Tim. 1, 17.), verum est. Nempe *omnibus hominibus consulentis* Dei laus Pauli disputationi, quae haec est: vellem extrema pati pro Israelitis, sanguine mihi cognatis et quos generosos homines esse summa a Deo iis data beneficia arguant v. 3. — 5.; at hoc fieri nequit (v. 6. sq.), *obiter* interserta est. Usitatum est autem asyndeton in sententiis obiter interpositis. Male quidem Ap. ὁ δὲ ὢν etc. h. l. scripsisset, quia tum doxologia Pauli animo per magnorum beneficiorum Judaeis divinitus tributorum mentionem concitato obiter adjecta nimis exsisteret mentemque a primariâ hujus l. sententiâ (vellem tristissimam sortem pro Judaeis adire v. 3. sq.: sed fieri hoc nequit v. 6. sq.) averteret (1 Tim. 1, 17. δὲ bene comparatum est in doxologiâ, quâ praecedens disputatio pie et magnifice concludatur). Itaque obiter interjectam doxologiam disputationis summam non attingere declaraturus post τὸ κατὰ σάρκα colon figere, quam cum librario Cd. 47. et *Lachm.* plene interpungere malui. Doxologiae, quâ *Deus* laudetur, locum nullum esse, quoniam necesse sit, ut v. ὁ ἐπὶ πάντων θεός notionem verbis τὸ κατὰ σάρκα oppositam enuntient, quam temere dicatur supra vidimus. Tum male doxologiam Dei laudes celebrantem, quam beneficiorum in Israelitas divinitus collatorum mentio v. 4. 5. pepererit, et quia *non divina beneficia*, sed Israelitarum *decora* v. 4. 5. Ap. memoraverit, et quoniam Deum *omnibus rebus majorem* appellaverit, non illorum decorum *largitorem* dixerit, h. l. admitti inconsiderate *dW.* contendit. Sunt enim Israelitarum ornamenta pro beneficiis, quibus eos Deus cumulaverit, a P. commemorata, ut dignos esse homines, pro quibus pestem susciperet, quum ipse Deus eos nobilitaverit, demonstraret (v. supra). Verba autem ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός *omnibus hominibus prospicientem* Deum, non *omnibus rebus majorem* Deum notant. Pejus etiam, doxologiâ ad Deum relatâ perperam Christum *quasi* (!) infra Deum deprimi, qui Paulo adversus Judaeos disputanti extollendus fuerit, *dW.* asseveravit. Nihil vero Dei laudibus Christo detractum est, quandoquidem neque Christum Christus hominem nasci jussit, sed Deus, neque cetera quae P. posuit decora Israelitis a Christo, sed a Deo profecta sunt. Accedit, quod *Deum*, *non Christum* perpetuo celebrandum esse nullâ P. voce indicavit. Praeterea ἔστω s. εἴη post θεός ab Ap. omitti non potuisse absurde objectum est (v. LXX. Genes.

9, 26. 14, 20. 1 Reg. 15, 39. Luc. 1, 68. Eph. 1, 3. 1 Petr. 1, 3.). Postremo hunc l. Dei laudes complecti permulti interpretes negant propterea, quod ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς etc., non εὐλογητὸς ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εἰς τ. αἰῶνας, ἀμήν. Ap. scripserit. Constanter enim verbis בָּרוּךְ et מְבֹרָךְ, εὐλογητός et εὐλογημένος primum locum in doxologiis assignari (v. v. c. *Fausti Socini* Opp. II, 581. sq. Irenop. 1656., *Flatt.* ll. cc. et *Knappii* Vorles. über die christl. Glaubensl. I, 218.). At tum illae voces primo l. collocantur, quum notioni *celebratus* primaria vis inest, quam in plerisque doxologiis illam cogitationem habere non mirum est (Genes. 9, 26. 1 Reg. 15, 32. 2 Reg. 18, 28. 3 Reg. 5, 7. 8, 15. Ps. 105, 48. Luc. 1, 68. 2 Cor. 1, 3. Eph. 1, 3. 1 Petr. 1, 3.): quum in ejus, qui celebratur, nomine praecipuum pondus recumbit, *hoc* primo loco collocatur.* LXX. 3 Reg. 10, 9. γένοιτο κύριος ὁ θεός σου εὐλογημένος, ὃς.... 2 Paral. 9, 8. ἔστω κύριος ὁ θεός σου ηὐλογημένος, ὃς.... Job. 1, 21. εἴη τὸ ὄνομα κυρίου εὐλογημένον (praecedunt v.: ὁ κύριος ἔδωκεν, ὁ κύριος ἀφείλατο, ὡς τῷ κυρίῳ ἔδοξεν, οὕτω καὶ ἐγένετο). Ps. 112, 1. 2. — αἰνεῖτε τὸ ὄνομα κυρίου. εἴη τὸ ὄνομα κυρίου εὐλογημένον... Ps. 67, [68.] 20. κύριος ὁ θεὸς εὐλογητός, εὐλογητὸς κύριος ἡμέραν καθ' ἡμέραν, καὶ κατευοδώσει ἡμῖν ὁ θεὸς τῶν σωτηρίων ἡμῶν. Mendosam hanc esse scripturam male *Bretschn.* Dogm. I, 522. aliique putarunt. Apparet enim LXX. primo בָּרוּךְ אֲדֹנָי copulasse, deinde יוֹם יוֹם scil. בָּרוּךְ אֲדֹנָי junxisse et in priore membro vocem אֲדֹנָי, in posteriore voculas ex illo supplendas בָּרוּךְ אֲדֹנָי ponderosas judicasse, quemadmodum Ps. 29, 7. in priore membro primarium pondus *verbum* habet וַיַּרְקִידֵם, in posteriore praecipua vis *montium* (Libani et Antilibani) *nominibus* inest. Imperite de h. l. disputavit *Flatt.* Opusc. p. 395. sq.. Qui ibi quoque in doxologiis εὐλογητός primo l. poni, ubi Subjectum praecipuâ vi polleat parum dixit considerate in comment. p. 288.. Nam quibus suam opinionem l. firmavit, ea omnia parum intellexit v. c. Ps. 134, 20. — οἱ φοβούμενοι τὸν κύριον εὐλογήσατε τὸν κύριον. (Nunc sequuntur Dei laudes: quare εὐλογητός praecipuum pondus habeat, necesse est.) Εὐλογητὸς κύριος ἐκ Σιὼν... Exod. 18, 10. Jethro auditis potenter factis, quibus Jehovah Israelitis in Aegypto benigne succurrisset, admiratione captus (v. 8. 9.) εὐλογητὸς, inquit, κύριος, ὅτι ἐξείλατο τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐκ χειρὸς Αἰγυπτίων καὶ ἐκ χειρὸς Φαραώ. Quare hic quoque εὐλογητός, non κύριος praecipuam vim habet. Similis ceterorum a *Flatto* allatorum locorum ratio est. Jam h. l. Paulus *omnibus Deum*

*Ruth ii. 19, εἴη ὁ ἐπιγνούς σε εὐλογημένος. Cf. Aq. Sym. Theod. Prov. v. 18

hominibus prospicere lectoribus inculcaturus verbis ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός, ut in sententiâ primariis, primum locum dare debebat neque sententiam a voce εὐλογητός ordiri poterat. Nam doxologiâ sic conformatâ disputationi solemni formulâ finem imponere et vix inchoatam in ipso cursu inhibere subito videretur. Mediam quandam viam ingressi sunt, qui, ut est in Cd. 71., suadente *Erasmo* plene post ἐπὶ πάντων interpunxerunt, *Wetst.*, *Lockius*, *Oertelius* in l.: Christologie I, 211. sq., *Ammon* ad h. l. (cf. ejusdem bibl. Theologie I, 220.), *Stolzius*, *dW.* al. h. m.: — *et a quorum gente* ***Christus*** *originem ducit quod ad* ***corpus humanum*** attinet, *qui reverâ* (?) *omnibus rebus praeest* Matth. 11, 27. 1 Cor. 15, 27. (*Wetst.* al. qui *reverâ* [?] dominus omnium est et Judaeorum et gentium: *Oertel.* al.: *qui* omnibus quos dixi patriarchis [*Stolz.*: omnibus Judaeis] major est). *Deus celebratus sit perpetuo* (np. quia talem tantumque Messiam dedit), amen. Premunt hanc rationem in v. ὁ ὢν ἐπὶ πάντων eaedem difficultates, quibus orthodoxam videlicet explicationem laborare supra monuimus. Neque enim vocc. ὁ ἐπὶ πάντων quidquam continent, quod verbis τὸ κατὰ σάρκα recte opponatur. Senserant hoc eorum quos commemoravimus nonnulli, quum qui *autem reverâ* est omnium dominus verterent (*Wetst.*), verbis *autem reverâ* pro arbitrio additis. Eodem vitio haec interpunctio affecta est: — τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός. Εὐλογητὸς etc. Sed ipsa etiam doxologia *perversa* est voce θεός post uberiorem Christi descriptionem primo loco positâ: *Deus* (at non Christus) *celebretur perpetuo!* Sic voci εὐλογητός primus locus concedendus fuisset: εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας θεός, ἀμήν. *Morus* v. sic distinxit: — τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, θεός, εὐλογητὸς εἰς τ. αἰῶνας, ἀμήν. — qui (Christus) omnibus superior est, qui *Deus* est Joh. 1, 1., celebrandus in aeternum Joh. 5, 23., amen. At ita neque Graji, neque barbari loquuti sunt. Quare hanc verborum distinctionem *Reichius* sequi non debebat, qui ceteroqui verba, de quibus quaeritur, bene ad Deum rettulit et acute de h. l. disputavit. *Mori* commento similis distinctio est, quae *Erasmo* in mentem venit, haec: — τὸ κατὰ σάρκα, ὁ, ὢν ἐπὶ πάντων θεός, εὐλογητὸς (εἴη) εἰς τ. αἰῶνας, ἀμήν. — — qui (Christus), quum sit Deus super omnia, celebretur etc.

V. 6. — 9. Dubitari potest de ratione, quâ v. 6. cum ante dictis cohaereat. Nam negare v. 6. sq. per occupationem Apostolum, ex eo, quod alienos esse a Christo salutisque per eum partae exsortes Judaeos v. 3. declarasset, recte cogi, *Dei promissum* patriarchis datum,

quia non ad omnes promiscue Abrahami et Jacobi posteros, sed ad nonnullos tantummodo pertinuerit, eventu caruisse, *Calvino*, *Bezae* aliisque assensus statuas. Praeterea v. 6. οὐχ οἷον δὲ ὅτι etc. ad ηὐχόμην v. 3. referendum esse credas h. m. Optarem, ut ipse ego diris devotus a Christo divellerer in Judaeorum emolumentum (np. si hâc meâ miseriâ eos servare possem) v. 3.. Sed procul abest, ut *Dei edictum* ad irritum ceciderit v. 6., quod nonnullis patriarcharum posteris, non omnibus eorum nepotibus, messianam felicitatem spoponderit v. 6.—13.. Jam inexsuperabilem esse vim fati, quod selectis Judaeis messianam beatitatem destinaverit, eo P. monuerit, ut et se nimis inopem esse, qui a gente judaicâ, quam diligeret, fatalem miseriam depelleret, significaret et judaicae stirpis lectores, qui acerbâ nationis jud. conditione angerentur, solatio recrearet. Magnum enim pio homini in asperis rebus affert solatium, quod miseram suam fortunam esse *Deo* placuerit. Mihi posterior explicatio vera esse videtur duabus de causis. Nam v. 3. *primaria* sententia haec est: *optaturum Paulum esse*, *ut diris devotus a Christo sejungeretur pro Judaeis*, *si id fieri posset*, non haec: *sejunctos esse Judaeos a Christo*. Deinde pro late patente voce ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, quae Dei edictum, oraculum, promissum, minas aeque complectitur, P., ut ambiguitatem devitaret, — ὅτι ἐκπεπτώκασιν αἱ ἐπαγγελίαι τοῦ θεοῦ exaratum fuisse credas, quum praesertim v. 4. αἱ ἐπαγγελίαι memoratae fuerint. Neque nostrae explicationi obest, quod P. non Praesens ἐκπίπτει aut Futurum ἐκπεσεῖται, sed Praeteritum posuit. Nam tristis judaicae nationis status tum demum aut Pauli miseriâ corrigi aut quocunque modo emendari posset, si *quod etiamnum valet* Dei edictum, quo cunctis Abrahami posteris messiana salus negata est, vim *amisisset*. — Maxima loci difficultas in formulae οὐχ οἷον δὲ ὅτι interpretatione sita est. Plerique veterum interpretum ejus vim plane non perceperunt. Itaque nonnulli οἷον ne verterunt quidem (It.: *non autem excidit verbum Dei*), Chrys. autem cum grege suo inepte interpretatus est. Nam Chrys. Paulum, ut hanc objectionem praeoccuparet, quae e vs. 3. nasci posset: τί οὖν σὺ (Paule) μᾶλλον φροντίζεις τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, ἢ ὁ θεὸς τῆς ἑαυτοῦ; καὶ τῆς παρὰ σοῦ δεῖται βοηθείας, ὥστε μὴ ἐκπεσεῖν αὐτοῦ τὸν λόγον; verbis οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπ. ὁ λ. τ. θ. hoc enuntiasse credidit: ταῦτα εἶπον, οὐχ οἷον ὅτι ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐκπέπτωκεν, ἀλλ' ἵνα δείξω τὸ περὶ τὸν Χριστὸν φίλτρον. Nempe Apostolum non Judaeorum amore adductum, sed quod Deum et Christum impense diligeret, ne homines Deum

fidem Judaeis datam fefellisse, quia eorum gentem ad messianam felicitatem non admisisset, dicerent, se, si fieri posset, optaturum esse, ut suâ peste Judaeorum fides et beatitas redimeretur, v. 3. affirmasse, temere Chrys. sumserat. Sic igitur Chrys. hunc l. enarravit: *non quo Dei promissum ad irritum ceciderit* h. e. non eo dixi quae v. 3. declaravi, quod Dei promissum eventu caruerit, non hoc mihi volui, Dei promissum nullum eventum habuisse. Eandem rationem ingressus est Vulgatus: non autem *quod* exciderit verbum Dei. Tum Chrysostomum imitatus est *Oecum.*: *ταῦτα γάρ, φησιν, εἶπον, οὐχ οἷον ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, τουτέστιν οὐκ ἐπειδὴ* (ergo *Oec.* *οἷον ὅτι* explicuit *quoniam*) *ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τ. θ., ἀλλ' ἵνα τὴν πρὸς αὐτοὺς* [*τοὺς Ἰουδαίους*] *ἀγάπην ἐνδείξωμαι*., *Beza*, alii. Sed praeterquam quod hi neque respondere *οὐχ οἷον δὲ ὅτι* etc. verbis v. 3. *ηὐχόμην ἀνάθεμα εἶναι* intellexerunt, et *ὁ λόγος τ. θ.* perperam *Dei promissum* exposuerunt, *non quo exciderit Dei promissio* graece est *οὐχ ὅτι*, non *οὐχ οἷον ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τ. θ.*. Hûc adjice, quod *ταῦτα εἶπον* P., ut orationis perspicuitati consuleret, melius scripsisset, quam omisisset: *ταῦτα δὲ οὐκ εἶπον* (s. *τοῦτο δὲ οὐκ ἔλεγον* 1 Cor. 15, 50.), *ὅτι ἐκπ. ὁ λ. τ. θ.*. Hoc argumento scholiastae interpretatio labefactatur, qui Pauli v. sic resolvit: *οὐ τοιοῦτον δὲ ἔλεγον, οἷον ὅτι ἐκπ. ὁ λ. τ. θ.*. *Schol. Matth.*: *οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν*] *οὐ τοιοῦτον δέ, φησιν, ἐνδείκνυταί μοι ὁ λόγος, οἷον ὅτι ἡ πρὸς Ἀβραὰμ διέψευσται τοῦ θεοῦ ἐπαγγελία* —. Permulti interpretes *οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λ. τ. θ.* idem esse putant, quod *οὐχ οἷόν τε δὲ ἐκπεπτωκέναι τὸν λόγον τ. θ.* (*Augustin.*, *Grot.*, *Heum.*, *Morus.*, *Boehm.* al.). Sententia optime habet: optarem, ut meâ ipsius miseriâ Judaei redemti ad Christi sacra adducerentur, si fieri posset v. 3.. Sed fieri nequit, ut Dei decretum, quo nonnullis Judaeis, non omnibus Israelitis messiana salus portenditur, abolitum sit (v. 6.) i. q. sed Dei edictum etiamnum vigeat necesse est. Itaque inexsuperabilis vis fati non patitur, ut aut suâ Paulus peste Judaeorum salutem redimat, aut tristis eorum status quocunque modo corrigatur. Neque alterâ, quam rejecimus, interpretatione initâ male comparata sententia est: fieri autem non potest (np. quia Deus datam fidem fallere nequit), ut, quod evenisse aliquis ex ante dictis v. 3. temere colligat, Dei promissum patriarchis datum ad irritum ceciderit. Non equidem propterea *οὐχ οἷον fieri nequit* recte enarrari nego, quod P. non scripsit *οὐχ οἷόν τε* (v. *Matthiae* Ausf. gr. Gr. p. 896. ed. 2. et locum a *Wetstenio* allatum II, 66.:

Gorgias pro Palamede: *ἀλλὰ σοὶ οὐκ ἦν οἷον μόνον μάρτυρας, ἀλλὰ καὶ ψευδομάρτυρας εὑρεῖν, ἐμοὶ δ' οὐδέτερον τούτων δυνατόν.*), sed idcirco eam repudio, quia *ὅτι ἐκπέπτωκεν*, non Infinitivus sequitur. Eo sane illam structuram excusare aliquis conetur, quod, sicut *ἐλπίζω* et cum Infinitivo Rom. 15, 24. et cum *ὅτι* struatur Philem. v. 22., ita *οὐχ οἷον δέ, ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τ. θ.* pro *οὐχ οἷον δὲ ἐκπεπτωκέναι τὸν λόγον τ. θ.* recte dictum sit, quum praesertim seriores scriptores verba, quae veteres aut cum Infinitivo aut cum Participio copulassent, cum *ὅτι* consociare maluisse constet. Sic P. Rom. 8, 18. *λογίζομαι-ὅτι* — dixit, quum classici scriptores verbo *λογίζομαι* nunc Accusativum cum Infinitivo Herodot. 1, 38., nun Participium subjecissent Herodot. 8, 136.. Sed haec observatio consideratum interpretem non movebit, nisi *οὐχ οἷον* (*οὐχ οἷόν τε*) *ὅτι* dictum esse *exemplis* demonstratum sit. Nam quae *posse* significant voces etiam in N. T. cum Infinitivo consociantur v. c. *οὐκ ἐνδέχεται* Luc. 13, 33., *ἀδύνατον* Hebr. 10, 4., *δυνατός εἰμι* Rom. 11, 23., *δύναμαι* (cf. *Kuehneri* Ausf. Gr. II, 337.). Praeclare *Photius* apud *Oecumenium*: *οὐχ οἷον*] *οὐ μόνον, φησίν, οὐκ ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, ἀλλ' οὐδὲ οἷον ἐκπέπτωκεν· οἷον ἀλλ' οὐδὲ ἐγγὺς γέγονε τοῦ ἐκπεσεῖν ἢ δοκεῖν ἐκπεπτωκέναι.* Primum examinemus Phrynichi praeceptum Epitome p. 372. *οὐχ οἷον ὀργίζομαι: κίβδηλον ἐσχάτως. μάλιστα ἁμαρτάνεται ἐν τῇ ἡμεδαπῇ, οὐχ οἷον καὶ μὴ οἷον λεγόντων, ὅπερ οὐ μόνον τῷ ἀδοκίμῳ ἀπόβλητον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἤχῳ ἀηδές. λέγειν δὲ χρὴ οὐ δήπου, μὴ δήπου.*, ubi *Lobeckius vitii a Phrynicho castigati*, inquit, *exemplum qui proferet, indicium accipiet.* Atqui nonnulla exempla e Polybio collegit *Lennepius* ad Phalarin p. 258. ed. Lips. Cf. *Hermannum* ad Vig. p. 788. ed. 4. et Lexicon *Passovii.* Phrynichus quidem, quum hunc verborum usum pessimas sordes dicit (*κίβδηλον ἐσχάτως*), hic quoque est, ut fuit haud raro, justo durior. Nam sic jam Alexis loquutus est, mediae scriptor comoediae, apud Athenaeum VI, 244. c. *πέτεται γάρ, οὐχ οἷον βαδίζει*, quod quidem hujus loquutionis documentum fortasse vetustissimum Viri docti neglexerunt. Nec sane, quamobrem *οὐχ οἷον, μὴ οἷον*, quod apud Bithynos vel Asiaticos usu receptum sit, etiam sono insuave ac plane *κακόφωνον* judicaverit Phrynichus, causam ullam invenio. Nec rectius denique in illorum verborum locum tanquam atticas suffecit voculas *οὐ δήπου, μὴ δήπου*, quae vim habent *similem* quidem (doch nicht, doch ja nicht), sed *non eandem.* Imo vero debuerat pro *οὐχ οἷον* de optimâ notâ commendare *οὐχ ὅτι*

atque οὐχ ὅπως, quibus loquendi formis usi sunt Plato, Thucydides, Xenophon, scriptores sane attici (cf. ad Viger. p. 465. not. 53. et *Lennepium* l. c.). Praeterea etiam formula Demosthenica substitui saepe poterit, quae rei ad quam pertinet postponenda est: πολλοῦ γε καὶ δεῖ. Antiatticista *Bekkeri* p. 110. 13. pro οὐχ οἷον ὀργίζομαι suadet, ut graece dicatur πολὺ ἀπέχω τοῦ ὀργίζεσθαι. Verum ne hoc quidem Atticis valde placuerit. Quaeritur jam de eo, in quo rei summa vertitur, de hujus formulae explicatione. Οὐχ οἷον per attractionem dictum haec complectitur: οὐ τοιοῦτόν ἐστιν, ὅτι — die Sache ist nicht so beschaffen, daß — *non est tale, quod* —. v. c. οὐχ οἷον ὀργίζομαι i. e. οὐ τοιοῦτόν ἐστιν, ὅτι ὀργίζομαι. Polyb. 3, 82, 5. — οὐχ οἷον (οὐ τοιοῦτόν ἐστιν ὅτι) προςεῖχε τοῖς λεγομένοις, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἀνείχετο τῶν ἀποφαινομένων ταῦτα. Ac ne quis miretur, quî fiat, ut omnibus locis, qui ubique reperti sunt, formulâ οὐχ οἷον non simplex rei negatio contineatur, sed *fortis quaedam longeque gravissima*, rationem reddere possum hanc, admodum, ut spero, probabilem, quod nusquam dictum est οὐχ ὅ, sed constanter οὐχ οἷον. Illud enim significaret οὐ τοῦτό ἐστιν, ὅτι — die Sache ist nicht diese, daß — eoque rem sine ullâ vi negaret, hoc debet significare οὐ τοιοῦτόν ἐστιν ὅτι — die Sache ist gar nicht dem ähnlich, daß — h. e. *minime* sic se res habet, *longe aliud est*, *multum abest*, ut — weit gefehlt, daß, — es ist kein Gedanke daran, daß —, nicht entfernterweise, *minime vero*, *minime omnium*. Apparet e meâ attractionis expositione, quî οὐχ οἷον tum cum ipso enuntiationis verbo consociari, tum ad Adjectivum referri potuerit, ut extra reliquae orationis structuram positum videatur, quemadmodum οἶσθα Luc. Hermot. c. 18., οὐδεὶς ἀντερεῖ Eurip. Alcest. v. 615. et similia. Usus enim eo valuit, ut formula οὐχ οἷον adverbii fortiter negantis vim adipisceretur. Diod. Sic. 1, 83. τὰς δὲ γινομένας περὶ ταῦτα (bestiae dicuntur, quas Aegyptii ut deos coluerunt) λειτουργίας οὐχ οἷον (οὐ τοιοῦτόν ἐστιν ὅτι) ἐκκλίνουσιν ἢ τοῖς ὄχλοις γενέσθαι καταφανεῖς ἐπαισχύνονται, τοὐναντίον δ᾽ ὥςπερ εἰς τὰς μεγίστας τῶν θεῶν γινόμενοι τιμὰς σεμνύνονται καὶ μετὰ σημείων ἰδίων περιέρχονται τὰς πόλεις —. (— *minime omnium* declinant — sed contra superbiunt). Eadem structura obtinet Diod. Sic. 1, 93. 17, 36. Polyb. 2, 14, 6.. Adde Polyb. 18, 18, 11. οὐχ οἷον δὲ (οὐ τοιοῦτον δέ ἐστιν ὅτι) τῶν ἐξ αὐτῆς τῆς Καρχηδόνος ἀπέσχετο μόνον, ἀλλὰ καὶ καθόλου τῶν ἐκ τῆς Λιβύης οὐδὲν ἐπιμιχθῆναι πρὸς τὸν ἴδιον εἴασε βίον (*minime* autem a praedâ ex ipsâ Carthagine reportatâ Scipio abstinuit tantummodo, sed etiam —). Cum *Adjectivo* οὐχ οἷον

copulatum est Polyb. II, 19, 3. — — (Hannibal) ἀστασίαστα διετήρησε τοσαῦτα πλήθη καὶ πρὸς αὐτὸν καὶ πρὸς ἄλληλα, καίπερ οὐχ οἷον ὁμοεθνέσιν, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὁμοφύλοις χρησάμενος στρατοπέδοις (quamvis exercitus haberet *minime ex unius populi hominibus*, quid quod ne ex stirpis quidem ejusdem viris *collectos*). Polyb. I, 20, 12. — οὐ γὰρ οἷον εὐλόγους ἀφορμὰς ἔχοντες, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἀφορμὰς καθάπαξ — — —. *Hermannus* l. c. „οὐχ οἷον *est* οὐ τοῖον, οἷον *non tale, quale*." Illustravit vir summus suam sententiam loco Phalaridis ep. 81. τύραννος δὲ ὢν καὶ διὰ τὴν ἀνάγκην τῆς ἀρχῆς εἰς πολλὰ προεπταικὼς οὐχ οἷον ἀνθρώπῳ τινὶ πεισθείην καταθέσθαι τὴν ταύτης ἐξουσίαν, ἀλλ᾽ οὐδὲ θεῶν τῷ δυναστεύοντι., quem sic explicuit: non patiar mihi ita persuaderi, *ut persuadere homo potest*, sed ne ab Jove quidem. Hanc attractionis enodationem cetera l. non admittunt. Unde etiam Phalaridis locus eo quem supra diximus modo expediendus est: οὐ τοιοῦτόν ἐστιν ὅτι ἀνθρώπῳ τινὶ πεισθείην — ἀλλ᾽ οὐδὲ — (*minime vero* ab ullo homine persuaderi mihi patiar — quid quod ne ab Jove quidem). Sed haud exigua difficultas ex eo oritur, quod P. non οὐχ οἷον δὲ ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τ. θ. scripsit *ipso verbo subjecto*, sed aliorum exempla aspernatus ὅτι apposuit. Olim tres rationes ostendi, quibus illa difficultas recte tolli videretur (v. Sendschreiben an Tholuck p. 60.). Nam aut latens in οἷον ὅτι eo Apostolum repetiisse, ut majorem vim conciliaret sententiae, aut pleonasmi speciem sibi Paulum indulsisse eo fortasse adductum, quod οὐχ οἷον ab τοιοῦτον haud ita multum discrepare putaret, aut denique eum commiscuisse duas loquendi formas οὐχ οἷον et οὐχ ὅτι judicavi. Postremum consilium, quod mihi quoque maxime placuisset, *Meyero* probatum est. Sed facilius etiam, nisi fallor, difficultatem sic tollas, ut Paulum πρὸς τὸ σημαινόμενον orationem formasse et, quia in οὐχ οἷον δὲ nihil nisi hanc notionem tenuisset *sed multum abest* ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τ. θ. subjecisse existimes. Μὴ γένοιτο δέ, ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τ. θ. neminem offenderet. *Winerus* gr. p. 315. οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπ. ὁ λ. τ. θ. concise dictum putat pro οὐ τοῖον δέ ἐστιν, οἷον ὅτι etc. (v. *Reich.*), οὐ τοῖον δὲ λέγω, οἷον ὅτι etc. *non tale vero (est) dico, quale* (hoc est) *excidisse* etc., *non hoc autem mihi volo, excidisse* etc.. Confirmes hanc sententiam ad Grammaticorum οἷον (i. e. τοιοῦτόν ἐστιν οἷον *hujusmodi res est, cujusmodi: hoc dicit scriptor: hoc est:*) et οἷον ὅτι (v. *Schaeferi* Gregorium Cor. p. 105., ubi *Bastius* ad aliquem locum Aphthonii hoc scholium affert: — κατὰ τοῦτο οὖν τὸ σημαινόμενον νοεῖται καὶ τὸ πρὸς βίαν ἔχουσιν,

οἷον ὅτι αἱ ἀρεταὶ πόνῳ — ὠνῶνται — *hoc est, virtutes labore comparari*) provocando. Probari posset haec enarratio, si interpretatio supra a nobis repudiata recte iniretur: non hujusmodi *autem* aliquid dico (Judaeos messianae felicitatis exsortes esse indicans v. 3.), cujusmodi hoc est, vanum cecidisse *Dei promissum*. Nunc aut *fieri nequit*, aut *procul abest*, ut *Dei edictum* abolitum sit Paulo dicendum est. Temere *Flattus* aliique formulam οἷον ὅτι, ut οἷον ὡς, ὡς οἷον (v. *Schaefer.* ad Greg. Cor. p. 687. et *Lobeck.* ad Phryn. p. 427.) *pleonasticam* esse credunt, et quia aliam potestatem οἷον, aliam ὅτι habet, et quoniam δέ inter οἷον et ὅτι interjectum est. *Rueck.* hanc interpretationem proposuit, quam grammaticis argumentis satis muniri posse ipse desperavit: sed *res* (Israelitarum rejectio v. 3.; at v. supra) non ejusmodi est, *ut per eam Dei promissum aboleatur* „ungültig würde" (imo *abolitum sit*, daß die Verheißung Gottes ungültig geworden wäre, ἐκπέπτωκεν)!" Ἐκπίπτειν, quemadmodum διαπίπτειν Judith. 6, 9. et πίπτειν Luc. 16, 17., valere *irritum cadere* h. e. *vim amittere* certum est 1 Cor. 13, 8.. Sed de eo interpretes inter se digladiantur, utrum metaphora a verbis, quae in ventos temere dentur (*Kypk.*), an a flore, qui arefactus in terram decidat (Jac. 1, 11.), an a navibus a cursu aversis (Act. 27, 29. v. *Wolf.*), an ab hominibus, qui moribundi in terram procidant (*Reich.*), an a ludis scenicis, qui explosi fuerint, an a rebus, quae loco suo exciderint (*Meyer.*), repetita sit. Vana haec disceptatio videatur, quia multus tralatae vocis usus hanc vim habet, ut tralatam ejus potestatem tantummodo teneamus, rem, ex quâ metaphora ducta sit, nihil curantes. Fieri etiam potest, ut, quum tralatus vocis usus altas radices egerit, alii ab aliâ re similitudinem petitam esse existiment, re, unde metaphora primum ducta esset, neglectâ. Sic in Platonis Philebo c. 9. — καὶ φανούμεθά γε νεώτεροι τοῦ δέοντος καὶ ὁ λόγος ἐκπεσὼν ἡμῖν οἰχήσεται. navium, quae cursum non tenuerint, ratio habetur. Docent proxima verba: πάλιν οὖν αὐτὸν ἀνακρουώμεθα —. Sed si P. rei, unde translata verbi ἐκπίπτω vis fluxerit, memor fuerit, hûc eum respexisse crediderim, quod *res humi prolapsa* contemnitur, efficacitatem amittit, perit. Simplicissimâ est enim et quae cuique se offerat haec transferendi ratio; v. Aristoph. Vesp. 1012. νῦν μὲν τὰ μέλλοντ' εὖ λέγε|σθαι μὴ πέσῃ φαύλως χαμᾶζ'| εὐλαβεῖσθε. Plat. Euthyphr. c. 17. ἐπιθυμητὴς γάρ εἰμι — τῆς σῆς σοφίας καὶ προσέχω τὸν νοῦν αὐτῇ, ὥςτε οὐ χαμαὶ πεσεῖται ὅ τι ἂν εἴπῃς, cl. *Wetst.* I, 766.. Super hoc *Hebraeis* haec metaphora placuit, quibus dictum

נָפָל Jud. 21, 45., si ratum fit, נָפַל Jos. 23, 14. et נָפַל אַרְצָה 2 Reg. 10, 10., si vanum fit eventuque destituitur. *Beneckius Casauboni* explicationem nuper revocavit: *sed fieri nequit*, scil. ut meâ peste Judaeorum salutem *nunc* (?) redimam v. 3., *quia editum est Dei oraculum* (cf. Aristides I, 317. χρησμὸς ἐκπίπτει) h. e. *quia rem longe aliam Dei oraculum portendit.* Hoc verbis ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τ. θ. non inest. *Casaubono* ita vertenti: at id fieri non potest, nam a Deo profectus est *hic* sermo, hoc obest, quod proxima Apostoli verba non continent Dei oraculum e V. T. haustum. ὁ λόγος τ. θ.] *Dei edictum* v. 28., non *Dei promissum*, quo Abrahami posteris messianam felicitatem pollicitus est (v. supra). Magis etiam disputationis Paullinae tenor, *Grotii* enarrationem respuit: „quamquam haec vera sunt, inquit, tamen fieri nequit, ut irritus sit sermo Dei, nempe *minae illae*, quas Deus in lege Lev. 26, 14. — et alibi saepe adversus contumaces Judaeos pronuntiat." Dici autem Dei edictum, quo selectos Abrahami et Jacobi posteros, non omnes eorum nepotes beatos fore ostendit, contexta oratio docet. οὐ γὰρ πάντες — οὗτοι Ἰσραήλ] *Exponitur* praecedens sententia h. r.: sed procul abest, ut Dei edictum irritum ceciderit. *Nempe* non omnes ab Israele prognati (secundum Dei edictum) Israelitarum jura et privilegia habent. Quodsi membrum antecedens sic explicueris: multum autem abest, ut abolitum sit *Dei promissum* (v. supra), haec sententia verbis οὐ γὰρ πάντες etc. *munitur* h. m.: nam non omnes Israelis posteri Israelitarum jura possident (np. ex Dei decreto, quod ad selectos tantum Israelitas pertineat). οἱ ἐξ Ἰσραήλ] scil. ὄντες s. γενόμενοι Herodot. I, 56. Joh. 8, 47. 1, 13. *homines sunt, qui a Jacobo genus ducunt, Jacobi posteri.* οὗτοι Ἰσραὴλ] *hi sunt Israelitae* np. jure et privilegio, Israelitis divinitus concessso. Hanc interpretationem v. 7. (πάντες τέκνα) flagitat. Male multi: hi sunt Israelitae np. *ingenio et qui propter pietatem et fidem Israelitarum nomine digni videantur* Ps. 73, 1. Rom. 2, 28. sq.. Ceterum P. Judaeos prius Israelis posteros, quam Abrahami nepotes v. 7. vocavit memor versus 4., ubi omnia Judaeorum decora *Israelitarum nomine* comprehendi indicasset. — V. 7. Continuatur periodus orsa a verbis v. 6. οὐ γὰρ πάντες etc.. Male igitur ante οὐδ᾽ ὅτι plene interpungas cum *Griesbachio*. Imo aut virgula post Ἰσραὴλ locanda est, aut colon figendum. Οὐδ᾽ ὅτι — πάντες τέκνα] *neque quia* (np. Israelitae, οἱ ἐξ Ἰσραὴλ v. 6.) *ab Abrahamo procreati sunt, idcirco omnes liberi sunt, qui liberorum jure fruantur.* *Meyerus* πάντες Subjectum esse voluit: neque omnes idcirco Abrahami liberi, qui

liberorum jura obtineant, sunt, quia eos Abrahamus progenuit. Obstat verborum ordo, qui talis esse debuerat: οὐ δὲ πάντες, ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραάμ, τέκνα, ἀλλ' etc. Alibi σπέρμα et τέκνα unum idemque pollent (Joh. 8, 37, 39., ubi v. *Lueckium* II, 285.). Sed h. l. σπέρμα Ἀβραάμ et τέκνα Ἀβραάμ distingui apertum est. Nempe σπέρμα Ἀβραάμ homines vocantur *ab Abrahamo generati*, τέκνα Ἀβραάμ ii dicuntur, qui liberorum *jura* possident, ut patris hereditatem adeant (8, 17.), h. e. ut summâ felicitate potiantur, quam sibi posterisque divinitus promissam Abrahamus hereditatis loco iis filiis tradiderit, qui filiorum jus habeant Genes. 17, 16. Rom. 4, 13.. τέκνα] scil. Ἀβραάμ. Nam necesse est, ut Israelitae h. l. *ejus* liberi appellentur, ad quem in loco e V. T. allato ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα *pronomen* pertinet. Firmat etiam hanc interpretationem membrum praecedens: — οὗτοι Ἰσραήλ. Male *Theodoretus*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Morus*, *Gloecklerus* al. „τέκνα scil. τοῦ θεοῦ" antestati versum 8., cujus rationem parum intellexissent. Neque idcirco Israelitas *quia* ab Abrahamo generati sint omnes Abrahami liberorum, quibus messiana felicitas danda sit, jura de Dei sententiâ habere Ap. v. 7. adjecit, Judaeorum vanitatem oppugnaturus, qui, *quoniam* ab Abrahamo genus ducerent, sibi salutem a Messia parandam a nemine adimi posse temere vulgo putarent (v. Matth. 3, 9. Joh. 8, 33. Justinus M. Dial. c. Tryph. Jud. c. 44.). Pro ὅτι pauci ὅσοι continent, ut *Orig.* (item Vulg. et PP. lat. *qui*. | 23. ὅτοι sic). Facili errore ὅσοι pro ὅτι a librariis in proxime praegressum membrum intuitis scribi potuit (*non omnes* ab Israele prognati Israelitae sunt Israelitarum jure ornati, *neque quotquot* Abrahamus procreavit omnes liberi sunt pleno jure). Fortasse etiam ex interpretum, qui loci sensum *utcunque* descripserunt, observationibus ὅσοι in contextam orationem irrepsit. Certe ὅτι, vocabulum longe aptissimum (v. supra), a P. profectum est. (*Boern.*: — neque *hi* sunt semen Abrae, omnes filii. Hic interpres aut legit, aut legere sibi visus est: οὐδ' οὗτοί εἰσι σπέρμα Ἀβραάμ, πάντες τέκνα —). Non omnes promiscue Israelitas, *quia* Abrahamum proavum habeant, Deo judice Abrahami filios esse, qui patris hereditatem cernant h. e. qui summam felicitatem patri promissam consequantur, ex eo P. efficit, quod Deus Genes. 21, 12. eos filiorum jure praeditos Abrahami filios, quos *ipse constituisset*, non quos Abrahamus genuisset, futuros esse per transennam ostenderit. Arctissime Paulum nullaque interpositâ morâ verba ἀλλ' ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα consociasse, elisio (ἀλλ' ἐν Ἰσ.) docet, ut fallantur

et qui colon post ἀλλ' posuerunt (*Griesb.*) et qui γέγραπται post ἀλλά cogitando adjecerunt (v. *Rueckertum*, contra quem parum feliciter *Reich.* disputavit). Nimirum σοι syntaxin perturbare videbatur, cujus loco, ut periodus recte decurreret, expeteretur αὐτῷ. Solent vero aliorum verba scriptorum rei comprobandae idonea non solum e mediâ periodo petita, quum integram sententiam non faciant, abrupte afferri (v. 1 Cor. 3, 19. γέγραπται γάρ· ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν. Hebr. 1, 7. et Kabbalae denudatae tomum II, 153. infra Francof. 1684. 4.), verum etiam orationi sic innecti, ut ad vocem citandam accommodetur constructio (Lucian. Somn. c. 5. Gal. 3,11.). Quod ita interdum fit, ut nonnihil hiulci structura trahat, citantis negligentiâ eo plerisque in locis excusabili, quod aut in clarâ re lectorum tarditatem non extimuerit, aut vocem afferendam nemini ignotam esse crediderit. 1 Cor. 1,31. ἵνα, καθὼς γέγραπται, ὁ καυχώμενος ἐν κυρίῳ καυχάσθω. Quo pertineat Gal. 3,12. αὐτά et ἐν αὐτοῖς, et Rom. 15, 3. ἐπ' ἐμέ nescias, nisi eorum V. T. locorum bene memor sis, qui ibi afferuntur. Idem de h. l. valet, ubi σοι retineri potuit, quia Genes. 21, 12. orationem a Deo *ad Abrahamum* dirigi diligens V. T. lector scire debuit. His expensis artificiosam *Meyeri*, qui τοῦτο v. 8. ad vocem ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα rettulit, interpretationem repudiabis: *sed „per Isaacum vocabuntur tibi posteri", haec vox significat.* Quare post ἀλλά neque verbum supplendum est, neque colon ponendum, sed verba e V. T. allata spatio inter literas majore scribenda sunt, unde vocem sacram citari lector continuo intelligat. Verba hebraica בְּיִצְחָק יִקָּרֵא לְךָ זָרַע s. Ven. *Genes.* Lex. lat. p. 902. sic enarravit: ex *Isaaco* (i. e. ex Isaaci nomine, בְּשֵׁם יִצְחָק) *posteri tibi nominabuntur* (cf. נִקְרָא בְּשֵׁם פ' *per* alicujus nomen nominari, ita appellari, ut te appellans alicujus nomine, quod in te transferat, utatur, Jes. 43, 7. 48, 1.). Non recte. Superquam enim quod Abrahami posteri *a Jacobo* honorificum Israelitarum nomen invenerunt, *non ex Isaaco nominati sunt*, parum grave argumentum fuerit, quo Jehovah Abrahamum, ut Sarae obsequutus Ismaelem ex Hagare susceptum domo extruderet: *futurum esse, ut ex Isaaco Abrahami posteri nominentur.* Imo Jehovah Abrahamo promissum antea datum, fore, ut filius *ex conjuge* susceptus numerosam ei prolem pararet Genes. 15, 4. sq. 17, 16., in memoriam revocans, obsecunda, inquit, uxori, ancillae ejusque filii exsilium postulanti: nam *per Isaacum* (בְּיִצְחָק primo loco positum hanc oppositionem ostendit: *per Isaacum*, non per Ismaelem) vocabitur tibi

(ut patri) posteritas h. e. per Isaacum stabit, ut homines tibi (fortunatos) posteros nuncupent et (beatam) subolem tibi esse fateantur. Potes Sarae obsequi, ne oraculum tibi datum eventu destituatur, minime metuens. Nam *Isaacus*, non Ismael illud ad eventum adducturus est. Neque aliter Paulus verba intellexit, qui etiam σπέρμα *beatam* prolem, quae liberorum jure utens patris hereditatem cernat (i. q. paullo ante τέκνα Ἀβραάμ) valere recte existimavit (v. Genes. 15,5. 17,16. 21. cl. v. 20.). Haec verborum paullinorum interpretatio *Meyero* ideo intolerabilis visa est, quia v. 9. cum v. 8. collatus Paulum v. 7. vocem e Genesi repetitam ad *ipsum Isaacum*, filium Abrahamo divinitus promissum eorumque qui Abrahami posteri recte existimarentur effigiem et simulacrum exprimentem, rettulisse doceat. Erravit V. D.. Nam Deum voce: *per Isaacum* (non per Ismaelem) stabit, ut homines pleno jure filios tibi esse praedicent: in universum hoc subindicasse: non homines ab Abrahamo generatos, sed quos *divini vis promissi* genuerit (h. e. quos Abrahami filios esse *Deus voluerit*) legitimam Abrahami stirpem, cui aeterna beatitas concedenda sit, effecturos esse v. 8. P. ex eo intelligi ait, quod Deus in promissionis formulâ *Sarae*, quae praeter naturae ordinem *Isaacum* pepererit, filium portenderit v. 9.. Itaque quod Genes. 21, 12. de *Isaaco* dictum sit ad eos pertinere, qui sint τέκνα τῆς ἐπαγγελίας quoniam *Isaacus* ἐπαγγελίας τέκνον *fuerit* Ap. argumentatur h. m.: *Isaacum* effecturum esse, ut Abrahamo pleno jure filios esse homines prae se ferant in Genesi legitur v. 7.. Hâc voce *quoscunque divini vis promissi Abrahami filios constituerit* legitimi Abrahami liberi a Deo pronuntiantur v. 8.. Nam *Isaacus*, verorum Abrahamidarum *pater*, *divini vi promissi generatus est*, ut ii tantummodo veri per Isaacum Abrahami posteri recte censeantur, qui *et ipsi sunt* ἐπαγγελίας τέκνα v. 9.. Quî enim Isaaci, qui ἐπαγγελίας τέκνον fuerit, liberi sint, qui ἐπαγγελίας τέκνα non sint? Contra si divinae promissionis formula *Hagari* quae *naturae lege Ismaelem ex Abrahamo peperit*, filium portenderet, falsa esset mea loci Genes. 21,12. explicatio recteque beati Abrahami liberi judicarentur *quotquot ab Abrahamo genus repetunt*. Quae quum ita sint, *Meyeri* explicationem: *in Isaaco* tibi aliquis filius vocabitur i. e. Isaacus is erit, qui filius tuus vocetur et agnoscatur: v. 8. et 9. minime postulant. Male *Reich.*: *in Isaaco* (h. e. eo quod Isaacus nondum natus arcessetur, ut esse incipiat) filius tibi vocabitur, ut nascatur; cf. I, 239.. Nam Isaaco *nato* Deus mandatum dedit Abrahamo Genes. 21, 12. cl.

v. 2. sq.. Neque *eligere* *καλεῖν*, קָרָא Jes. 42, 6., h. l. notare potest (v. Sendschr. an Tholuck p. 25.). Fortasse P. Genesis vocem non exposuisset, si *τέκνα* pro *σπέρμα* in eâ fuisset. Certe a quovis tum recte percipi potuisset. Sed quum P. *σπέρμα Ἀβραάμ* et *τέκνα Ἀβραάμ* distinxisset, ne Dei dictum lectores secus intelligerent, *σπέρματος* vocabulum Genes. 21, 12. *pleno jure liberos* i. q. *τέκνα* notare ex historiâ et re ostendendum erat. Quare P. finitâ expositione v. 8. ad *σπέρματος* vocem in Genesi perscriptam revertitur. V. 8. *τὰ τέκνα τῆς σαρκός*] *liberi*, *quos corporis vis genuerit*. Talis Ismael fuit, ex Hagare ab Abrahamo generatus Genes. 16, 3. sq. Gal. 4, 29. talesque Judaei sunt, naturales Abrahami posteri. *ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ*] Potuisset P. *ταῦτα τέκνα τοῦ Ἀβραάμ* dicere. Nam qui pleno jure Abrahami filii sunt, etiam Dei filii sunt. Illis enim aeterna felicitas Abrahamo promissa dabitur 4, 16., nequeunt autem *τὴν κληρονομίαν* adire, nisi Dei filii 8, 17.. Sed posuit P. *ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ* perspicuitatis studio adductus, ut quâ vi *σπέρμα* Genes. 21, 12. polleret dilucide indicaret. F. G. paucique alii *τοῦ* omittunt, non *θεοῦ*, ut *Reich.* rettulit. Non naturales Abrahami liberos veros Abrahami liberos, qui felicitatem Abrahamo promissam obtineant, aut Dei liberos esse eo in Genesi 21, 12. indicari P. recte statuit, quod Deus ibi *ἐν Ἰσαάκ* h. e. *per Isaacum, non per Ismaelem* dixerit (v. supra). *τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας*] Haec vocc. et *liberos*, *qui Dei promissum possident* (ad quos Dei promissum pertinet), *et liberos*, *quos Dei promissio nuncupat* (i. e. liberos divinitus promissos), *et liberos*, *quos Dei promissum procreavit* declarare possunt. Postremam enarrationem veram esse et historia docet et Pauli locus ad Gal. 4, 23. — *ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρας διὰ τῆς ἐπαγγελίας* (*γεγέννηται*). Nam quum Abrahamus senex esset centum annorum et Sarah non solum sterilis, sed etiam vetula, quae menstrua effundere desiisset Genes. 17, 17. 18, 11., Isaacus praeter naturae ordinem Dei omnipotentiâ vique divini promissi ab iis procreatus est Genes. 18, 14.. Sunt autem liberi Abrahamo per vim divini promissi generati, quoscunque *Deus* veros Abrahami liberos, qui felicitatem proavo promissam consequantur, esse *jusserit*. Verbis — *λογίζεται εἰς σπέρμα* P. ad Genesis locum v. 7. redit. Nam postquam Ap. vim vocis *σπέρμα* Gen. 21, 12. verbis *ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ* ostenderat, vocula illustrata sine ambiguitate ab eo repeti potuit. V. 9. Fulsit P. interpretationem suam verbis, quibus Dei promissum Abrahamo datum conceptum est. Dei dictum: *per Isaacum* posteri pleno jure ornati

tibi nuncupabuntur: hanc vim habere: pro veris Abrahami filiis liberos *divini promissi efficacitate ortos* a Deo reputari: ex eo elucet, quod in promissi, quod Abrahamus a Deo accepit, formulâ *Sarae*, quae praeter naturae ordinem legemque viribus a Deo, ut ratum esset promissum, suppeditatis Isaacum peperit, filius portenditur. *Hinc Genes.* 21, 12. *Isaacum ut τέκνον ἐπαγγελίας commemoratum esse patet* (v. not. ad v. 7.). Apte P. sententiam suam loco Genes. 18, 10. munivit, quem *memoriter* ex LXX. attulit. (Itaque locis Genes. 18, 10. et 18, 14. confusis illinc *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον*, hinc *καὶ ἔσται τῇ Σάῤῥᾳ υἱός* sumsit). Potuisset etiam locum Genes. 17, 19. 21. in rem suam convertere. Apostolum praecipuum pondus in v. *τῇ Σάῤῥᾳ* (Sarae, non Hagari) reposuisse manifestum est. *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον*] *hoc tempore* np. proximi anni, ut res ipsa ostendit (Genes. 17, 21.). Sic P. convertit כָּעֵת חַיָּה h. e. *sub tempus vivens* i. e. *praesens*. Nempe כּ praepositio est *sub* (Genes. 39, 11. Exod. 11, 4.), non Conjunctio. Praesens autem tempus omnes nationes *vivens*, praeteritum *mortuum*, futurum *nondum natum* mente informant. Soph. Trach. 1159. — *ἥ μοι χρόνῳ τῷ ζῶντι καὶ παρόντι νῦν | ἔφασκε μόχθων τῶν ἐφεστώτων ἐμοὶ | λύσιν τελεῖσθαι.* Quocirca כָּעֵת חַיָּה nihil nisi *tempore praesente* declarat: dici praesens tempus *proximo*, non secundo, aut tertio, *anno* non e verbis, sed e re cognoscitur. Homericum Odyss. 11, 247. *περιπλομένου δ' ἐνιαυτοῦ | τέξεις ἀγλαὰ τέκνα.*, quod certatim h. l. citant, metaphoram in v. כָּעֵת חַיָּה sitam, non illustrat. Non recte *Gesenius* Lex. lat. p. 333. et *de Bohlenus sub tempus revirescens* (?), ubi *revixerit tempus i. e. annus* (?), *vere proximo.* Vide omnino quae disputavi in ll.: Sendschr. an Tholuck p. 15. sq. et Präliminarien etc. p. 47. sq.. LXX. *ἐπαναστρέφων ἥξω πρὸς σὲ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας* — *sub hoc tempus anno proximo* (Eurip. Iphig. A. 122. Aristoph. Nub. 562. Thesmoph. 950.). *Bis* igitur LXX. כָּעֵת חַיָּה reddiderunt, nisi aut corruptum codicem converterunt, aut eorum translatio depravata est. Illud *Meyerus* putavit, LXX. in codice hebr. v. 10. invenisse לַמּוֹעֵד כָּעֵת חַיָּה suspicatus, quod mihi parum verisimile videtur. *Reichius κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον* e nostro Pauli l. in LXX. versionem Genes. 18, 10. irrepsisse existimavit, quia LXX. לַמּוֹעֵד *εἰς* (non *κατὰ*) *τὸν καιρὸν τοῦτον* transferre consueverunt v. LXX. Genes. 18, 14. 2 Reg. 4, 16. 17.. Infirmum hoc argumentum est; et quum P. divini promissi formulam *memoriter* citaverit, eum locis Genes. 18, 10. et 18, 14. commistis *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον* e Genes. 18, 10. sumsisse credi-

bile est, quo lectio vulgata Genes. 18, 10. LXX. stabilitur. Jam *εἰς ὥρας* ex LXX. Gen. 18, 14. in 18, 10. irrepsisse conjicias. Sed obstat huic conjecturae, quod LXX. כָּעֵת חַיָּה *εἰς ὥρας* Genes. 18, 14. et *ὡς ἡ ὥρα ζῶσα* 2 Reg. 4, 16. 17. vertere solent. Quare *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον* librarios e Genes. 18, 14. hausisse magis credas. Sed ne hoc quidem verisimile est. Scribae enim singulis verbis inde sumtis *εἰς τὸν καιρὸν τοῦτον* dedissent. Quae quum ita sint, LXX. כָּעֵת חַיָּה Gen. 18, 10. quo l. primum legitur, ne quem sententia lateret, paullo verbosius *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας hoc tempore in proximum annum* reddidisse existimo. *ἐλεύσομαι*] *veniam*, domum tuam repetens, quam nunc ingressus sum. Male *Grot.*, *Kopp.*, *Noesselt.* al. *veniam beneficia in te conferendo* collatâ loquutione *ἐπισκέπτεσθαί τινα* Luc. 1, 78.

V. 10. Nunc (v. 10. — 13.) exemplum a P. afferri magis etiam, quam ante allatum (v. 7. — 9.), ad persuadendum appositum, interpretes vulgo observant cum *Theodoreto.* Exsistere enim potuisse, qui Isaacum, quoniam Saram, Abrahami uxorem et mulierem non solum ingenuam verum etiam piam, matrem habuisset Ismaeli, quem Abrahamus ex Hagare concubinâ ancillaque superbâ et contumaci (Genes. 16, 4. 6.) generasset, a Deo praelatum esse opinaretur. Itaque, quo melius Deum hominum fortunam pro arbitrio moderari appareret, sententiam ab Ap. adjectam esse, quâ Deus geminis fratribus, quos unus Isaacus e Rebeccâ suscepisset, nondum natis nullamque laudem noxamve meritis fortunam definivisset laetamque conditionem Jacobo natu minori dedisset, tristem Esavo, quem jure potiorem fuisse crederes natu majorem (v. 10. — 13.). Praeterea Jacobum Esavo *planis verbis* praepositum esse (v. 12. Genes. 25, 23.), non item Isaacum Ismaeli *Reichius* II, 285. male dixit. Cf. Genes. 17, 18. — 21.. Considerandum etiam est, de Pauli mente Deum Genes. 21, 12. 18, 10. [14.] verbis satis perspicuis deteriorem sortem Ismaeli portendisse (v. 7. *per Isaacum*, non per Ismaelem: v. 9. *Sarae*, non Hagari v. supra). Ut vere illa dicta sint, non tamen Apostolo h. l. in mentem venerant. Qui quum majorem exempli, quod nunc profertur, gravitatem in hoc uno cerni declaraverit, quod etiam Rebecca *ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαάκ* divinum de filiis partu edendis responsum tulerit, in promtu est, nihil eum nisi hoc dixisse: non Sarae tantummodo oraculum datum est, quo Isaaco divini promissi virtute generato praecipuum jus constitueretur, Ismael, naturalis Abrahami filius, abjiceretur, sed etiam

etiam Rebeccae, cui, quoniam cum *uno Isaaco* h. e. *cum eo viro, per quem Abrahamo beatam posteritatem homines nuncupaturos esse Deus cecinisset v. 7., corpus miscuisset, nullum, quo filiorum fortuna dirigeretur, Dei oraculum datum fuisse* aliquis suspicetur. Nam quum *per Isaacum* fortunatam subolem homines Abrahamo nuncupaturos esse Deus vaticinatus sit (v. 7.), omnes Isaaci filii fortunandi fuisse videantur. At geminis Isaaci pueris nondum natis laetam conditionem natu minorem habiturum esse, tristem natu majorem Rebeccae Deus annuntiavit. Hinc hominum fortunam a Dei nutu et voluntate tantummodo gubernari et vere dictum esse v. 7.: *οὐχ ὅτι οἱ Ἰσραηλῖται σπέρμα εἰσὶν Ἀβραάμ, πάντες τέκνα εἰσίν*. liquido intelligas. *Οὐ μόνον δέ, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα*] Formula *οὐ μόνον* in periodi exordio non ita solum ad enuntiationem proxime praegressam refertur, ut mancam orationem ipso verbo aliisve vocabulis ad sententiae integritatem necessariis mente repetitis expleas (v. 5, 3. et 11.), sed etiam sic, ut praecedentis sententiae summa aliter formata post *οὐ μόνον* [*δὲ*] cogitando addenda sit. Quaenam forma syntactica scriptori obversata fuerit, aut e verbo quod post *ἀλλὰ καί* sequitur aut e totâ sententiae post *ἀλλὰ καὶ* positae conformatione intelligitur. Lucian. vitarum auctio c. 7. *ΑΓΟ. Τί δ' ἄν τις αὐτῷ χρήσαιτο ῥυπῶντι καὶ οὕτως κακοδαιμόνως διακειμένῳ, πλὴν εἰ μὴ σκαπανέα γε καὶ ὑδροφόρον αὐτὸν ἀποδεικτέον. ΕΡΜ. Οὐ μόνον* (scil. *σκαπανέα καὶ ὑδροφόρον αὐτὸν ἀποδείξεις*), *ἀλλὰ καὶ ἢν θυρωρὸν αὐτὸν ἐπιστήσης, πολὺ πιστοτέρῳ χρήσῃ τῶν κυνῶν.* Toxaris c. 1. *ΜΝΗΣ. Νόμος δὲ ὑμῖν καὶ ἀνδράσιν ἀγαθοῖς ἀποθανοῦσι θύειν ὥσπερ θεοῖς; ΤΟΞ. Οὐ μόνον* (scil. *ἀνδράσιν ἀγαθοῖς ἀποθανοῦσι θύομεν ὥσπερ θεοῖς*), *ἀλλὰ καὶ ἑορταῖς καὶ πανηγύρεσι τιμῶμεν αὐτούς.* Eadem ratio est formulae *οὐ μόνον γε* apud Platonem Phaed. §. 129.: v. *Win.* gr. p. 524. De 2 Cor. 8, 19. in Dissert. in 2. ep. ad Cor. II, p. 49. sq. disputavi. Nostro l. *sententiam* post *οὐ μόνον δέ* supplendam et v. 9. et versus 10. expositio v. 11. 12. (*ἐῤῥήθη αὐτῇ*) monstrat, sententiae supplendae *formam* Nominativus *ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα — ἔχουσα* indicat. Jam quum *Sarae* filium divinitus promissum esse P. v. 9. dixerit eique hoc versu opponat *Rebeccam*, post *οὐ μόνον δέ* Subjectum cogitando adjiciendum est *Σάῤῥα* (Syr. Vulg.), non *Ἀβραάμ* (*Calvin. Beza*) versu 9. non commemoratus, et quum Saram *divinum promissum accepisse* Ap. v. 9. declaraverit idemque Rebeccae obvenisse in versus 10. explicatione (v. 12. *ἐῤῥήθη αὐτῇ*) moneat, versu 10. hoc dici apparet: *non solum autem Sarae divinum promissum* (de prole)

datum est, *sed etiam Rebeccae*, οὐ μόνον δὲ scil. Σάῤῥα ἐπηγγελμένη (εὐηγγελισμένη) ἦν παρὰ τοῦ θεοῦ (s. ἐπαγγελίαν ἔλαβε παρὰ τοῦ θεοῦ), ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα —. *Verba* ab Ap. cogitata nemo praestet (v. Ueber die Verdienste Tholuck's p. 99.), sed loquutionem ei obversatam esse, cum quâ Nominativus Ῥεβέκκα consisteret, manifestum est. Neque eminere v. 10. Sarae et Rebeccae cogitationem et promissi divini notionem v. 10. — 12. delitescere nostrae enodationi male objectum est (*Rueck.*), quum Rebeccam Sarae v. 10. opponi in propatulo sit et in versus 10. expositione primarium verbum sit ἐῤῥήθη αὐτῇ v. 12.. Scilicet *Rueck.* logicam rationem, quâ v. 10. cum v. 9. cohaeret, non assequutus est: non Sarae modo, quam divinum promissum de prole accepisse non mirum est (erat enim Abrahami filius constituendus, *per quem* homines beatam Abrahami subolem nuncupaturi essent v. 7.), divina de subole promissio data est, verum etiam Rebbeccae, quam quoniam cum *uno Isaaco*, h. e. *beandorum Abrahamidarum progenitore*, consuevit, de futurâ filiorum sorte divinitus admonitam esse recte mireris. Nam omnes promiscue *Isaaci* filios dignitate pares fuisse putes Dei voce motus v. 7. ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. Interpretes in horum explicatione verborum multis modis peccarunt. Alii enim aut magis generalem, quam quae versu 9. et 12. continetur, notionem (οὐ μόνον δὲ sc. Σάῤῥα δείκνυσι τοῦτο, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα. (Rebeccae historia) *Noesselt.* p. 159.: οὐ μόνον δὲ np. Σάῤῥα τοῦτο ἔπαθεν, ἀλλὰ καὶ Ῥ. *Koellner.*), aut ejusmodi etiam cogitationem, cujus nullum est v. 9. et 12. vestigium, precario mente addiderunt, v. c. *Oecum.*: οὐ μόνον δὲ τοῦτό, φησιν, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα, ἐξ ἑνὸς τοῦ Ἰσαὰκ σπέρμα ἔχουσα καὶ δύο γεννήσασα, οὐκ ἔσχε τοὺς δύο ἀρέσαντας θεῷ οὐδὲ λογιζομένους εἰς σπέρμα Ἀβραάμ (v. 8.). Schol Matth. ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα] καίτοι γάρ, φησιν, ἐκ τοῦ αὐτοῦ ἀνδρὸς δύο παῖδας ἐσχηκυῖα, ὅμως οὐκ ἀρέσκοντας ἀμφοτέρους τῷ θεῷ παρέστησεν, ὅπερ ἔξωθεν δεῖ προςυπακούειν. *Bengelius*: οὐ μόνον δὲ scil. τοῦτο θαυμαστόν ἐστι, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα scil. ἐστὶν *i. e. h. l. occurrit.*| Orig. ad h. l.: οὐ μόνον δὲ Σάῤῥα οὐ κατὰ σάρκα ἐγέννησεν, ἀλλὰ καὶ Ῥ.. Alii (*Lutherus*, *Schoettgen.*, *Carpzov.*, *Rueck.*, *dW.* al.) hujus l. syntaxi minime perspectâ Apostolum structuram verbis ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα inchoatam v. 11. 12. deseruisse desertamque v. 12. ita revocasse, ut aliam iniret (Act. 7, 40. ὁ γὰρ Μωϋσῆς οὗτος — οὐκ οἴδαμεν τί γέγονεν αὐτῷ) autumarunt. Sic igitur Paulo scribendum fuisse perhibuerunt: οὐ μόνον δὲ (scil. τοῦτο γέγονεν),

ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκᾳ — — — ἐῤῥήθη ὅτι ὁ μείζων etc.. Insulsa haec opinio est, et quia v. 11. et 12. sententiam praecedentem explicant (γάρ v. 11.), unde versum 10. *sui juris sententiam* complecti apparet, et quoniam v. 11. 12. plenam et rotundam, in quâ neque desit quidquam neque supersit, periodum continent, ut voce αὐτῇ Subjectum per anacoluthon revocari inepte putes (v. Ueber die Verdienste Tholuck's p. 98.). ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαάκ, τ. π. ἡ.] κοίτη, quemadmodum εὐνή Hom. Il. Σ. v. 433. et λέχος verecunde *concubitum* designat (v. Sap. 3, 13. 16. et Lexica gr.). Est igitur κοίτην s. λέχος ἔχειν *concumbere* (Soph. Trach. v. 359. — κρύφιον ὡς ἔχοι λέχος —) et κοίτην ἔχειν ἔκ τινος ἀνδρός *ex aliquo viro concubitum habere* i. q. *complexu venereo cum aliquo viro jungi*. Perperam *Beza*, *Bretschn.* in Lex., *Rueck.*, *Meyerus*, *dW.* et permulti alii κοίτην ἔχειν ἔκ τινος exposuerunt: semen virile ex aliquo habere (np. *utero retentum*) i. q. ex aliquo concepisse. Nam τὴν κοίτην *ex hebraismo semen virile* notare verum non est.*) Neque quod

---

*) Τῆς κοίτης vocabulum *ex hebraismo* designare *semen in concubitu emissum*, *semen concubitus* atque ita hebraico שְׁכָבָה respondere *Bretschneidero* Lex. I, 680. concedi nequit. Nam מִשְׁכָּב, quod *cubile*, *lectum*, *concubitum* (i. q. ἡ κοίτη) notat, *semen concubitus* non declarat, et שְׁכָבָה (שְׁכֹבֶת), quod *cubile*, *torum*, *coitum* (i. q. ἡ κοίτη) non significat, *effusionem* (seminis) valet. Non minus ii falluntur, qui alexandrinos V. T. interpretes τῆς κοίτης vocabulo *effusionis* significatum tribuisse, ut τὴν κοίτην τοῦ σπέρματος *seminis effusionem* et τὴν κοίτην (κοιτασίαν) τοῦ ἀνδρός *viri effusionem* verecunde *seminis*, quod vir in concubitu emittit, effusionem dicerent, existimant. Sane sine ratione et exemplo illi hanc τῆς κοίτης voci potestatem dedissent. Accedit, quod nonnulli loci huc relati *emissi seminis* vim non admittunt. Levit. 18, 23. καὶ πρὸς πᾶν τετράπουν οὐ δώσεις κοίτην σου εἰς σπερματισμόν — ubi τὴν κοίτην *torum genialem*, *consuetudinem veneream* esse verba εἰς σπερματισμόν ostendunt. Et quum LXX. voce τῆς κοίτης saepissime usi eos vocabulo significatus tribuerint, quos in graecis scriptoribus habet, ne in iis quidem locis, in quibus שְׁכָבָה et שְׁכֹבֶת τὴν κοίτην verterunt, consuetudinem loquendi Graecorum eos deseruisse consentaneum est. Ne multa. Interpretati sunt שְׁכָבָה et שְׁכֹבֶת *concubitum*, quum vocabula a שָׁכַב *cubare* male derivassent, quae a שָׁכַב *effundere* (cf. הִשְׁכִּיב Job. 38, 39.) ducenda essent. Contende, quaeso, Levit. 20, 13. καὶ ὃς ἂν κοιμηθῇ μετὰ ἄρσενος κοίτην γυναικός — (וְאִישׁ אֲשֶׁר יִשְׁכַּב אֶת־זָכָר מִשְׁכְּבֵי אִשָּׁה) cum Levit. 15, 18. καὶ γυνὴ ἐὰν κοιμηθῇ ἀνὴρ μετ' αὐτῆς κοίτην σπέρματος — (וְאִשָּׁה אֲשֶׁר יִשְׁכַּב אִישׁ אֹתָהּ שִׁכְבַת־זָרַע). Sed alexandrinis interpretibus τὴν κοίτην (seminis) *effusionem* valuisse VV. DD. propterea credunt, quod, si ubi שְׁכָבָה et שְׁכֹבֶת κοίτην transferunt vocabulum graecum *coitum* explicueris, non-

Grotius et *Schleusnerus* Lex. I, 2194. finxerunt (cf. etiam *Theodoretum*, *Oecum.* et *schol. Matth.*), declarare τῆς κοίτης vocabulum h. l. per metalepsin *ipsam prolem ex concubitu ortam*, ratione aut exemplis communiri potest. Adjecit autem P. vocc. ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαάκ, τοῦ πατρὸς ἡμῶν, ut, cur magis etiam mirabile divinum oraculum *Rebeccae* de filiis datum, quam quod *Sara* de Isaaco accepisset, videretur, appareret. Male igitur interpungitur: ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, Ἰσαάκ, τ. π. ἡμ. quae cum uno viro complexu venereo jungebatur, *nempe Isaaco*, patre nostro. Nam etiam Sara cum uno viro, Abrahamo, coivit Genes. 20, 4.. Imo distingue: ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαάκ, τ. π. ἡμ. quae *cum uno Isaaco*, patre nostro, qui per Isaacum veri Abrahamidae sumus v. 7., concumbebat. Hoc igitur P. dicit: Saram de filii sorte divinitus monitam esse minus mirum est (erat enim beatorum Abrahami posterorum auctor definiendus), illud mirabilius, quod Deus etiam

---

nullae eorum dictiones vel mirae vel subabsurdae videantur. At illi homines ubi in originatione lapsi sunt qualicunque sententiâ et syntaxi contenti sunt, orationis elegantiam non aucupantur. Nihil miri inest locis Levit. 18, 20. καὶ πρὸς τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου οὐ δώσεις κοίτην σπέρματός σου — (cf. v. 23.) et Levit. 19, 20. καὶ ἐάν τις κοιμηθῇ μετὰ γυναικὸς κοίτην σπέρματος —. (cf. Num. 5, 13. Levit. 15, 18.). Nam κοίτη σπέρματος (ein Samenbeischlaf) *concubitus* est, *in quo semen emittitur:* dat feminae concubitum seminis qui cum feminâ concumbens semen ejaculatur: concumbit cum feminâ concubitum seminis qui complexu venereo cum eâ junctus semen effundit. Sed mirae hae loquutiones sunt; Levit. 15, 16. καὶ ἄνθρωπος ὡς ἐὰν ἐξέλθῃ ἐξ αὐτοῦ κοίτη σπέρματος — (cf. v. 32. Levit. 22, 4.) et Levit. 15, 17. — καὶ πᾶν δέρμα ἐφ' ὃ ἐὰν ᾖ ἐπ' αὐτὸ κοίτη σπέρματος —. Hîc concubitus seminis coitus est cum seminis emissione conjunctus. Effluit concubitus seminis ex eo, ex quo semen effluit, quod in coitu effundat. Nam semine amisso ad exercendum concubitum necessario concubitus perditus est, qui illo semine peragi potuisset. Item concubitus seminis rei adhaeret, cui effusum semen adhaeserit. Nam geniturae profluvio concubitus perditur. Non igitur hujus modi in locis κοίτη σπέρματος *per hypallagen* pro σπέρμα κοίτης dicitur (v. *Drusium*, *Schleusnerum* Lex. in LXX. III, 847. et *Bretschneiderum* in Lex.). Restant loci, qui Viros D. maxime moverunt, Num 5, 20. — καὶ (εἰ) ἔδωκέ τις τὴν κοίτην αὐτοῦ ἐν σοὶ πλὴν τοῦ ἀνδρός σου —. et Levit. 20, 15. καὶ ὃς ἂν δῷ κοιτασίαν αὐτοῦ ἐν τετράποδι θανάτῳ θανατούσθω. Sed ponit vir concubitum suum in feminâ, qui rite cum eâ coit semenque ei immittit. Invita in in hâc obscoenâ re disputatio mea versata est: sed alexandrinos interpretes, ubi שְׁכָבָה et שְׁכֹבֶת κοίτην converterunt, non inanes sensuque destitutos sonos fudisse, sed aliquid sequutos esse ostendendum erat.

Rebeccam, quae *cum uno Isaaco*, cujus filios omnes utique fortunandos fuisse ex ante dictis colligas v. 7. — 9., concumberet, de futurâ filiorum fortunâ edocuit. Sic etiam appositionis τοῦ πατρὸς ἡμῶν ratio patet. Explica: qui nobis, *hominibus christ.* pater est, ut beatae Abrahami subolis, quae promissa data consequetur, auctor (*Reich.*) Gal. 4, 28.. Nam τέκνα Ἀβραάμ et σπέρμα per Isaacum Abrahamo nuncupandum Ap. v. 7. 8. eos dixit, qui felicitate Abrahamo promissâ potirentur. Male vulgo exponunt: qui nobis, *Judaeis*, gentis auctor est. Perperam v. ἐξ ἑνὸς Ἰσαάκ jungi, quia absurdum sit in Rebeccâ, tam castâ conjuge, peregrinam opem cogitare, mire dixit *Havercampus* ad Tertull. Apol. p. 170.. Neque enim, quod Rebeccae pudicitia dubia esset, Ap. vocc. ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαάκ addidit, sed notam rem lectoribus propterea in mentem revocavit, quoniam *argumentationis vis* in eâ posita est lectoresque illius rei minus memores gradationis ratio praeteriret. Non ejusmodi autem res est, ut cum uno Isaaco Rebeccam concubuisse P. *temere* monuerit. Fieri enim potest, ut femina geminos pueros in utero ferens e duobus viris quibuscum non longo temporis intervallo interposito congressa fuerit conceperit.*) Qui Paulum v. ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαάκ, τ. π. ἡμ., ut geminos fratres prorsus pares fuisse, *quippe ab eodem patre Isaaco genitos et ab eadem matre editos*, indicaret, addidisse censuerunt (*Erasmus*, *Wolf.*, *Rueck.* al.), neque quonam Apostoli disputatio tenderet (v. supra), neque quidnam Pauli vocabula dicerent considerarunt. Nempe Isaacus quoque et Ismael *ab uno patre* generati sunt. Itaque Esavo et Jacobo hoc prae illis praecipuum fuisse, quod una eademque eos *mater* peperisset, Paulo declarandum fuisset. At *unum* eos *Isaacum* genuisse Ap. enuntiavit. Sententia ab illis huic loco obtrusa his v. efferri potuisset: — ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα τόν τε Ἡσαῦ καὶ τὸν Ἰακὼβ κύουσα. Irenaei c. haeres. 4, 21, 2., Augustini ep. 196., Ambrosiastri aliorumque versio latina, tum It. et Vulg. sic reddunt: — sed et Rebecca *ex uno concubitu habens* Isaac, patris nostri. (Sumserunt qui hanc translationem sequuti sunt interpretes ἔχουσα, *habens*, pro ἐν

---

*) Vide omnino Fr. Benj. Osiander's Handbuch der Entbindungskunst. T. I. p. 323. §. 426. (Tub. 1819.) Adjungo fabulum. Plautus Amphitruo 1, 2, 18. Hodie illa pariet filios geminos duos; alter *decumo* post mense nascetur puer quam seminatus, alter mense *septimo*. Eorum Amphitruonis alter est, alter Jovis. Verum minori puero major est pater, minor majori. — At vide *Osiandrum* l. c. p. 325. sq..

γαστρὶ ἔχουσα, Herodot. 5,41. a.; vid. Orig. [Ruf.]: „Quum enim ex uno concubitu Isaac geminos *concepisset* —." Nempe *geminos*, *τοὺς διδύμους παῖδας,* ex re atque historiâ v. 12. depromtos interpres addidit.). *Erasmus*, *Beza*, *Alberti* Obs. sacr. p. 319., *Bengel.* in Appar. crit. ad h. l. al. versione *ex uno concubitu habens* graecorum codicum lectionem a nostrarum editionum scripturâ discrepantem expressam esse negant, scribas pro concubit*ū* (concubi*tum*) mendose concubi*tu*, quum voc. cum *uno* construerent, exarasse affirmant. Recte, opinor. Nemo enim *ἐξ ἑνὸς κοίτου* e *graeco* codice protulit. Habent *ἐξ ἑνὸς κοίτου Velesius* (v. *Mill.*), qui graecas lectiones e versione vulgatâ, quam R. Stephanus Parisiis 1540. edidisset, ductas ipse fabricatus est, et quidam teste *J. Camerario*, nempe latini, non graeci. Neque *ὁ κοῖτος concubitum* graece denotat. Nisi latini interpretes verbum verbo subjicere solerent, eos vulgatam lectionem male intellectam, quum *κοίτην ἔχειν concepisse* enarrassent et *ἐξ ἑνός simul* exposuissent, ex eo quod geminos pueros Rebecca peperisset, eos uno eodemque congressu maritali generatos esse argumentati, liberius vertisse crederem. Theodoretus: — *ἐνταῦθα γὰρ καὶ μία μήτηρ καὶ εἷς πατὴρ καὶ μία σύλληψις· δίδυμοι γὰρ οἱ παῖδες· τοῦτο γὰρ εἶπεν, ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα, ἀντὶ τοῦ, κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν ἀμφοτέρους συνέλαβεν.* Item *Winklerus* apud *Wolfium* convertit: quae *simul* ex Isaaco *conceperat*, *ἐξ ἑνός* precario *simul* (*ἀπὸ μιᾶς* scil. *ὁρμῆς Schaef.* ad Bos. ellips. 356. sq., *ἐκ μιᾶς συνουσίας, μιᾶ σπέρματος καταβολῇ*) et *κοίτην ἔχειν concepisse* interpretatus, et pejus etiam *Havercampus* l. c.: — sed etiam *Rebecca Isaaci*, patris nostri (np. *uxor*), quae ex uno concubitu (*ἐξ ἑνὸς κοίτου*) conceperat. Hi Pauli argumentatione non intellectâ geminos fratres *uno eodemque tempore conceptos* et natos dissimillimam tamen fortunam invenisse, ne quis secundo loco satum ut minorem alteri postpositum esse suspicaretur, Apostolo hîc dicendum fuisse putarunt. At Esavum a Deo rejectum Jacobo aetate nonnihil antecessisse nemo ignoravit (v. 12.).

V. 11. — 13. Exponit Ap. praecedentem v. 10. sententiam (*ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα, ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ, τ. π. ἡμ.*), ita ut *quattuor* res afferat, ob quas mirabilior etiam nobisque fructuosior admonitio videri debeat, quae Rebeccae de futurâ filiorum sorte divinitus contigerit, quam quae Sarae de Isaaco data fuerit. Nempe Esavum natu majorem in Jacobi natu minoris servitute fore Deum I. geminis pueris nondum in lucem editis (*μήπω γὰρ γεννηθέντων*) neque II. ullam laudem culpamve meritis (*μηδὲ — κακόν*), ut III. sua; quâ *delectos* homines beare decrevisset,

sententia maneret, non mutata videretur (ἵνα — ἐκ τοῦ καλοῦντος), IV. quoniam Jacobum dilexisset, Esavum odisset (v. 13.) Rebeccae matri annuntiasse. Hinc vero neque generis, quod ab Abrahamo ducas, splendorem (v. 7.), neque pulcre facta, sed *Dei arbitrium ejusque ex nullâ re nexum favorem* sempiternam tibi felicitatem comparare recte concluditur. — μήπω] *Rueck.* p. 425. οὔπω, non μήπω Apostolo scribendum fuisse dicit. Non recte. Ut posterioris temporis scriptores graecos quum alias in μή propendere, tum in participiali constructione μή ponere, ubi οὐ collocare debuissent, nonnulli philologi recte monuerint (v. *Ellendt.* ad Arriani Exp. Alex. I, p. XXIV. sq. et *Wineri* gr. p. 450.)*), hoc tamen l. μήπω bene habet. Οὔπω γεννηθέντων οὐδὲ πραξάντων κτλ. foret; quum nondum nati essent neque fecissent, als sie noch nicht gebohren worden waren und nicht — gethan hatten: μήπω γεννηθέντων μηδὲ πρ. κτλ. valet: etiamsi nondum nati essent neque fecissent, ohne daß sie schon gebohren gewesen wären u. — gethan hätten i. q. ἐν τῷ μήπω γεννηθῆναι αὐτοὺς μηδέ πρᾶξαι —). Anthol. Palat. I, 396. ed. *Jacobs.* (n. 309.) Ἑξηκοντούτης Διονύσιος ἐνθάδε κεῖμαι, | Ταρσεύς, μὴ γήμας (qui nullam uxorem duxerim, ohne daß ich geheyrathet hätte: οὐ γήμας notaret ἄγαμος, unverheyrathet)· αἴθε δὲ μηδ' ὁ πατήρ. Aelian. Var. Hist. 14, 33. καὶ ὃς (Diogenes) οὐδὲν διαταραχθεὶς (nihil perturbatus, gar nicht aus der Fassung gebracht) — εἶπεν —. 3, 2. ὁ δὲ μηδὲν διαταραχθεὶς (ut nihil esset perturbatus, ohne daß er die Fassung irgend verloren hätte) εἶπεν —. Eurip. Andromache v. 23. — Πηλέα δ' ἀνάσσειν γῆς ἐᾷ Φαρσαλίας, | ζῶντος γέροντος· σκῆπτρον οὐ θέλων λαβεῖν pro unâ notione est οὐ θέλων *recusans* (v. ibi v. 382.), μὴ θέλων declararet quia non vult. B. *Tittmannus*, quum vocularum οὐκ et μή discrimen non satis intellexisset, de Synonymis

---

*) Est tamen de usu et abusu vocis μή in serioribus scriptoribus subtilius, quum hucusque factum est, disputandum. Nam I. loci secludendi sunt, in quibus μή legitime positum male Viros DD. offendit: II. loci, in quibus μή legitur cum iis accurate conferendi sunt, in quibus οὐ positum est, ut quousque in confundendis vocibus scriptores progressi fuerint, certo statui possit: at multi nunc in eo subsistunt, ut locos colligant, in quibus μή mire locatum esse videatur: III. quum permultis locis scriptores non temere μή collocaverint, sed aliquid sequuti fuerint, quod sensu plerumque, ut videtur, judicassent, quidnam spectaverint ita docendum est, ut quibus illi regulis aliquo veri sensu ducti paruerint exponas. Sic loci, in quibus μή *aliquam* rationem habeat, ab iis utiliter discernentur, in quibus ratione destitutum sit.

in N. T. I, p. 99. sq. mirabilia quaedam de h. l. et Hebr. 9, 8. protulit. *Οὔπω γεννηθέντων* Ap. scribere potuisse negavit, quia is pueros nondum natos fuisse, quum divina vox ederetur, *scivisse tamen Deum, futurum esse ut nascerentur et bene aut male vitam agerent ideoque Deum de hominibus nondum natis, tanquam nati essent, decretum cepisse* inepte hîc indicasset. Itaque Paulum *μήπω γεννηθέντων* exarasse, ut negatio referretur ad cogitationem ipsam *Dei* (dictum est Rebeccae, ita ut ejus pueros nondum natos neque bene maleve meritos *Deus cogitaret*!) *Tittmannus* opinatus est. Hebr. 9, 8. — *τοῦτο δηλοῦντος τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν* —. in oratione obliquâ plane legitimum est *μήπω* (v. *Schaefer.* ad Demosth. I, 455.) neque *Tittmanni* commentum refutare attinet. *μήπω γὰρ γεννηθέντων*] *nam etiamsi nondum nati essent*, np. Rebeccae filii, ut e contextâ oratione (v. 10. 12. 13.) intelligimus. Non additur Subjectum Participiis, si de quonam exponatur vel cohaerentia vel res ipsa docet. Eurip. Hel. v. 58. — *σὺν ἀνδρί, γνόντος* —. Xen. Anab. 1, 4, 12. — *καὶ ταῦτα οὐκ ἐπὶ μάχην ἰόντων* —., ubi v. *Krueger.* Lucian. Tox. c. 61. — *νύκτωρ δὲ καθευδόντων — πυρκαϊὰ μεγάλη ἐξανίσταται* —., ubi v. *Jacobitz.* Arrian. Exp. Alex. 1, 6, 15. *ὁ δέ, πελαζόντων ἤδη, αὐτὸς ἐκθεῖ σὺν τοῖς ἀμφ' αὐτόν* —., ubi v. *Ellendt.* cl. *Matthiae* Ausf. gr. Gr. §. 563. et *Schaef.* ad Bos. ellips. p. 50. et 855.. Hujusmodi in l. et librarii pronomen temere addunt (sic h. l. 10. 31 *γεννηθέντων αὐτῶν* et Syrus *γεννηθέντων τῶν υἱῶν αὐτῆς*. cf. Luc. 12, 36. varr. lect.) et nonnulli VV. DD. conjecturâ male adjiciunt, ut *Schmiederus* in Arriano Exp. Al. 2, 7, 14.. Portendisse Deum Rebeccae futuram filiorum sortem etiamsi nondum in lucem editi essent ut rem gravem P. memorat. Nempe non natalium splendore aeternam felicitatem comparari, quae Judaeorum vana opinio fuit, sibi, quia Abrahami posteri essent, sempiternam beatitatem adimi non posse arbitratorum v. 7., inde disci statuit. *μηδὲ*] F. G. *ἤ*. Intolerabile vitium, quod *Reich.* probare non debebat. Aut quod proxime sequitur *ἤ* fraudem fecit librariis, aut translationis latinae Latinismus. *κακὸν*] *φαῦλον* A. B. 23. 37. 47. 57. (c. al. 2.) 67.** 80. Mt. E. Orig. in Joh. tom. II. (Vol. IV. p. 84.) et de oratione c. 5. (Vol. I, p. 205.), Cyrill. III, 820. et Damascenus. Commendavit *φαῦλον Griesbachius*, scripsit *Lachmannus*. *Meyerus Lachmanni* consilium probat, facili errore scribas pro *φαῦλον*, vocabulo, quod *τῷ ἀγαθῷ* non ita frequenter opponeretur, *κακόν* exarasse, vocem *τῷ ἀγαθῷ* vulgo oppositam, arbitratus.

Contra *Reich.* correctores pro κακόν, vocabulo de pueris nondum natis nimis aspero, φαῦλον posuisse, vocem turpitudinis notionem minus distincte enuntiantem statuit. At satis usitata est τοῦ ἀγαθοῦ et τοῦ φαύλου oppositio, in serioribus maxime scriptoribus (v. Phalaris ep. 144. Joh. 5, 29.), neque κακόν gravius, quam φαῦλον vocabulum est. Imo φαῦλον, ut κακόν et πονηρόν, *turpe* denotat et respondet vernaculae voci schlechtes (v. Thomas Mag. p. 889. ed. *Bern.*, schol. ad Philostr. Her. p. 100. (p. 471. *Boisson.*) Aristot. Eth. Nicom. 2, 6. et Joh. 3, 19. 20.). Recte *Matthaeius* ed. min.: „Synonymum, inquit, ex levitate permutatum." Idem 2 Cor. 5, 10. factum est, ubi *Griesbachio* φαῦλον eximie placuit. Ego utrobique κακόν retineo, quum multo melius, quam φαῦλον testatum sit. Infra Rom. 9, 19. eandem ob rem pro βουλήματι nonnulli θελήματι exararunt. Sed divinum de futurâ Esavi et Jacobi conditione oraculum Rebeccae datum esse *quum nihil boni malive fecissent*, Paulo *propter Judaeos* memorabile videtur, qui obsequio legi mos. praestito aeternam felicitatem parabilem esse temere opinati 3, 27. sq., Esavum, quia eum improbam vitam acturum esse Deus scivisset v. Hebr. 12, 16. et ibi *Wetst.*, Jacobo postpositum esse credere possent. Declarasse enim Deum oraculo de Esavo et Jacobo tum edito, quum neque bene neque male facto insignes essent, suam benevolentiam suique favoris fructum pulcre factis expugnari minime posse, Ap. censuit. Quod Paulum *alieno loco* (cf. v. 6. et 7.) hîc monuisse *Rueckerto* non concedimus. Erant enim in versus 10. expositione eae res commemorandae, ob quas mirabilius etiam oraculum Rebeccae datum, quam quod Sara acceperit, videri nobis debeat, quia liberos Abrahamo per vim divini promissi generatos esse quoscunque Deus felices esse *jusserit* (cf. v. 8.) evidentius, quam oraculum Sarae datum doceat. Sequuntur verba ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος, de quorum ratione valde dubitatum est. Male ea uncis incluserunt *Carpz.*, *Griesb.*, *Knapp.*, *Boehm.* al.. Gravem enim et quae in P. argumentatione valde emineat sententiam continent. Ἵνα ne hîc quidem est ἐκβατικόν (*ita ut* Dei decretum — manere appareat: *Reich.* p. 292.), sed consilium declarat, quod Deus, quum Esavum Jacobo subjectum fore portenderet, sequutus fuerit. Est autem finalis sententia, quo vehementius ejus pondus lectores sentirent, verbo regenti praeposita de more Graecorum (v. *Amersfoordt.* in *Schaeferi* Apparatu ad Demosth. I, 805., *Kuehneri* Ausf. Gr. d. gr. Spr. II, p. 626. Joh. 13, 18. 19, 28. 31. Act. 24, 4. al.).

Ἡ πρόθεσις τ. θ. Dei propositum, *consilium* significat, non voluntatem *aliquem beandi*. Nam haec notio nonnunquam in contextu est (ut h. l. et 2 Tim. 1, 9.), nunquam in vocabulo (v. *Rueck.*). Idem valet de *beneficii* et *benevolentiae* significatu, quem *Carpz.*, *Noesselt.* p. 163. al. τῆς προθέσεως voci affinxerunt abusi locis Rom. 11, 5. 2 Tim. 1, 9.. Nempe Polyb. 4, 73, 2. *τὴν πρόθεσιν benevolam*, quâ in aliquem propendeas, voluntatem dici structura ibi et res docent. *ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις*] Altera lectio *ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ*, quam *Bengelius*, *Griesb.*, *Knapp.* al. exhibuerunt, tot tamque gravibus testimoniis fulta est (v. *Wetst.* et *Griesb.*), ut vulgatam scripturam temere retineas, quum praesertim illa virtute suâ splendeat. Nam Genitivus *τοῦ θεοῦ* a verbis *ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις* suspensus sit necesse est. At in vulgatâ scripturâ lector parum attentus *κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ* arcte connectat. Non credo tamen correctores, qui hanc constructionem iniri voluissent, *τοῦ θεοῦ* ante *πρόθεσις* collocasse (*Reich.*), sed negligentiâ peccatum esse arbitror. Nempe librarii, quum lectum memoriaeque mandatum membrum *ἵνα — — καλοῦντος* describerent, mente in literis pingendis defixâ lapsi memoriâ sunt dederuntque *τοῦ θεοῦ πρόθεσις* pro *πρόθεσις τοῦ θεοῦ*. *Ἡ ἐκλογή* graece duo notat: I. *delectum* II. *rem delectam*, *homines delectos* Rom. 11, 7.. Sed etiamsi *ἡ ἐκλογή* alias praeterea potestates haberet, hoc tamen l. *delectus* significatio tenenda esset, et quia Paulus Deum homines per fidem in Christo positam beandos a ceterorum grege segregatos *delegisse* docet (1 Cor. 1, 27. Eph. 1, 4.) et quoniam hîc decretum aliquos homines beandi cum delectu a Deo factum memorari tota Apostoli disputatio et exemplum è V. T. petitum ostendunt. Nam quum Deus parem geminis fratribus fortunam dare potuisset, delectu habito Jacobum meliori fortunâ uti jussit, quam Esavum. *Chr. Fr. Schmidius*, *Noesseltus* p. 162., *Morus* al. *τὴν ἐκλογὴν gratuitam misericordiam*, *benevolentiam*, *praecipuum amorem* valere finxerunt. (Sic *ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ* esset: beandi consilium pro benevolentiâ, ergo benevole, a Deo captum.) Hebraicum בָּחַר בְּ tum *deligere aliquem* Deut. 14, 2., tum *diligere aliquem* Zach. 1, 17. designare (cf. etiam Romanorum *diligere*) frustra observatur, nisi vocabula graeca *ἐκλέγεσθαι*, *ἐκλογή*, *ἐκλεκτός* utramque notionem complexa esse doceatur. Deinde *τὴν ἐκλογήν benignitatem* notare minime ex eo consequitur, quod Jes. 65, 15. בְּחִירֵי יְהֹוָה paullo post עַבְדֵי יְהֹוָה vocantur (*Noesseltus*). Sunt homines a Deo delecti *pii*, *Deo cari* (amor enim Deum movit, ut eos a reliquis

hominibus secerneret cf. v. 13.), *eximii atque praestantes.* Sed בְּחִירֵי יְהוָֹה et *οἱ ἐκλεκτοὶ τοῦ θεοῦ* neque quod Deo cari essent neque quia pietate et virtute ceteros homines superarent, sed quoniam *eos Deus delegisset* appellati sunt (Sap. 3, 9. 4, 15. Col. 3, 12. al.). Expende Jes. 65, 22. et Ps. 105, 43., ubi qui עַם יְהוָֹה faciunt בְּחִירֵי יְהוָֹה dicuntur. Qui בָּחוּר Cant. 5, 15. *praestantem*, *eximium* valere contendunt, sensum cum significatu confuderunt; ut qui Polyb. 1, 47, 9. — *διὰ τὴν ἐκλογὴν τῶν ἀνδρῶν* (propter virorum delectum i. e. quia institutus fuerat virorum delectus: deliguntur autem a sapientibus viris optimi quique) interpretantur: propter *praestantiam* selectorum virorum. Denique ex eo, quod Deus eos amavit, quos delegit (v. 13.), vocabulum actionem, quâ Dei amor manifestaretur, denotans ipsum etiam (Dei) amorem significare temere concluditur. *Ernestius* instit. interpr. N. T. III. c. 8. §. 10. p. 320. (ed. *Ammon* 1809.), *Bretschn.* Lex. I, 381. al. *τὴν ἐκλογὴν vim eligendi*, *libertatem* (*ἡ κατ᾽ ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ* consilium Dei pro libertate captum i. q. *liberum* Dei propositum) designare existimarunt, his nixi locis: Joseph. B. J. 2, 8, 14. *φασὶ δὲ* (Sadducaei) *ἐπ᾽ ἀνθρώπων ἐκλογῇ τό τε καλὸν καὶ τὸ κακὸν προκεῖσθαι* —. Psalt. Salomonis 9, 7. (v. *Fabricii* Cod. pseudepigr. V. T. I, 945.) *Ὁ θεός, τὰ ἔργα ἡμῶν ἐν ἐκλογῇ καὶ ἐξουσίᾳ τῆς ψυχῆς ἡμῶν, τοῦ ποιῆσαι δικαιοσύνην καὶ ἀδικίαν ἐν ἔργοις χειρῶν ἡμῶν. Liber* sane est cui honestum et turpe eligendi optio facta est. Sed idcirco *ἡ ἐκλογή libertatem* non declarat. Quin ibi quoque hoc voc. suum *delectus* significatum retinet. Male etiam *Rueck.* *τὴν ἐκλογήν* et *τὴν κλῆσιν re* differre negavit. Sane enim distant *notione*. Beandorum hominum *delectus* ante mundum conditum habitus est Eph. 1, 4.: *invitatio* ad sempiternam felicitatem ante Christi tempora nulla esse potuit Rom. 10, 17.. Locus autem 2 Petr. 1, 10. eum non offendet, qui providisse Deum, ut *οἱ ἐκλεκτοί* etiam invitarentur meminerit. *ἡ κατ᾽ ἐκλ. πρόθεσις τ. θ.*] *Meyerus*: *decretum ex facto delectu suspensum* (v. *Win.* gr. p. 178.). Is *Rueckerto*, qui *τὴν ἐκλογήν* e *τῇ προθέσει*, non vicissim *τὴν πρόθεσιν* e *τῇ ἐκλογῇ* nexam fingi posse objecerat, nihil obstare, quominus Paulus divinum numen hominum modulo metiens Deum primo homines beandos delegisse, deinde felicitatem delectis hominibus tribuendi consilium cepisse censuerit, respondit. At *beandorum* hominum delectus delectos *beandi* consilium complectitur. Imo expone; *e delectu factum* (dandae felicitatis) *decretum Dei* h. e. (concedendae beatitatis) decretum ita a Deo factum, ut simul (hominum beandorum) delectus fieret, der nach Auswahl

gefaßte (nam homines fortunandi decretum ante mundi initia factum est 2 Tim. 1, 9. Eph. 3, 11.) Beseligungsvorsatz Gottes. Moderatus est *delectus* (ἡ ἐκλογή) tribuendae felicitatis decretum, quatenus hominibus non omnibus, sed qui tummaxime seligebantur, aeterna beatitas decernebatur. Contra ἡ πρόθεσις τῇ ἐκλογῇ adstricta non fuisset, si Deus nullo tum delectu habito omnibus promiscue hominibus sempiternam felicitatem destinasset. Nempe fit κατ᾽ ἐκλογήν, e delectu, nach Auswahl, non solum quod accommodate ad delectum *antea institutum* peragitur, sed etiam quod *ita suscipitur*, *ut rerum delectus habeatur*. Polyb. 31, 20, 12. Συμβαίνει δὲ τὰ πλοῖα ταῦτα κατ᾽ ἐκλογὴν λαμβάνεσθαι ἐκ τῆς Καρχηδόνος, ἐφ᾽ οἷς κτλ. Capiuntur hae naves e delectu, h. e. ita ut e ceteris navibus deligantur. V. *Raphelium* Annot. ex Polybio et Arriano ad h. l.. Sensu cum nostrâ expositione eorum ratio fere congruit, qui praepositionem κατά cum suo quod regit Substantivo Adjectivi periphrasin facere arbitrati *electivum Dei propositum* (ἡ ἐκλεκτικὴ πρόθεσις τ. Θ.) explicuerunt (*Camero*, *Bengel.*, *Usteri* l. c. p. 267. al.). Sed quamquam istiusmodi loqutiones nonnunquam sine sententiae detrimento in Adjectiva resolvi possunt, semper tamen praepositionibus sua vis manet, quae qualis quovis loco sit interpretem docere oportet. Arrian. Exp. Alex. 1, 18, 12. Ἀλέξανδρος δὲ τῇ τε γνώμῃ ἁμαρτάνειν ἔφη Παρμενίωνα καὶ τοῦ σημείου τῇ οὐ κατὰ τὸ εἰκὸς ἐξηγήσει (prodigii interpretatione non ad veri similitudinem appositâ) Cf. e N. T. Hebr. 11, 7. ἡ κατὰ πίστιν δικαιοσύνη et Rom. 11, 21. οἱ κατὰ φύσιν κλάδοι, ubi v. not.. Polyb. 2, 37, 2. ἡ ἐξ ἀρχῆς πρόθεσις (consilium in operis principio declaratum). *Grotii*, *Wolfii*, *Koppii*, *Rueckerti* aliorumque enarratio: *propositum Dei ad electionem spectans* h. e. propositum Dei, quod electionem gignit s. quod facit, ut nonnulli homines, qui aeternam felicitatem consequantur, seligantur: neque verbis satis accommodata est (dilucide enim P. hoc sic efferre potuisset: ἡ τῆς ἐκλογῆς πρόθεσις τ. Θ.), neque rei. Quippe ἡ πρόθεσις τ. Θ. ad τὴν σωτηρίαν Christi operâ in homines conferendam pertinuit (2 Tim. 1, 9. Rom. 8, 28. Eph. 3, 12.), non ad τὴν ἐκλογήν, quâ homines per Christum fortunandi ab iis segregati sunt, quibus sempiterna beatitas negata est. μένῃ] *Manent* quae suo loco non moventur. Μένει ἡ βουλή, quae non destituitur (Ps. 33, 11.), μένει τὰ βουλήματα, quae retinentur, *manet sententia*, quae non mutatur (v. H. *Stephani* Thes. ed. Lond. p. 6071.). Jam Pauli mens haec est: eo Deum fine geminis Rebeccae pueris priusquam nati essent neque bene

maleve egissent oraculo matri dato diversam sortem attribuisse, ut aliquos homines beandi consilium a Deo *ex hominum delectu* captum manere *appareret.* (Scilicet ἵνα μένῃ *logice* intelligendum esse vel ex eo patet, quod ἡ πρόθεσις ante mundum conditum capta est: v. supra.) Si Deus geminis Isaaci pueris *eandem* fortunam dedisset, consilium *delectos* homines beandi, quod ab se captum esse tum primum hominibus per ambages Deus ostendisset, quum Isaacum Ismaeli praeferret v. 7. — 9., mutatum esse credere possemus, quum eo consilio Deum geminos Isaaci filios *eadem* fortunâ uti jussisse, ut semel olim *Abrahami* filiorum delectu habito nunc *sine discrimine omnes* se beaturum pristinâ sententiâ depositâ nobis per transennam significaret, argumentaremur. At ut *selectos* homines beandi consilium in *Isaaci* historiâ evulgatum a Deo non mutatum esse, sed etiamnum vigere moneremur, *diversam* Isaaci filiis fortunam assignavit, Esavo servo, Jacobo domino constituto. Ingeniosa haec disputatio est et vera, si quidem hoc nobis Deum oraculo Rebeccae dato per transennam significare voluisse idoneis argumentis ostendi potest. Non assequutus est Pauli sententiam *de Wettius*, qui sic explicuerit: ut e delectu captum Dei consilium (nempe *de servitute, quam Esavus Jacobo subjectus serviturus esset*) ratum *esset* (imo *maneret*). Non idcirco Deus Esavo nondum nato servitutem indixit, ut suum, quo Esavo servitutem decrevisset, consilium perstaret (!), sed ut rem multo majorem hominibus per ambages significaret. *οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος*] Haec v. neque ad vocc. *ἡ κατ' ἐκλ. πρόθεσις τ. θ.* referri possunt (nam hoc pacto *οὐχ ἡ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τ. καλ.* P. dicere debuerat), neque (*dW.*) ad totam sententiam *ἵνα — — μένῃ.* Huic enim consilio et *οὐκ* obstat (opus erat verbis *μὴ ἐξ ἔργων*) et sententia. Nam ab hoc l., ubi Deum Esavo servitutem, Jacobo imperium denuntiasse, ne quis Deum suum delectos homines beandi consilium *revocasse* suspicaretur, enuntiandum erat (v. supra), haec sententia prorsus abhorret, illud Deum fecisse, ut delectos homines servandi consilium *non per pulcre facta, sed per invitantis Dei voluntatem vim suam retinere intelligeremus.* Imo vocc. *οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τ. καλ.* verba *κατ' ἐκλογήν*, quae gravissima esse vel locus ostendit, quem occupant, tantummodo illustrant. Nimirum *ἵνα ἡ κατ' ἐκλογήν, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος, πρόθεσις τ. θ. μένῃ* scribi non potuit. Nimis longo enim intervallo Substantivum ab Articulo segregatum esset et sententia mole suâ laboraret. Itaque Ap. verba, quae *κατ' ἐκλογήν* accuratius definirent,

per hyperbaton post *μένῃ* in sententiae fine collocavit. Neque, si in pronuntiando verba in argumentatione primaria *κατ' ἐκλογήν* acueris, hic te verborum positus offendet: — ut *e delectu factum* beandi decretum Dei manere intelligeremus, *non*, *inquam*, *pulcre factorum admonitu*, *sed invitantis Dei impulsu factum*, damit der nach Auswahl gefaßte Beseligungsvorsatz Gottes bei Bestande bliebe, nicht sagte ich auf Anlaß verdienstlicher Handlungen, sondern auf Antrieb des berufenden Gottes gefaßte. Non sine causâ P. *ἐκ τοῦ καλοῦντος* quam *ἐκ τοῦ θεοῦ* dicere maluit. Excitat enim *ὁ καλῶν* Dei, penes quem *summum est rerum arbitrium*, cogitationem, quae hîc apprime apta est. Quî enim sempiternam felicitatem obtineas, nisi Deo te invitare placuerit (8,30. 10, 14.)? Accedit quod *τοῦ θεοῦ* proxime praecessit. *Rueckerti* et *Meyeri* ratio, qui *οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τ. καλ.* cum vocc. *ἵνα* — *μένῃ* arcte consociarunt (ut — Dei consilium non e bene factis, sed ex invitante Deo *etiamnum* (?) suspensum, manere intelligeremus, [at semel *ἡ πρόθεσις* capta est ante mundi primordia: v. supra], *Rueck.*: ut — Dei consilium permanere cognosceremus non *per* (vermöge v. *Bernhardyi* Syntax p. 230.) pulchre facta, sed per invitantem Deum, *Meyerus*), et linguae legibus repugnat et sententiam pessumdat. Primo enim *μὴ ἐξ ἔργων* sic Paulo scribendum fuisse patet. Deinde neminem novi, qui *μένει τι ἔκ τινος* hoc sensu usurpaverit: *manet aliquid ex aliquâ re suspensum*, *perdurat aliquid per aliquam rem.* Denique ut *μένῃ* sui juris esse existimemus sententia poscit. Nam diversam sortem geminis Isaaci filiis nondum natis neque bene maleve meritis Deum decrevisse, ut *delectos* homines beandi consilium in Isaaci historiâ declaratum *manere neque mutatum esse* cognosceremus Paulo hîc enuntiandum est (v. supra). *It. Vulg.*, *Augustinus* de praedestinatione sanctorum c. 16. *Lutherus*, *Calvinus* al. *οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος ἐῤῥήθη αὐτῇ* jungunt: non bene factorum admonitu (s. propter bene facta), sed ex (i. e. ab) invitante Deo dictum est Rebeccae. Cf. Herodot. 7, 175. *τὰ λεχθέντα ἐξ' Ἀλεξάνδρου* et *Ellendt.* ad Arriani Exp. Al. I, 285.. Non pulchre factorum, quae Isaaci filii edidissent, admonitu Deum quod sequitur oraculum Rebeccae dedisse ita ex verbis *μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακόν* perspicuum esse, ut dici non debuerit, illis interpretibus non obvertam. Potuisset enim P. hanc rem intellectu facilem in acutissimâ disputatione, ne a quoquam negligeretur, diserte memorare (v. not. ad 8, 11.). Sed parum concinna est haec oppositio: *οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος ἐῤῥήθη*

αὐτῇ (non bene *factorum admonitu*, sed *ab* invitante Deo dictum ei est). Ἀλλ' ἐκ βουλήματος (v. 19.) τοῦ καλοῦντος lectoris exspectationi satisfaceret. ἐῤῥήθη] ἐῤῥέθη (v. *Lobeck*. ad Phryn. p. 447.) D. E. F. 1. 46. et pauci alii plaudente *Rinckio* Lucubr. crit. p. 123.. Item infra v. 26. perpauci ἐῤῥέθη habent. Utrobique ἐῤῥέθη dedit *Lachmannus*. ἐῤῥήθη αὐτῇ] LXX. Genes. 25, 23.. Genesis scriptorem non ipsis Isaaci filiis, sed populis, quorum futuri essent conditores, alteri imperium, alteri servitutem ominatum esse divinumque oraculum tum eventu comprobatum esse, quum Johannes Hyrcanus Edomitas perdomuisset (v. Joseph. A. J. 13, 9., not. ad Marc. p. 83. et *Wineri* Realw. I, 347.) interpretes vulgo observant. Nam praegnantem Rebeccam, quum, quoniam fetus se invicem contunderent, Deum consuluisset, hoc responsum tulisse: Δύο ἔθνη ἐν τῇ γαστρί σου εἰσὶ καὶ δύο λαοὶ ἐκ τῆς κοιλίας σου διασταλήσονται, καὶ λαὸς λαοῦ ὑπερέξει καὶ ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι. (cf. Genes. 27, 29. 40.). Sed fieri potest, ut Genesis scriptor Esavum et Jacobum exclusos noluerit, eos fortunâ suâ nationum, quas condituri essent, sortem, quum Jacobum emendo jure primogeniti votisque quae Isaacus pater pro eo tanquam filio primogenito nuncupaturus esset (Genes. 25, 31. 27, 19. 28. sq.) superiorem, Esavum utraque re amissâ inferiorem fore portenderet, repraesentaturos esse vaticinatus (Genes. 27, 37.). Sed Paulum divinum oraculum ad ipsos Isaaci filios rettulisse, disputatio docet, quam iniit (expende v. v. 11. μήπω γ. γεννηθέντων μηδὲ πραξάντων τί ἀγ. ἢ κακόν). Itaque futurum esse, ut Jacobus jure primogeniti, quod emturus esset, votisque Isaaci, quod fratri majori surrepturus esset, dominus exsisteret, Esavus, quum illud ornamentum abjecisset, hoc decore fraudatus esset, servus, Deum Genes. 25, 23. ominari P. existimavit. Recte. Nam quamquam Esavus non in Jacobi servitute fuit, jure tamen et dignitate Jacobo *primogeniti jus adepto* subjectus erat. Adde jura *divina*. Nam Jacobus eo, quod primogeniti jus obtinuit, hoc consequutus est, ut nobile Abrahami genus propagaret nationisque Deo carae auctor fieret. Non igitur Pauli explicationem refelleris, quum Esavum Jocobo *serviisse* negaveris et Jacobum se aliquando *Esavi servum* Genes. 32, 5. 19. 33, 5. 8. appellasse dixeris. Nihil est enim Jacobi servum se Esavi vocantis confessio, nisi usitata hominibus orientalibus, in adversâ fortunâ abjecte de se loquentibus suaeque dignitatis parum memoribus, adulatio, quam inanis tum metus Jacobo expressit. *Reich*. imperium Jacobo denuntiatum

Paulo judice *messianam felicitatem* esse *divinitus ei promissum* censet cl. Rom. 4, 13. 1 Cor. 6, 2.. Crederem, si Deus Genes. c. l. Jacobo mundi imperium simpliciter portendisset. At fore ut Jacobus messianâ beatitate potiretur, Esavus eâ excideret, verbis ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι tam obscure enuntiatum esset, ut nemo ex iis hanc sententiam facile exsculperet. Adjice quod ita se V. T. verba interpretatum esse ne apice quidem P. significavit. Denique ut ita Apostolum de V. T. loco judicasse putemus, ejus argumentatio minime poscit. Quippe Deum aeternam felicitatem iis largiri, quibus eam dare *voluerit*, eo V. T. oraculo, quo Deus Isaaci filiorum delectu facto Jacobum dominum, Esavum servum constituerit, per ambages nobis significare Ap. *allegoricâ* divini oraculi interpretatione finitâ existimavit. V. 13. Nexus: Esavo servitus a Deo indicta est, Jacobo imperium (v. 12.), nempe quoniam Jacobum Deus amaret, Esavum odisset, id quod literae sacrae testantur (v. 13.). Amore igitur et odio adductus alterum dominum, alterum servum fecit. Male *Rueck.* versum 13. a P. argumentatione abhorrere contendit. γέγραπται] Mal. 1, 2. 3.. Prophetae v. de Jacobo et Esavo, non de nationibus, quas condiderunt, dicta sunt. Ita etiam a P. intellecta sunt, nisi quod is ἠγάπησα et ἐμίσησα ad tempus rettulit, quo Esavus et Jacobus nondum nati essent (*Boehm.*, *Reich.*, *Meyerus* al.). Docet Apostoli argumentatio v. 11. — 13.. Perperam plerique interpretantur ἠγάπησα *vehementius amavi*, *praeposui*, et ἐμίσησα *minus amavi*, *postposui* enarrant. Nam hanc vim verba ἀγαπᾷν et μισεῖν habere vel per se ineptum est existimare (v. *Rueck.*) maleque opinionis vanitas specioso τῆς μειώσεως titulo tegitur (v. *Bretschn.* Lex.). Nempe Genes. 29, 31. (cl. v. 30.), Deut. 21, 15. sq. Luc. 14, 26. Joh. 12, 25. et similes loci, quibus illius opinionis propugnatores maxime fisi sunt, eum non morabuntur, qui homines orientales pro majore suâ animi concitatione ibi *rei amorem aut odium* et sentire et enuntiare, ubi nos, qui sumus in occidentalibus plagis naturâ minus irritabiles, nihil nisi *rei studium aut neglectionem et incuriam* sentimus et eloquimur, meminerint. Itaque occidentalium hominum frigore orientalium hominum ardorem vehementiamque in sentiendo loquendoque exstinguunt, qui ejusmodi in l. ἀγαπᾷν *vehementius amare* et μισεῖν *minus amare* explicant. Adde quod Deus Israelitas amavit Deut. 7, 8. 1 Reg. 10, 9., Edomitas odio habuit Mal. 1, 4.. Tanchuma p. 32, 2. Tu invenies, omnes transgressiones, quas *odit* Deus S. B., fuisse in Esavo (v. *Wetst.* II, 438.). Deum naturas procreatas diligere, non de-

detestari aut odisse frustra obtendas. Ita nimirum nobis videtur visumque antiquitus iis est, qui subtiliter de rebus divinis loquuti sunt Sap. 11, 25.. Sed vulgo antiquitas amorem odium, iram invidiam ceterasque hominum perturbationes numini divino tribuit (v. *Rueck.*).

V. 6 — 13. perspicuis Paulus verbis *absolutum* Dei de hominibus per Christum beandis decretum exponit, h. e. delegisse Deum homines, qui *necessario* fidem Christo adjungerent aeternaque felicitate potirentur, ita ut beandorum hominum delectum *pro arbitrio suo* faceret eosque praeteriret, ut fide Christo denegatâ sempiterno miseri essent, quoscunque praeterire *ei libitum esset*, plane et dilucide Ap. docet (v. *Augustinum* enchirid. de fide, spe et caritate ad Laurentium c. 98. sq., De praedestinatione sanctorum c. 3. 4. et 16., De spiritu et litera c. 34. aliisque locis, *Theophylactum*, *Calvinum*, *Bezam*, *Rueckertum*, *de Wettium* al. ad h. l.). Hoc e consilio, quo P. hanc disputationem ingressus est, tum e disputationis ratione quam iniit verbisque quibus usus est longe apertissimum est. Quippe tot Iudaeorum, qui ad Christi disciplinam homines beantem non accessissent, fortunam miseratus 9, 1. 2., meâ ipsius, inquit, peste popularium meorum salutem redimerem, si possem 9, 3. — 5.. At procul abest, ut *Dei edictum*, quod *nonnullis* Abrahami posteris, *non omnibus* ejus nepotibus, messianam beatitatem spopondit, *ad irritum ceciderit* 9, 6.. Edixit autem hoc Deus, quo loco *per Isaacum* homines beatos Abrahamo posteros nuncupaturos esse professus est 9, 7.. Hâc enim voce se eos beatos per fidem in Christo collocatam Abrahami nepotes constituturum esse, qui, ut Isaacus, sui promissi virtute Abrahami filii exstitissent h. e. quos per fidem Christo habitam beare *ipse voluisset* 9, 8., oblique nobis et per ambages ostendit. Hoc ipsum autem Deum nobis declarare voluisse ex oraculi verbis discimus, quae *Sarae*, quae viribus a Deo praeter naturae legem datis Isaacum concepit, non Hagari, quae secundum naturae ordinem praegnans facta Ismaelem peperit 9, 9., filium ominantur. Sed multo gravius oraculum est, quod Rebecca *cum uno Isaaco*, cuius omnes promiscue filios utique beandos fuisse ex ante dictis concludas 9, 7. — 9., *complexu venereo juncta* de diversâ filiorum sorte accepit, quam quod Sarae de Isaaco datum fuerat. Nam Deum homines beandos *arbitratu suo deligere* ita demonstrat, ut nihil esse possit evidentius 9, 10.. Scilicet etiamsi nondum nati essent Esavus et Iacobus neque quidquam boni malive fecissent, a Deo, ut divinum beandi consilium ex hominum delectu, nullaque probe factorum, quae edidissent, ratione

ductâ, sed *pro arbitrio* captum retineri intelligeremus, *quia Jacobum amaret, in Esavum odium concepisset*, Rebeccae dictum est, fore ut Jacobus in imperio esset, Esavus in servitute. Hinc beandorum hominum delectum ita a Deo factum esse, ut neque generis splendorem, neque bene maleve facta, neque quae quis praecipua habere videretur decora (praepositus enim est frater natu minor majori) momentum facerent, sed *suo arbitratu* eos eligeret, *in quos voluntate propenderet*, eosque praeteriret, quibus iniquus esset, ab ipso Deo edocti plane cognoscimus. — In hâc disputatione Dei consilium, quo *nonnullis* tantummodo hominibus *pro arbitrio selectis* aeternam felicitatem fide parabilem decreverit, *immutabile* dici patet. Nam Paulus suâ ipsius miseriâ pestem a popularibus suis averteret 9, 3. sq.. At obstat Dei edictum, quod nonnullis Abrahami nepotibus Dei arbitratu delectis sempiternam beatitatem destinavit 9, 6.—9.. Quodsi Dei nonnullos, *quos ipse voluerit*, homines beandi consilium *immutabile* est, eventum habeat necesse est. Itaque quum aeterna felicitas *fide*, verae pietatis et virtutis genitrice, comparetur (1, 17.), fieri non potest, quin homines a Deo, ut beati essent, delecti et Christo fidem adjungant et pie vivant, homines, ut miseri essent, a Deo praeteriti Christo fidem denegent et improbe vitam instituant. Sed hinc (9, 6.—9.) *absolutum* a Deo de hominibus per Christum beandis consilium captum esse nondum efficitur. Nihil enim *hi* versus (6.—9.) continent, quo eos refellas, qui Deum, quum hominum beandorum delectum faceret, *pro suâ sanctitate et sapientiâ* auctore Paulo *aliquid sequutum esse*, ut aeternam beatitatem decerneret hominibus Christo fidem pie habituris, sempiternam miseriam impiis hominibus inhonesteque vitam acturis, contenderunt. Quamquam beari a Deo quoscunque e ceterorum hominum grege forte delectos beare ei collibitum esset, Paulum v. 6. — 9. dixisse disputationis paullinae consilium et rationem intuenti verisimile videri debet. Judaicae stirpis Christianos, qui quod maxima pars Judaeorum, quum Christi alumni facti non essent, felicitate messianâ excidisse viderentur, vehementer dolerent, solatio afficere Ap. voluit. Atqui maeroris solatium in eo est, ut id ipsum, ex quo luctum hauseris, *omnipotenti Deo placuisse* reputes (v. 6.). Plus tamen alii argumento tribuo. Nam si Paulus Deum iis hominibus sempiternam felicitatem destinasse, quos ob fidem suam et honestatem tanto ornamento dignos fore scivisset, h. l. enuntiare voluisset, multo aliter disputare debuisset atque dicere: meâ ipsius miseriâ pestem ab Judaeis depellerem et ut Christo fidem adjungerent efficerem, si possem.

At magna est eorum obstinatio inveteratusque error, quo bene factis obedientiaque leg. mos. praestitâ messianam beatitatem obtineri opinantur (v. v. 6. cl. v. 30. — 33.). Sed *absolutum* a Deo de hominibus per Christum fortunandis decretum captum esse Paulus v. 9. — 11. verbis minime ambiguis declarat. Ibi *neque Esavi et Jacobi natalibus* (*μήπω γεννηθέντων*), *neque moribus* (*μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ κακόν*), *neque aetate* (*ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι*) motum Deum scribit, ut Esavum servum, Jacobum dominum faceret. Ut quidnam Deus *his omnibus* neglectis rebus spectaverit difficulter statuas, tamen *aliquid nostrâ mente majus*, ob quod fortunâ *iis destinatâ* digni illi essent, eum sequutum esse fingas. At Jacobum dominum, Esavum servum constitutum esse, *quoniam erga illum amorem habuisset, erga hunc odium suscepisset*, Ap. addit v. 13. dicitque eo Deum consilio isto modo bene in Jacobum, male in Esavum consuluisse, ut suum homines *ex delectu*, *neque propter bene eorum facta*, *sed arbitratu suo* captum beandi consilium, quod in Isaaco manifestasset, *perdurare* intelligeremus (*ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος*). Itaque Deus hominum per Christum beandorum delectum ita egit, ut quales genere, moribus et fortunâ futuri essent nihil curaret, sed eos beatorum familiae *pro arbitrio* insereret, *quibus favisset*, praeteriret eos, *in quos iniquus fuisset.* Jam quum Dei consilia non ad effectum adduci nequeant, ipse autem ut fide et pietate sempiterna felicitas comparetur edixerit, Deus, ne capta decreta vi et eventu destituantur, pro suâ omnipotentiâ hominum mores ipse fingat necesse est. Faciet igitur ut homines delecti fidem Christo habeant et pie vivant, praeteriti fide Christo negatâ vitaque male actâ sempiterno miseri fiant. Has tristas sententias a Paulo non enuntiatas, sed ex ejus disputatione argumentando collectas Paulo recte tribui *Reichius* p. 291. et 297. sq. negavit. Mihi vero parum sollers Apostolus videretur, si quae res e suâ disputatione necessario sequerentur non vidisset. Vidit vero, neque vidit solum, sed etiam asperas illas sententias ipse proposuit (v. 22. 23. cl. v. 16.). Nempe objectio, quam sibi ipse opposuit v. 14., hâc sententiâ nititur: injuste Deum facere videri, qui ejusdem loci atque dignitatis hominum alios amore adductus beaverit, alios malevolentiâ motus miseros esse jusserit. Altera autem objectio, quam Ap. v. 19. posuit, huic sententiae superstructa est: si ante dicta vera sint, *Deum hominum mores ipsum formare* fideque et pietate homines delectos, impietate praeteritos imbuere. Ceterum quamquam Pauli verba v. 6. — 9. ejusmodi sunt,

ut ex iis, si ea sola spectaveris, *absolutum* a Deo de hominibus Christi interventu beandis decretum Paulo judice captum esse demonstrare nequeas (v. supra), tamen Apostolum a Deo *pro arbitrio* delectos esse, qui quum fatali necessitate coacti Christo fidem habuissent aeternam felicitatem consequerentur, illud de Isaaco datum oraculum per ambages significare dixisse, vocabula v. 11. ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ μένῃ docent (cf. supra). Inepta argumenta sunt, quibus nostra hujus l. interpretatio impugnata est. Nam de decreto Dei *super immortali hominum felicitate* capto Paulum v. 11. loqui nonnulli propter ea negarunt, quod Genes. 25, 23. et Mal. 1, 2. 3. non de ipsis Isaaci filiis, sed de populis, quos condituri essent, sermo instituatur iisque populis neque felicitatem aeternam neque sempiternam miseriam, sed meliorem deterioremque fortunam, quam homines ante obitum habituri essent, ibi Deus ominatus sit (v. *Limborch.*, *Turretin.*, *Carpzov.*, *Noesselt.* p. 161., *Tholucc.* al.). At P. quidem Genes. 25, 23. et Mal. 1, 2. 3. ad *ipsos Isaaci filios* rettulit (v. supra). Deinde Paulum Genes. 25, 23. *allegoricam* interpretationem ingressum servitute Esavo denunciatâ, dominatu Jacobo indicto Deum simul *ampliorem* rem tanquam per transennam hominibus significasse, h. e. se arbitratu suo homines, qui per Christum certissime bearentur, delegisse, credere illi interpretes non perpenderunt (cf. v. 11. ἵνα — μένῃ et quae supra diximus). Neque aliter P. v. 7. 8. Genes. 21, 12. interpretatus est. Postremo quae Mal. 1, 4. de *Edomitarum sedibus* perscripta sunt temere illi explicatores, quum v. 13. exponerent, immiscuerunt. Nam P. v. 13. his tantum prophetae verbis usus est: τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἡσαῦ ἐμίσησα: ita quidem explanatis: Jacobum nondum natum amore Deum amplexum esse, erga Esavum nondum in lucem editum odium concepisse, ut Deum in facto hominum beandorum delectu amore et invidiâ ductum esse e literis s. ostenderet. Quam ob rem utrum jure P. an injuriâ tristem suam sententiam illis V. T. locis firmaverit dubitari potest: dixisse Paulum illam asperam sententiam locisque V. T. munivisse vir doctus verique amans concedere debet. Plerique interpretes, ne Paulus Deum iniquum tyrannum faceret mentesque hominum liberâ voluntate spoliatas necessitate fati devinciret, theologicis capti praejudiciis Deum eos ut per Christum bearentur delegisse, *quos fidem Christo adjuncturos honestamque vitam acturos esse* **praevidisset** ab Ap. h. l. doceri opinati sunt. Namque Deum Jacobum dominum, Esavum servum constituisse, quod illum probum, hunc improbum futurum esse scivisset. Cf. v. c. *Chrys.*

Theodoret., *Photius*, *Ambrosiaster*, *Heumannus*. In hâc sententiâ ipse Augustinus fuit Exp. quarundam propositionum ex ep. ad Rom. 60. (p. 916. ed. Bened.). Sed postea eam deposuit, quum fidem quoque, virtutis matrem, Deum hominibus donare ex 1 Cor. 4, 7. et Eph. 6, 23. liquido intelligi sibi persuasisset (De praedest. sanctorum c. 3. 4. De spiritu et literâ c. 34. al.). Vanissima est haec interpretatio, ut quae Pauli verbis repugnet ejusque disputationem perturbet. Nam Deum, quum beandorum hominum delectum pro arbitrio (v. 11. ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος) ageret, nullâ re nisi *hominum favore aut invidiâ* motum esse Ap. scribit v. 13.. Deinde pulchre facta ea a P. dici, *quae quis ediderit* (v. v. 11. οὐκ ἐξ ἔργων cl. verbis μήπω — — κακόν) ita ut ea non excludantur, quae postea (*Christianus factus*) *editurus sis*, male observatur. Nam Deum alicui propter benefacta *quae editurus esset* aeternam felicitatem decrevisse P. dicere non potuit. Nimirum ἔργα, quum τῇ πίστει vel diserte vel oblique opponuntur Paulo honeste facta sunt, ideoque minime idonea, quae Dei favorem et sempiternam felicitatem tibi parent. Imo *fide* haec ornamenta comparantur, quam vera et quae Deo placeat pietas consequitur ut umbra rem. Non reputavit hoc Augustinus, quum Enchir. ad Laurent. c. 98. quam nunc oppugnamus interpretationem ferri non posse, quia P. *ex operibus*, non *ex futuris operibus* scripserit, contenderet. (Nempe v. v. 11. οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος cum ἐῤῥήθη αὐτῇ Augustinus arcte consociavit: v. supra). Neque ἐξ ὄντων ἔργων, neque ἐξ ἐσομένων ἔργων Dei benevolentiam vitamque aeternam manare Paulus affirmare potuit. Tum tota Pauli disputatio istam expositionem non recipit. Servari ab se populares suos non posse, quoniam immutabile Dei, qui nonnullis tantummodo Abrahami posteris salutem messianam destinaverit, decretum id non patiatur, dicit Ap. v. 6. sq. cl. v. 3.. Quare aeternam felicitatem iis a Deo decretam esse, quos pios futuros esse praevidisset, alieno l. P, v. 11. perhiberet. Scilicet perperam illi interpretes v. 6. τὸν λόγον τοῦ θεοῦ *Dei promissum* et v. 7. τέκνα Ἀβραάμ *homines pietate Abrahami ingenium referentes* fere exposuerunt. Contra omnia apta sunt inter se et convenientia, si P. v. 11. — 13. Deum pro arbitrio nullaque re nisi amore aut invidiâ motum homines, quos pro suâ omnipotentiâ per fidem in Christo positam utique beatos redderet, delegisse contendit. Adde quod ex hâc sententiâ: *Deus hominibus quoscunque fidem Christo habituros et sanctos futuros esse praevidisset, aeternam beatitatem decrevit*: objectiones v. 14. et 19. positae nasci non potuerunt. Justissime enim Deus

hominum fortunam ad mores ipsi notos hominibus nondum natis accommodasset (v. 14.) recteque hominum impietatem culparet, quibus bene maleque vivendi potestatem reliquisset. Postremo illi interpretationi v. 5. 18. et 22. sq. repugnant. Non igitur *Reichius* p. 297. in eam relabi debebat, qui hoc unum v. 11. Paulum docere: in facto beandorum hominum delectu nihil Deum bene factis *jam editis* tribuisse: fingi tamen posse, ut eos Deus, ut beati essent, delegerit, quos pios futuros esse scivisset, perhibuit. Alii (v. e. *Tholuccius* p. 377. 380. 381. 383. sq. cf. *Limborch.*) v. 11. sq. hanc sententiam a P. v. 11.—13. exponi opinantur: nulla Deum jura agnoscere, quibus instructo ornamenta tibi a Deo deberi statuas: itaque sicut olim hoc decus, ut populum sibi carum facerent, in eos contulerit, quibus id tribuere *voluerit*, ita nunc eum *pro libertate suâ* hanc novam hominibus *conditionem* ferre, ut sempiternam felicitatem consequantur quicunque *Christo fidem adjungere voluerint.* Nullum hujus sententiae Pauli verbis v. 9.—11. recte explanatis vestigium inest, neque eam instituta disputatio recipit. Quae sic formanda fuisset: meâ ipsius miseriâ pestem ab Judaeis averterem, si possem. At incredibilis est eorum obstinatio. Nolunt enim *conditionem*, quam Deus pro libertate suâ tulerit, accipere, ut vanâ quam alunt opinione, Dei benevolentiam *pulchre factis* obtineri, depositâ per *fidem* in Christo collocatam beentur. *Fides* toto l. v. 6.—29. ne memorata quidem est. Neque istam sententiam ea admittunt, quae Ap. v. 14. sq. disputat (v. supra). Formula v. 11. ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ male explicata est: *liberum Dei homines beandi consilium.* Loci Genes. 25, 23. et Mal. 1, 2. 3., quos P. ad *ipsos Isaaci filios* rettulit, male ad nationes ab iis conditas relati sunt neque ratio intellecta est, quâ ductus P. hos l. citaverit (cf. supra). Praetereo alia vitia, quae lectâ nostrâ disputatione quivis facile deprehendat. *Noesseltus* p. 164. (*J. Carpzov, Kopp* et *Morus*) Apostolum v. 11. —13. haec docere putat: Deum, qui ampliorem fortunam, *quâ in hâc vitâ fruatur*, in hanc illamve gentem conferat, non id facere coactum moribus vel meritis ejus gentis, sed motum rationibus ex se ipso *suaque liberalitate* unice ductis. Nam Genes. 25, 23. Mal. 1, 4. de secundâ Israelitarum fortunâ et miserâ Edomitarum conditione, non de sorte utrisque post mortem futurâ agi (at cf. supra). Itaque *Noesseltus* τὴν πρόθεσιν τοῦ θεοῦ *benignam Dei voluntatem*, τὴν ἐκλογὴν *benignitatem* et τὸν καλοῦντα *beneficum* explicuit! Indigna *Noesselti* expositio est, quae, quum ex iis quae ante dicta sunt a quovis refelli possit, a nobis

operose refutetur. Sed praejudicatam opinionem viris doctis oculos adeo praestrinxisse, ut Paulum, quod *aeternum exitium*, quia Dei decretum impedimento sit, ab Judaeis averti nequeat, h. l. dolere v. 6. sqq. cl. v. 3. non viderent, recte mireris.

V. 14. *Τί οὖν ἐροῦμεν; μὴ ἀδικία παρὰ τῷ θεῷ; μὴ γένοιτο.* 15. *Τῷ γὰρ Μωϋσῇ λέγει· ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω.* 16. *Ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ.* 17. *Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραώ, ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ.* 18. *Ἄρα οὖν ὃν θέλει ἐλεεῖ, ὃν δὲ θέλει σκληρύνει.* 19. *Ἐρεῖς οὖν μοι· τί ἔτι μέμφεται; τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε;* 20. *Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ; μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι τί με ἐποίησας οὕτως;* 21. *Ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν;* 22. *Εἰ δὲ θέλων ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν,* 23. *καὶ ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη ἐλέους, ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν,* 24. *οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς οὐ μόνον ἐξ Ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν,* 25. *ὡς καὶ ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει· καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην ἠγαπημένην,* 26. *καὶ ἔσται ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐῤῥήθη αὐτοῖς· οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ θεοῦ ζῶντος;* 27. *Ἡσαΐας δὲ κράζει ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ· ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα σωθήσεται·* 28. *λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ· ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει κύριος ἐπὶ τῆς γῆς,* 29. *καί, καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας, εἰ μὴ κύριος Σαβαὼθ ἐγκατέλιπεν ἡμῖν σπέρμα, ὡς Σόδομα ἂν*

ἐγενήθημεν καὶ ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν.

V. 14. — 16. Jam *justitiâ Deum vacare*, quae una omnium virtutum domina est ac regina, sibi, ut sententia v. 11. — 13. pronuntiata refellatur, obverti posse Ap. intelligit. Itaque quod sibi a subtili lectore opponi posse videt, id sibi ipse objicit v. 14., ut accurate refutet (v. 15. sqq.), non adversarium, nescio quem, sibi obloquentem inducit (v. 14. cf. *Flatt.*, *Rueck.* al.). Est autem objectio non ex eo nata, quod parum juste Deus Isaaci pueris nondum natis neque bene maleve meritis suam cuique fortunam destinaverit (v. 11. 12.), sed e sententiâ manavit, quam Deus diversam Jacobo et Esavo, priusquam in lucem editi essent aut quidquam bene maleve fecissent, sortem attribuendo nobis per ambages significaverit: *salutem messianam assequi, quotquot Deus amore adductus pio arbitrio delegerit, ut per Christum beati fierent.* Nam hanc sententiam claris verbis v. 11. — 13. enuntiatam Ap. munit v. 14. — 21., munitamque ita ut quadamtenus mitiget repetit v. 22. 23.. Quid *igitur*, inquit, dicemus (np. si Deus, ut v. 11. — 13. dixi, homines pro arbitrio, quia iis bene cuperet, delectos beat)? Num injustitia penes Deum est? μὴ ἀδικία παρὰ τῷ θεῷ;] Est res *penes* eum, qui rem possidet, ἀδικία penes injustum, προςωποληψία penes partium studiosum Rom. 2, 11., ἐμπειρία penes sollertem Demosth. de cor. 318, 13. *Reisk.*, *victoria* penes victorem Liv. 42, 29.. Mire igitur *dW. vitium* (injustitiam) pro *actionibus* (injuste factis), *quae te vitio laborare ostendant*, h. l. positum esse observavit. Injustum Deum esse, quod homines temere delectos beet v. 11. — 13., fortiter P. negat (μὴ γένοιτο), neque negat tantummodo, sed etiam recte se negare idoneo argumento docet v. 15.. Nam voce γάρ v. 15. μὴ γένοιτο confirmari manifestum est. Temere *Heumannus* (cf. etiam *Orig.* ad h. l. et *Storrium* Opusc. II, 239.) v. 15. — 21. non Paulum, sed Pauli adversarium nescio quem, qui fati necessitatem acriter defendat, dicentem induci (at Mosi, inquis, Deus dicit etc.) eumque v. 22. sq. ab Ap. refutari statuit (v. *Wolf.*, *Noesseltus* p. 165. sq. et *Tholucc.*). Nam I. γάρ obstat: ἀλλὰ λέγει τῷ Μωϋσῇ s. ἀλλ' ἐρεῖς μοι· τῷ Μωϋσῇ λέγει dicendum fuerat. Deinde II. si ita P. scripsisset, v. 15. sq. non fatalis necessitas defenderetur, sed *sane injustum esse Deum* v. 14. doceretur. Tum III. non satis erat, Paulum quae magnae offensioni esset sententiam detestari v. 14., nisi eam etiam refellere conaretur. Ita recte facit alias 3,

4. 6., 6, 2. 15. sq. 7, 7. 9, 20. cl. 19. 11, 1.. Quare voculâ γάρ v. 15. μὴ γένοιτο v. 14. corroboratur. Praeterea IV. versibus 15. — 18. argumentum contineri, quo suâ de beandorum hominum delectu pro arbitrio facto sententiâ Dei justitiam minime tolli *Paulus* ostenderit, verba v. 19. ἐρεῖς οὖν μοι etc. (dices *igitur* mihi, np. quum objectionem v. 14. positam refutans v. 18. ὃν θέλει σκληρύνει ὁ θεός contenderim) docent, quibus nova objectio inducitur. Hinc eos quoque falli perspicuum est, qui v. 16. et 18. Pauli adversarium e Pauli verbis v. 15. et 17. cupide argumentari putant (v. *Chrys.* et *Pelagium*), quamquam haec opinio *multis* de causis absurda est. Denique, ne plura addam, inepte Pauli adversarius v. 19. fati necessitatem eo argumento corroborasset, quo firmiore nullo fatum oppugnes. Sed objectionem V. T. verbis comprehendere v. 15. 17. Paulo licuisse male negaveris (*dW.*), cf. v. 19. τῷ γὰρ Μωσῇ] F. G. multique alii praebent τῷ γὰρ Μωϋσῇ formam copticam, quam *Griesb.*, *Knapp.* aliique excudi jusserunt, pro formâ ex hebraicâ nominis pronuntiatione (מֹשֶׁה) natâ τῷ γὰρ Μωσῇ (v. Ven. *Alti* gr. p. 9., *Wineri* gr. p. 45. et Ven. *Schulzii* notam ad Matth. 8, 4.). *Rueck.* ad Rom. 10, 5. p. 467. Μωυσῆς scribendum esse dixit punctis, quibus diaeresis notatur, sublatis atque ita *Lachm.* nomen scripsit. Ego illa puncta retinui. Nam ωυ in θωῦμα et ἑωυτοῦ diphthongus est, quâ Jones pro αυ usi sunt, θαῦμα, ἑαυτοῦ. Item ωυ in τωὐτό unam syllabam facit (ταὐτό) e crasi ortam (τὸ αὐτό). At ωϋ in Μωϋσῆς haud dubie disyllabum est. Est enim nomen Μωϋσῆς (i. q. ὁ ἐξ ὕδατος σωθείς) ex ⲘⲰ (*mo*, aqua) et ⲞⲨϪⲈ (*use*, servare) compositum (v. *Jablonskii* Voces Aeg. in Stephani Thes. I, CCXLI. sq. ed. Lond.). Quam rem nemo addubitasset, si Graeci formam copticam ita expressissent, ut non solum Μωϋσῆς, sed etiam Μοουσῆς passim dicerent. Non igitur formae Μωϋσῆς eo invidiam confles, quod librarios υ punctis ornare solere moneas (v. *Buttmanni* Ausf. gr. Sprachl. I, 102.). *Rueck.* autem, quum Hellenistas nomen bisyllabum fecisse trisyllabum credibile esse negaret, *hebraicam* nominis formam bisyllabam fuisse, *copticam* tres syllabas habuisse non cogitavit. Pondus, quod nonnulli τῷ Μωϋσῇ subesse putarunt (*Chrys.*, *Theophyl.*, *Chr. Fr. Schmid.* al. nam Mosi, *tanto viro*, Deus dicit: *Reich*: nam Mosi, *interpreti optime merito* Gal. 3, 20., Deus dicit), fictitium est. Neque enim P. Deum, etiamsi pro arbitrio delectos homines beet, justum tamen esse ex eo demonstrat, quod quae afferuntur verba *Mosi* dicta sint, sed quod *omnino* ea Deus et quidem quum aliquando cum

Mose colloqueretur, pronuntiaverit (v. infra). Non est igitur *τῷ γὰρ Μωϋσῇ λέγει*, nisi V. T. locum paullo accuratius citantis formula (v. v. 25. 27. 29.). Ubi minus accurate V. T. locus affertur, usurpatur *γέγραπται γάρ. λέγει*] LXX. Exod. 33, 19.. Ibi Jehovah Mosis, qui divinum numen oculis usurpare cupierat, voto annuit, deinde haec v. addit: וְחַנֹּתִי אֶת־אֲשֶׁר אָחֹן וְרִחַמְתִּי אֶת־אֲשֶׁר אֲרַחֵם *et benevolus sum cui esse placebit et misericors in quem esse mihi libebit* h. e. et (beneficium, quod in te conferam, tecum reputans) *scito* me (hanc enim regulam sequor) caritate et misericordiâ eum complecti, quem complecti voluero. H. l. benevolentiae hominibus *pro arbitrio* delectis praestandae notio non e verbis אֶת־אֲשֶׁר nascitur, sed e totâ formulâ וְחַנֹּתִי אֶת־אֲשֶׁר אָחֹן benevolentiam confero in quem *conferre placebit* (animum adverte ad tempus futurum אָחֹן et אֲרַחֵם). Nam principes, ut sui rem totam arbitrii esse denuntient, facturos se esse quod *sibi visum fuerit* monent. Dispar est ratio loci 2 Sam. 15, 20. וַאֲנִי הוֹלֵךְ עַל אֲשֶׁר־אֲנִי הוֹלֵךְ *ego abeo in quem locum abeo* h. e. ego quo abeam nescio. Loquitur enim Davides fugâ salutem petens, qui quo se convertat nescit cf. v. 14. 21.. Multo minus l. Exod. 16, 23. cum nostro l. conferri debebat. LXX., quum de beneficiis in posterum tribuendis agi vidissent (cf. אֲרַחֵם, אָחֹן), salvâ sententiâ paullo liberius *ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ καὶ οἰκτειρήσω ὃν ἂν οἰκτείρω* converterunt: scito misericordiam me *tributurum esse* cujuscunque misericordiâ captus sim etc.. Fortasse etiam generalem Dei sententiam ad Mosen potissimum applicatam voluerunt h. m.: (exoptatum beneficium in te conferens) misericordiam *tribuam* cujuscunque misericordiâ commotus sim h. e. eo, quod te beneficio ornabo, *ostendam*, me (ut facere soleo) favere cuicunque faveam. Ceterum LXX. benignitatis hominibus pro arbitrio delectis declarandae cognitionem majore quam Moses perspicuitate annuntiarunt (*ὃν ἂν ἐλεῶ*). Si LXX. verbum verbo subjecissent, ita vertissent: *ἐλεῶ ὃν ἐλεήσω καὶ οἰκτείρω ὃν οἰκτειρήσω*. Quod *Meyerus* et *dW.* illis ponendum fuisse putarunt *ἐλεῶ ὃν ἂν ἐλεήσω καὶ οἰκτείρω ὃν ἂν οἰκτειρήσω*, scribere iis non licebat, quoniam conjunctivus Futuri inusitatus est. Recte dixissent *ἐλεῶ ὃν ἂν μέλλω ἐλεήσειν* etc.. Paulus V. T. locum citavit, quoniam ibi Deus se misericordiam *tributurum esse quibuscunque faveat* declaraverit. Jam quum *messiana beatitas* ornamentum sit *a Dei liberalitate et misericordiâ* profectum, non decus, quod tibi propter illustres majores aut propter virtutem tuam debeatur, non injustum esse Deum, qui per Christum beatos reddet quibuscunque bene cupiat, concludit. Argumentatur P. tum e verborum

ἐλεεῖν et οἰκτείρειν τινά notione (benignitas gratiosa est neque lege tibi aut jure extorquetur: attende ad ἐλεοῦντος v. 16.) tum e sententiâ, quam non diserto enuntiatam pro certâ ab Ap. sumi attentus lector facile intelligat: esse felicitatem messianam non rem quae tibi debeatur, sed liberalitatis divinae donum, tum e Futuro ἐλεήσω. Nam quum Deus suam liberalitatem nulli necessitati adstrictam *fore* denuntiaverit, non mirum esse P. dicit, quod nunc Deus sine cujusquam injuriâ favore amplectatur et per Christum beet quos velit (v. 18. ὃν θέλει ἐλεεῖ:). De structurâ ἐλεεῖν et οἰκτείρειν τινά cf. *Matthiae* Ausf. gr. Gr. §. 414. et de formis οἰκτειρήσω et ᾤκτείρησα *Lobeckium* ad Phryn. p. 741.. *Tittmannus* de syn. in N. T. I, 69. sq. plus valere τὸν ἔλεον et τὸ ἐλεεῖν, quam τὸν οἰκτιρμόν et τὸ οἰκτείρειν perhibet. Nam illis vocabulis *ipsam tantum misericordiam* s. sensum doloris ex malis aliorum, his *ipsum miseris succurrendi studium*, ut auxilii, ad quod ferendum promtus sit ὁ ἐλεῶν, notio adjuncta sit, exprimi putat. Commentitia haec distinctio est, quam usus loquendi redarguat et male *Tittmannus* argumento vi destituto firmaverit, notare τὴν ἐλεημοσύνην *stipem* Act. 3, 2.. Nam *stipem* ἐλεημοσύνην vocari, quoniam eâ erogandâ misericordem te esse ostendas, patet. Imo plus significari vocabulis ὁ οἰκτιρμός et οἰκτείρειν, quam verbis ὁ ἔλεος et ἐλεεῖν recte VV. DD. vulgo statuunt. Illis enim cum ἵλαος, ἱλάομαι et ἱλάσκομαι, his cum οἴ et οἶκτος cognatio est. Ὁ ἔλεος aegritudinem benevole ex miseriâ alterius haustam denotat et commune vocabulum est ibi collocandum, ubi misericordiae notio in genere enuntianda est; ὁ οἰκτιρμός aegritudinem ex alterius miseriâ susceptam, quae fletum tibi et ejulatum excitet h. e. magnam ex alterius miseriâ aegritudinem, miserationem declarat. Ceterum Semitae pro magnâ suâ animorum concitatione misericordiâ et miseratione eos commotos esse praedicant, quos nos, qui in occidentali plagâ frigemus, benignos esse dicimus. V. 16. Nunc ratio concluditur: itaque ergo non in hominis optantis aut contendentis, sed in miserantis Dei potestate Dei misericordia (s. beandi consilium) est, h. e. non pendet Dei misericordia ab hominis optato aut studio, sed a Dei benignitate. *Koelln.*, *Win.* gr. p. 530. al. post θεοῦ unum ἐστί mente addunt, ut sententia sit impersonalis: es hängt nicht ab von —. Sed quum in P. conclusione *certa* res, quae a Dei misericordiâ suspensa sit, cogitari debeat, hoc dici nequeat, *nihil non* a Dei misericordiâ proficisci, apparet, aut τὸ ἔλεος τοῦ θεοῦ ἐστι e v. 15. (itaque non ab homine optante aut contendente, sed a miserante Deo Dei

misericordia, *ergo etiam beatitas messiana, quam misericordiâ adductus, non lege coactus Deus tibi adjudicet,* pendet), aut ἡ πρόθεσις τοῦ θεοῦ ἐστι e v. 11. supplendum esse (itaque non ab homine exoptante aut contendente, sed a miserante Deo Dei consilium hominem per Christum beandi pendet). *Beza* ἡ ἐκλογή ἐστι, *Tittm.* l. c. p. 70. τὸ χάρισμά ἐστι supplet. Neutrum e praecedentibus vs. peti potest. Nam v. 11. ἡ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις τοῦ θεοῦ una notio est. Εἶναί τινος valet in *alicujus manu et potestate esse*, v. *Heindorf.* ad Plat. Gorg. p. 213. et Liv. 6, 40. — quum praeter Capitolium atque arcem omnia haec hostium erant —. Τὸν θέλοντα et τὸν τρέχοντα hominem dici, cui ὁ ἐλεῶν θεός opponatur, sententiamque perdi si θεοῦ etiam ad οὐ τοῦ θέλοντος οὐδὲ τοῦ τρέχοντος referas in promtu est (v. *Beza* et *Rueck.*). Inepte *Theophyl.*, *Lockius*, *Flatt.*, *Reich.* al. verbis οὐ τοῦ θέλοντος ad Isaacum, qui Esavo fausta ominari *voluerit* Genes. 27, 4., et vocabulis οὐδὲ τοῦ τρέχοντος ad Esavum, qui vel patri morem gesturus ut feram venaretur *propere cucurrerit* Genes. 27, 5., vel post venationem, ut bonis patris votis potiretur, *domum* frustra *properaverit* Genes. 27, 30., respici putarunt. Nam I. P. h. l. ex Exod. 33, 19., non e Genes. c. 27. argumentatur. Deinde II. Esavi et Jacobi historiae non propter Isaacum ejusque filios ducta ratio est v. 11. — 13., sed quoniam μένειν τὴν κατ' ἐκλογὴν πρόθεσιν αὐτοῦ eâ Deus hominibus manifestasset. Postremo III. Genes. 27, 5. et 30. Esavum festinanter cucurrisse minime perscriptum est, sed eum venatum exiisse et ferâ transfixâ domum reversum esse. Petuntur verbis οὐ τοῦ θέλοντος οὐδὲ τοῦ τρέχοντος *Judaei*, qui Dei favorem ardenter cupiverunt magnoque legis mos. studio ad eum contenderunt v. 31. sq.. Sed vocabulis οὐ τοῦ θέλοντος ad Mosen respici videtur, qui optavit, ut sibi divinum numen adspiciendi copia fieret Exod. 33, 18.. Nempe θέλειν h. l. *optare* est, non *velle*. Τρέχειν *currere* metaphorice *vires magnopere intendere, valde laborare* notat Gal. 2, 2. 5, 7. (Phil. 2, 16. τρέχειν verbo κοπιᾶν exponitur). Metaphora a stadiodromorum contentione ducta est 1 Cor. 9, 24. 26.. Negavit hoc *Reich.*, quoniam qui recte stadium currat praemium consequatur h. autem l. nihil cursu effici Ap. affirmet 1 Cor. 9, 24. Phil. 3, 12.. Non cogitavit V. D., nihil nisi magnae *contentionis* notionem Paulum hic a stadiodromis petivisse, *non* repetitam a cursus certamine similitudinem *persequutum* esse. Neque id reputavit *Meyerus*, qui contra *Reichium* disputans non in *currentis* potestate praemii adeptionem esse, sed quemcunque Deus praemium consequi voluerit, *eum ita currere, ut praemio potia-*

tur, Paulum hîc dicere finxit. Itaque verbis *οὐ τοῦ θέλοντος οὐδὲ τοῦ τρέχοντος desiderii studiique in eo positi*, *ut desiderio tuo satisfiat* (non actionis et quae animo contineatur et quae factis ostendatur, *Reich.*), notio inest. Sed quod Ap. hominum contentionem ad messianae beatitatis adeptionem prodesse h. l. negat, alias affirmat v. 30. sqq. 1 Cor. 9, 24. sq., *est*, non esse videtur, repugnantia. Neque enim homo tam subtilis nascetur, qui illud non vehementer repugnare doceat, eandem rem et inanem esse et non inanem. Ostendi tantum potest, quî P. diversis locis in tam repugnantes sententias inciderit. Nempe quum Deum *pro arbitrio delectis*, *quibus bene cupierit*, hominibus *dono* dare messianam felicitatem statueris, eam consequeris, si Deus tibi faverit, licet nihil agens, non adipisceris, si tibi Deus non propitius fuerit, quamvis vehementer eam expetas magnoque virtutis studio ad eam contendas. Contra quum ab alio principio orsus Deum *pro sanctitate suâ* hanc sibi legem scripsisse sumseris, ut summo ornamento dignis, h. e. fide et pietate conspicuis, hominibus felicitatem per Christum partam tribuat, nullâ re nisi fide et pietate ea comparatur minimeque inanis est nostra contentio. Ab hoc principio P. 9, 30. sq. 1 Cor. 9, 24. sq., ab illo h. l. profectus est. Temere igitur Paulum vanum esse hominum studium h. l. dixisse eo neges, quod contrarium infra v. 30. sq. 1 Cor. 9, 24. sq. contenderit. Licet enim scriptori alias ad aliam principalem sententiam disputationem accommodare et deponere sententiam, quam antea defenderit. Operam et oleum perdiderunt, qui quae repugnant congruere inter se demonstrare conati sunt. Sic *dW.* hominum studium necessarium quidem esse (9, 30. sq.), sed nunquam non a Deo dirigi (9, 16.) Paulum docere perhibuit citato Theophylacto: *Δοκεῖ δὲ ἐνταῦθα τὸ αὐτεξούσιον ἀναιρεῖν ὁ ἀπόστολος, οὐκ ἔστι δέ· ἀλλ' ὥςπερ ἐπὶ τῆς οἰκίας λέγομεν, ὅτι τὸ πᾶν τοῦ τεχνίτου ἐστί, καίτοι δεῖναι καὶ ὕλης καὶ τῶν συνεργησόντων αὐτῷ, ἀλλ' ὅμως ἐπειδὴ τὸ τέλος ἐκείνου ἐστὶ λέγομεν ὅτι τὸ πᾶν ἐκείνου ἐστίν, οὕτω καὶ ἐπὶ τοῦ θεοῦ λέγομεν ὅτι τὸ πᾶν τοῦ θεοῦ ἐστι, καίτοι τῆς ἡμετέρας προθυμίας δεῖται ὁ θεός, ἀλλ' ἐπειδὴ ἐκεῖνος τελειοῖ καὶ ἐκεῖνος στεφανοῖ καὶ ἐκεῖνος κατακρίνει, λέγομεν ὅτι τὸ πᾶν τοῦ θεοῦ ἐστιν.* At **inutile** esse hominum studium ad beatitatis messianae adeptionem, quia hoc beneficium Deus *pro arbitrio* in eos conferat, quibus temere ac nullâ idoneâ causâ motus *bene cupierit*, Ap. h. l. dicere debet (v. supra). Pendere salutem messianam potius a Dei benignitate quam ab hominum studio, quoniam id Deus moderetur, neque dixit Ap. neque

hio dicere potuit. Negligentia autem sermonis quotidiani, ad quam Theophyl. provocavit, a disputationis paullinae subtilitate prorsus abhorret. ἐλεοῦντος] Etym. M. 327, 28. ἐλεῶ κατὰ μὲν τοὺς Ἀττικοὺς πρώτης συζυγίας τῶν περισπωμένων, ἐλεεῖς — — —, κατὰ δὲ τὴν κοινὴν, δευτέρας. Formae ἐλεάω exempla sunt in variantibus lectionibus. Rom 9, 16. 18. Jud. 23.. Nam pro ἐλεοῦντος v. 16. praebent ἐλεῶντος A. B.* E. F. G. 39. et v. 18. pro ἐλεεῖ habent ἐλεᾷ D.* F. G.. *Lachm.* v. 16. ἐλεῶντος dedit, v. 18. retinuit ἐλεεῖ. Male. Nam neque diversas formas Paulum uno eodemque loco collocasse verisimile est et iidem fere libri utrobique eandem formam repraesentant. Ego v. 16. et 18. vulgatam lectionem tueor, quum credibile sit, Paulum quo loco ex Exod. 33, 19. argumentatur (v. 16. — 18.) formam retinuisse in V. T. loco, ex quo argumentatur, positam (v. Ueber die Verdienste Tholuck's p. 66.). Argumentationis, quâ non injustum Deum esse, qui pro arbitrio delectis, quoniam iis bene voluisset, hominibus messianam felicitatem destinaverit, Ap. docet, nervus in eo est, quod Deus *misericordem* se quibuscunque voluerit *praebiturum esse* Mosi denuntiaverit, felicitas autem a Christo parta *beneficium* sit, *quo Deus te afficiat misericordiâ commotus*, non ornamentum, quod in te conferre *aliquo jure* teneatur (v. not. ad v. 15.). Num injustus est Deus, inquit, qui pro arbitrio per Christum beet quibuscunque bene cupierit? (v. 14. cl. v. 11. — 13.). Minime vero. Nam Mosi dicit: *misericors ero* quibuscunque esse placuerit (v. 15. esse autem felicitatis messianae largitionem non rem, quae jure tibi debeatur, sed rem, quâ Deus te *pro suâ misericordiâ et benignitate* augeat, satis constat.). Itaque ergo non ab optante aut contendente homine, sed a *miserante* Deo felicitatis messianae adeptio pendet (v. 16.). Duo subtili Pauli disputationi obvertas. Levis enim et stomachosi hominis est, ut temere et Cajo faveat et a Sempronio animo sit abalienato non Dei sanctissimi (v. 13.). Praeterea circumspecti homines in collocandis beneficiis *aliquid* sequuntur, honesti hominum mores, sordidi hominum fortunam, et boni viri, quum totam aliquam familiam a miseriâ vindicare concessum est, libenter id faciunt neque nonnullis servatis ceteros qui ad familiam pertineant in miseriis versari patiuntur. Quî igitur Deus pro suâ sanctitate et sapientiâ in summo beneficio collocando nihil nisi partium studium, quod non cadit in Deum, sequutus sit, aut quidni, quum omnes homines per Christum beare potuisset, pro summâ suâ benignitate omnes potius fortunatos reddiderit, quam nonnullos temere delectos (v. v. 15. cl.

v. 13.)? Disputationis paullinae rationem non satis intellexerat *Calvinus*, quum haec scriberet: „Videri quidem posset haec frigida esse excusatio, *non esse Deum injustum quia misericors est quibus visum est*: sed quia Deo satis superque est *sua unius auctoritas*, ut nullius patrocinio indigeat, Paulo satis fuit eum juris sui statui vindicem." Multo minus Pauli argumentatio ab aliis interpretibus perspecta est, quod mirum videtur propterea, quod primarium disputationis pondus *misericordiae* notioni inesse conclusio v. 16. ἀλλὰ τοῦ ἐλεοῦντος θεοῦ docet. Ven. *Koelln.* Deum felicitate messianâ hominibus *pro arbitrio* delectis concessâ non injustum esse ex eo effici statuit, quod Deus se beneficia *pro arbitrio* conferre in V. T. declaraverit. *Usterius* l. c. p. 268. (cf. *Rueck.*) disputationis nervum in eo situm esse credit, quod injustitia in Deum non cadat et vera sint quaecunque in V. T. perscripta legantur. Hinc et ἐλεεῖν τὸν θεὸν ὃν ἂν ἐλεῇ verum esse et juste hoc a Deo fieri concludi putat. *Tholuccius* Paulum superbo adversario asperam V. T. vocem v. 15. opponere eâ argumentatione initâ, quam Rabbini גְּזֵרָה שָׁוָה vocent, h. e. corroborationem sententiae quae adversarium offendat per aliam quae non minori offensioni sit sententiam (!), opinatur. At nullus hîc Paulo adversarius est, qui objectionem v. 14. ipse formaverit (v. supra). Praeterea *argumentum a pari*, גְּזֵרָה שָׁוָה, rationem vocari legis mos. locum ex alio illustrandi V. D. non perpendit (v. *Buxtorfii* Lex. talm. p. 419.). Vs. 14. — 16. absoluto Dei decreto favere manifestum est, quum sententiam firment v. 11. — 13., quâ illud decretum contineatur (cf. supra). Sed plerique interpretes id negarunt majoremque hîc quoque in pervertendis libris s. sollertiam, quam in recte explicandis peritiam et relligionem expromserunt. *Chrys.*, *Theophyl.* al. Paulum sententiam μὴ ἀδικία παρὰ τῷ θεῷ; v. 14. abominatum (μὴ γένοιτο) vs. 15. hoc docere arbitrantur: quum *ne Mosi quidem, tanto viro* [at haec emphasis commentitia est, v. supra] Deus consiliorum suorum rationes reddiderit, sed se iis misericordem futurum esse quoscunque *dignos ornamentis fore praevidisset* (*Pelag.*, *Ambrosiaster* al.) Exod. 33, 19. simpliciter indicaverit [sic], multo minus mirum videri, quod nobiscum rationes *justas haud dubie et idoneas* communicare noluerit, quibus ductus gentiles tum temporis in messianae beatitatis collatione Judaeis praetulerit (!!). *Carpz.*, *Noesselt.*, *Morus* al., quoniam Exod. 33, 19. Moses externum et extraordinarium decus expetat, non felicitatem aeternam, Deum *externas* res pro arbitrio conferre h. l. exponi credunt. Qui Paulum non solum e verbi ἐλεεῖν notione, sed

etiam e Futuro ἐλεήσω, ut messianam quoque felicitatem hominibus pro arbitrio delectis Deum largiri efficiat, argumentari non considerarunt (v. supra). *Tholuccius* Apostolum rationem sic concludere putat: quum beneficiis afficere quoscunque voluerit Deo liceat, nunc quoque novam salutis *conditionem* ferre ei concessum est, quâ praestitâ non solum Judaei, sed etiam gentiles beentur. Hanc novam Deum legem scripsisse, ut beati fierent qui *fidem* habuissent, eâ sublatâ quae antea valuisset, ut *legis mos. observatione* felicitas quaereretur, toto loco v. 14. — 24. nullâ P. voce aut elemento indicavit. V. 16. non hominum studium, sed *superbum* eorum studium a P. inane dici *Tholucc.* perhibet! Videlicet τρέχειν *valde niti*, *magnopere contendere*, non *superbe* contendere valet. Non magis perite nonnulli, ne P. v. 16. vanum esse hominum studium diceret, ibi post οὐ mente addiderunt μόνον (v. *Augustin.* I. Retract. c. 23. et *Oecum.*). Ven. *Reichius* p. 300. felicitatem a Christo partam ornamentum esse, quod non pulchre factis, *quae edideris*, expugnaveris, sed quod Deus benigne in te, hominem delectum, contulerit, Apostolum h. l. dicere, sed fieri posse, ut homines *fidem in Christo collocaturos* et delegisse Deum et Christo misso beatos reddidisse existimaverit, arbitratur. Verum enim vero v. 14. — 16. sententia v. 11. — 13. defenditur: Deum arbitratu suo *neque nisi favore ex nullâ re nexo* homines, qui per Christum bearentur, delegisse, neque v. 16. studium, quod, priusquam in Christi te disciplinam dedisses, insumseris, sed *studium tuum in universum* irritum esse et quo messiana felicitas comparari nequeat dicitur.

V. 17. Sententia vs. 16.: messianam beatitatem a *miserante* Deo pendere, eo vs. 17. firmatur (cf. γάρ), quod quorum Deum hominum *non misereat* eos Deum contumaces reddere, ut felicitate messianâ excidant, libri s. doceant. Ut Pauli argumentationem intelligamus, tria nobis tenenda sunt: I. veram esse versus 16. sententiam e *contrariae* sententiae veritate cogi: II. *Pharaoni Deum iniquum fuisse* rem lectoribus e Pharaonis historiâ notam, ut Pharaoni dicta in omnes homines valere, a quibus Dei voluntas abalienata sit, facile assequantur, Paulum credere: III. Apostolum *allegoricam* loci Exod. 9, 16. interpretationem ingressum quae ibi Pharaoni dicuntur eo consilio dici, ut homines, quibus iniquus sit, pervicaces Deum reddere, ne per Christum beentur, nobis per ambages significetur, statuere. Recte igitur P. v. 18. ὃν θέλει σκληρύνει e vs. 17. collegit. Non videtur haec Ven. *Reichius* perpendisse, quum Paulum ut non omnibus Israelitis salutem messianam

a

a Deo deberi inductione ostenderet, melius rem ex Israelitarum historiâ petitam, quam Pharaonis exemplum allaturum fuisse contenderet. Non quod *Reich.* putavit P. sibi h. l. proposuerat, sed ut sententiam v. 11. — 13. enuntiatam defenderet, justissime Deum et misericordiam tribuere quibuscunque bene cupiat eosque per Christum beare, et obstinatos reddere, ne fide in Christo collocatâ beati fiant, in quos iniquus sit, exposuit v. 14. — 18.. *λέγει ἡ γραφὴ τῷ Φαραώ*] *dicunt libri s. Pharaoni.* Persona loquens ἡ γραφή fingitur ut Rom. 4, 3. Gal. 4, 30. 1 Tim. 5, 18. Cf. Rom. 11, 4. *λέγει ὁ χρηματισμός.* Joh. 7, 51. *ἀκούει ὁ νόμος παρά τινος, τί ποιεῖ.* Cic. de legg. 1, 1, 2. — dum latine litterae loquuntur. Liv. 4, 34. Classi quoque — pugnatum —, quidam annales rettulere. et Rabbinorum voces אָמַר הַכָּתוּב *dicit liber s.* et כְּמוֹ שֶׁאָמַר הַכָּתוּב *ut librorum s. locus dicit* (v. *Buxt.* Lex. talm. p. 1107.). Demtâ prosopopoeiâ formula *λέγει ἡ γραφὴ τῷ Φαραώ* notat *in libris s. Pharaoni dicitur.* Male multi *λέγει ἡ γραφή dicit Deus secundum libros s.* aut *in libris s.* explicant (v. c. *Tholucc.*, *Rueck.*, *Reich.*, *dW.*). Citavit P. locum Exod. 9, 16.. Ibi haec leguntur: בַּעֲבוּר זֹאת הֶעֱמַדְתִּיךָ בַּעֲבוּר הַרְאֹתְךָ אֶת־כֹּחִי h. e. propterea *perseverantem* (contumacem) te reddidi, ut meam tibi vim ostenderem, cf. v. 15. et 14, 17. 18.. Sed LXX., quum הֶעֱמַדְתִּיךָ *feci ut stares* Prov. 29, 4. (*non caderes aut perires* quum clades Aegyptiis facerem) *inepte* explicuissent (nondum enim Deus calamitates per Mosen Aegyptiis intulerat *ipsis* mortiferas: cf. Exod. 9, 25. 12, 29.), passivâ structurâ *sine sensus detrimento* initâ locum sic converterunt: — *ἕνεκεν τούτου διετηρήθης* (*a me* conservatus es: expende proxima v.), *ἵνα ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ.* P. LXX. interpretationem haud dubie contulit, sed quia male eos הֶעֱמַדְתִּיךָ vertisse et sententiam a suo consilio alienam expressisse vidit, verbum recte, nisi quod paullo liberius, interpretatus est *ἐξήγειρά σε incitavi te* (v. supra). Neque enim eum הֵעִיר pro הֶעֱמִיד in codice invenisse existimo. Cetera translationis LXX. verba retinuit, nisi quod *ὅπως ἐνδείξωμαι* pro *ἵνα ἐνδ.* posuit et pro *ἕνεκεν τούτου* distinctius *εἰς αὐτὸ τοῦτο hoc ipso, non alio,* consilio (v. 13, 6. Eph. 6, 22. Col. 4, 8. et *Pflugk.* ad Eurip. Androm. v. 41.) scripsit. Paulo *ἐξήγειρά σε* valuisse *incitavi te*, ich habe dich aufgeregt (2 Macc. 13, 4.), nempe ut mihi renitereris, quod non in verbo, sed in contextâ oratione est et Pharaonis historiâ, e vs. 18. patet. Nam nisi *ἐξεγείρειν* v. 17. idem fere sit quod v. 18. *σκληρύνειν*, male Ap. v. 18. *ὃν θέλει σκληρύνει* e vs. 17.

collegerit (v. *Koelln.* et *dW.*). Frustra *Meyerus* v. 18. ὃν θέλει σκληρύνει Apostolum non e verbis v. 17. ἐξήγειρά σε, sed e ratione, quâ vocabula ὅπως ἐνδείξωμαι etc. cum verbis εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε connexa sint, concludere objecit h. e. ex eo, quod Deus se hoc ipso fine Pharaonem *in medium prodire* jussisse dixerit, ut suam in eo vim ostenderet (v. 17.), Deum quem velit pervicacem reddere (v. 18.) Paulum efficere affirmavit. Neque enim Deum in Pharaone suam vim manifestare potuisse, *nisi eum contumacem reddidisset*, fecisse autem Deum, ut Pharaonis animus induresceret, Pauli lectores, quibus Pharaonis historia nota esset Exod. 4, 21. 7, 3. al., praeterire non potuisse. Vereor, ne argutius quam verius haec a V. D. disputata sint. Ex eo enim, quod aliquem Deus hoc ipso fine vel nasci jusserit, vel in medium prodire voluerit, vel regem constituerit, ut ejus exitio suam potentiam declararet, non sequitur, ut Deus prava ei consilia, quibus exitium pararetur, obtruserit. Imo si libera est hominum voluntas, mala consilia ipsi capiunt et Deus, quum suam majestatem viri peste manifestaturus vel nasci jubet vel regno praeficit hominem honori sibi futurum, id facit, quia *pravum* eoque idoneum hominem *fore* scit, qui laudem sibi comparet. Loci autem V. T., quibus rem corrobores, plani esse debent et perspicui, ut ex ipsis verbis vim eorum cognoscas, non quum alláta verba *nihil* quod ad rem pertineat doceant loci pondus ex eo *conjicere* cogaris, quod certo quodam tempore noto tibi homini aliquid dictum sit e re non commemoratâ aestimandum. Plana vero est Pauli argumentatio, si ἐξήγειρά σε *incitavi te* exposueris: messianae salutis adeptio a *miserante* Deo pendet (v. 16.). Nam Pharaoni, viro, cujus Deum non misereretur, in libris s. hoc dicitur: hoc ipso fine *te* (qui mihi resisteres) *incitavi*, ut pestem tibi importando meam potentiam ostenderem (v. 17.). Itaque *pervicacem* et qui Christo Dei voluntati obstrepens fidem deneget Deus reddit quem vult (v. 18. Docuerunt enim libri s. voce Pharaoni dictâ, qualis Deus Christo misso in homines futurus esset, quibus iniquus esset: v. supra). *In vitâ te conservavi* הֶעֱמַדְתִּיךָ (διετήρησά σε) declarare potest, non Pauli vox ἐξήγειρά σε (*Grot.*, *Noesselt.*, *Kopp.*, *Morus*, *Boehm.*). Jac. 5, 15. ἐγείρειν τινά est *erigere de lecto quem morbus lecto affixerit*, non aliquem in vitâ conservare. Verti possunt v. ἐξήγειρά σε *feci ut exsisteres* (*Beza*, *Reich.* al. Luc. 3, 8.), *in medium te prodire jussi* (*Theophyl.*, *Meyer.* al. Joh. 7, 52.) et *exsistere te volui regem*, *regem te constitui* (schol. Matth., *Vatabl.*, *Bengel.* *Flatt.* al.), ita quidem, ut *regis* notio non e verbo, sed e re

et contextâ oratione petatur (Joseph. A. J. 8, 11, 1. βασιλεὺς γὰρ ἐξεγείρεταί τις ὑπ' ἐμοῦ τοῦ λαοῦ παντὸς —), sed réspuit has explicationes conclusio v. 18. ὃν θέλει σκληρύνει (cf. supra). ἐξήγειρά σε] „te servavi, Codd. ap. Ambrosiast." *Griesbachius.* Nempe latini, non graeci. Dubitarunt Latini, utrum ἐξήγειρά σε *te suscitavi*, an *te servavi* vertendum esset. ὅπως ἐνδείξωμαι.— ἐν πάσῃ τῇ γῇ] ut ostenderem in te (an dir h. e. quum te perderem Exod. 9, 15. cf. infra v. 22., ubi P. vocem nostram explicat εἰ δὲ θέλων ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ —;) vim meam et ut divulgaretur nomen meum in toto terrarum orbe (cf. Exod. 14, 17. sq. Nehem. 9, 10.).

V. 18. Summam P. facit ante dictorum v. 14. — 17. ita, ut non quae demonstraverit cuncta paucis complectatur (nam hoc pacto ἄρα οὖν ὃν ἀγαπᾷ ἐλεεῖ, ὃν δὲ μισεῖ σκληρύνει καὶ οὐδεμία παρὰ τῷ θεῷ ἀδικία ἐστίν. scribere debuerat: expende vs. 11. — 17. et cf. *Bezam.*), sed ut salutis messianae et donationem et denegationem *a Dei voluntate* pendere *in universum* moneat. Sed fuisse, qui Paulo ante exposita hic comprehendenda fuisse existimarent, indicio est correctio Mt. c. ὃν δὲ οὐ θέλει σκληρύνει. Nimirum librarius hâc sententiâ opus esse putavit: misericordiam Deus ei tribuit *quo delectatur* (LXX. Ps. 21, 9.) ejusque animum obstinatum reddit, quo *non delectatur*. Imo P. quidnam praecedenti v. 14. — 17. disputationi assensus *de ultimâ* salutis messianae causâ statuere debeas declaraturus haec dicit: ἄρα οὖν ὃν θέλει (sc. ἐλεεῖν) ἐλεεῖ. itaque *ergo misericordiam Deus tribuit felicitatem messianam impertiendo* (v. vs. 23. cl. not. ad v. 15.) *quibus tribuere vult*, ergo *pro arbitrio*. Haec recte e vs. 15. effecta sunt. Dixit enim ibi Deus Mosi ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ et regula his v. enuntiata beatitatis messianae, quae nemini a Deo debeatur, largitionem complectatur necesse est (v. not. ad v. 15.). Ὁ θεός post ὃν θέλει P. non quod animo esset vehementer commoto reticuit (*Boehm.*), sed quia causa non fuit cur adjiceret. Nam Deum esse Subjectum et e re manifestum est et e vs. 17., ubi Deus loquens inducitur. Ὃν δὲ θέλει (sc. σκληρύνειν) σκληρύνει] *quem autem vult contumacem, qui pro suâ contumaciâ felicitate messianâ excidat* (cf. v. 22. 11, 25.), *reddere, reddit.* Haec recte Ap. e vs. 17. conclusit. Sumsit enim, quae Exod. 9, 16. Pharaoni a Deo dicuntur idcirco dici, ut homines, quos fortunatos reddere *nolit*, contumaces Deum reddere, ne per Christum beentur, tanquam per transennam nobis ostendatur (v. not. ad v. 17.). Θέλει ante σκληρύνει omittunt 28. 45. *Millio* Proleg. §. 1433. temere probante.

Per errorem enim, cujus causa in homoeoteleuto est (θέλει σκληρύνει), illi librarii praetermiserunt θέλει, vocabulum prorsus necessarium. Vere autem nos v. ὃν δὲ θέλει σκληρύνει interpretatos esse eosque errasse, qui, ne „*pugnans cum divinâ bonitate sensus*" oriretur (*Noesselt.* p. 170.), *quem autem vult asperius tractat* explicuerunt (*Carpz.*, *Seml.*, *Noesselt.*, *Morus*, *Wahl.* in *Cl.*, *Bretschn.* in Lex. al.), longe certissimum est. Nam I. *σκληρύνειν severius tractare* neque valet neque valere potest. Significant enim verba in *υνω* exeuntia, sicut ea quae in *οω* desinunt, *aliquem talem facere*, *qualem vocabulum denotat*, *unde verbum ductum est.* Cf. ἀνδρύνω i. q. ἄνδρα ποιῶ (quo verbo Buttmanni, qui omnia verba in *υνω* ab *Adjectivis* formari censuit. Ausf. gr. Sprachl. II, 309. sententia refellitur), ἱλαρύνω i. q. ἱλαρὸν ποιῶ, λεπτύνω i. q. λεπτὸν ποιῶ. Adde ἁδρύνω, ἀμβλύνω, ἀμαλδύνω, κακύνω, μεγαλύνω, μικρύνω, ἡδύνω, ὁμαλύνω, μεγεθύνω, μηκύνω, σεμνύνω, βραδύνω (hoc v. et activam et *intransitivam* potestatem habet βραδύς εἰμι), φαιδρύνω et *Bastium* ad Gregor. Corinth. p. 321. *Schaef.*. Jam quoniam σκληρός non significat *vexatum*, *male habitum*, verbum σκληρύνω *duriter tractare*, *vexare* denotare nequit. Loci a *Carpzovio*, *Noesselto*, *Bretschneidero* aliisque oppositi ne speciosi quidem sunt. LXX. Genes. 49, 7. ἐσκληρύνθη ἡ μῆνίς τινος est *saevum exstitit alicujus odium* et Jud. 4, 24. ἡ χείρ τινος σκληρύνεται ἐπί τινα *alicujus brachium saevum fit in aliquem* h. e. vehementer aliquis aliquem affligit (cf. LXX. 1 Sam. 5, 7.). 2 Chron. 10, 4. ὁ πατήρ σου ἐσκλήρυνε τὸν ζυγὸν ἡμῶν valet pater tuus *durum* (molestum) fecit nostrum jugum. Denique Job. 39, 16. [19.] LXX. quum הִקְשִׁיחַ בָּנֶיהָ converterent ἀπεσκλήρυνε (struthio) τὰ τέκνα αὐτῆς aut *durat suos pullos*, aut *duros gignit suos pullos* dicere voluisse videntur. Certe iis ἀποσκληρύνειν *aspere tractare* non valuit, qui significatus inauditus rationeque destitutus est. In Athenaeo I, c. 44. (p. 54. *Dind.*) ἀποσκληρύνειν notat asperum (spröde) facere. Contra σκληρύνειν est *pervicacem* reddere, quum σκληρός hominem *durum* i. e. *contumacem* denotet. Hoc significatu σκληρύνειν semper in N. T. dicitur Act. 19, 9. Hebr. 3, 8. — 4, 7. II. Etiamsi σκληρύνειν τινά declararet *aliquem aspere tractare*, ab hoc tamen l. ea vis aliena esset. Etenim *a.* argumentatur P. v. 18. e verbis e Pharaonis historiâ petitis, in quâ identidem dicitur, ὅτι ἐσκλήρυνε κύριος τὴν καρδίαν Φαράω Exod. 9, 12. 10, 20. 27. 11, 10.. Credibile est igitur Paulum verbum σκληρύνω eâ vi posuisse, quâ in Pharaonis

historiâ pollet. In verbis proxime praecedentibus ἐλεεῖ collocavit, quoniam hoc voc. in verbis Mosi dictis est v. 15., ad quae respicit: *b.* e sententiâ *asperius Deus tractat quos vult* objectio v. 19. inde ducta repeti nequit: τί ἔτι μέμφεται; Imo manat ea ex hâc sententiâ: *pervicacem Deus reddit, ut fidem deneget et impie vivat, quem vult*: c. h. l. Apostolum dixisse *contumaces Deum reddere, ne fidem Christo habeant*, quos velit, tum e vs. 22., ubi hanc sententiam ab objectione vindicatam repetit (— ὁ θεὸς — ἤνεγκεν — σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν), tum ex 11, 25. — πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν — cognoscitur. Nam quae h. l. generatim enuntiata sunt in Judaeos dirigi apertum est. Nimirum id hîc P. agit, ut judaicae stirpis Christianos consoletur, quod tot Judaei ad Christi sacra non accesserint. III. Pondere destituuntur argumenta, quibus explicatio a nobis defensa impugnata est. Recte invicem opponi *misericordiam tribuit* (benigne tractat) et *severe tractat*, male *misericordiam tribuit* et *contumacem reddit* multi (*Carpz.*, *Morus* al.) perhibuerunt. At legitima oppositio in *rebus* est, quae verbis ἐλεεῖν et σκληρύνειν efferuntur (*Rueck.*). Nam misericordiam Deus iis tribuit *quos diligit*, pervicaces eos reddit *quos odit* (v. 13.). Hûc accedit, quod Dei misericordia *aeternam felicitatem* gignit, a Deo effecta contumacia *sempiternam miseriam* parit (v. 22. sq. 11, 25. sq.). Deinde verbo σκληρύνειν divinitus effectam pervicaciam, quae faciat, ut sempiternâ felicitate excidas, h. l. indicari nonnulli (v. c. *Noesselt.*) negarunt propterea, quod Pharao contumax redditus aeternae beatitatis jacturam non fecerit. Qui Pauli conclusionem v. 17. plane non perspexerunt (v. not. ad v. 17.). Postremò fuerunt, qui sic disputarent: homines orientales nihil non ex ultimâ causâ repetere suetos, quum Deum pervicaces homines reddidisse dicerent libertate eos spoliare noluisse, sed hoc *metonymiâ* (!) usos (*Tholucc.*) indicasse, Deum homines *suopte ingenio contumaces* pervicaces reddidisse fingi posse vel quatenus *permisisset*, ut obstinati essent, vel quatenus qui omnia moderaretur *ostendendae augendaeque contumaciae occasionem* iis praebuisset. Hoc ex eo intelligi, quod obstinationis auctor nunc Deus fuisse dicatur Exod. 4, 21. 7, 3. 9, 12. 10, 20. 14, 4. al., nunc ipse Pharao Exod. 8, 32. 9, 34. eademque res nunc ad Deum 2 Sam. 24, 1., nunc ad Satanam 1 Chron. 21, 1. auctorem referatur (*Grot.*, *Turretinus*, *Rosenm.*, *Jaspis.*, *Tholucc.* al.). Repugnant haec sane inter se, contumaciam a Deo in homine effectam esse et eam ipsum hominem pro ingenii sui pravitate concepisse, item, ingenerasse Deum Pharaoni con-

tumaciam et poenis eum affecisse quia contumax fuisset. Sed haec repugnantia simplici antiquitati hominibusque orientalibus, quibus major est animi impetus quam mentis subtilitas quique meliores sunt poëtae quam philosophi, condonanda est. Nam quum et cuncta invicto Dei imperio subjicienda esse vidissent et homini libertatem concedendam esse sensissent, dum nunc ab illâ nunc ab hâc sententiâ proficiscerentur loquuti sunt parum inter se congruentia neque laborarunt, quomodo pugnantia inter se conciliarent. Sed Paulum eos tantummodo Exodi locos sequutum esse, quibus *Deum* Pharaonis animum obstinatum reddidisse legimus (*Meyerus*), et hanc sententiam *subtilissime intellectam* ex iis repetiisse: contumaces Deum homines reddere, ita ut pervicaciâ *necessario* imbuantur et frustra Deo obniti conentur, institutae disputationis consilium, ratio et subtilitas docent. Ad locos 2 Sam. 24, 1. et 1 Chron. 21, 1. frustra provocatum est, ex quibus hoc unum discas mala consilia antiquiores Hebraeos ad Deum, recentiores majorum suorum sententiâ depositâ ad Satanam auctorem rettulisse. Quae quum ita sint, tristem istam sententiam a Paulo h. l. dictam esse viro docto, qui quidem veri amore ducatur, confitendum est (v. *Calv.*, *Beza*, *Ammon.*, *Rueck.*, *Meyerus*, *dW.* al.). Quod qui theologicis praejudiciis capti negarunt totum locum pervertere valdeque nugari coacti sunt. Multi Paulum *e Pharaonis historiâ* haec docere opinati sunt: parcere quidem Deum Judaeis, qui Christo credere nolint poenasque eorum differre, sed si in contumaciâ suâ persistant, postea eum tarditatem supplicii gravitate compensaturum esse (*Grot.*, *Wetst.*, *Turrettin.*, *Tholucc.* al.). Pharaonem voluntariâ semet obstinatione obdurasse et voluisse eum Deum emendare; sed Dei bonitatem improbi hominis contumaciam auxisse. Itaque insanabilem virum decem plagis frustra coercitum denique ad supplicium datum esse Exod. 14, 17. sq.. Similem fore obstinatorum Judaeorum fortunam, nisi resipiscant, Paulum significare. Formulam *Deus contumacem reddidit Pharaonem* populari trutinâ ponderandam esse, ut vel ad Dei *permissum* referatur: *sivit eum Deus obstinatum fieri* (*Kopp.*), vel ita explanetur: pervicacem eum Deus fecit *materiâ ostendendae malitiae ei datâ* (*Turrettinus*, *Tholucc.* al.), vel denique sic exponatur: contumacem eum Deus reddidit, *quatenus Pharao Dei bonitate abusus est.* Recte enim heros, quum servum lenitate suâ segniorem pejoremque factum esse intellexerint, *depravavi meâ indulgentiâ servum* vulgo dicere (*Orig.* de principiis III, 1, 11., *Theophyl.*, *Basil.* ap. *Oec.*, *schol. Matth.* al.). Verum enim vero non e Pharaonis

historiâ, sed e *verbis*, quae Deus Pharaoni, *inviso homini*, dixisset, P. v. 17. argumentatus est (v. ibi not.). Praeterea nihil fingi potest, quod magis a P. disputatione abhorreat, quam quod illi interpretes Pauli verbis temere subjecerunt. Idem in eos valet, qui (v. c. *Orig.*) a Dei *praescientiâ* profecti hanc nostro l. sententiam obtruserunt: quum Pharaonem se non emendaturum esse Deus praescisset, *sapienter* eum, ut bonum et circumspectum dispensatorem, Pharaonis malitiâ usum esse, ut famosi hominis interitu nomen suum celebre faceret et homines emendaret. *Olshauseni* commentum bene refutavit *Meyerus*.

V. 19. Sed posse exsistere, qui nixus verbis v. 17. ὃν δὲ θέλει σκληρύνει ita secum disputet, P. intelligit: si Deus contumacem reddit, ut fidem Christo deneget et felicitate messianâ excidat, quem vult, male Deus de iis conqueritur, quorum animus a fide et pietate aversus sit. Nam quum Deus omnipotens sit, talis quisque sit, qualem Deus eum esse jusserit, necesse est. Atqui Deo displicere qui Christo fidem habere noluerint nemo negaverit. Itaque falsum est quod dicebas ὃν θέλει σκληρύνει, quandoquidem Deum et pervicacem aliquem reddere et eum quia pervicax sit reprehendere absurde existimes. Nam hoc pacto Deus, ut homo inconstans et morosus, vituperaret quod ipse fecisset et inique alii exprobraret quod ipse deliquisset. Haec, quae sibi opponi posse videt, sibi objicientem adversarium P. inducit v. 19.. ἐρεῖς οὖν μοι] *dices igitur* (h. e. quoniam v. 18. ὃν δὲ θέλει σκληρύνει scripsi) *mihi* scil. quisquis mihi adversarius exorieris, non *Judaee pertinax* (*Grot.*, *Tholucc.* al.). Nam hominibus christ., non Judaeis hanc P. epistolam scripsit neque pertinacem Judaeum sibi objecturum esse quae deinceps attulit voce aut elemento indicavit. Hûc accedit, quod quae ponitur objectio ejusmodi est, ut nemini non qui Pauli disputationem attente legerit, in mentem venire debeat. ἐρεῖς οὖν μοι] ἐρεῖς μοι οὖν A. (B. *Bentl.*) 47. 57. cum al. 3. et *Lachm.*| Om. μοι 73. Mt. h. Arm.. Si his lectionibus aliquid recte tribueretur, suspectum facerent μοι (Rom. 11, 19.), non ἐρεῖς μοι οὖν commendarent. τί ἔτι μέμφεται;] D. E. F. G. Clar. Boern. Hier. Sedul. Ruf. (quos *Lachm.* sequutus est) τι οὖν ἔτι μ.; *cur igitur* (np. si vere dixisti v. 18. ὃν θέλει σκληρύνει) *adhuc vituperat?* Hoc οὖν male librarii e v. proximis ἐρεῖς οὖν μοι petierunt. Aliter judicarem, si nonnulli libri ἐρεῖς μοι omisso οὖν continerent. Tum dubitari posset, utrum P. ἐρεῖς μοι· τί οὖν ἔτι μέμφεται; an ἐρεῖς οὖν μοι· τί ἔτι μέμφεται; scripsisset. τί ἔτι μέμφεται;] *cur adhuc* (h. e. si contumacem reddit quem vult

v. 18.) *Deus culpat?* i. q. si obstinatum Deus facit quem vult, tum male culpat. Usurpatur ἔτι et οὐκέτι in argumentatione, quum aliquâ sententiâ quam posueris aliam sententiam tolli dicendum est (Rom. 11, 6. 7, 17. Gal. 3, 18.). Non adjecit P. ὁ θεός post μέμφεται, non quod adversarii indignationem commotumque ejus animum omissione declarare vellet (*Kopp.* al.), sed quoniam *de Deo* agi res et contexta oratio v. 18. doceret (*Rueck.*, *Reich.* al.). Male Deum, si obstinatum reddat quem velit, (homines contumaces) vituperare, ex *omnipotentiâ* Dei ostenditur (τῷ γὰρ βουλ. αὐτῶ τίς ἀνθ.;). Nam si inexsuperabilis Dei vis est contumaces fiunt quoscunque esse voluerit v. 18.. Itaque male Deus homines culpet fide et pietate destitutos tanquam aliquid deliquerint quos ineluctabile fatum contumaces fecit. Quod quoniam putare absurdum est, sequitur ut recte Deum homines obstinatos reprehendere neque vi adhibitâ quemquam contumacem reddere falsamque esse sententiam v. 18. prolatam ὃν θέλει σκληρύνει statuamus. τῷ γάρ] „Abest (γάρ) errore typothetarum in edit. Elzevir. a. 1624. et aliis ad illam expressis." *Wetstenius.* Cf. etiam *Bengelium* in Appar. crit. ad h. l.. Non igitur omissio vocis γάρ Cdd. auctoritate nititur, quod *Lachm.* credidisse videtur, qui γάρ uncis inclusit. τίς ἀνθέστηκε;] *quisnam semet opposuit* (i. q. obsistit, reluctatur, v. *Matthiae* Ausf. gr. Gr. I, 397. §. 211. Rom. 13, 2.)? Percontatio est negativa hanc sententiam continens: *nemo* adversatur (v. Aristoph. Plut. v. 498. 499.). Nihil Pauli verba dicunt, nisi hoc: *Dei voluntati neminem obniti* eoque fieri quaecunque Deus voluerit. Jam fingi potest, neminem aliquid facere, aut quia nolit, aut quia non possit. Posterius P. h. l. sensit. Sed fortius hoc eo enuntiavit, quod neminem Dei voluntati obstrepere *in universum* observavit (Rom. 11, 34. sq.). Nam neminem *propter virium imbecillitatem* Dei voluntati obsistere audere lector sentit vehementius neminem unum Deo reluctari monitus, quam sentiret, si P. τίς δύναται ἀντιστῆναι; scripsisset. Ad sententiam cf. 2 Chron. 20, 6. — καὶ οὐκ ἔστι πρὸς σὲ ἀντιστῆναι.

V. 20. et 21. Inanem esse objectionem v. 19. enuntiatam Ap. per ἀνθυποφοράν ex eo demonstrat, quod quoniam homuncio cum Deo temere expostulet, illa ne facienda quidem fuerit. Nam quemadmodum vas fictile inepte dicturum sit figulo: cur ita me finxisti? quandoquidem figuli opus sit et figulus hanc in argillam potestatem habeat, ut ex eâ tum honorata tum contemta vasa formet, ita hominibus suam cuique fortunam aequo animo ferendam esse, et quia toti a Deo ita pendeant, ut nisi eos Deus condidisset et tanquam

formasset nulli essent, et quia Deo alios homines ut honorem habeant, alios ut contumeliam patiantur pro arbitrio condere jus esse negari nequeat v. 20. 21.. Μενοῦν et μενοῦνγε ab initio membri vel periodi boni scriptores graeci non magis posuerunt, quam romani *autem* (v. *Lobeck.* ad Phryn. p. 342.). Sed hunc iis locum dare non dubitarunt qui post Alexandri Macedonis aetatem scripserunt. Locos, in quibus μενοῦνγε periodum ducit, congessit *Wetst.* ad Luc. 11, 28. et *Lobeck.* l. c.. Μενοῦνγε h. l. et 10, 18. Luc. 11, 28. in responsionibus, quibus res ante dicta corrigatur, collocatum *imo vero* valet. Sic μενοῦν a Graecis frequentari constat, v. *Stallbaum.* ad Phileb. p. 99. et *Hartungii* Lehre von den Partikeln d. gr. Spr. II, 400.. Syri interpretatio *igitur* h. l. inepta est. Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε] om. μενοῦνγε D*. E. F. G. 14. It. Vulg. et PP. lat. | ὦ ἄνθρωπε, μενοῦνγε [B. μενοῦν] A. 37. 47*. Mt. f. Damasc.. Horum scripturam dedit *Lachm.*. Male. Apparet enim μενοῦνγε primo per errorem omissum (nam praecedit ἀνθέστηκε, sequitur ὦ ἄνθρωπε) deinde ab iis qui revocassent loco non suo positum esse. *Lachmanni* lectionem redarguit Rom. 10, 18. et Luc. 11, 28., quum ibi quoque μενοῦνγε ducat τὴν ἀνθυποφοράν. ὦ ἄνθρωπε] i. e. *o homuncule*. Opponitur enim homo Deo, omnipotenti conditori. Cf. τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι. σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταπ. τ. θ.;] *tu quis* (quantulus) *es, qui responses Deo?* i. q. tu quoniam tantulus vel nullus potius es, Deo responsare non debebas. Cf. 14, 4. σὺ τίς εἶ ὁ κρίνων ἀλλότριον οἰκέτην; (Strabo VI. p. 271. [417.] — ὁ τὸν Ὅμηρον ψέγων ὡς μυθογράφον.) Act. 11, 17. Exod. 3, 11. τίς εἰμι ἐγώ, ὅτι πορεύσομαι πρὸς Φαραὼ —; Ἀνταποκρίνεσθαί τινι et πρός τινα, quo verbo infimi tantum scriptores et scholiastae usi sunt, duo notat: I. *vicissim respondere, ei qui dixerit respondere* LXX. Jud. 5, 29. Luc. 14, 6. (cf. ἀντιλοιδορέω 1 Petr. 2, 23. et ἀντεμβριμᾶσθαι in Nicetae Choniatae Alexio c. 16. p. 340. ed. Bonn.) II. *oppugnare respondendo, respondendo contradicere*, LXX. Job. 16, 8. (cf. ἀντιβροντᾷν Lucian. Tim. c. 2.). Hic significatus h. l. obtinet. Quod P. ἀνταποκρίνεσθαι τῷ θεῷ dicit, Marcus Antoninus de rebus suis 12, 5. δικαιολογεῖσθαι πρὸς τὸν θεόν vocat. Ut male homunculum Deo obstrepere eorumque quae fecerit rationem ab eo repetere confiteamur, *quis homo sit, quis Deus, quaeque homini cum Deo ratio intercedat* Ap. explicat. Planam autem rem similitudine facit, quâ homo vasi fictili, Deus figulo assimilatur. Absurde vas figlinum, quod ne esset quidem nisi artifex id fabricatus esset, quum consiliorum rationes ab artifice postularet,

figulo diceret: cur tu hâc me formâ esse voluisti? Non minus absurde homunculus a Deo conditus, qui totus a Deo pendeat nullusque plane esset, nisi eum Deus creasset, ut Deus consiliorum suorum rationes redderet flagitaverit, quum dixerit: cur tu hanc mihi, non aliam, sortem assignasti? Imo homuncionem sorte contentum esse decet, quamcunque Deus ei attribuerit. Similitudo, quâ P. usus est, saepe in V. T. invenitur. Fortasse Apostolo hi loci obversati sunt: Jes. 29, 16. *μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι αὐτό, οὐ σύ με ἔπλασας; ἢ τὸ ποίημα τῷ ποιήσαντι, οὐ συνετῶς με ἐποίησας*; Jes. 45, 9. *μὴ ἐρεῖ ὁ πηλὸς τῷ κεραμεῖ, τί ποιεῖς—; ἐποίησας*] D. E gr. Syr. Erp. *ἔπλασας* e glossem.. Firmatur *ἐποίησας* verbo *ποιῆσαι* v. 21.. *τί με ἐποίησας οὕτως*;] cur me *ita* finxisti h. e. ut hanc mihi, quam habeo, formam dares, non aliam. Male *Grot.*, *Rosenm.* al. vertunt: *cur me sic tractasti?* Nemo *καλῶς τινα ποιεῖν* hoc sensu usurpavit: *bene aliquem tractare.* Loquutio autem *ποιεῖν τινα ὡς τινα* s. *τι aliquem facere ut aliquis* (*aliquid*) *est* conferri plane non debuerat. Luc. 15, 19. *ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου da mihi unius mercenariorum tuorum locum.* Genes. 48, 20. *ποιήσαι σε ὁ θεὸς ὡς Ἐφραΐμ det tibi Deus Ephraimi fortunam.* Jes. 41, 15. *ἐποίησά σε ὡς τροχοὺς ἁμάξης vim tibi dedi, quam rotae currus habent.* Ceterum ne cohaerentia quidem *Grotii* interpretationem admittit v. 21.. —

V. 21. Temere homuncionem consiliorum rationes a Deo exquirere Ap. ex eo ostenderat, quod *homo* totus a Deo, conditore suo, penderet, sicut vas figlinum a figulo, opifice suo v. 20.. Nunc eandem similitudinem persequens aliud argumentum adjicit a *Dei* jure in condendis hominibus nullis limitibus circumscribendo petitum. Fingit figulus ex eadem cretâ figlinâ nunc honoratum vas, nunc contemtum *pro suo arbitrio.* Ita ex eadem massâ (omnes enim ex argillâ et luto ficti sumus neque antequam esse coepimus alter altero melior aut deterior fuit) tum homines beatitate messianâ honorandos, tum homines sempiternâ miseriâ dedecorandos (v. 22. et 23.) condere Deo licuerit. Quapropter sors nobis laudanda est, quamcunque Deus nobis attribuerit, non dica Deo scribenda, quod non aliam potius, quam quâ utimur, fortunam nobis dederit. Identidem Deus in V. T. cum figulo, homines cum terrâ figlinâ comparantur Jes. 64, 8. Jer. 18, 6.. Aristoph. Av. v. 686. homines *πλάσματα πηλοῦ* vocat. Callimachus Hymn. in Jovem v. 3. gigantes *πηλογόνους* dicit, ut e terrâ creatos. Cf. *Wetst.* ad h. l.. *ἢ — τοῦ πηλοῦ*] *aut* (ut similitudinem continuans a ficti vasis conditione ad fictoris jus transeam) *nonne potestatem habet figulus in terram figlinam —?* Haud raro

nomen rectum a regente nonnullorum vocabulorum interpositione idoneis de causis divellitur: cf. Arrian. Exp. Al. 1, 7, 16. — καὶ εὑρέσθαι συγγνώμην τῷ πλήθει τῶν Θηβαίων τῆς ἀποστάσεως. 1, 19, 3. — καὶ τὰ μὲν καταβαλὼν δι' ὀλίγου τῶν τειχῶν. et *Wineri* gr. p. 176.. Hoc l., ut — ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, quam — ἔχει ἐξουσίαν τοῦ πηλοῦ ὁ κεραμεύς collocare mallet, P. et rhetoricâ ratione ductus est et grammaticâ. Scilicet scripsit P. ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ut quanta sit et figuli dignitas et cretae figlinae vilitas ipso verborum ordine edoctus lector sentiret: *aut nonne potestatem habet figulus in terram figlinam* —? Cf. Gal. 2, 6. et quae dixi in *Fritzschiorum* Opusc. acad. p. 203.. Adde Hebr. 7, 15. — ὅπως — τὴν ἐπαγγελίαν λάβωσιν οἱ κεκλημένοι τῆς αἰωνίου κληρονομίας. Praeterea verbis τοῦ πηλοῦ idcirco ultimus l. datus est, ut expositioni ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι etc. proxime admoverentur, quâ cujusmodi figulo potestas *in argillam* concessa sit explicatur. Ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ jungi nequit, et quia hâc juncturâ probatâ acumen perit quod diximus, et quoniam verbis ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυρ. etc. non *figuli* potestas exponitur, sed quaenam figulo *in argillam* potestas sit explicatur. Credo etiam, Paulum pro ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ dicturum fuisse ὁ πηλουργός Sap. 15, 7.. Ἔχειν ἐξουσίαν cum Infinitivo (ποιῆσαι) strui constat, Joh. 5, 27. Phalar. ep. p. 34. *Schaef*.. ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος] *ex eadem massâ*. Dici h. l. τὸ φύραμα τοῦ πηλοῦ e re manifestum est. Cf. Plutarchi Consol. ad Appollonium p. 106. E. (VII. p. 329. *Hutten*.) — ὡς γὰρ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ δύναταί τις πλάττων ζῶα συγχεῖν καὶ πάλιν πλάττειν καὶ συγχεῖν καὶ τοῦτο ἓν παρ' ἓν ποιεῖν ἀδιαλείπτως· οὕτω καὶ ἡ φύσις ἐκ τῆς αὐτῆς ὕλης πάλαι μὲν τοὺς προγόνους ἡμῶν ἀνέσχεν, εἶτα συνεχεῖς αὐτοῖς ἐγέννησε τοὺς πατέρας, εἶτα ἡμᾶς, εἶτ' ἄλλους ἐπ' ἄλλοις ἀνακυκλήσει. Sap. 15, 7. — ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ ἀνεπλάσατο (ὁ κεραμεὺς) τά τε τῶν καθαρῶν ἔργων δοῦλα σκεύη, τά τε ἐναντία ὁμοίως. ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος — εἰς ἀτιμίαν;] Multi vertunt: (aut nonne potestatem habet figulus in terram figlinam) quâ ex eadem (luti) massâ alterum *in usus honestos* vas faciat, alterum *in usus turpes*? Perperam. Neque enim v. ἡ τιμή et ἡ ἀτιμία *usus honestos et turpes* significant et *Tholuccio*, quum has vocabulis potestates vindicaturus nomina *abstracta* pro *concretis* (ergo εἰς τιμήν et εἰς ἀτιμίαν pro τίμιον et ἄτιμον) posita esse perhiberet (!) clara rei notio defuit. Quamquam, si illam vim vocabula haberent, istam explicationem facienda similitudinis applicatio respueret, in quâ sint σκεύη εἰς

τιμήν homines summo honore (messianâ felicitate) *afficiendi* et *σκεύη εἰς ἀτιμίαν homines* (sempiternae miseriae) *contumeliam habituri* (cf. v. 22. 23.). Imo ἡ τιμή et ἡ ἀτιμία *ipsius vasis honor et contumelia* est. Honorem vasi habemus, quo ut pretioso utimur: contumeliâ afficimus vas, quo ut vili et nullius pretii re abutimur. Diod. Sic. 17, 66. Darii eunuchus, quum Alexandri M. pedibus Darii mensam substratam esse vidisset, lacrimavit sciscitantique Alexandro cur id faceret respondit: *ἤλγηκα ἰδὼν τὸ παρ' ἐκείνῳ μάλιστα τιμώμενον νῦν ἄτιμον γεγονὸς σκεῦος.* Converte: aut nonne potestatem habet *figulus in cretam figlinam*, quâ ex eadem (cretae figlinae) massâ alterum, quod in honore sit, alterum, quod in contumeliâ, vas fingat? Eadem ratio loci est 2 Tim. 2, 20.. In amplâ domo diversi pretii vasa sunt *καὶ ἃ μὲν εἰς τιμήν, ἃ δὲ εἰς ἀτιμίαν et alia honori, alia contumeliae sunt* i. e. aliis honor habetur, alia contumeliam patiuntur. Ibid. v. 21. *σκεῦος εἰς τιμήν* est *vas cui honor tribuatur, vas honoratum.* — Vanam esse objectionem v. 19. *τί ἔτι μέμφεται;* eo Ap. demonstravit, quod, quoniam homuncio temere cum Deo altercetur, illa omnino non fuerit proponenda. Nam et esse totum hominem Dei opificium quemadmodum vas figlinum figuli, et licere Deo ex eodem luto tum honorem, tum contumeliam habituros homines condere, sicut figulus ex eadem cretâ figlinâ et pretiosa et vilia vasa fingat pro arbitrio v. 19. — 21.. Vereor, ut haec summi Apostoli argumentatio apposita sit ad persuadendum. Nam etiamsi Deum in formandis hominibus, quemadmodum figulum in fingendis vasis, nihil nisi arbitrium suum sequi concesseris, quamquam ea levitas in Dei sanctitatem sapientiam et benignitatem minime cadit, hoc tantummodo effectum est: Deum ut imperiosum et qui juris loco summam, quâ polleat, vim habeat tyrannum et beatam et miseram sortem attribuere quibuscunque voluerit v. 18., non evictum est, quod erat demonstrandum: *constare sibi Deum, quum c a r p a t hominum nequitiam a b i p s o p r o f e c t a m* (v. v. 19. cl. v. 18.). Matula, cui figulus vitio verteret, quod crater non esset, si mens in eâ esset et consilium, recte figulo diceret: morose opifex, quidni me craterem esse voluisti? Item homo scelestus, cui Deus pro omnipotentiâ suâ scelus inseminasset, Deo perversitatem exprobranti jure diceret: equidem sorte quam mihi destinasti contentus sum; sed, si tibi mea mens displicet, te vitupera, qui non meliorem mihi mentem dederis, non me, qui talis sim qualem me esse jusseris. Non recte *Rueck.* et *Usterius* l. c. p. 269. sq. exemplum a figulo petitum v. 20. aptum esse negant, quia non de *primâ* hominum formatione,

sed de conditorum hominum voluntate idcirco a Deo depravatâ, ut pessumdentur, h. l. agatur (v. 17.). Itaque, ut temere vas figlinum figulo dicat: cur ita me finxisti? recte tamen idem figulo dicturum esse: postquam huic me, quod gero, negotio praefecisti, male mihi nunc impedimenta objicis, quo minus negotium mihi a te impositum perficiam ac temere tuum ipse opus disturbas. Quamnam P. v. 17. sententiam allegoricae interpretationis adjumento ex Exod. 9, 16. exsculpserit, illi VV. DD. non satis intellexerunt. Deinde Pauli mens haec est, Deum priusquam homines nascerentur, certâ sententiâ constituisse et quos beaturus et quos contumaces redditurus esset (v. 18. cf. v. 11. — 13.). Ad id figulo non solum licet e luto facere quae velit vasa, sed etiam facta refingere (cf. *Reich.*). *Chrys.*, *Theophyl.*, *Grot.*, *Wolf.*, *Kopp.*, *Noesselt.* p. 173. al., ut sententiae ab Ap. dictae tristitia tolleretur, stolide acturos homines esse, si eorum, quae Deus faciat censores esse velint et judices, esse potius iis Deo pie obediendum, Paulum v. 20. 21. docere arbitrati sunt. Praeterquam quod sic Ap. difficultatem v. 19. motam satis jejune amoverit nodumque nexum expedire ne conatus quidem fuerit, hanc interpretationem v. 21. cl. v. 22. 23. plane non admittit. *Tholuccius* talem rem confinxit: Paulum, quum superbi Judaei (! cf. not. ad v. 19.) objectionem v. 19. allatis e V. T. locis v. 15. 17., quos improbe ille pervertisset (!), niti intellexisset, ea v. 20. 21. dixisse, unde suam insolentiam a P. perspici superbus adversarius cognosceret, eoque quod id superbus Judaeus vidisset dubitationem v. 19. motam sublatam esse (!!). Sed quoniam perversus Judaeus σκεύη τιμῆς tantummodo *e Judaeorum massâ* a Deo fingi sibi persuasisset, ideo licere Deo e quorumcunque hominum massâ σκεύη εἰς τιμήν formare Paulum v. 21. disputare (!!). Temere *Gloecklerus* versum 20. et 21. argumentationem *a minore ad majus* complecti putavit: *non dicet vas figlinum figulo* etc. *multo minus homo Deo* (v. 20.): *hanc figulus habet potestatem in argillam* etc. *quanto rectius eadem Deo in homines tribuetur* (v. 21.). Nam de vase et figulo dicta v. 20. 21. *multo magis* de homine et Deo valore nullâ P. voce indicavit. Et *conferri* Deum cum figulo, homines cum vasis, non solum res ipsa et v. 20. 21. ostendunt, sed etiam v. 22. 23. docent.

V. 22. — 26. Difficilem hunc l. esse, sed non ita difficilem, ut interpretes tot absurdas explicationes comminisci debuerint, recte dixit *de Wettius*. Scilicet nullo vulgata scriptura mendo affecta est *). Constructio nihil per-

*) *Εἰ δὲ* v. 22. unus om 67**. Etiamsi idem facerent alii, mirum non esset, quum jam antiquitus fuerint, qui εἰ δὲ non intelligerent, ut

plexi continet, nisi quod utrum verba v. 23. *καὶ ἵνα γνωρίσῃ* etc. ab *ἤνεγκεν* et quae trahit vocabulis v. 22., an tantummodo a verbis *κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν* suspensa sint valde dubitari potest (v. infra)*). Sed multum sane labo-

---

Orig. ad h. l. et *Theodoretus* (cf. not. proximam). *Δὲ*, quod ante *θέλων* facile excidit, tantummodo abest ab 61.. Male enim *Griesbachius* hanc voculam non legisse Vulg. It. Ambrst. Hier. Ruf. Fulg. Sedul. et Bedam ex eo collegit, quod hi *quodsi* verterunt. Nempe *εἰ δὲ* sic transtulerunt, v. v. c. Rom. 11, 16. Italam et Vulg.. — Deinde v. 22. F. G. It. continent *καὶ — γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ* (!) *εἰς σκεύη ὀργῆς* (Julianus ap. Augustinum Op. imperf. 10, 949. b. — et *notam facere* potentiam suam in multâ patientiâ *in vasis irae* —) *κατηρτισμένα* —. Scilicet quum *ἤνεγκεν* ante *ἐν* intercidisset, ut strui posset *σκεύη ὀργῆς*, post *μακροθυμίᾳ* addiderunt *εἰς*. Sic verbo periodum carere patet. *Syrus*, ut in perplexis l. facere solet, pro arbitrio verba contorquet, ceterum vulgatam lectionem tenet, nisi quod *εἰς σκεύη ὀργῆς* in Codice invenisse videtur (cf. It. F. G.):

ܐܢ ܕܝܢ ܨܒܐ ܐܠܗܐ ܕܢܚܘܐ ܪܘܓܙܗ ܘܢܘܕܥ ܚܝܠܗ:
ܐܝܬܝ ܒܣܘܓܐܐ ܕܡܓܪܐ ܪܘܚܗ ܪܘܓܙܐ ܥܠ ܡܐܢܐ
ܕܪܘܓܙܐ ܕܡܫܡܠܝܢ ܠܐܒܕܢܐ ܘܐܫܦܥ ܚܢܢܗ ܥܠ
ܡܐܢܐ ܕܪܚܡܐ ܕܡܛܝܒܝܢ ܗܘܘ ܠܐܠܗܐ ܠܫܘܒܚܐ.

quid vero, si Deus voluit ostendere iram suam et manifestare vim suam? Intulit cum magnâ patientiâ iram vasis irae perfectis ad exitium et effudit misericordiam suam in vasa misericordiae, quae parata essent Deo ad gloriam. *Θέλων* sumsit pro *θέλων ἦν* i. e. *ἤθελεν* et v. *εἰ δὲ — τὸ δυνατὸν αὐτοῦ* sententiam interrogativam, quae sequentibus vocc. exponeretur, complecti credidit. Ad *ἤνεγκεν* ex ante dictis mente addidit *τὴν ὀργήν* et v. 23. tum pro *καὶ ἵνα γνωρίσῃ* substituit *καὶ ἐγνώρισε*, tum totum vs. liberrime transtulit. Hinc eum *ἵνα* v. 23. non legisse male opineris (*Tholucc.*). Sed *ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ* (scil. *τὴν ὀργὴν*) *εἰς σκεύη ὀργῆς* in ejus codice fuisse consentaneum est (cf. supra). Versu 23. *καὶ* male in aliquot subsidiis praetermitti in hujus vs. interpretatione monuimus.

*) Constructionis ratio jam antiquitus a nonnullis parum intellecta est. Sic Origenes ad h. l., deesse, quod verbis *εἰ δὲ — ἤνεγκεν* respondeat, opinatus voculas *εἰ δέ*, quae sententiam obscurare viderentur, in interpretatione negligendas esse putavit! *Theodoretus* autem voces *εἰ δὲ* aposiopesin continere commentus est, cui sententiam a P. disputatione alienissimam affinxit: *εἰ δὲ] ἐνταῦθα ὑποστίξαι δεῖ· λέγει γάρ· εἰ τοῦτο ποθεῖς μαθεῖν, τίνος ἕνεκα πλειόνων ἁμαρτανόντων τοὺς μὲν κολάζει, τοὺς δὲ δι' ἐκείνων εὐεργετεῖ καὶ πολλῶν τὴν ἀρετὴν μετιόντων τοὺς μὲν περιφανεῖς ἀποφαίνει, τοῖς δὲ διὰ τούτων ὑποφαίνει τὰς τῶν μελλόντων ἐλπίδας, ἄκουσον τῶν ἑξῆς.* Non meliora recentiores interpretes, qui structuram non percepissent, excogitarunt. *Vatablus* aliique periodum v. 22. inchoatam versu 30. verbis *τί οὖν ἐροῦμεν;* finiri perhibuerunt.

ris in discutiendâ caligine est, quae sententiam premit. εἰ δὲ]. Sententia est interrogativa. Nam valent verba εἰ δὲ —; *si vero* —? h. e. quid *vero*, si —? quid tum? quid postea? Hujus percontationis vis quovis l. ex ante dictis constituenda est, ad quae refertur. Aristoph. Av. v. 371. *εἰ δὲ τὴν φύσιν μὲν ἐχθροί, τὸν δὲ νοῦν εἰσιν φίλοι|, καὶ διδάξοντές τι δεῦρ' ἥκουσιν ὑμᾶς χρήσιμον; quid tum?* declarat: nonne iis parcetis? (cf. v. 369.) Eur. Hel. v. 832. *φέρ', ἢν δὲ δὴ νῷν μὴ ἀποδέξηται λόγους*; (h. e. *quae tum nostra sors erit?* cf. v. 833.). Adde Joh. 6, 62. Act. 23, 9. et Conject. m. I, p. 30.. Nostro l. illud *quid tum?* hanc vim habet: *nonne sententiae* v. 18. *tristitia, quâ offendaris, sublata est? num tu Deum iniquitatis aut temeritatis postulabis?* (a schol. Matth.) Nam Ap., postquam objectionem sententiae v. 18. oppositam v. 19. diluit v. 20. 21., ad sententiam ab objectione vindicatam v. 22. eo consilio revertitur, ut tolli ejus tristitiam, quum et *quanta* Dei in homines ad perniciem destinatos indulgentia fuerit et *cur* tam lenis in eos fuerit tecum reputaveris, demonstret. Jam quum Deum quoscunque velit obstinatos reddere, ut fide Christo denegata miseri fiant Ap. v. 18. contenderit, hanc ipsam sententiam nunc v. 22. sq. mitigari et esse *σκεύη ὀργῆς* homines, quibus sempiternam miseriam Deus decreverit (Judaeos a Christi sacris alienos), *σκεύη ἐλέους* eos, quibus aeternam salutem fide Christo habitâ comparandam destinaverit in promtu est. Pervertunt hunc l., qui *σκεύη ὀργῆς Pharaonem et Aegyptios*, et *σκεύη ἐλέους Israelitas* ita a Paulo dici, ut in sententiae applicatione *σκεύη ὀργῆς* sint *οἱ*

Storrius Opusc. II, 238. sq. *θέλων* pro *ἤθελεν* (!) et *ἵνα γνωρίσῃ* pro *γνωρίσει* (!) positum esse, ceterum apodosin verbo *ἤνεγκεν* inesse dixit: *quum vero statueret potentiam suam — ostendere, reis illis dudum indulserat, sed magnificas suas divitias ostendet erga capaces benignitatis, quos* etc.!!! Cui *Noesseltus* p. 175. sq. assensus est, nisi quod v. 23. sic exposuit: *καί* scil. *θέλων ἦν* (*ἤθελεν*) *ἵνα* (1 Cor. 14, 5.) *γνωρίσῃ* etc.. *Tholuccius* Paulum v. 24. per anacoluthon *οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς* pro *ἐκάλεσεν ἡμᾶς* scripsisse contendit: quid vero, *si Deus*, quamvis ostendere vellet — *tulit* – , *et* ut declararet — *nos invitavit* —? Non percepit *Tholucc.* verborum *καὶ ἐκάλεσεν* vim neque consideravit, peperisse vocabula proxime praecedentia v. 23. (*ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν*) has voces *οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς*, quae aliquid primariae sententiae addant. Quare primariae sententiae verbum complecti nequeunt (v. Ueber die Verdienste Tholuck's p. 56.). *Olsh.* Paulum inchoatae structurae oblitum v. 23. *καὶ ἵνα γνωρίσῃ* pro *οὕτω καὶ γνωρίζει* exarasse finxit. Tolerabilius eorum inventum est, qui v. 23. post *καί* cogitando adjecerunt *ποιήσει*: *si autem Deus — tulit, etiam instituet, ut patefaciat* etc.. Sed hujusmodi nugas acervare nolo. — Cf. *Wolfii* Curas ad h. l.

ἄπιστοι Ἰουδαῖοι et σκεύη ἐλέους Judaeos et gentiles, qui Christo fidem adjunxerint, notent (*Chrys.*, *Theophyl.*, *dW.*, *Meyer.*) credunt. Neque enim e Pharaonis historiâ P. h. l. argumentatur. Quid quod ne supra quidem v. 15. et 17. Mosi et Pharaoni dicta quia his hominibus dicta essent, sed quoniam consilia per transennam ostendissent, quae Messiae temporibus in summi beneficii distributione Deus se initurum esse denuntiasset, ab Ap. allata sunt? Quae quum ita sint, ii errarunt, qui apodosin deesse et anacolutho hunc l. laborare opinati sunt. Imo plena et legitima periodus a v. 22. usque ad finem vs. 26. volvitur, quo percontationis signum rejeci. θέλων — τὸ δυνατὸν αὐτοῦ] Alluditur ad verba versu 17. ex Exod. 9, 16. citata, quibus Deus aliquos homines contumaces redditurum esse, qui fide Christo negatâ miseri fierent, ut iis perdendis irae suae procellam manifestaret et suam declararet potentiam, voce Pharaoni dictâ Paulo judice oblique denuntiavit. Discimus e verborum ubertate ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, quâ vocc. v. 17. ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου illustrantur, Paulum v. 17. τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ eam intellexisse, quam Deus irâ poenarumque irrogatione (1, 18.) in pervicaces homines expromturus esset. Participium θέλων periodum ducit, quia in eo primaria sententiae notio est (v. *Herm.* ad Soph. Aj. v. 1113. et Conject. mea l. c.). Nimirum non illustre Deus lenitatis suae documentum hoc uno dedisset, quod homines ad perniciem destinatos admodum indulgenter tulisset. Nam si nullam rationem habuisset, quae sumendi supplicii vel maturationem vel retardationem postulasset, perinde ei esse potuisset, utrum serius an ocius supplicium sumeret, dummodo id propositi memor aliquando sumeret. At voluit Deus obstinatis hominibus gravissime puniendis iram suam ostendere et quantum posset declarare, quod consilium *ut poenae irrogationem maturaret* invitare eum debuit. Enimvero *quamquam* perdendis hominibus ad perniciem destinatis iram ostendere et patefacere potentiam suam Deus voluit, admodum tamen indulgenter (tanquam sui commodi oblitus) homines ad exitium destinatos tulit poenae irrogatione procrastinatâ et quam esset clemens hâc supplicii tarditate egregie docuit. Qui θέλων vertunt *qui voluit* (*Rueck.*, *Meyerus*, *dW.* al.) sententiam perdunt, quandoquidem Dei ira et potentia *poenae irrogatione* manifestatur, non magnâ indulgentiâ, quâ in homines contumaces sit. *Meyeri* argumentum, qui θέλων *quia voluit* convertendum esse e vocc. v. 23. καὶ ἵνα γνωρίσῃ (i. q. καὶ θέλων γνωρίσαι), quae verbis θέλων — ἐνδείξασθαι — καὶ γνωρίσαι respondeant

deapt intelligi dixit, vi caret. Possum enim aliquid facere *licet* aliquâ re ab actione *avocatus*, *ut* aliquod consilium *exsequar*. *Rueck*. Paulum hoc dicere putavit: Deum, quum stato tempore insigne irae suae et potentiae specimen dare constituisset, in id tempus rem distulisse, quo homines ad perniciem destinati tot tantaque peccata commisissent, ut gravissimis poenis affici possent, quemadmodum olim cum Pharaone fecisset Exod. 7, 3. — 14, 30.. Nam ad Pharaonis historiam haud dubie a P. respici (v. 17.). Superquam quod V. D. male Pharaonis mores et fata immiscuit (v. supra), non cogitavit, istam sententiam Pauli consilio repugnare, quum minime ita comparata sit, ut injuriâ Deum a nobis incusari ostendat. Verissime enim specie clementem, re saevum et crudelem Deum esse objiceremus, qui in homines ad sempiternum exitium destinatos idcirco magnâ indulgentiâ fuerit, ut multis peccatis contaminati sub vano magnae contractae culpae praetextu denique pessumdarentur. τὸ δυνατὸν αὐτοῦ] v. not. ad 1, 19.. ἤνεγκεν] *Theophyl.*: ὑπέμεινεν, ἠνέσχετο. *Oec.*: ὑπήνεγκεν, ὑπέμεινεν.. Fert importunum hominem, qui ejus ineptias devorat neque eum objurgat aut coercet. (Lucian. Necyom. c. 18. — — *ὥστε ἀνιᾶσθαι τοὺς ἄνδρας καὶ διασκέπτεσθαι μετοικεῖν οὐ φέροντας τὸν Διογένην*. Dissimile est quod vulgo contendunt LXX. Num. 11, 14. [cl. Deut. 1, 9.] *οὐ δυνήσομαι ἐγὼ μόνος φέρειν πάντα τὸν λαὸν τοῦτον* —. Ibi enim *φέρειν τινά* aliquem *opem et alimenta postulantem* sustinere h. e. ei satisfacere posse denotat. Xenoph. Ages. 1, 20.). Tulit Deus *ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ* (i. q. *πολλὴν μακροθυμίαν ἔχων*, ergo *μάλ᾽ ἐπιεικῶς*), admodum indulgenter, vasa irae eo, quod diu ea *τῇ ἀπωλείᾳ* non tradidit, cui destinata essent. *σκεύη ὀργῆς*] *Σκεύη* h. l. non sunt *instrumenta* (*Calv.*, *Beza*, *Grot.* al.) h. e. ea, per quae aliquid fit. Cf. Act. 9, 15. *σκεῦος ἐκλογῆς*. Polyb. 13, 5, 7. *Δαμοκλῆς — ὑπηρετικὸν ἦν σκεῦος εὐφυὲς* —. 15, 25, 1. *Σωσίβιος — ἐδόκει γεγονέναι σκεῦος ἀγχίνουν καὶ πολυχρόνιον, ἔτι δὲ κακοποιόν, ἐν βασιλείᾳ*. Jes. 13, 5. כְּלֵי זַעְמוֹ יְהוָה homines appellantur, *per* quos Jehovah suam iram effundit. Nam Apostolum in metaphorâ a figulo repetitâ v. 21. pergere in promtu est. Sunt igitur h. l. *σκεύη* demtâ similitudine *κτίσματα*, *opificia*, Geschöpfe 1 Petr. 3, 7.. *Σκεύη ὀργῆς*, Zorngeschöpfe, homines vocantur, in quos Dei ira versa est (obversantur autem Paulo Judaei, qui Christo fidem non habuerunt), et *σκεύη ἐλέους*, Erbarmungsgeschöpfe, quos misericordiâ Deus amplexus est ideoque per fidem Christo adjunctam beabit (v. 15. 16. 18.). Cf. Eph. 2, 3. *τέκνα ὀργῆς*. *Calvinus*: „vasa irae i. e. in hoc facta et formata, ut docu-

menta sint vindictae et *furoris Dei*." (!) Tantâ Deum in Judaeos a Christi sacris abhorrentes indulgentiâ fuisse, *ut resipiscerent* 2, 4. 2 Petr. 3, 9. (*Bengel.*), neque dixit P. neque eo l. dicere potuit, quo omni vi et libertate homines spoliasset. Imo longe aliam clementiae rationem v. 23. ipse affert, si quidem vocc. *καὶ ἵνα γνωρίσῃ* etc. recte ab ἤνεγκεν suspenduntur. *κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν*] *composita, instructa, adornata* (a Deo) *ad sempiternam perniciem.* Cf. *καταρτίζειν πλοῖα* Polyb. 5, 46, 10. *ναῦς* 5, 101, 2. et similia. Continuatur h. l. et v. 23. verbis *ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν* similitudo a figulo ducta v. 21. (Beza). Componit artifex vas ita ut ad rem accommodatum sit, ad quam ipse id destinaverit. Sic Deus alios homines, quum contumaciam eorum animis ingeneraret, ita instruxit, ut in aeternam miseriam praecipites ruant, alios, quos teneriores faceret et pietate imbueret, sic composuit, ut sempiternam felicitatem consequantur. Verba *κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν* declarare *κατηρτισμένα ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς ἀπώλειαν* (i. q. *ἃ κατήρτισεν εἰς ἀπώλειαν*) I. e verbis oppositis v. 23. *ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν* perspicitur, II. e similitudine, quâ Deus cum figulo contenditur, homines cum vasis comparantur v. 21. sq., intelligitur et III. e totâ Pauli disputatione cognoscitur, quâ hominibus divinae necessitati subjectis nihil quod in ipsorum potestate esset relliquit v. 6. sqq.. Quamobrem neque eorum ratio h. l. ferri potest, qui Participio *κατηρτισμένος* Adjectivi verbalis potestatem tribuunt (Luc. 6, 40. *κατηρτισμένος compositus*, beschaffen) et vertunt: *vasa apta ad interitum, idonea, quae pereant* (*Grot.*, *Beng.* al.), ut cujusmodi sint P. tantummodo dixerit, non simul indicaverit quis ea in hanc conditionem adduxerit, et qui exponunt: *κατηρτισμένα οἴκοθεν καὶ παρ' ἑαυτῶν εἰς ἀπώλειαν homines, qui sese ad aeternam miseriam composuerunt* (*Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Oec.*, *Clarius*, *Wolf.*, *Heum.*, *Noesselt.* p. 177. al.) ineptiunt. Scite *Beza* „ac mihi quidem, inquit, non aliter loqui videntur qui vasa irae dicunt *καταρτίζεσθαι* a se ipsis, quam si quis vas aliquod diceret non a figulo, sed a se ipso fingi." (cf. v. 21.) *Ἀπώλεια* sempiterna miseria est, in quâ impii homines erunt in geennam conjecti Phil. 1, 28. 1 Cor. 1, 18.. Huic *δόξα* opponitur v. 23. cf. 8, 18.. Repugnat sane Deum admodum indulgenter tulisse tanquam qui culpam commeruissent homines, quos ipse ita finxisset ut per impietatem sempiterno miseri fierent (*Olsh.*). Sed non minus repugnat, Deum et contumaces reddere homines et contumaciam iis exprobrare (v. 18. — 21.). Incidit P. in has inter se dissidentes sententias fatalis necessitatis defendendae studio,

quae nonnullis Judaeis felicitatem messianam destinasset, ceteros a fide Christo habendâ arcuisset (v. 6. sqq.). — V. 23. καὶ ἵνα] καί om. 5. 37. 38. 39. 47. in m. 67**. 80. Mt. f. Copt. Arm. Vulg. Orig. in Jer. Hom. XX. (III, p. 279.) Schol. in Cd. 47. Hier. Ruf. Pel. Sedul. Fulg.. *Millius* Proleg. §. 1383. lectorem aliquem, ut anacoluthon tolleret, καί addidisse contendit. *Lockius* autem καί quoniam sensum turbet expungendum censuit. Imo omissum est a scribis, quia constructionem perturbare videretur. Saepe autem καί ἐξηγητικόν et librarios male offendit et viros doctos (v. Joh. 1, 16. 1 Cor. 3, 5. varr. lect. et *F. V. Fritzschii* Quaest. Luc. p. 9. sq.). Suspendi possunt v. καὶ ἵνα γνωρίσῃ κτλ. tum ab ἤνεγκεν — εἰς ἀπώλειαν v. 22., tum a solis v. κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν. Utrum alteri praestet tum disputabo, quum de singulis v. 23. et 24. vocabulis nonnulla dixero. *Καί* h. l. tum *etiam* valere, tum explicandi vim habere potest *et quidem* (v. Joh. 1, 16. 1 Cor. 3, 5. *Schaef.* ad Greg. Cor. p. 985. ad Longi Pastor. p. 351. et *Fritzschium* l. c.). τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ] *abundantiam* (v. not. ad 2, 4. I, 98.) *suae majestatis*. Dicitur majestas, quam Deus conspectam reddit homines beando (*Chrys*., *Theophyl.*). Opponitur enim τῇ ὀργῇ v. 22.. τὸν πλοῦτον] F. G. τὸ πλοῦτος] Cf. *Gersdorfii* Beitr. z. Sprach-Charakteristik d. n. t. Schriftst. I, 282. et *Wineri* gr. p. 64.. ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν] προετοιμάζω *praeparo*, *antea paro* denotat (Eph. 2, 10. Joh. Cantacuzeni Hist. 1, 4.) neque unquam in hoc v. πρό otiatur (*Elsner*., *Loesner*., *Kopp.*). Male enim provocatum est ad Phil. de mundi opificio p. 17. A. (I, 18. *Mang.*) — ἀλλ' ὡς οἰκειοτάτῳ καὶ φιλτάτῳ ζώῳ τὰ ἐν κόσμῳ πάντα προητοιμάσατο (ante paravit quam hominem conderet), βουληθεὶς γενόμενον αὐτὸν μηδενὸς ἀπορῆσαι· τῶν πρός τε τὸ ζῆν καὶ τὸ εὖ ζῆν. et ad Sap. 9, 8. εἶπας οἰκοδομῆσαι — ἐν πόλει κατασκηνώσεώς σου θυσιαστήριον, μίμημα σκενῆς ἁγίας ἣν προητοίμασας (quod sacrum tabernaculum antea parasti Mosis operâ) ἀπ' ἀρχῆς. Προετοιμάζειν declarare *praedefinire*, i. q. προορίζειν 8, 28. Eph. 1, 11. *Bretschneidero* in Lex. et *Harlessio* ad Eph. 2, 10. non concedo. Aliud est enim *parare* ετοιμάζειν, aliud *definire*, *decernere*, ὁρίζειν. LXX. Genes. 24, 14. — ταύτην ἡτοίμασας τῷ παιδί σου Ἰσαάκ hoc dicitur: hanc tu virginem *providisti Isaaco*, i. e. in promtu habes, quam Isaacus in matrimonium ducat. Matth. 25, 34. autem et similia l. eum non morabuntur, qui parari aliquid posse non solum re et manu, sed etiam mente et consilio, quum te aliquid paraturum esse tecum firme constituas, meminerit. Sed etiamsi προετοιμάζειν *praefinire* designaret, hoc tamen l. is signi-

ficatus repudiandus esset, quum verbis ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν similitudo a figulo petita continuetur. Mire *Meyerus*, puum προετοιμάζειν esse *ante parare* largitus esset, eos vituperavit, qui illud προ accuratius definivissent (*ante paravit* vel quum homines crearet *Beza*, vel priusquam quisque in lucem ederetur v. 11., vel ab aeterno, quum quos homines perditurus esset, quos beaturus secum constitueret 8, 29. 9, 11.). Patet enim *aliquod* tempus Paulum verbo προητοίμασεν dixisse. Ego Paulum verbis v. 22. κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν et v. 23. ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν ad τὴν πρόθεσιν τῶν αἰώνων Eph. 3, 11. respexisse censeo, ut quos Deus homines amare voluisset, eos ante mundi initia ad splendidam conditionem praeparasse Ap. diceret, quum hanc iis fortunam primum decerneret et tale se iis ingenium daturum esse apud se constitueret, ut vitae aeternae splendorem adipisci possent. Contra eos, in quibus iram suam exercere voluisset, tum temporis ad sempiternam perniciem adornavit, quatenus eo tempore et tristem iis fortunam et ingenium destinavit, quod aptos eos ad tristem fortunam adeundam faceret. εἰς δόξαν] Δόξα splendida beatorum conditio est, in regno messiano vitaque sempiternâ 2, 7. 8, 18.. Vocabulo paucis interjectis verbis repetito (τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ — εἰς δόξαν) vim orationi P. quaesivit. V. 24. οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς] οὓς pro ἃ non per synesin P. scripsit, quum σκεύη ἐλέους esse ἀνθρώπους ἐλέους secum reputasset (*Kopp.* al.), sed quoniam Pronomen relativum ad ἡμᾶς accomodare voluit, quod sequitur. Plato Phil. c. 84. λόγοι μὴν εἰσιν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν, ἃς ἐλπίδας ὀνομάζομεν; Liv. 4, 59. Anxur fuit, *quae* nunc *Tarracinae* sunt. Cf. Matthiä Ausf. gr. Gr. §. 440. 6. et *Rudimanni* Institutiones gr. lat. II, 20. sq. ed. *Stallb*.. οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς] i. e. οὓς οὐ μόνον προητοίμασεν ἡμᾶς εἰς δόξαν ἀλλὰ καὶ ἐκάλεσεν non solum nos praeparavit vasa misericordiae, quae vitae sempiternae splendorem consequerentur, verum etiam pro talibus nos per evangelium invitavit, ut vitâ sempiternâ potiremur i. q. non solum destinavit nobis summam felicitatem, sed etiam curavit, ut in nos conferri posset. Deus non eo contentus, quod bene nobis cupivisset, re quoque et facto suam nobis benevolentiam declaravit. Τῇ κλήσει opus est, ut per Christum beemur. Quî enim fide integritatem adipiscamur, nisi eâ doctrinâ auditâ, cui fides adjungenda sit? (10, 14. 8, 30.) Perperam *Grot.*: „vocavit, *cum effectu* scilicet i. e. *ad obedientiam perduxit*." Male *Tholucc.* vertit: quos vocavit *nos quoque*, sicut alios (i. e. οὓς ἐκάλεσε καὶ ἡμᾶς). Interpunctionem οὓς καὶ ἐκάλεσεν, ἡμᾶς quos

etiam vocavit, *nempe nos* (v. *Erasmus*, *Lutherus*, *Calv.*, *Beza* al.) falsam esse nemo non hodie intelligit. ἡμᾶς] *nos* i. e. sinceros et quorum firma fides sit Christianos, non Christianos romanos (*Wolf.*). οὐ μόνον — ἐξ ἐθνῶν] Haec v. Ap. addidit, ut Dei benignitatem latissime patuisse ostenderet (11, 11. 32.), quae arctis limitibus circumscripta esset, si σκεύη ἐλέους tantummodo e Judaeorum natione Deus selegisset. Proximis versibus 25.—29. benignitatem quâ per Christum bearet non solum ad Judaeos, verum etiam ad gentiles spectaturam esse Deum in V. T. praesignificasse P. demonstrat. Nunc de totius l. constructione et sententiâ disserendum est. Longe plerique explicatores v. καὶ ἵνα γνωρίσῃ κτλ. v. 23. ab ἤνεγκεν etc. v. 22. suspenderunt. Ita versus 23. sapiens consilium, quo ductus Deus homines ad sempiternam perniciem compositos admodum clementer ferre potuerit, contineant necesse est. Tale e vs. 23. elicere ne recentissimis quidem interpretibus contigit: extuderunt potius e vs. 23. sententias, quae primariae periodi sententiae repugnarent. *De Wettius*: — admodum indulgenter tulit vasa irae (Pharaonem et Aegyptios) *etiam eo consilio*, ut majestatis suae abundantiam in vasa misericordiae (in Israelitas Exod. 14, 22.) patefaceret. Ut concesseris, quod concedi nequit, Paulum σκεύη ὀργῆς et σκεύη ἐλέους *Aegyptios* et *Israelitas* dixisse (v. supra), *de Wettium* repugnantia loquentem Paulum fecisse, quum sententiam ad Judaeos a fide in Christo reponendâ abhorrentes, qui Pharaoni et Aegyptiis respondeant, et ad homines sinceram fidem Christo adjungentes, quos Israelitae repraesentent, traduxeris facile intelligas: tulit Deus homines ad sempiternam pestem compositos (qui Christo fidem denegarunt Judaeos) admodum clementer neque eos geennae suppliciis hucusque affecit, etiam hoc fine, ut majestatis suae divitias dilectis hominibus impertiret aeternae felicitatis largitione (!). Nam quum uno eodemque tempore et homines Deo cari in vitâ sempiternâ constituantur et Deo invisi in geennam amandentur (Matth. 25, 32. sq. Rom. 14, 10. 2 Cor. 5, 10. al.), *contrarium* facere h. e. *supplicia de invisis hominibus sumere eosque in tartara conjicere* Deus debuit, ut quam esset benignus dilectis hominibus dandâ felicitate aeternâ ostenderet. *Meyerus*: — tulit Deus magnâ cum patientiâ invisos homines etiam idcirco, ut ditem suam majestatem in caris hominibus manifestaret: *nam Christus judex in terram reversus simul hos beabit*, *illos poenis mulctabit* (v. supra). Sic quoque, ut homines Deo cari largam Dei benignitatem experirentur, invisi homines *quam primum poenis afficiendi* fuissent. *Winerus* gr. p.

494. ed. 4.: tulit Deus admodum clementer invisos homines *etiam* propterea, ut (nam contraria ex contrariis elucescunt) amplam suam benignitatem erga homines dilectos illustrem faceret. Indulgentiâ, quâ invisis hominibus parceretur, id fieri non potuisse elucet. Imo ut quanta esset Dei in caros homines benevolentia comparatâ summâ eorum felicitate cum poenarum invisis hominibus inflictarum acerbitate persentiremus, quam primum et hi valde puniendi et illi egregie ornandi fuerunt. Paullo melius *Win.* gr. p. 443. ed. 3. hunc l. enarravit: — tulit Deus clementissime homines invisos etiam hoc consilio, ut largas benignitatis suae opes in caros homines patefaceret h. e. ut dilecti Deo homines quantam erga se Deus benevolentiam olim collaturus esset e magnâ indulgentiâ conjicerent, quâ in invisos homines fuisset. Sed ne haec quidem expositio probari potest. Perspicuum est enim, v. ἵνα γνωρίσῃ — ἐπὶ σκ. ἐλέους ad eam patefactionem referendam esse, quâ *re et facto*, h. e. vitae aeternae largitione, summa Dei benignitas manifestetur. Nam paullo ante v. 22. voluisse Deum suam potentiam patefacere *hominibus perdendis* Ap. dixit (καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ). Mihi sic videtur. *Καί* v. 23. *et quidem* declarat, et, ut sententia v. 23. recte intelligatur, haec tenenda sunt. Ἐν τῷ αἰῶνι τῷ μέλλοντι nulli nascuntur homines, sed qui ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ vixerunt partim in geennâ torquentur, partim in regno messiano vitaque aeternâ beantur (expende Luc. 20, 35. 2 Cor. 5, 10. et Hebr. 11, 40.). Jam si paullo post Christi in coelum reditum Deus obstinatos qui fidem habere noluissent Judaeos per Christum ad exercendum judicium in terram remissum in tartara conjecisset, patefecisset ille quidem (nam vitae aeternae largitio et amandatio in tartara conjuncta sunt, v. supra) τὴν δόξαν αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη ἐλέους ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν (tot enim dilecti homines, quibus vitae aeternae splendorem Deus destinasset, in beatorum sedes benigne recepti fuissent, quot tum temporis invitati fidem habuissent, quandoquidem fide integritas, integritate vita aeterna paratur v. not. ad 1, 17., h. e. *oppido pauci*), sed τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη ἐλέους, ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν non manifestasset, quod pro suâ benignitate facere voluisset. Itaque pervicacium Judaeorum poenam procrastinavit, idque propterea, ut *multis* beandis hominibus, quos pro suâ in eos voluntate ad vitae sempiternae splendorem praeparasset, suae benignitatis *divitias* declararet, quum tempus relinqueret quo per invitationem ad fidem Christo adjungendam multi adduci possent. Totus l., si v. v. 23. καὶ ἵνα γνωρίσῃ κτλ. e vocc. v. 22. ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακρ. κτλ.

apta esse judicaveris, sic comparatus est: quid vero (nonne vero sententiae tristitia v. 18., quae te offendat, sublata est), si quamvis vellet Deus ostendere suam iram et patefacere potentiam suam, *tamen admodum indulgenter tulit* vasa quibus iratus esset composita ad exitium, *idque propterea, ut patefaceret* (quae alioquin in promtu non essent) suae majestatis *divitias* in vasa cara, quae ante parasset ad splendorem, quos etiam invitavit nos, non solum ex Judaeis, sed etiam e gentilibus —? Hoc pacto amotam esse sententiae v. 18. positae tristitiam, quum *haec* tecum reputaveris, Ap. disputat: I. nondum manus Deum obstinatis Judaeis, quorum vicem Christianos judaicos misereret, admovisse, quamvis iram suam ostendere vellet, sed magnâ cum patientiâ eos tulisse: insigne igitur eum *vel in homines quos odisset clementiae documentum edidisse*: II. tantâ in invisos homines indulgentiâ Deum *eo consilio* fuisse, ut largas benignitatis suae opes in dilectos, quos ad vitae sempiternae splendorem praeparasset, homines effunderet, quam plurimos eorum beando: itaque Deum in invisos homines valde clementem fuisse, ut in caros homines quam benignissimus esset: apparere igitur, Deum *optimum* esse et *benevolentissimum*: III. Deum in dilectos homines benignitatem *re et facto* declarasse, quum eos invitari juberet: hinc rursus *summam* Dei benevolentiam intelligi: saepe enim homines bene alicui cupiunt, prodesse nolunt: IV. *latissime* patere Dei benignitatem, qui homines beandos non solum ex Judaeis, verum etiam e gentilibus delegerit: quippe homines saepe colunt cives, negligunt exteros. Haec omnia quum eo valeant, ut longe clementissimum et optimum Deum esse sentiamus, horrorem demunt, quem sententia v. 18. ὃν δὲ θέλει σκληρύνει nobis incusserit. Sed tum quoque apta exit sententia, quum v. v. 23. καὶ ἵνα γνωρίσῃ etc. a vocc. v. 22. κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν suspenderis (v. *Bezam* ad v. 23. et Conject. mea l. c.). Sic vasa irae dicuntur *composita* ad exitium *et quidem* (s. *etiam* idcirco, ut — h. e. et propter aliam causam, nempe ut Dei ira manifestaretur v. 22. 17., et propter hanc quam afferam), ut Deus patefaceret benignitatis suae divitias in cara vasa, quae ad splendorem praeparasset. Nimirum lux non esset et dies, nisi nox et tenebrae essent, neque vitâ tantopere delectaremur, nisi terrori esset mors. Item Dei benevolentiam quâ homines sempiterno beat, ira et severitas conspicuam et luculentam reddit, quâ homines in perpetuum perdit. Totus l. ita habet: quid vero (nonne vero sententiae v. 18., quae offensioni sit, asperitas tollitur) si Deus quamvis vellet palam facere iram et potentiam ostendere suam, magnâ tamen

patientiâ sustinuit *vasa irae ad interitum composita et quidem* (s. etiam) propterea, ut manifestam faceret benignitatis suae abundantiam caris vasis, quae ad splendorem praeparasset, quos etiam invitavit nos non solum ex Judaeis, sed etiam e gentilibus —? Sic sublatam esse sententiae v. 18. propositae asperitatem, si *haec* tecum consideraveris, Ap. dicit: I. nondum nocuisse Deum contumacibus Judaeis, quamvis iis perdendis iram suam declarare vellet, sed indulgentissime eos tulisse (*εἰ δὲ — σκεύη ὀργῆς* v. 22.): clementissimum igitur Deum se invisis hominibus praebuisse: II. idcirco Deum illos homines ad sempiternam perniciem composuisse, ut manifestaret (quae alioquin nos lateret) in dilectis hominibus, quos ad aeternae vitae splendorem praeparasset, beatâ vitâ tribuendâ suae benevolentiae abundantiam: nam contraria e contrariis elucescere (v. 23.): *sapienter* igitur Deum illo consilio inito benignitatis suae vim severitatis acerbitate illustrem facere voluisse: III. non satis fuisse Deo caris hominibus sempiternam felicitatem decernere, nisi simul curavisset, ut in eos conferri posset (v. 24. *οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς*): itaque Deum suam dilectis hominibus voluntatem re ostendisse neque eos habere, quod de Deo conquerantur: IV. *latissime* vagatam esse Dei benignitatem, qui homines beandos non solum ex Judaeis sed etiam e gentilibus collegisset (v. 24. *οὐ μόνον — ἐξ ἐθνῶν*): Deum igitur optimum sane esse intelligi. Male *Win.* gr. p. 495. non opus esse h. l. tantâ sententiae asperitate, quantam haec interpretatio versui 23. includat, objecit. Minus enim durum est, Deum invisos homines ad sempiternam perniciem composuisse, ut horum exitio *ditem suam* *benignitatem* in caros homines manifestam faceret; quam quod Ap. v. 17. et 22. claris verbis indicavit, illud Deum fecisse, ut *potentiam* suam et *iram* reprobatorum hominum interitu ostenderet. Neque an *carere possimus* asperâ, quae interpreti displiceat, sententiâ quaeritur, sed quidnam praecedentis disputationis subtilitas vel ferat vel etiam postulet. Nihil video, ob quod hanc explicationem prius expositâ deteriorem recte judices, nisi quod simplicius v. v. 23. *καὶ ἵνα γνωρίσῃ* ab *ἤνεγκεν* etc., quam a *κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν* suspendi tibi videantur. Ne Praedestinatiani quidem, a quibus solis h. l. proficias (nam Antipraedestinatiani P. verba perverterunt, non explicuerunt), satis subtiliter hunc l. interpretati sunt. *Beza* ad v. 22.: „Dicit — (P.), neque exitium reprobatorum, neque salutem electorum esse ultimum finem aeterni illius propositi, sed quiddam longe praestantius, ipsius Dei *gloriam* videlicet, qui suam tum *potentiam* tum *misericordiam* ita

patefaciat." Haec Paulo sic enuntianda fuisse patet: εἰ δὲ θέλων ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ κατήρτισε σκεύη ὀργῆς εἰς ἀπώλειαν, καί, ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ, προητοίμασε σκεύη ἐλέους εἰς δόξαν —; — V. 25. et 26. Firmantur v. v. 24. οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ἐξ ἐθνῶν duobus l. ex Hosea petitis, quibus Deus se *gentiles* ut homines dilectos, quos ad vitae sempiternae splendorem praeparaverit, ad messianam salutem *invitaturum* esse denuntiaverit. ὡς — λέγει] sicut etiam *in Hoseae oraculis* dicit, scil. qui ibi loquens inducitur *Deus*, Hos. 2, 25. [23.] et 2, 1. [1, 10. LXX.]. Priorem l. LXX. recte sic transtulerunt: — καὶ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἠλεημένην καὶ ἐρῶ τῷ οὐ λαῷ μου, λαός μου εἶ σύ, καὶ αὐτὸς ἐρεῖ, κύριος ὁ θεός μου εἶ σύ. Ibi Deus se iis, postquam justas poenas dependerint, revocatione in patriam misericordiam tributurum et fauturum esse pollicetur, quorum acerbam fortunam Hoseae liberi e meretrice suscepti (Hos. 1, 2. 3.), לֹא עַמִּי, οὐ λαός μου, *filius* et לֹא רֻחָמָה, οὐκ ἐλεημένη, *filia* (Hos. 1,6. 9.), male ominatis suis nominibus repraesentent, h. e. Israelitarum populo. Haec ibi dici P. minime ignoravit, sed allegoricam interpretationem ingressus simul rem majorem subindicari censuit, beatitatem messianam *gentilibus* a Deo benigne decretam. Haec amplior, tantum res allegoricae interpretationis adjumento reperta curae cordique hîc fuit Apostolo. Itaque ut hanc perspicue enuntiaret tantummodo operam dedit, ut ipsa V. T. verba retinerentur minime opus esse ratus. Non igitur causa, cur allata sententia longe aliis, quam Hoseae, verbis concepta sit, in eo posita est, quod P. locum Hos. 2, 25. [23.] *memoriter* citaverit (*Rueck.*, *Meyerus* al.). Nam v. 26. singula paene LXX. vocabula Hos. 1, 10. reddidit. Adde quod v. 25. non temere, sed *subductâ ratione* Paulum LXX. non sequutum esse nonnulla indicant. Scilicet pro καὶ ἐρῶ τῷ οὐ λαῷ μου, λαός μου εἶ σύ locavit καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου quoniam voce sacrâ haec sententia munienda erat: οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ἐξ ἐθνῶν v. 24.. Deinde quod in Hosea praecedit καὶ ἐλεήσω τὴν οὐκ ἐλεημένην post καλέσω τὸν οὐ λαόν μου λαόν μου his. v. enuntiatum καὶ (καλέσω) τὴν οὐκ ἠγαπημένην ἠγαπημένην collocavit, quo facilius lectores quaenam esset ἡ οὐκ ἠγαπημένη e praecedentibus v. τὸν οὐ λαόν μου intelligerent. τὸν οὐ λαόν μου] *gentiles*. Cf. *Dukerum* ad Thuc. I, 138. τὴν τῶν γεφυρῶν-οὐ διάλυσιν. Arrian. Exp. Al. 1, 18, 12. — τῇ οὐ κατὰ τὸ εἰκὸς ἐξηγήσει —. Rom. 10, 19.. καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην ἠγαπημένην] Paulus רֻחָמָה sine sensus detrimento

vertit ἡ ἠγαπημένη (cf. v. 13.), quod LXX. transtulissent τὴν ἐλεημένην. Hoc eos fecisse tum ex eo patet, quod Hos. c. 1. et 2. רחם constanter verbo ἐλεεῖν reddiderunt Hos. 1, 6. 8. 2, 1. 23., tum ex 1 Petr. 2, 10. elucet. Vaticani Codicis lectio καὶ ἀγαπήσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην ex hoc P. l. manavit. Prophetae filia לֹא רֻחָמָה Paulo non solum populum israeliticum, sed etiam, si quis reconditiorem loci sententiam amplecti maluerit, *gentiles* per ambages indicare videtur. Vulgo P. v. sic explicant: *appellabo* eum qui non sit meus populus populum meum et non dilectam dilectam. Sed hoc pacto *oblique* tantum sententia V. T. testimonio comprobanda v. 24. Hoseae verbis inest. Itaque Paulum hanc verbis sententiam subjecisse arbitror: *invitabo* ad salutem messianam eum qui non sit meus populus tanquam meum populum et non dilectam ut dilectam. Scilicet v. ἐρῶ τῷ οὐ λαῷ μου, λαός μου εἶ σὺ Ap. allegoricâ explicatione initâ sic cepit: ita dicam τῷ οὐ λαῷ μου *eum ad messianam felicitatem invitando.* V. 26. Continuo P. alium Hoseae l. affert (2, 1.) ex LXX. transscriptum (1, 10.), nisi quod ἐκεῖ post ὑμεῖς additum est et αὐτοὶ post κληθήσονται omissum. In Hosea hoc dicitur: quo l. Israelitis (per prophetam) dictum est (in Palaestinâ): non estis vos meus populus, eo, quum in patrias sedes restituti fuerint, filii Dei viventis nuncupabuntur. Sed P. huic quoque loco majoris rei figuram inesse arbitratus simul ibi *gentilibus* divinum favorem, ut fide Christo habitâ beentur, sponderi credidit. καὶ ἔσται,] Sunt v. prophetae *et accidet*; sequitur expositio ἀσυνδέτως adjecta κληθήσονται *nempe vocabuntur*: וְהָיָה - יֵאָמֵר לָהֶם. Male igitur καὶ Paulo tribuas sic interpungendo: καὶ (sc. λέγει)· ἔσται etc. (Marc. 7, 10. 1 Tim. 5, 18.). ἐν τῷ τόπῳ οὗ] v. Act. 1, 13. 7, 29. 12, 12. 20, 8. et *Bornem.* Schol. in Lucae Ev. p. 132.. Quomodo P. allata v. in rem suam converterit, non satis planum est. Illud facile intelligitur, *aliquid* ei v. ἐν τῷ τόπῳ οὗ valuisse, quod negavit *dW.*, neque ea Paulum retinuisse, quo fortius Deum aliam sibi mentem in gentiles induisse enuntiaret (*Tholucc.*). *Meyerus* sic enarravit: quo loco gentilibus (per prophetas) dictum est: non estis vos meus populus (h. e. in Palaestinâ), eo l. vocabuntur filii Dei veri (fuit enim Palaestina ecclesiae christ. arx Act. 15. Gal. 2.). Sed hominibus potius, h. e. Apostolis, qui coetus palaestinenses regerent, quam loco tantum a P. tributum esse crediderim. Neque haec expositio mihi probatur: ubi gentilibus dictum est (np. per Judaeos in exterorum terris dispersos, qui paganos a Deo negligi contenderunt): non estis vos meus populus (i. e. in terris gentilium), ibi nuncupabuntur filii Dei

veri scil. quum eos ad Christi sacra invitatos Dei filios esse homines fatebuntur (*Reich.*). Ego sic interpreter: ubi gentilibus dictum est: non estis vos meus populus (i. e. in Christianorum, qui in populi Deo cari, h. e. Judaeorum, locum successerunt, coetu, ubi diu dubitatum est, an recte gentiles reciperentur Act. 10, 28. 45.), ibi appellabuntur filii Dei veri (nam homines christ. gentiles, qui *ad messianam salutem invitati fidem Christo adjunxerint*, caros Deo homines esse concedent), v. Ueber die Verdienste Tholuck's p. 21.. Minus enim simpliciter hunc l. ita explices: quo loco gentilibus (ab Judaeis inter exteros degentibus, qui paganos homines Deo invisos esse putarunt) dictum est: non meus populus vos estis (h. e. in exteris terris, Macedoniâ, Achajâ, Italiâ), eo loco (per idoneos magistros) *ad messianam felicitatem invitabuntur* pro veri Dei filiis.

V. 27. — 29. Nunc vocc. v. 24. *οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς ἐξ Ἰουδαίων* duobus Jesajae locis muniuntur, quibus Deus se non omnes promiscue Judaeos, sed *selectos* Judaeos eosque paucissimos per Christum beaturum esse *oblique* indicaverit. Et primo quidem Jes. 10, 22. 23. tantum non verbotenus ex LXX. affertur (v. 27. 28.). Ibi propheta relliquias tantum populi israelitici ad meliorem frugem redituras esse, quae cladi ab Assyriis accipiendae superfuerint, vaticinatus est. Sed P. *simul* rem multo majorem ab eo declaratam esse existimat, destinasse Deum beatitatem messianam *paucis*, *quos delegisset*, *Judaeis*, non omnibus Abrahami posteris. Hanc, quam *allegoricam* interpretationem ingressus ex Jesajae verbis eruit, sententiam Ap. h. l. amplexus est, sensum, quem historica explicatio patefacit, nihil curavit. Cf. *Velthuseni* comparationem dicti Jesaj. X, 20. — 23. cum asserto Rom. IX, 27. sq. Helmst. 1785. (repetit. in *Velthuseni* et *Rupertii* commentatt. theol. V. p. 388. sq.) et *de Coellni* commentationem *Keilii* et *Tzschirneri* Analectis Vol. III. Fasc. II, p. 28. sq. insertam. *κράζει*] Jesajas autem *exclamat*, *concionatur*, *altâ voce pronunciat* (Joh. 1, 15. 7, 28. 37. 12, 44. Act. 23, 6. Lucian. Icarom. c. 31. Aristides Or. in Apellam p. 124. [ed. Canteri] — *ἀλλ' ἡ πόλις αὐτὴ συνομολογεῖ καὶ κέκραγε* —. (Cf. talm. צָוַח Tanchuma 46, 3. רוח הקדש צווחת *spiritus s. clamat*). *ὑπὲρ τοῦ Ἰσρ.*] *super*, *de Israelitis*. (v. 2 Cor. 7, 4. Phil. 1, 7. et *Ellendt*. ad Arriani Exp. Al. 6, 2, 6. — *ὃς ἐν τῇ ξυγγραφῇ ἥντινα ὑπὲρ Ἀλεξάνδρου ξυνέγραψε καὶ τοῦτο ἐψεύσατο* —.). *ἐὰν — ὡς ἡ ἄμμος τ. θαλάσσης*] *Innumerabilia* numero carentem *arenam* aequare Hebraei, Graeci et Romani affirmant Genes. 32, 13. Hos. 2, 1. Hebr. 11, 12. Hom. Il. 2, 385. *οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψά–*

μαθός τε κόνις τε —. Aristoph. Lysistr. 1260. *ἦν γὰρ τῶνδες οὐκ ἐλάσσως | τᾶς ψάμμας, τοὶ Πέρσαι.* Cf. *Wetst.* ad h. l.. *τὸ κατάλειμμα*] A. B. Euseb. *ὑπόλειμμα* 4 Reg. 21, 14. | 47. *ὑποκατάλειμμα sic.* | Chrys. *ἐγκατάλειμμα* Jerem. 11, 23.. *Lachm. τὸ ὑπόλειμμα* recepit plaudente *Meyero*, quia librarii *τὸ κατάλειμμα* ex LXX. Jes. 10, 22. petierint. Ostendit testium diversas ejusdem potestatis voces praebentium paucitas Paulum *τὸ κατάλειμμα* retinuisse, nonnullos scribas quum festinarent in ejus locum alia quae idem notarent vocabula suffecisse. Cf. not. ad 9, 11.. *τὸ κατάλειμμα σωθήσεται*] *Jesajas*: שְׁאָר יָשׁוּב *relliquiae ad Jehovam revertentur, resipiscent.* LXX. emendatae mentis *fructum* posuerunt, *τὸ κατάλειμμα σωθήσεται* relliquiae *servabuntur*, Assyriorum cladi supererunt. Exoptata Paulo fuit haec translatio, quum rem majorem, quam prophetam subindicasse credidit, apte exprimeret: Israelitarum *relliquiae*, quas Deus delegerit v. 11. 18. 23. (*non ingens Israelitarum*, quos pernumerare nequeas, *vis*) *per Christum beabuntur* (Rom. 13, 11.). Ponderosum est enim *τὸ κατάλειμμα* et universo Israelitarum coetui tacite opponitur. V. 28. Jesajas 10, 22. 23.: כִּלָּיוֹן חָרוּץ שׁוֹטֵף צְדָקָה: כִּי כָלָה וְנֶחֱרָצָה אֲדֹנָי יֱהוִֹה צְבָאוֹת עֹשֶׂה בְּקֶרֶב כָּל־הָאָרֶץ: h. e. (*relliquiae* resipiscent: additur *rei causa*) *Exitium decretum est, quod justitiae aestus advolat* (quod hostium justas poenas expetentium agmina arcessat.). *Nam exitium et decretum* (*decretam pestem*) *dominus, coelestium agminum Deus, faciet in totâ terrâ.* Cf. *Gesenium* et *Hitzigium* ad h. l.. Quum Jesajae verba LXX., quos P. sequutus est, ne e longinquo quidem assequuti sint, *duo* Pauli interpreti facienda sunt. Nam primum quidem quid perversam LXX. interpretationem pepererit et quam sententiam Jesajae verbis subesse crediderint quaeritur: deinde quomodo *Paulus* eorum vocabula explicuerit docendum est. Non mihi illa quaestio inanis videtur (v. *Rueck.*, *Reich.* et *Meyerum*). Quî enim vocem quam quis ab alio scriptore mutuo sumtam in suum usum converterit penitus intelligas, nisi quo consilio eam ille primum usurpaverit, a quo tuus eam scriptor mutuatus fuerit, exploratum tibi sit? Proverbio quidem, ut similem rem afferam, utrum recte an perperam scriptor usus sit, non dijudices nisi proverbii origine et ratione perspectâ. Vulgo VV. DD. alexandrinos interpretes כִּלָּיוֹן voce *λόγος* vertisse credunt (v. c. *Surenhusii βίβλον καταλλαγῆς* p. 470, *Tholuccium* et *Reichium* ad h. l.). Falluntur. Nam I. unde sumserint *συντελῶν* sic parum liquet. Inepte enim *Tholucc.*, LXX., quum כִּלָּיוֹן *decretum* (significare autem כָּלָה 1 Sam. 20, 7. 9. *decretum esse*) explicuis-

sent, ut magis exponerent *λόγον*, quod vocabuli כִּלָּיוֹן notionem non exhaurire sensissent, כִּלָּיוֹן verbis *λόγον γὰρ συντελῶν* reddidisse dixit. Ut omnia concesseris (quamquam 1 Sam. 20, 7. 9. כָּלָה *mente peractum esse* notat), quî LXX. כִּלָּיוֹן *λόγος συντετελεσμένος* vertere potuerint hoc pacto intelligas, non item, quî כִּלָּיוֹן sanâ mente *λόγον γὰρ συντελῶν* scil. *ἐστί* (v. *Bernhardyi* Synt. p. 470. et *Pflugkium* ad Eur. Hec. v. 1179.) transferre potuerint. Deinde II. LXX. כִּלָּיוֹן verbo *συντελῶν* convertisse non minus certum est, quam eos חָרוּץ voce *συντέμνων* reddidisse (cf. v. 23. 28, 22. Prov. 21, 5.). Nempe כִּלָּיוֹן a כָּלָה *peractum esse* male derivatum *peractionem* valere (expende LXX. Jes. 28, 22. eosque כִּלָּה verbo *συντελεῖν* vertere solere reputa) dicique *divinae vocis* de paucissimorum Israelitarum salute peractionem putarunt. Itaque v. כִּלָּיוֹן חָרוּץ צְדָקָה שׁוֹטֵף sic ceperunt: peractio (divini oraculi de perpaucorum Israelitarum salute) maturatur justitiae volvens undas: eamque sententiam liberius sic enuntiarunt: *λόγον γὰρ συντελῶν* (כִּלָּיוֹן) *καὶ συντέμνων* (חָרוּץ) *ἐν δικαιοσύνῃ* (שׁוֹטֵף צְדָקָה) i. e. (Israelitarum relliquiae servabuntur) nam quod dixit (oraculum) Deus peragit et maturat juste. Facilius etiam intelligas, cur ita hunc l. verterint, si eos חֹרֵץ pro חָרוּץ legisse existimes h. s.: (oraculi) peractionem Deus maturat justitiae undas advolvens. Sequuntur verba: כִּי כָלָה וְנֶחֱרָצָה אֲדֹנָי יֱהוִֹה צְבָאוֹת עֹשֶׂה בְּקֶרֶב כָּל־הָאָרֶץ: LXX. כָּלָה וְנֶחֱרָצָה (div. oraculi) peractionem *et rem maturatam* h. e. *maturatam oraculi peractionem*, *oraculum*, *cujus peractionem maturare Deus decreverit*, (*λόγον συντετμημένον*) enarrarunt: *ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει ὁ θεὸς, κύριος τῶν δυνάμεων, ἐν τῇ οἰκουμένῃ ὅλῃ* i. e. (*juste* Deus oraculum peragit et maturat) *nam* quod maturare constituit oraculum ad eventum adducet Deus *in toto terrarum orbe*. Paulum, virum subtilissimum, quum citans Jes. 10, 22. stili impetum in tempore non inhibuisset, verba v. 28. *λόγον γὰρ συντελῶν — ἐπὶ τῆς γῆς* praeter necessitatem addidisse (v. *Flatt.*) vel per se improbabile est et eo refellitur, quod locus Jes. 1, 9., qui rem V. T. auctoritate muniendam haud dubie comprobat, v. 29. arctissimo vinculo cum v. v. 28. *ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει κύριος ἐπὶ τῆς γῆς* cohaeret. Quare v. 28. sic exponendus est, ut vocc. v. 27. *τὸ κατάλειμμα σωθήσεται* fulciat. Ego Paulum haec dicere arbitror: (perpauci Israelitae per Messiam beabuntur v. 27.) Nam quod dixit (v. 27.) Deus peragit et viae compendio usus peragit (et *celeriter* peragit) per integritatem 1, 17. (np. quam paucis Israelitis destinat v. 27.): etenim maturatum oraculum (i. e. oraculum, cujus eventum maturare decrevit) *ad eventum adducet*

dominus in terrâ. Hoc pacto *paucissimos Judaeos messianam beatitatem consequuturos esse* duobus argumentis probatur: uno, *decrevisse* Deum quod dixerit celeriter effectum reddere integritate paucis Judaeis destinatâ (λόγον — ἐν δικαιοσύνῃ), altero, *ratum facturum esse* Deum oraculum suum in terrâ (ὅτι λ. σ. ποιήσει κ. ἐ. τ. γ.). Non legit P. כָּלָה, quod a multis Cdd. abest. *Λόγος* et alexandrinis interpretibus et Paulo *dictum*, *vox* est (cf. Hom. Od. 3,266. ὦ γέρον, οὔπω τοῦτο ἔπος τελέεσθαι ὀΐω. Ruth. 3, 18. — ἕως ἂν τελεσθῇ τὸ ῥῆμα [v. 13.] σήμερον. Dan. 4, 30. — ὁ λόγος συνετελέσθη —.) non *res* (*Beza*, *Schoettgen.*, *Kypk.*, *Kopp.* al.). Nam hoc verum esse minime ex eo elucet, quod LXX. Jes. 28, 22. כָּלָה וְנֶחֱרָצָה reddiderunt συντετελεσμένα καὶ συντετμημένα πράγματα (ἤκουσα παρὰ κυρίου), v. *Meyerus.* Possunt et res audiri et dicta perfici. λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων] scil. ἐστὶν ὁ θεός i. q. λόγον γὰρ συντελεῖ καὶ συντέμνει ὁ θεός. *Kypkius* II, 176., *Meyerus* al.: *est* (adest) *enim*, *qui perficiat paucisque absolvat* i. e. ἔστι γὰρ ὁ λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων (Joh. 8, 50. 5, 45. Rom. 3, 11.). Συντέμνειν τι *praegnanter* dicitur et duplici quidem modo. Nam non solum *paucis verbis* aliquid comprehendere significat Eur. Iph. A. 1249. 2 Macc. 10, 10. (cf. loquutionem συντέμνειν τὸν λόγον, quam exemplis illustravit *Wetst.* ad h. l.), et *viae compendio utentem aliquid facere*, *paucis rem absolvere*, *celeriter aliquid peragere*, *rem accelerare* designat (cf. συντάμνειν [τὴν ὁδόν] *viam praecidere*, *brevissimam viam inire* Herod. 7, 123.). Eur. Rhesus 450. — συντεμὼν τοὺς σοὺς πόνους celeriter absolutis tuis laboribus. [Soph. Antig. 1090. — συντέμνουσι γὰρ | θεῶν ποδώκεις τοὺς κακόφρονας βλάβαι: celeriter enim celeripedes deorum poenae mala meditantes opprimunt.] Sic h. l. P. sumsit λόγον συντέμνων (ἐστίν) oraculum celeriter ad eventum adducit et λόγον συντετμημένον oraculum maturatum (v. supra). *) Non accurate *Hesychius*:

---

*) Συντέμνειν graecis V. T. interpretibus, quum verborum חָרַץ et חָתַךְ significatum in v. συντέμνειν transtulissent, ex hebraismo *decernere*, *definire* valuisse (v. *Schleusnerum*, *Wahlium* et *Bretschneiderum*) pro certo affirmari nequit. Prov. 21, 5. חָרוּץ *vir acer* vertitur συντέμνων *homo rem paucis absolvens*. Jes. 10, 22. 23. חָרַץ et συντέμνειν alexandrinis interpretibus declaravit *maturare* (v. supra). Item Jes. 28, 22. συντετελεσμένα καὶ συντετμημένα πράγματα *res* sunt *mente peractae et maturatae*. Dan. 9, 24. ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες συνετμήθησαν ἐπὶ τὸν λαόν σου Ἰσραήλ septuaginta septimanae *abscissae sunt* (np. a tempore h. e. *ad sensum* definitae sunt) *in populum tuum isr.* Theodotioni valuisse videtur et Dan. 9, 26., utrum πόλεμος συντετμημένος *bellum maturatum*, an

συντεμὼν, συντελέσας. Est enim συντέμνειν celeriter peragere. ἐν δικαιοσύνῃ] Noli explicare *juste* Act. 17,31. (nam justitiae divinae mentio ab h. l., ubi perpaucis Deum Israelitis felicitatem messianam pro arbitrio decrevisse docendum est, abhorret), sed: effectum reddere oraculum Deus maturat *integritate* (np. paucis, quibus visum fuerit, Israelitis destinatâ v. 11. 18. 27.). Sic v. 28. rem continet, quae P. consilium adjuvet. Et commendatur nostra explicatio eo, quod Ap. paullo post v. 30. de τῇ δικαιοσύνῃ disputat, provocatus, ut videtur, verbis v. 28. λόγον γὰρ συντ. κ. συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ. In proximo membro ὅτι — ἐπὶ τῆς γῆς. Paulo verbum ποιήσει ponderosum est (cf. supra). A. B. 23.* 47.* 67.** Erp. Copt. Eus. Damasc. Augustin. (bis) praebent λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ποιήσει κύριος ἐπὶ τῆς γῆς, h. e. λόγον γὰρ ποιήσει κύριος ἐπὶ τῆς γῆς συντελῶν καὶ συντέμνων αὐτόν. (Syrus: λόγον γ. σ. κ. συντέμνων καὶ ποιήσει ἐ. τ. γῆς i. e. λόγον γὰρ συντελεῖ καὶ συντέμνει καὶ ποιήσει [scil. αὐτὸν] ἐπὶ τῆς γῆς.) omissis v. ἐν δικαιοσύνῃ ὅτι λόγον συντετμημένον. | Aeth. et Theodoretus legunt λόγον γὰρ συντετμημένον ποιήσει κύριος ἐπὶ τῆς γῆς. neglectis v. συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ ὅτι λόγον. Illam lectionem *Grotio* aliisque probatam dedit *Lachm.*. Male. Nam interpolatores vocc. ἐν δικαιοσύνῃ ὅτι λόγον συντετμημένον ex LXX. addidisse (*Grot.*) parum verisimile est, et quia v. ἐν δικαιοσύνῃ P. consilium valde adjuvant (v. supra) et quoniam Theodoreti lectio alio ducit. Si nonnulla subsidia totum vs. 28. excluderent, eum a scribis ex LXX. adjectum esse recte censeremus. Imo vulgata scriptura sanissima est. Fortasse *error* utramque, quae a vulgatâ dissidet, lectionem peperit. Nam qui συντέμνων cum συντετμημένον confudissent v. ἐν δικαιοσύνῃ ὅτι λόγον συντετμημένον praetermiserunt et qui scriptis v. λόγον γὰρ ad vocc. ὅτι λόγον oculis deerrassent v. συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ ὅτι λόγον neglexerunt. Sed fieri etiam potest, ut vulgata scriptura quibus vidimus modis ab iis mutata sit, qui duo P. enuntiata sine sententiae detrimento in unum contrahi posse existimassent. Illud equidem verum esse puto. Portentose PP. graeci hunc vs. interpretati sunt: *schol. Matth.*, *nam doctrinam* (v. *Orig.*, non *decretum*, v. *Meyer.*,) *dat Deus* (mente addiderunt δίδωσι θεός!) *ad eventum*

---

in breve contractum, an *decretum* sit constitui nequit. Nam interpres vocabulis מִלְחָמָה נֶחֱרָצֶת male consociatis scriptoris mentem non assequutus est.

adducens (scil. res in V. T. praesignificatas) *et compendiariam viam ad integritatem monstrans* (*et ad pauca verba* Rom. 10, 9. *Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*; Matth. 22, 37. 39. 40. *Orig.*, *redigens V. T. institutionem* *multa praecepta complexum*, *per integritatem* h. e. ita ut compendiaria doctrina integritatem largiatur *Chrys.*). *Quippe doctrinam ad pauca capita redactam dabit* (*Oec.* — τὸ δὲ ποιήσει ἀντὶ τοῦ δώσει) *dominus in terrâ.* Quorsum haec P. h. l. dixerit se intelligere recte negavit *Beza.* *Theophyl.*: *Νῦν δείκνυσι, πῶς σωθήσεται τὸ κατάλειμμα* (imo ὅτι τὸ κατάλειμμα σωθήσεται v. 28. docere debet) *καί φησιν, ὅτι οὐ, χρεία πόνων καὶ περίοδων καὶ τῆς ταλαιπωρίας τῆς ἐπὶ τοῖς ἔργοις τοῖς νομικοῖς, ἀλλ' ὁ θεός, φησι, συντελῶν καὶ συντέμνων τὸν λόγον τῆς πίστεως ἐπὶ πάσης τῆς γῆς, τοῦτον ποιήσει ἐν δικαιοσύνῃ, τουτέστιν, ὥστε δικαιῶσαι τοὺς παραδεξομένους τοῦτον.* Neglexit *Theophyl.* ὅτι, tum ἐπὶ τῆς γῆς cum συντέμνων et ἐν δικαιοσύνῃ cum ποιήσει consociavit! — V. 29. Nexus: maturatum oraculum (de salute messianâ paucissimis Judaeis destinatâ v. 27.) ad eventum adducet Deus in terrâ (v. 28.), et, quemadmodum Jesajas vaticinatus est, Sodomorum et Gomorrhae fatum subiissemus, nisi aliquas stirpes Deus nobis relliquisset. Citatur Jes. 1, 9. ex LXX. verbotenus. Prophetam de clade suo tempore Judaeis inflictâ loqui P. non infitiatus est, sed eum simul rem ampliorem, h. e. salutem messianam *paucissimis* Judaeis a Deo decretam, oblique enuntiasse allegoricâ interpretatione nixus existimavit. Inserviunt Pauli consilio haec maxime v.: εἰ μὴ κύριος Σ. ἐγκ. ἡμῖν σπέρμα, *illud nos ab exitio*, *quod nos omnes abstulisset*, *vindicavit*, *quod aliquas nobis stirpes Deus relliquit.* *Jaspis.*: „*subaudiantur* — *verba* οὕτω καὶ νῦν ἔχει (scil. post καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας)." Imo sic interpungendum est: *καί, καθὼς προείρηκεν Ἡσαΐας, εἰ μὴ κτλ.*. Utitur enim P. Jesajae verbis ut suis. προείρηκεν] i. e. *praedixit*, *vaticinatus est* (Marc. 13, 23.), non *prius dixit*, h. e. *capite primo* (2 Cor. 7, 3. Diod. Sic. 19, 51. *Beza*, *Grot.*, *Surenhus.* l. c. p. 472., *Noesselt.*, *Rosenm.* al.). Nam perpaucis Judaeis Deum salutem messianam destinasse V. T. *oraculis* Apostolo v. 27. — 29. ostendendum est (cf. v. 24.). κύριος Σαβαώθ] hebr. יְהוָֹה צְבָאוֹת h. e. aut *Jehovah copiarum* (qui copiis praeest, cf. *Gesenii* comment. I, 157.), aut, quod praefero, *Jehovah Zebaoth* ut צְבָאוֹת multo usu in Jehovae cognomen verterit. Cf. יְהוָֹה אֱלֹהִים צְבָאוֹת Ps. 59, 6. 84, 9.. LXX. שָׂרִיד כִּמְעָט (superstites, ut paucitas est i. q. pauci superstites) reddiderunt voce σπέρμα, quae, ut ζώπυρον Luc. Tim. c. 3., metaphorice *paucitatem*, *quae magnum*

sui

sui generis numerum progeneret notat. Perexiguum est enim, quod ex messe sationi homines servant, ut largam inde messem faciant. Cf. Plat. Timaeus 23. (ed. *Bekk.* p. 14. sq.) — *οἳ πρῶτον μὲν ἕνα γῆς κατακλυσμὸν μέμνησθε πολλῶν ἔμπροσθεν γεγονότων, ἔτι δὲ τὸ κάλλιστον καὶ ἄριστον γένος ἐπ' ἀνθρώπους ἐν τῇ χώρᾳ παρ' ὑμῖν οὐκ ἴστε γεγονός, ἐξ ὧν σύ τε καὶ πᾶσα ἡ πόλις ἔστι τὰ νῦν ὑμῶν περιλειφθέντος ποτὲ σπέρματος βραχέος* —. Joseph. 11, 5, 3. *παρεκάλει δὲ* (Esdras) *τὸν θεὸν σπέρμα τι καὶ λείψανον ἐκ τῆς τότε συμφορᾶς αὐτῶν καὶ αἰχμαλωσίας περισώσαντα — — λαβεῖν οἶκτον αὐτῶν* —. 12, 7, 3. — *ἢ τὰ αἴσχιστα παθεῖν καὶ μηδὲ σπέρμα τοῦ γένους ὑμῶν ἀπολειφθῆναι* —. Pauli sententiam apte sic exprimas: *aliquod beatorum Judaeorum seminarium*, einen Stamm beglückter Theokraten. *Ὁμοιοῦσθαι ὥς τι* (נִדְמֵיתָ כְּ Ez. 32, 2.) est *parem* (similem) *fieri et fieri sicut aliquid est*. Cf. not. ad Marc. p. 140. sq. et Ueber die Verdienste Tholuck's p. 20. sq.. Utrum Pauli disputatio 9, 6. — 29. iis congruat an repugnet, quae 9, 30. sqq. ab eo disseruntur, de eo ad c. 11. v. 32. dicetur.

V. 30. *Τί οὖν ἐροῦμεν; ὅτι τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην κατέλαβε δικαιοσύνην, δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως,* 31. *Ἰσραὴλ δὲ διώκων νόμον δικαιοσύνης εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε.* 32. *Διατί; ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων· προσέκοψαν γὰρ τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος,* 33. *καθὼς γέγραπται· Ἰδού, τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος καὶ πέτραν σκανδάλου, καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται.*

Nunc Ap. rem, quae absurda videatur et Christianos judaicos in magnum moerorem conjiciat: *paganos integritatem nullo studio persequentes veram, quae fide comparetur, integritatem consequutos esse, Israelitas, qui legem, quae integritatem efficeret, possidere cuperent, legem, quae integritatem pararet, non obtinuisse*, ex ante dictis v. 6. — 29. sequi idcirco monet v. 30. 31., ut rem primo obtutu mirabilem minime miram esse *rei causâ* manifestatâ; quae prius allatae v. 6. — 18. 22. 23. prorsus repugnat (v. not. ad 11, 32.), demonstret v. 32. sq.. Cf. 11, 7.. Fluunt quae P. v. 30. 31. dixit e totâ quae praecedit disputatione v. 6. — 29.. Sed maxime ad v. 24. — 29. atque ibi ad v. v. 28. *λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ* (v. ibi not.) animum, quum v. 30. et 31. dictaret, P. attendit. *Chrys.*,

Theophyl., *Oec.* al. Paulum rem iis verbis, quae quam sit admirabilis et contra opinionem omnium egregie ostendant, conceptam, ut nodum v. 6. sq. nexum solvat v. 32. sq., ponere v. 30. 31. autumarunt. *Chrys.* ad v. 32.: *αὕτη* (v. 32. *ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων*) *ἡ σαφεστάτη τοῦ χωρίου παντὸς λύσις, ἣν εὐθέως ἐν προοιμίοις εἰ εἶπεν, οὐκ ἂν οὕτως εὐπαράδεκτος γέγονεν* [*ἐγεγόνει*]. *ἐπειδὴ δὲ μετὰ πολλὰς ἀπορίας καὶ κατασκευὰς καὶ ἀποδείξεις αὐτὴν τέθεικε καὶ προδιορθώσεσι μυρίαις ἐχρήσατο, εὐμαθεστέραν τε αὐτὴν λοιπὸν καὶ εὐπαράδεκτον μᾶλλον ἐποίησε· τοῦτο γὰρ αἴτιον τῆς ἀπωλείας αὐτῶν φησιν, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου ἠθέλησαν δικαιωθῆναι.* *Re* cum Chrysostomo ii concordant, qui Paulum ante dicta v. 6.—29. *summatim* complecti et veram exitii Judaeorum salutisque gentilium causam afferre crediderunt (quae disputavi hûc redeunt: paganis salus messiana data est, quia fidem habuerunt, Israelitis denegata est, quoniam credere noluerunt) cf. v. c. *Melanthon*, *Flacius*, *Wolf.*, *Tholucc.*. Erraruut. Nam I. v. 30. et 31. non summam continent ante disputatorum v. 6. sq., sed rem complectuntur, quae ex supra dictis consequatur (paganos salutem messianam obtinuisse, gentem israeliticam eâ excidisse), ita ut aliquid nondum enuntiatum a P. flebiliter ex judaicorum Christianorum mente addatur: *mirum* et *iniquum* videri, quod pagani integritatem adepti sint, Israelitae eam non obtinuerint: II. Nodus v. 6.—29. nexus v. 32. sq. minime expeditur, sed Judaeorum exitii et paganorum salutis causa longe alia, quam quae v. 6. — 18. 22. 23. allata est, ponitur. Quid, quod causa posteriore l. memorata cum prius allatâ non consistit (v. not. ad 11, 32.)? III. Opinionem, quam impugnamus, perversa et arbitraria totius l. v. 6. sqq. interpretatio peperit.

V. 30. et 31. *τί οὖν ἐροῦμεν;*] *Quid igitur dicemus*, h. e. *ex ante dictis* (v. 6.—29.) *colligemus?* (v. not. ad 3, 5.). Proxima v. 30. et 31. v. *ὅτι — οὐκ ἔφθασε.* *responsum* continent. Tum Ap. sententiae responso comprehensae causam exquirit v. 32. *διατί;* eamque novo responso includit v. 32. *ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως κτλ.* Sic recte longe plerique interpretes de h. l. judicaverunt (cf. v. c. *Augustinum* de doctr. christ. 3, 3., *Theodoretum* et *Erasmum* ad h. l.). Priusquam interpretum, qui secus de h. l. statuerunt, opiniones refellam, singula v. explanabo. *ἔθνη*] Verte Heiden (2, 14. v. ibi not.), non die Heiden (*Rueck.*, *dW.* al.). Nam *nonnulli* pagani fidem tum Christo adjunxerant (cf. v. 24. — *ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν*), *τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν* ad Christi sacra nondum accesserat (11, 25.). *τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην*]

qui (pagani) *integritatem* (conditionem, in quâ constituti Deo probentur v. not. ad 1, 17.) *non consectentur.* Male *Reich.* δικαιοσύνην *vitae sanctitatem* explicat. Nam logica ratio postulat, ut δικαιοσύνη priore l. idem denotet, quod posteriore, quum Paulo hoc dicendum sit: quod non consectentur pagani, id ipsum eos consequutos esse. Atqui posteriore l. δικαιοσύνη *integritatem* designat. Διώκειν τι, ut hebr. רָדַף Ps. 34, 15., metaphorice valet *aliquid consectari* h. e. *rei imminere, operam dare, ut rem adipiscaris* (Aristot. Eth. Nicom. 7, 12. ἔτι παιδία καὶ θηρία διώκει τὰς ἡδονάς. 1 Tim. 6, 11.). Quae P. composuit v. διώκειν et καταλαμβάνειν, saepe conjuncta reperiuntur (v. *Wetst.* ad h. l. et *Reitz.* ad Luciani Hermot. c. 77. εἰ μὴ μόνος οἴει τεύξεσθαι τούτου καὶ αἱρήσειν διώκων, ὃ πρὸ σοῦ μάλα πολλοὶ καὶ ἀγαθοὶ καὶ ὠκύτεροι παραπολὺ διώκοντες οὐ κατέλαβον. Adde Sirac. 11, 10. 27, 8. Phil. 3, 12. Cic. de off. I, 31, 110. Neque enim attinet naturae repugnare nec quidquam *sequi*, quod *assequi* non queas. Tusc. V, 34, 100. — tum intelliges, qui voluptatem maxime *sequantur*, eos minime *consequi*.). Negavit P. paganos integritatem consectari. Non enim iis, quemadmodum Judaeis imposita erat divina lex, quae quum *integris* vitam sponderet (Levit. 18, 5. Rom. 10, 5.), pietatis, quâ Dei praeceptis satisfieret, studia in iis hominibus, qui ei adstricti viverent, et commovit et aluit. Deinde gentiles, quum imbutis superstitione animis Deos pro Deo colerent, verum Deum nihil curarunt (1, 21. sq. 10, 20.). Postremo ethnicorum superstitiones eo valuerunt, ut ab honesti regulâ, quam ratio iis praescripsisset, desciscerent et omni flagitiorum genere volutarentur (1, 24. sqq.). δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ π.] δέ non *sed* est (*Rueck.*, *dW.*), sed *autem* ἐπεξηγητικόν (v. 3, 22.). Hoc enim Paulo mirabile videtur, quod pagani, qui integritatem non consectentur, integritatem assequuti sint, et quidem veram illam, quae fide comparetur, non opinabilem tantummodo et vanam, quam obsequio legi mos. praestito Judaei sese adepturos esse temere opinati fuerint (10, 3.). V. 31. νόμος δικαιοσύνης utrobique *legem* denotat, *quae integritatem gignat*, h. m. *sed Israelitae*, *qui adipisci legem*, *quae integritatem afferat*, *valde cupiant* (hoc Israelitae de Pauli sententia summo suo legis mos., unde integritatem temere sperant, studio ostendunt), *legis*, *quae integritatem gignat*, *compotes facti non sunt* (nullâ quippe fide in Christo repositâ, quae una integritatem comparans lex est, 10, 4. sq.). Cf. *Rueck.* et *Meyerus.* Israelitae, quum impensam curam in observandâ lege mos. adhibent, *animos haud dubie eo intendunt*, ut legem, quae integritatem sibi paret, con-

sequantur. Nihilominus, quod mirum minimeque consentaneum videatur, (fide Christo negatâ) legem, quae integritatem apportaret, adepti non sunt, sed optato suo exciderunt. Acumen Paulum orationi quaesivisse patet, sed miram aut perplexam Pauli dictionem non vocaverit (*dW.*), nisi qui rem h. l. dicendam et locum ipsum parum expenderit. Potuisset pro *νόμον δικαιοσύνης* v. 31. bis *δικαιοσύνην* poni; sed putida exstitisset oratio. Nam v. 30. *ter δικαιοσύνης* vox legitur. Igitur verbis egregie delectis v. 30., ubi de ethnicis loquutus est, *δικαιοσύνην* P. scripsit, v. 31. quo l. de Judaeis verba fecit, *νόμον δικαιοσύνης* collocavit. Nempe ethnicos, qui neque legis mos. observatione, neque ullâ aliâ re *δικαιοσύνην* consectarentur, satis erat dici *δικαιοσύνην*, rem pretiosissimam, in quâ esset salutis aeternae pignus, assequutos esse. Sed Israelitas, qui summum studium in eo ponerent, ut *νόμῳ* integri redderentur aut *lege*, quae integritatem daret, potirentur, pulchre P. *legem* integritatis effectricem obtinuisse negavit, quo magis mirum esse, quod summa hominum, qui nihil paene aliud nisi *νόμον δικαιοσύνης* mente et cogitatione comprehenderent, studia irrita fuerint, sentiremus. *Φθάνειν* Graecis est *occupare*, *antevertere*, *praevenire* (Hom. Il. 2. 505. *ἡ δ' Ἄτη, σθεναρή τε καὶ ἀρτίπος· οὕνεκα πάσας | πολλὸν ὑπεκπροθέει φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν | βλάπτουσ' ἀνθρώπους· αἱ δ'* [*Λιταί*] *ἐξακέονται ὀπίσσω.*). Quem significatum *Erasmus*, *Usterius* l. c. p. 272. al. in hunc l. transtulerunt: Israelitae autem — ad legem, quae integritatem daret, non priores venerunt (sc. quam gentiles, qui eos a tergo relliquerunt). Potest haec interpretatio exornari. Nam dixisse haec Paulum, ut lectores laetum disputationis exitum suspicarentur, non temere contendas. Nempe Judaeis salutem mess. Ap. tum spondet, quum *τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν* ad Christi sacra transierit v. 11, 25. cl. v. 11.. Nihilominus interpretationem retineo plerisque explicatoribus probatam (ad legem, quae integritatem gigneret, Israelitae non *accesserunt*, *pervenerunt*), quoniam acutam antithesin infert (ethnici, quod *non consectantur assequuti sunt*, Judaei, quod *consectantur non assequuti sunt* v. 30. 31.). Alexandrinis scriptoribus *φθάνειν* nihil nisi *venire*, *pervenire*, *pertinere* valet. Dan. 4, 19. *ἡ μεγαλωσύνη σου ἐμεγαλύνθη καὶ ἔφθασεν εἰς τὸν οὐρανόν* —. Testam. XII. Patriarch. p. 530. *Fabric.* *ἐφαίνοντο γὰρ αὐταῖς Ἐγρήγοροι ἕως τοῦ οὐρανοῦ φθάνοντες* (lege praecedentia). Hujus abusus rationem e longinquo repetiit *Beza* ad h. l.: „*τὸ φθάνειν* diximus Matth. 11, 28. proprie id esse, quod Latinis antevertere sive praevenire. Quoniam autem in certamini-

bus is demum palmam accipit, qui ceteris praecurrit, idcirco *φθάνειν* dicitur qui ceteris quasi a tergo relictis id assequitur quo contendebat." Obtundit senescens graecitas verborum acumina et quae arctis limitibus sermonis elegantia vocabula circumscripserat, iis late patentem vim assignat. Itaque in verbo *φθάνω* *prae*veniendi cogitatio obliterata est, *veniendi* notio retenta. Inutilis est Hesychii glossa: *φθάνει*, *καταλαμβάνει*, parum sollerter ex iis l. ducta, in quibus est *φθάνειν εἴς τι ad aliquid accedere, aliquid consequi*, ut h. l.. Nunc eos refellam, qui *νόμον δικαιοσύνης* male exposuerunt. *Kopp.*, *Rosenm.*, *Jasp.*, *Flatt.*, *Reich.*, *Koelln.* al. *νόμον δικαιοσύνης* priore l. *legem mos.*, posteriore *doctrinam christ.* dici putarunt h. r.: sed Israelitae, quum legem, quae integritatem polliceatur (h. e. legem *mos.*), observare studeant, ad legem, quae integritatem daret (h. e. ad doctrinam christ. 3, 27.) non accesserunt. *Διώκειν νόμον studere legi*, h. e. *legis observationi intentum esse* valere plane nequit. Est enim *διώκειν τι aliquid consectari, aliquid habere valde cupere* (v. supra). Unde *διώκειν νόμον legem possidere vehementer velle* declaret necesse est. Praeterea hujus l. acumen in eo situm est, ut Israelitas *id ipsum* non assequutos esse, quod assequi valde cupivissent, Ap. dicat. Infelicior etiam eorum ratio est, qui (cf. *dW.*) *νόμον δικαιοσύνης* utrobique *legem mos.* designare crediderunt h. m.: sed Israelitae, quum legi integritatem pollicenti (legi *mos.*) satisfacere studeant, legi integritatem promittenti (legi mos.) non prorsus satisfecerunt. Neque *διώκειν νόμον legis observationi operam dare* notat, neque *φθάνειν εἰς νόμον legi plane satisfacere* declarat. Accedit, quod hic l. hanc sententiam flagitat: integritatem, quam fides Christo adjuncta paret, Israelitas non assequutos esse, illam respuit: non licuisse Israelitis legi mos. quae integritatem sponderet prorsus satisfacere. *Calov.*, *Noesselt*, l. c. p. 187. *νόμον δικαιοσύνης integritatis a Deo tribuendae normam* (*Grot. viam justitiae, quae Deo placeret*) exposuerunt. Hi a ratione, quam nos probavimus, proxime afuerunt. Sed Paulum, quum Judaeorum, qui *νόμῳ δικαιοῦσθαι* vellent, rationem duxisset *νόμον legem* dixisse supra monuimus. *Calvin.*, *Beza*, *Glass.*, *Beng.*, *Heum.* al. ad hypallages monstrum (v. ad Marc. p. 759. sqq.) confugerunt, *νόμον δικαιοσύνης* pro *δικαιοσύνην νόμου* Paulum posuisse opinati. Qui etiam sententiam perdiderunt. Nam quod Israelitae integritatem *fide* parabilem, quae data fuerit gentilibus eam minime anquirentibus, non assequuti fuerint, non quod integritatem *legis mos. obsequio* parandam non obtinuerint, P. h. l. conqueri debet.

Quod quum *Calvinus* sensisset, νόμον δικαιοσύνης posteriore l. collocatum *justitiae formam aut regulam* explicuit. Sed verbis νόμον δικαιοσύνης utrobique eadem vis subsit necesse est. Debet enim P. hanc sententiam efferre: non assequutos esse Israelitas quod assequi vel maxime voluissent. εἰς νόμον δικαιοσύνης] Absunt haec v. ab 17. 61. δικαιοσύνης praetermittunt A. B. D. E. F. cum obelo. G. 47. 67.** Copt. It. Damasc. Procop. Orig. interprete Ruf. Ambrosiaster in comment. (in textu habet) Sedul. Beda. Hinc δικαιοσύνης *Millius* Prol. §. 1286. damnavit et *Griesb.*, expunxit *Lachm.*. At I. voce δικαιοσύνης carere non possumus. Erat enim νόμος, quem Israelitae non assequuti essent, Paulo accurate constituendus. Et quum Apostolus Israelitas *id ipsum* non consequutos esse quod consectentur h. l. dicere debeat, ei aut εἰς τοῦτον τὸν νόμον, aut εἰς νόμον δικαιοσύνης exarandum fuisse elucet. II. Vulgata scriptura εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε suâ virtute splendet. Nam Paulum acutam antithesin quaesivisse in promtu est (v. 30. — ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην κατέλαβε δικαιοσύνην v. 31. Ἰσραὴλ δὲ διώκων νόμον δικαιοσύνης εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε): cf. 10, 3.. Temere igitur *Mill.* l. c.: „—δικαιοσύνης, — repetitum nemo non videt ex priore parte versiculi." III. Qui εἰς νόμον οὐκ ἔφθασε interpretari conati sunt, iis non successit opera. *Orig.* ad h. l. νόμον *legem spiritus* valere finxit, sed quidnam sibi vellet non perspicue exposuit: „Certum est enim quia Israel sectabatur legem justitiae *secundum literam*, sed in legem non pervenit. Quam legem? Sine dubio *spiritus*. [8, 2.] Neque enim hoc diceret Ap., quia legem quam sectabatur et quam tenebat et quam habebat, in hanc non pervenerit." Videtur tamen *Orig.* *legem spiritus* non *doctrinam christ.* explicuisse, sed *legem mos.* h. s.: non pervenerunt ad legem, quam *div. spiritus* literis mosaicis praescripsisset, non adepti sunt νόμον (δικαιοσύνης) πνευματικόν. Cf. *Orig.* ad v. 32.: „Quia ergo *legem sectabantur non secundum opera justitiae Dei*, sed secundum opera suae justitiae, idcirco offenderunt etc." Item Abrosiaster v. εἰς νόμον οὐκ ἔφθασε sic enarravit: *legi mos. non satisfecerunt*, quum is tantummodo eam legem vere observet, qui eam deserat et Christo fidem habeat, 10, 4.. Non esse φθάνειν εἰς νόμον *legi satisfacere* supra diximus. IV. Qui δικαιοσύνης perierit in promtu est. Nam quum nonnulli [17. 61.] voce δικαιοσύνης, quae post διώκων νόμον posita est, cum vocabulo δικαιοσύνης, quod post εἰς νόμον legitur, confusâ voce,

εἰς νόμον δικαιοσύνης temere omisissent, nonnulli librarii non cuncta quae exciderant v., sed ea tantummodo revocarunt, quae ut sententia constaret prorsus necessaria viderentur, quum fortasse *δικαιοσύνης* e verbis proxime praecedentibus a glossatoribus male adjectum esse suspicarentur. *Reich.* *correctores δικαιοσύνης* sustulisse opinatur, qui oxymorum non concoxissent: Israelitae, quum legem (mos.), unde integritatem sperent, observare studeant, ad eam legem non pervenerunt. At talis ratiuncula, ut *εἰς νόμον δικαιοσύνης* deleret sensuque hunc l. privaret, neminem adduxerit. Et cohaeret omissio vocis *δικαιοσύνης* cum neglectione verborum *εἰς νόμον δικαιοσύνης*, quae librariorum incuriâ exciderunt. Itaque haec est v. 30. et 31. sententia: *Quidnam igitur ex ante dictis sequitur? Nempe hoc, gentiles, qui non expetant integritatem, adeptos esse integritatem, et veram quidem quae fide comparetur innocentiam, sed Israelitas, quum legem, integritatis effectricem, expetant, legem quae integritatem efficeret non adeptos esse.* — *Heum.*, *Flatt.*, *Olsh.* al. interrogationis signo, quod post *ἐροῦμεν* v. 30. sustulissent, v. 31. post *οὐκ ἔφθασε* collocato versui 30. et 31. unam percontationem inesse perperam crediderunt; *quidnam igitur dicemus* (de eo), *quod* (*Morus*: quia) *gentiles, qui non consectentur integritatem, integritatem assequuti sunt, — sed Israelitae, quum legem integritatis consectentur, ad legem integritatis non pervenerunt?* V. 32. *Cur, inquam, hoc factum est? Quoniam* etc.. Nam I. *non consectari ethnicos integritatem, sed Israelitas legem, quae integritatem pariat, expetere* Ap. v. 6.—29. ne subindicavit quidem. Non igitur judicium de re non memoratâ exquirere potuit, tanquam ejus mentionem injecisset. II. *Διατί*; v. 32. percontationis formae *τί οὖν ἐροῦμεν ὅτι* —; non respondet. Jure exspectaris v. 32. *τοῦτο ἐροῦμεν, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως κτλ.*. Et si novâ interrogatione v. 32. *διατί*; antecedentis percontationis vim accuratius constitui dixeris, ne sic quidem *Heumanni* ratio sana est. Nam quum voci *διατί*; hoc pacto haec cogitatio subsit *διατί ἔθνη τ. μ. δ. δ. κατέλαβε δικαιοσύνην* —, *Ἰσραὴλ δὲ* — — *οὐκ ἔφθασε*; Paulo III. v. 32. duo explicanda fuisse emergit, et *cur ethnici integritatem consequuti sint* (v. 30.), et cur Judaei lege integritatem parante non potiti sint (v. 31.). At docet tantummodo v. 32., quî factum sit, ut Judaei legis, quae innocentiam afferret, compotes non fierent, sententiae vs. 30. enuntiatae nullam rationem habet. Neque felicior Ven. *Reichii* interpretatio est. Is v. 30. et 31. duas interrogationes habere existimat, unam *τί οὖν ἐροῦμεν*; al-

teram (ἐροῦμεν) ὅτι ἔθνη ——— οὐκ ἔφθασε; (v. *Carpz.*) Has objectionem continere V. D. opinatur, quam P. quatenus ad paganos pertineat obiter v. 30. verbis parentheticis *δικαιοσύνην τὴν ἐκ πίστεως*, latius autem quatenus ad Judaeos spectet v. 32. rei, quae admirabilis et contra opinionem videatur, *causâ* proferendâ ita tollat, ut ad ejus responso illigandae prolationem *percontatione διατί* v. 32. viam sibi muniat: *quidnam igitur objiciemus? num hoc objiciemus, gentiles, qui non consectentur integritatem, integritatem adeptos esse* (nempe eam, quae *ex fide* manat; adepti sunt! non igitur mirum est, gentiles innocentiam assequutos esse; *fidem enim habuerunt*), *sed Israelitas, quum legem integritatis consectentur, eam legem non adeptos esse?* (*Non*, opinor.). *Cur hoc ita cecidit? Quoniam* etc. Verum enimvero in Pauli verbis nullum est *objectionis*, quâ, nisi fallor, praecedentem disputationem v. 6. — 29. impugnari *Reich.* censuit (cf. p. 327. et 328.), vestigium. Si quod *Reichio* in mentem venit Ap. efferre voluisset, ita dixisset: τί οὖν ἐροῦμεν; μὴ ἄδικον, ὅτι ἔθνη — — — οὐκ ἔφθασε; μὴ γένοιτο· (7,7. 9, 14. al.) ἔθνη γὰρ ἐδικαιώθη, ὅτι ἐπίστευσεν, Ἰσραὴλ δὲ εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασεν, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων ἐδίωξεν αὐτόν. Quod autem *Reich.* v. 30. verbis parentheticis δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως Apostolum enuntiasse existimavit, minus apte et dilucide exprimi vix potuisset; planissime hoc et simplicissime his verbis P. dixisset: — κατέλαβε δικαιοσύνην (ἐπίστευσε γὰρ), Ἰσραὴλ δὲ κτλ..

V. 32. et 33. *Διατί;*] scil. οἱ Ἰσραηλῖται εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασαν; (v. 31.; nam versus 30. nulla prorsus ratio ducitur v. 32. et 33.). ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων] scil. νόμον δικαιοσύνης ἐδίωξαν *Israelitarum natio legem, quae innocentiam apportaret, non assequuta est propterea, quod non a fide* (unde proficisci debuerat), *sed a probe factis, quae sibi opinionis errore finxit, profecta eam legem persequuta est.* Particula ὡς Substantivis, Participiis totisque enuntiationibus praeposita rei veritate sublatâ aliquid *opinione*, *errore*, *simulatione* niti declarat. Cf. argumentum Aristophanis ranarum v. 6. *Πλούτων δ' ἰδὼν* | *ὡς Ἡρακλεῖ* (tanquam Hercules esset, at fuit Bacchus herculeo habitu, qui Plutonem decepit, indutus) *προσέκρουσε διὰ τὸν Κέρβερον.* Eur. Phoen. 872. ἃ συγκαλύψαι παῖδες Οἰδίπου χρόνῳ | χρῄζοντες, ὡς δὴ θεοὺς ὑπεκδραμούμενοι | (Deos ab se vinci posse *temere opinati*) ἥμαρτον ἀμαθῶς. Hel. 1014. — ἀλλά μ' ἐξένιζες ἐν δόμοις, | ὡς δὴ θυραίου πήματος σπουδὴν ἔχων. „*simulans* te alieni mali curâ teneri" *Pflugk.*. Cf. *F. V. Fritzschium*

ad Luc. D. D. p. 53.. H. l. ὡς *vanam opinionem* indicat: *Israelitae quia ab opinabilibus probe factis, quibus Dei favorem expugnarent, non a fide profecti sunt, legem, quae innocentiam afferret, non obtinuerunt* (v. Ueber die Verdienste Tholuck's p. 78.). Nimirum Dei favorem, nullâ re nisi fide parabilem (1,17), pulcre factis comparari temere putarunt (3,20. 10,3. sq.). Male *Theophyl.* (cf. *Chrys.*) ὡς *fictam ab Judaeis et simulatam rem* declarare putavit (— sed (quoniam) *simulate* a probe factis profecti sunt): ὅρα δέ, πῶς οὐκ εἶπεν ἐξ ἔργων, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων, ἵνα δείξῃ ὅτι οὐκ ἀληθῶς οὐδὲ τῶν ἔργων ἐπεμελοῦντο, ἀλλ' ὡς ἐν ὑποκρίσει. *Mens* enim Judaeorum peccavit, qui bene factis h. e. praestandâ lege mos. Dei favorem quaerendum esse temere crederent, *non animus*. Quippe ingenuo, non simulato, studio Deum divinamque Mosis legem complexi sunt (10, 2. sq. Act. 21, 20.). *Heumanno*, *Koppio* al. ὡς *eleganter* (*Heum.*) *redundare*, *Wolfio*, *Tholuccio* aliisque hebraico *caph veritatis* (v. *Gesen.* ad Jes. 1,7. p. 153.) respondere visum est. Hujusmodi nugae indignae sunt, quae refutentur. ἐξ ἔργων νόμου] νόμου om. A. B. F. G. 6. 9. 47.* 67.** Copt. Vulg. Boern. Harl. Chrys. VII, 141. Ruf. Aug. Ambrosiast. Hier. Sedul. Beda *Millio* Prol. §. 1352. et *Griesbachio* probantibus. Delevit νόμου *Lachm.*. Recte. Est enim *manifestum glossema*. Quippe non mutant librarii v. ἔργα νόμου a P. posita (3,20. Gal. 2,16.), sed νόμου glossatores addunt, ubi P. ἔργα scripsit (v. Rom. 4, 2. varr. lect.). Adjunge, quod νόμου h. l. concinnitati nocet (οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων). *De Wettius correctores*, qui διώκειν νόμον δικαιοσύνης ἐξ ἔργων inepte dici putassent, νόμου induxisse perhibuit. At ἔργα nude posita quo l. *de Israelitis* agitur et ipsa pulcre facta *in Mosis lege imperata*, *quibus peragendis et bene merere et Dei favorem expugnare tibi videaris* (10,5.) valere ita planum est, ut ne librarios quidem praeterire potuerit. *Causam* P. addit, unde Israelitas idcirco non ad metam pervenisse, quod non a fide, sed a pulcre factis, quae sibi inepte finxissent, profecti ad eam contendissent vere se dixisse cognoscamus, his v.: προσέκοψαν γὰρ τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος. Quibus metaphoram sitam in v. διώκειν νόμον δικαιοσύνης et εἰς νόμον δικαιοσύνης φθάνειν continuari in promtu est. Jam si metaphorae insistas ὁ λίθος τοῦ προσκόμματος (Sirac. 34, 7. ξύλον προσκόμματος) lapis est, cui pedem impingere *possis* (Christum sic loci Jes. 8,14., qui v. 33. tangitur, invitatu dici apertum est) pedisque offensio pro itineris impedimento (Joh. 11, 9.), quod euntem in viâ retardet, memoratur h. s.: Israelitae ad metam, quam peterent, h. e.

ad νόμον δικαιοσύνης, non accesserunt propterea, quod non a fide, sed videlicet a pulcre factis profecti ad illam metam properarunt. *Nam* (quoniam vanâ opinione ducti *bene factis* confisi sunt) in lapidem, in quo offendi posset, quum impegissent in cursu retardati sunt. Quodsi *ad fidem* propensi fuissent, ille lapis eorum cursum non impedivisset, imo ad metam pervenissent (v. 33.). Sed demtâ metaphorâ προςκόπτειν τινί *offendi re* h. e. *rem moleste ferre* valet et Christus ὁ λίθος τοῦ προςκόμματος vocatur quatenus alicui displicere possit. Scilicet προςκόπτειν, quod proprie *pedem offendere* notat (Tob. 11, 10.), metaphorice *errare*, *peccare* declarat (1 Petr. 2, 8. cf. πταίειν). Peccat enim viator, qui pedem offendit. Sed προςκόπτειν τινί duplici sensu dicitur. Nam I. *aliquem offendere* h. e. *aliquem laedere* (Polyb. 5, 49, 5. 7, 5, 6.), *alicui injuriam inferre* (Jes. 3, 5. προςκόπτειν πρός τινα) significat. Nempe molesta est offensio ei, in quem incucurreris. Praeterea II. προςκόπτειν τινί *in aliquo offendere* i. e. *moleste aliquid ferre* (Diod. Sic. 4, 61. fin. προςκόπτειν τῷ ζῆν Polyb. 1, 31, 7. 5, 7, 5.: usurpatur, sic etiam προςκόπτεσθαί τινι *aliquâ re offendi* M. Anton. 9, 3.) designat. Pungit enim pedis offensio et solent vulgo homines si pes condoluerit ei rei succensere, quam pede temere offenderint. Sic h. l. προςκόπτειν τινί amotâ metaphorâ explicandum est: Israelitae moleste tulerunt eum, qui hominibus a fide alienis et pulcre scilicet factorum admiratione captis displicere posset. (*Oecum.*: τοῖς μὲν γὰρ ἀπίστοις [ὁ ὑπὸ τῶν προφητῶν προαγορευθεὶς λίθος] ἐναντίως ἥπερ ἔχει φύσεως γίνεται, τοῖς δὲ πιστοῖς κατὰ φύσιν ἔρεισμα καὶ στήριγμα καὶ ἀσφάλεια.) Quod autem Christus Israelitis displicuit, idcirco ei fidem denegarunt. Multa Judaeis in Christo displicuerunt, patria Joh. 1, 47. 7, 41. sq., genus Matth. 13, 55. Mr. 6, 3., mors Joh. 12, 34., contumeliosa praesertim, quam in crucem actus adiit 1 Cor. 1, 23. Gal. 5, 11.. Sed Paulo τὸ σκάνδαλον τοῦ σταυροῦ potissimum obversabatur Gal. 5, 11. 1 Cor. 1, 23.. Non recte *Bretschn.* Lex. II, 353. verbo προςκόπτειν *peccandi* significatum h. l. tribuit. Sane peccarunt Israelitae, quum Christo, in quo fiducia ponenda fuerat v. 33., temere offenderentur. Sed προςκόπτειν τινί *in aliquem peccare* minime notat. Quî tandem viatorem lapidi injuriam facere fingas, quem pede offenderit? Prorsus aliena PP. graeci imiscuerunt. *Theophyl.* (post *Chrys.*): ὁ προςκόπτων ἐκ τοῦ πρὸς ἕτερα κεχηνέναι. καὶ μὴ προςέχειν τοῖς ἔμπροσθεν προςκόπτει. Καὶ οἱ Ἰουδαῖοι οὖν ἐκ τοῦ πρὸς τὸν νόμον κεχηνέναι προςέκοψαν τῷ Χριστῷ, τουτέστιν ἠπίστησαν. Graece προςκόπτειν τινί non *pede aliquid offendere*, *quoniam ad res*

ante pedem positas parum attenderis h. e. demtâ metaphorâ *aegre aliquid pati aliud agentem, ad aliam rem respectantem, rei, cui temere succenseas, vim parum considerantem* denotat, sed *pede aliquid offendere* h. e. detractâ metaphorâ *moleste aliquid ferre* declarat. Et P. hoc tantummodo enuntiat: Israelitis, *quoniam a pulcre factis salutem inepte sperassent*, Christum displicuisse, qui, si *fidei* vim suspicati essent, fiduciam in eo collocassent et per hanc fiduciam beati redditi essent (cf. v. 33.). Vulgatâ scripturâ, quam hucusque explicuimus, retentâ Pauli disputatio optime sane decurrit: *quâ de causâ Israelitae legem, quae integritatem afferret, non adepti sunt? Quoniam non fide, sed commentitiis suis probe factis eam legem consequi voluerunt. Nam* (quum nihil fidei, omnia bene factis temere tribuerent) *Christus iis displicuit fideque ei negatâ legem', quae innocentiam gigneret, non obtinuerunt* (v. 32.). *Hoc vere dictum esse libri s. docent, in quibus haec perscripta sint: ecce, pono in populo* | *isr. lapidem, in quo possit offendi — et qui eo fidat* (non, eo offendatur) *eum spem non fellet* (i. e. neque Christo offendetur, neque felicitate messianâ excidet) v. 33. (ergo Israelitae, quoniam Christo non confisi sunt, innocentiam, quae beatitatem aeternam parat, non adepti sunt recteque dixi: Ἰσραηλῖται εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασαν, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως ἐδίωξαν αὐτόν· προςέκοψαν γὰρ (ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως νόμον δικαιοσύνης ἐδίωξαν) τῷ λίθῳ τοῦ προςκόμματος.). Sed γὰρ praetermittunt A. B. D.* F. G. 47.* Copt. It. Vulg. Ms. Ruf. (vulgo male additur Ambrosiaster: is enim γὰρ agnoscit). Placuit voculae omissio *Millio* Prol. §. 1286., *Griesbachio* et *Reichio*. Delevit γὰρ *Lachm.*. Quâ voce obliteratâ verba male sic explices: ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων προςέκοψαν τῷ λίθῳ τ. πρ. Israelitae ad legem, quae integritatem compararet, non pervenerunt propterea, *quod non per fidem*, sed per commentitia bene facta *ad lapidem offensionis offenderunt* (!). Nam ad lapidem offensionis impingere non solum ἐξ ἔργων non licet, sed prorsus non concessum est. Quid quod homo ad fidem inclinatus Christo non offendetur? Imo aut διώκοντες (s. ὄντες) post ἔργων mente addendum est (quâ de causâ? idcirco, quia non per fidem sed per pulcre videlicet facta ad metam contendentes [quoniam non fide imbuti, sed bene scilicet factis ducti] ad lapidem offensionis offenderunt), aut, quod mihi nunc simplicius videtur, cum Origene ad h. l. et *Lachmanno*, cujus interpunctionem (ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων προςέκοψαν κτλ.) non intel-

lexit dW., *νόμον δικαιοσύνης ἐδίωξαν* post *ἔργων* supplendum est, ita ut v. *ὅτι — ἐδίωξαν* protasin et vocc. *προσέκοψαν τῷ λίθῳ τ. πρ.* apodosin constituant (quoniam non — — persequuti sunt, ideo offenderunt). Cf. Ueber die Verdienste Tholuck's p. 77. sq.. Apostoli disputatio bene sane comparata est: *quâ de causâ Israelitae legem, quae innocentiam apportaret, non consequuti sunt? Quoniam non a fide; sed a pulcre videlicet factis profecti ad legem, quae innocentiam afferret, contenderunt, ideo ad lapidem offensionis offenderunt* (et retardati in viâ ad metam non pervenerunt, ad quam ut accedas non tibi ad offensionis lapidem offendendum est h. e. Christo repudiato innocentiam non assequuti sunt, quam ut adipiscaris fidem te Christo habere oportet) v. 32. *Hoc verum esse e libris div. cognoscitur, in quibus* haec leguntur: *ecce pono in populo isr. offensionis lapidem — et qui fiduciam in eo collocaverit* (non *ad eum offenderit*), *eum spes non frustrabitur* (i. e. neque Christo offendetur neque ad propositam integritatis aeternaeque felicitatis metam non accedet) v. 33. (Igitur Israelitae ad offensionis lapidem impegerunt metamque in cursu retardati non assequuti sunt propterea, quod non a fide, sed a bene videlicet factis profecti ad metam properarunt, recteque scripsi v. 32. *ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων* (*νόμον δικαιοσύνης ἐδίωξαν*), *προσέκοψαν τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος*). Mihi vulgata lectio melius placet, quam eorum, qui *γάρ* omittunt, scriptura. In illâ enim ad percontationem *διατί* (*οἱ Ἰσραηλῖται εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασαν*); plane respondetur et perspicue: *ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμον δικαιοσύνης ἐδίωξαν.*, in hâc *oblique* tantummodo et perplexe. Ponitur enim *τὸ προσκόπτειν τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος* pro impedimento cursus, quo feliciter absoluto ad exoptatam integritatis metam pervenias, in vulgus noto. Expunxerunt *γάρ* ii librarii, qui loci structurâ parum perceptâ *προσέκοψαν* verbum, quod ad vocc. *ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων* pertineret, esse putassent. V. 33. *καθὼς γέγραπται*] Testimonium Ap. e duobus Jesajae locis composuit 28, 16. et 8, 14., ita ut ex hoc nihil nisi lapidis appellationem *λίθον προσκόμματος καὶ πέτραν σκανδάλου* depromeret. Item Rabbinos librorum s. testimonia e locis parallelis contexere *Surenhusius* in *βίβλῳ καταλλαγῆς* p. 43. docuit. Jes. 28, 16. haec leguntur: הִנְנִי יִסַּד בְּצִיּוֹן אָבֶן אֶבֶן בֹּחַן פִּנַּת יִקְרַת מוּסָד מוּסָּד הַמַּאֲמִין לֹא יָחִישׁ: h. e. *en ego, fundavi in Sione* (an Zion h. e. eo quod *Sionem fundavi* Jes. 14, 32.) *lapidem, lapidem firmitatis probatae, angulum, decus firmae, fundationis; qui confisus fuerit* (scil. Jehovam Sionem, ut salva esset, tam firme fundasse v. Jes. 14, 32.)

fugam non capesset. Cf. Ven. *Hitzigium.* H. l. non de Messia agi patet. Multo minus Jes. 8, 14. de Messia exponitur, ubi propheta *Jehovam* לְאֶבֶן נֶגֶף וּלְצוּר מִכְשׁוֹל לִשְׁנֵי בָּתֵּי יִשְׂרָאֵל futurum esse portendat. Sed et hos locos, quibus de *lapide pretioso* et de *lapide offensionis* sermo est, et tertium l. Ps. 118, 22., ubi de *lapide repudiato* agitur (Act. 4, 11.), seriores Judaei *ad Messiam* rettulerunt (v. *Schoettgenii* Hor. hebr. et talm. II, 170. 290. 607. et *Gesen.* ad Jes. 28, 16. p. 842.). Cum his et Petrus fecit 1 ep. 2, 6.—8. et Paulus. Qui quoniam futurum esse, ut Israelitae *Christo offenderentur* Jesajam cecinisse ostendere voluit, Christum *λιθον πολυτελῆ, ἐκλεκτόν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον,* quibus v. Jes. 28, 16. LXX. celebratur, vocare non potuit, sed eum verbis e loco parallelo Jes. 8, 14. petitis *λίθον προσκόμματος* (אֶבֶן נֶגֶף) *καὶ πέτραν σκανδάλου* (צוּר מִכְשׁוֹל) appellandum esse vidit. Hoc recte fieri existimavit. Nam quia utroque l. *de Messia* agi putavit, Messiam non solum ut pretiosum lapidem, verum etiam ut lapidem offensionis in Sione ab Jehovah fundatum esse perspicuum esse censuit. Ceteroquin Ap. locum Jes. 28, 16. reddidit. Ibi enim salvum fore qui lapide ab Jehovah in Sione posito confisus fuerit perscriptum est, quod Paulus h. l. e V. T. docere voluit (v. not. ad v. 32.). Quae P. v. collocavit, hebraicis respondent his: הִנְנִי יִסַּד בְּצִיּוֹן אֶבֶן נֶגֶף וְצוּר מִכְשׁוֹל וְהַמַּאֲמִין בּוֹ לֹא יָחִישׁ: *ἰδού, — πέτραν σκανδάλου*] *ecce, pono in Sione lapidem offensionis et rupem offendiculi* h. e Paulo interprete *ecce, exoriri jubeo in populo israel.* (Joh. 4, 22.) *Messiam, in quo offendi et in quem impingi possit. καὶ — οὐ καταισχυνθήσεται*] *et* (i. e. *addo ante dictis haec*: male *Rueck. sed*) *qui eo lapide confisus fuerit* (i. e. qui Messiae *fidem* habuerit: nam *fides* cum *fiduciâ* conjuncta est, I, 216.: non Messia offensus fuerit), *eum spes non frustrabitur* (i. e. neque Christo offendetur neque integritatem, quae beatitatem mess. apportat, non consequetur). Vere igitur dixi: *Ἰσραηλῖται εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασαν, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως ἐδίωξαν αὐτόν· προσέκοψαν γὰρ* (ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως νόμον δικαιοσύνης ἐδίωξαν) *τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος.* Cf. not. ad v. 32.. *πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ*] *πᾶς* om. A. B. D. E. F. G. 47. Syr. Copt. It. Orig. Damasc. Aug. Ambrosiast. Ruf. Beda. Vocem delendam esse *Mill.* Prol. §. 1352., *Griesb.*, *Reich.* al. viderunt, quod fecit *Lachm.*. Irrepsit ex 10, 11.. Nempe 10, 11., ubi omnes libri eam agnoscunt, *necessaria* est, quum ibi P. v. 10, 4. *εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι* explanaturus *nemini non*, qui fidem habuerit, *sive Judaeus sit sive paganus*, innocentiam et salutem mess. dari doceat (10, 12. sq.). H.

l., ubi ab antiquissimis subsidiis abest, vox *inepta* est. Neque enim hoc P. dicere potest: et *nemo non*, qui Messia confisus fuerit, *sive Judaeus sit sive gentilis*, spe potietur. Quippe v. 32. et 33. hoc tantummodo explicat, qui factum sit, ut *Israelitae* ad legem, quae innocentiam afferret, non pervenerint (v. 31.), non simul rationem exponit, quae effecerit, ut *gentiles* innocentiam adipiscerentur v. 30. (v. supra). *ἐπ' αὐτῷ*] Sic LXX. Compl. | *ἐν αὐτῷ* AL. Ab LXX. *ἐπ' αὐτῷ* profectum esse ex Rom. 9, 33. 10, 11. et 1 Petr. 2, 8. satis certum est. *οὐ καταισχυνθήσεται*] LXX. *οὐ μὴ καταισχυνθῇ* cf. 1 Petr. 2, 6.. *Cappellus*, *Reich*. al. LXX. pro לֹא יָחִישׁ legisse credunt לֹא יֵבִישׁ, *Surenhusius* l. c. p. 475. לֹא יֵבוֹשׁ.. Contra *Pocockius* ad portam Mosis p. 10., *Gesen.* ad Jes. 28, 16. al. LXX. לֹא יָחִישׁ verbis *οὐ μὴ καταισχυνθῇ* reddidisse censent. Nam חוּשׁ, quemadmodum arabicum حاش Conj. VII. med. Waw, etiam *pudore suffundi* valuisse. Sic Syrum, quum ܠܐ ܢܡܝܕ verteret, *timendi* significatum amplexum esse, quem arab. حاش med. Je habeat. Mihi tum alexandrini interpretes, tum Syrus לֹא יָחִישׁ (*non in fugam se conjiciet*) *utcunque* reddidisse videntur. LXX. nimis generalem sententiam posuerunt: *bene cum eo agetur*, Syrus causam locavit pro effectu: *non formido eum occupabit*, *quae eum in fugam convertat*. Ceterum Pauli v. neque cum textu hebr., neque cum LXX. translatione congruere, quia Ap. Jes. 28, 16. 14, 8. *memoriter* citaverit (v. *Rueck.* et *Meyer.*), non concedo. Imo accuratissime eum utrumque l. expendisse textumque hebr. cum versione LXX. contulisse multa indicio sunt. Nam primum quidem summo consilio ex utroque l. testimonium contexuit, quod rem demonstrandam egregie ostenderet (v. supra). Deinde textum hebr. sequutus est, ubi translationem LXX. aut minus accuratam esse, aut verba continere a suo consilio aliena vidit. Igitur *ἰδού, τίθημι ἐν Σίων* (הִנְנִי יִסַּד בְּצִיּוֹן) dedit pro *ἰδού, ἐγὼ ἐμβάλλω εἰς τὰ θεμέλια Σιών* LXX. et *λίθον προςκόμματος καὶ πέτραν σκανδάλου* (אֶבֶן נֶגֶף וְצוּר מִכְשׁוֹל) pro *λίθου πρόςκομμα* et *πέτρας πτῶμα* LXX. Postremo LXX. translationem ab eo collatam esse e verbis *καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται* perspicuum est (LXX. *καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ*).

CAP. X.

ARGUMENTUM.

Faveo equidem Israelitis iisque messianam felicitatem a Deo precor (v. 1.). Sunt enim Dei studiosi, sed non ut veri perceptio et res postulat (v. 2.). Nam quum quam Deus poscit (i. e. *fide* parandam) integritatem ignorent suamque, quam sibi ipsi temere finxerunt (h. e. legis mos. obsequio parabilem), innocentiam stabiliant, factum est, ut ei quam *Deus* postulat Integritati (fide Christo negatâ) se non subjicerent (v. 3.). Scilicet finem Christus (Dei legatus) legi mosaicae eo consilio fecit, ut *nemini non*, *qui fidem haberet*, integritas daretur (v. 4.). Quod e Mosis libris cognosci potest. Nam quam lex mosaica innocentiam promittit, eam *faciendis* Dei praeceptis comparari Moses scribit Levit. 18, 5. (v. 5. itaque non posse *fide conspicuo* innocentiam dari nisi lege mosaicâ sublatâ Moses ipse subindicat: aliud est enim Dei praecepta *facere*, aliud ei, qui salutem paraverit, *credere*). Sed quae *e fide* nascitur integritas eam sic loquentem Moses inducit Deut. 30, 11.—14.: noli tecum cogitare: *nemo in coelum ascendet*, *nempe ut Christum in terram deducat*, *aut in orcum descendet*, *scil. ut Christum ex inferis ad superos ducat* h. e. nemo salutem parabit *faciendo et laborando*, sed quod salutem gignat praeceptum in promtu nobis esse h. e. *in ore nostro et animo* esse monet (v. 6.—8.). Quod praeceptum Moses haud dubie illud praeceptum dixit, quod de *fide* agens tum Judaeis tum gentilibus a me traditur (v. 8.). Primo enim cum Mosis verbis rei natura congruit, quandoquidem Moses vocabulis v. 8. „*in ore tuo et animo tuo*" *professionem* et *fidem* haud ambigue commendavit, utraque autem re *conjunctâ* sempiterna Salus paretur (v. 9. et 10.). Deinde Jesajas, a quo Mosen dissentire nemo facile dixerit, (28, 16.) *nemini non* qui fidem habeat summam felicitatem portendit, h. e. fide conspicuo ethnico non minus quam Judaeo (v. 11.). Neque enim in hâc re inter Judaeos et paganos discrimen servatur. Quippe unus idemque (Christus) omnium hominum dominus est, quem gentilibus non minus quam Judaeis prospicere oporteat, satis ille opulentus, qui *omnibus*, a quibus pie colatur, non solum Judaeis, verum etiam paganis opes (aeternam felicitatem) impertiat (v. 12.). Nam *quicunque*, ut in Joelis [3, 5.] oraculo legitur, *domini* (Christi) *nomen invocaverit*, non solum Judaeus, sed etiam ethnicus, *aeternam beatitatem consequetur* (v. 13.). Quum igitur ut sempiterno beeris Christi nomen tibi implorandum sit, neminem implorare aliquem posse, nisi magistri divinitus legati fuerint, qui implorandi majestatem exposuerint, elucet dixitque Jesajas 52, 7. (v. 14. et 15.). Sed non omnes gentiles evangelio a magistris divinitus missis paruerunt, quod eventurum esse Jesajas [53, 1.] hâc querimoniâ enuntiavit: *quotusquisque fidem adjecit nuntio a nobis allato!*

(v. 16.). Itaque fides e nuntio allato nascitur: nuntius autem ut perferatur Dei mandato effici scito (v. 17.). At objicio (quum ut nuntius feratur Dei mandatum faciat v. 17.): num gentiles non acceperunt Dei mandatu nuntium? Imo vero, id quod fata postularunt [Ps. 19, 5.], universus terrarum orbis doctorum christianorum voce personuit (v. 18.). At obtendo: num *Israelitae*, quibus res manifestanda fuerat, ignorarunt, doctorum christianorum verba in ultimas terrarum oras ad paganos penetratura esse? Primus Moses, ante quem nemo oracula literis consignavit, [Deut. 32, 21.] Deum salutem messianam gentilibus oblaturum esse dixit (v. 19.). Jesajas autem audaciam exprompsit hoc minime ambiguum Dei oraculum referendo: favore amplexus sum (np. quum messianam salutem iis • donarem) eos, • qui me non implorant (gentiles v. 20. Jes. 65, 1.). Contra in Israelitas Jesajas Dei verba referens haec dixit: per totum diem tetendi passas manus meas ad populum inobedientem et renitentem, ut eum sinu meo amplexuque reciperem (h. e. ut eum foverem et messianâ felicitate cumularem v. 21. cl. Jes. 65, 2.).

V. 1. *Ἀδελφοί, ἡ μὲν εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας*
καὶ ἡ δέησις ἡ πρὸς τὸν θεὸν ὑπὲρ αὐτῶν, εἰς σωτη-
ρίαν. 2. *Μαρτυρῶ γὰρ αὐτοῖς ὅτι ζῆλον θεοῦ ἔχου-*
σιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. 3. *Ἀγνοοῦντες γὰρ τὴν*
τοῦ θεοῦ δικαιοσύνην καὶ τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην ζη-
τοῦντες στῆσαι, τῇ Δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑπετά-
γησαν. 4. *Τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην*
παντὶ τῷ πιστεύοντι. 5. *Μωϋσῆς γὰρ γράφει τὴν δι-*
καιοσόνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄν-
θρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς. 6. *Ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δι-*
καιοσύνη οὕτω λέγει· μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ
σου· τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; τοῦτ'
ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν· 7. *ἢ τίς καταβήσεται*
εἰς τὴν ἄβυσσον; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν
ἀναγαγεῖν. 8. *Ἀλλὰ τί λέγει; ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά*
ἐστιν, ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρ-
δίᾳ σου, τοῦτ' ἔστι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσο-
μεν. 9. *Ὅτι ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου κύ-*
ριον Ἰησοῦν, καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου ὅτι ὁ
θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, σωθήσῃ· 10. *Καρδίᾳ*
γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖ-
ται εἰς σωτηρίαν. 11. *Λέγει γὰρ ἡ γραφή· πᾶς ὁ*
πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται
12. *Οὐ γάρ ἐστι διαστολὴ Ἰουδαίου τε καὶ Ἕλληνο*

ὁ γὰρ αὐτὸς κύριος πάντων, πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς
ἐπικαλουμένους αὐτόν. 13. Πᾶς γάρ, ὃς ἂν ἐπι-
καλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου, σωθήσεται.
14. Πῶς οὖν ἐπικαλέσονται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν;
πῶς δὲ πιστεύσουσιν οὗ οὐκ ἤκουσαν; πῶς δὲ ἀκούσουσι
χωρὶς κηρύσσοντος; 15. πῶς δὲ κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ
ἀποσταλῶσι; καθὼς γέγραπται· ὡς ὡραῖοι οἱ πό-
δες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, τῶν
εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά. 16. Ἀλλ᾽ οὐ πάν-
τες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ· Ἠσαΐας γὰρ λέγει· κύ-
ριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; 17. Ἄρα ἡ
πίστις ἐξ ἀκοῆς, ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ. 18. Ἀλ-
λὰ λέγω, μὴ οὐκ ἤκουσαν; μενοῦνγε εἰς πᾶσαν τὴν
γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν, καὶ εἰς τα
πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν.
19. Ἀλλὰ λέγω, μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω; πρῶτος Μωϋ-
σῆς λέγει· ἐγὼ παραζηλώσω ὑμᾶς ἐπ᾽ οὐκ
ἔθνει, ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς.
20. Ἠσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει· εὑρέθην τοῖς
ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν, ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς
ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσι. 21. Πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει·
ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου
πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα.

Suâ Israelitas culpâ felicitatem messianam non adeptos esse Ap. 9, 32. 33. dixerat. Quod ne maligno in Judaeos animo contendisse videretur, argumentis accurate firmavit c. 10.. Id quum faceret gravia crimina in Judaeos conferre debuit, unde non excusate eos peccasse intelligeretur (10, 2. 3. 16.—21.). Apte igitur priusquam hanc disputationem iniret, ne lectores se Judaeis iniquum esse crederent, summum suum Judaeorum studium ejusque causam candide professus est. 10, 1. 2. (v. not. ad 9, 2.).

V. 1. ἡ μὲν εὐδοκία τ. ἐ. κ.] i. e. *propensa animi mei voluntas* (*Beza*), *animi mei benevolentia* (*Grot.*, *Morus*, *Meyer*. al.), *Lutherus*, *Rueck.*, *Reich.*, *Olsh.* al. *animi mei votum s. desiderium* et *Chrys.*, *Theophyl.*, *Oec.*, *schol. Matth.* al. ἡ σφοδρὰ τῆς ἐμῆς καρδίας ἐπιθυμία exponunt contra usum loquendi.*) *Μέν solitarium* vim ac pondus

*) Substantivi ἡ εὐδοκία significatus constitui nequeunt, nisi verbi εὐδοκεῖν, ex quo Substantivum ἡ εὐδοκία formatum est (cf. εὐλογῶ

addit verbis *ἡ εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας καὶ ἡ δέησις ἡ πρὸς τὸν Θεόν* **oppositamque sententiam indicat, quam e Pauli**

εὐλογία, *μαρτυρῶ μαρτυρία* et Etym. M. 392, 56.), vis et ratio pervestigata fuerit. Verbo *εὐδοκεῖν* et vocibus derivatis ii tantummodo scriptores usi sunt, qui post Alexandri M. tempora vixerunt, ut Polybius, Diodorus Siculus, Dionysius Halicarnassensis (cf. *Sturzii* librum de dial. maced. et alex. p. 168.). Frequentarunt *εὐδοκεῖν* LXX. et N. T. scriptores ita ut nonnulla in structurâ, nihil in significatu novarent. Recte Etym. M. 390, 5. *εὐδοκῶ παρὰ τὸ εὖ μόριον καὶ τὸ δοκῶ.* Discesserunt enim seriores Graeci in hujus verbi formatione a celeberrimâ *Scaligeri* regulâ, quam ad Phrynichum p. 266. ed *Lobeck.* his v. complexus est: „Nemo Hellenismi paullo peritior concedet, *εὐαγγέλλω* graecum esse. Nam *τὸ εὖ καὶ τὰ στερητικὰ μόρια* non componuntur cum verbis, sed cum nominibus. Itaque *εὐάγγελος* recte dicitur, unde verbum *εὐαγγελέω*, non *εὐαγγέλλω*, quod est absurdissimum." Item in paucis aliis verbis Graeci regulae a *Scaligero* conditae non paruerunt, cf. *δυςθνήσκω* Eurip. El. 843.. *Passovius Scaligeri* regulae nunquam non obsequendum ratus *εὐδοκεῖν* ab *ὁ δόκος*, vocabulo poëtico, quod i. q. *ἡ δόκησις* notat, male derivavit. Nam praeterquam quod *εὔδοκος*, unde *Passovium* sequutus *εὐδοκεῖν* ducere debeas, commentitia vox est, verbi *εὐδοκεῖν* vim et usum e ratione, quâ Graeci verbo simplici *δοκεῖν* usi sunt, fluxisse elucet. Dixerunt optimi scriptores *δοκῶ (μοι) τοῦτο ποιήσειν (ποιεῖν) videor mihi, placeo mihi aliquid facere*, ut esset *videtur mihi, placet mihi aliquid facere.* Aristoph. Ran. 188. *ποῖ σχήσειν δοκεῖς;* Xen. Cyr. 8, 7, 4. *ὁ μὲν δὴ ταῦτα ποιήσας καὶ οἴκαδε ἀπελθὼν ἔδοξεν ἀναπαύσεσθαι καὶ κατεκλίθη.* Lucian. Nero c. 9. — *ἐδόκει Νέρων τραγῳδοὺς νικᾶν.* v. *Heindorfium* ad Plat. Phaedrum c. 10. p. 230. E., *Schaeferum* ad Dionys. Hal. de compos. verb. p. 55. et *Wetst.* ad Act. 26, 9.. Pro eo seriores Graeci dixerunt *εὐδοκῶ τοῦτο ποιεῖν satis mihi videor, bene mihi placeo aliquid facere*, h. e. *satis mihi videtur, placet aliquid facere* ut simplicem *voluntatem* (*volo*, placet mihi aliquid facere) enuntiarent. Polyb. 18, 35, 4. *οὐ γὰρ ἐπὶ Ῥωμαίων, ἀλλ' ἐπὶ Ῥοδίων ὑμῖν εὐδοκῶ* (volo) *διακριθῆναι περὶ τῶν ἀντιλεγομένων.* 1, 8, 4. — *ὥστε τοὺς Συρακουσίους — τότε πάντας ὁμοθυμαδὸν εὐδοκῆσαι στρατηγὸν αὐτῶν ὑπάρχειν Ἱέρωνα.* 7, 4, 5. (Alexandrini etiam struunt *εὐδοκῶ τοῦ ποιεῖν τι* 1 Macc. 14, 41. — *οἱ ἱερεῖς εὐδόκησαν τοῦ εἶναι αὐτῶν Σίμωνα ἡγούμενον καὶ ἀρχιερέα* —) Malalas Chronogr. l. 18. 240. (493.) *τοῦ Θεοῦ οὕτως εὐδοκήσαντος quum ita Deo placuisset.* 1 Macc. 6, 23. *ἡμεῖς εὐδοκοῦμεν δουλεύειν τῷ πατρί σου* —. Sirac. 25, 16. *συνοικῆσαι λέοντι καὶ δράκοντι εὐδοκήσω* (maluerim), *ἢ συνοικῆσαι μετὰ γυναικὸς πονηρᾶς.* Dionys. Hal. A. R. 2, 38. *εὐδοκοῦντος — τοῦ Τατίου. quum* Tatius vellet neque conditionem aspernaretur (1 Macc. 11, 29.) Luc. 12, 32. 1 Cor. 1, 21. 2 Cor. 5, 8. Gal. 1, 15. Col. 1, 19. Nonnunquam verbo *εὐδοκεῖν propensae* voluntatis notio inclusa est, *lubenter* velle 1 Thess. 2, 8.. Deinde Graeci dixerunt *εὐδοκῶ τινι* et *ἐπί τινι placeo mihi propter rem aut personam* hoc sensu: *contentus sum re, probo rem, delector re aut persona, bene alicui cupio.* Polyb. 22, 13, 6. *ἔδει δὲ τούτοις πρῶτον μὲν εὐδοκῆσαι τοὺς Αἰτωλοὺς* — (— his pacis conditionibus contentos esse i. q. §. 8. *συγκατατίθεσθαι* cf. Suid.: *εὐδοκεῖν, συγκατατίθεσθαι*). Adde 2, 49, 3. 36, 1, 2. Diod. Sic. 11, 47. — *Rem probare, rei assentiri* formula valet Polyb. 8, 8, 7. *οὐδένα*

vocibus 9, 32. 10, 3. et ex ipsâ re facile cognoscas, *propensa quidem animi mei voluntas et quas ad*

γὰρ εὐδοκεῖν τῶν ἀξιολόγων ἀνδρῶν ἐν Καρχηδόνι τοῖς ὑπ' Ἀννίβου περὶ τὴν Ζακανθαίων πόλιν πραχθεῖσι. 4, 22, 7. — *μὴ λίαν δὲ τοῖς γιγνομένοις εὐδοκεῖν.* cf. §. 9. *δυςαρεστεῖν τοῖς γιγνομένοις.* Hinc *συνευδοκεῖν τινι* Act. 8, 1. *simul rem probare* declarat. — *Re aut personâ delectari, homini favere* loquutio valet Polyb. 8, 14, 8. *ὥστ', εἴπερ καὶ περὶ τοὺς ἀποιχομένους ἔστι τις αἴσθησις, εἰκὸς, εὐδοκεῖν αὐτὸν καὶ τῇ τῶν Ἀχαιῶν εὐχαριστίᾳ καὶ ταῖς ἐν τῷ ζῆν κακοπραγίαις καὶ κινδύνοις.* 22, 6, 8. 1 Macc. 1, 43. (raro sic *εὐδοκεῖν* cum Participio jungitur Polyb. 2, 38, 4. *εὐδοκοῦσιν — μετειληφότες*). Did. Sic. 17, 47. *τὸ μὲν οὖν πρῶτον οὗτος εὐδοκήσας* (quum faveret, bene cuperet) *τῷ ξένῳ, παρ' ᾧ τὴν ἐπισταθμίαν ἐπεποίητο, κεχαρισμένως τοῦτον ἐπεβάλετο κύριον ἀναγορεῦσαι τῆς πόλεως.* Nihil insoliti in loquutione est Judith. 15, 10. *καὶ εὐδοκήσαι ἐπ' αὐτοῖς ὁ θεός.* et delectetur rebus quas fecisti Deus, Deo tua facta placeant. Cf. Polyb. 1, 8, 4. — *τοὺς Συρακουσίους, καίπερ οὐδαμῶς εὐδοκουμένους ἐπὶ ταῖς τῶν στρατιωτῶν ἀρχαιρεσίαις* —. Sed structuram *εὐδοκῶ ἔν τινι placeo mihi in re aut personâ* (ich gefalle mir in jemand, etwas), *re aut personâ delector* alexandrini scriptores pepererunt (cf. *χαίρειν ἔν τινι* Luc. 10, 20. et *θέλειν ἔν τινι* LXX. 1 Reg. 18, 22.) 1 Macc. 10, 47. *καὶ εὐδόκησαν ἐν Ἀλεξάνδρῳ* —. Matth. 3, 17. 1 Cor. 10, 5. 2 Cor. 12, 10. 2 Thess. 2, 12. LXX. Ps. 43, 4. 2 Reg. 22, 20.. Erravit *Winerus* gr. p. 208., quum, ut eandem constructionem classicos scriptores iniisse ostenderet, ad Polybii locum a *Raphelio* (Annotat. philol. in N. T. ex Polybio et Arriano collectae p. 35.) recte intellectum provocaret, 2, 12, 2. *Ὑπὸ δὲ τὴν ἐαρινὴν ὥραν ἡ Τεῦτα διαπρεσβευσαμένη πρὸς τοὺς Ῥωμαίους ποιεῖται συνθήκας, ἐν αἷς εὐδόκησε φόρους τε τοὺς διαταχθέντας οἴσειν πάσης τε ἀναχωρήσειν τῆς Ἰλλυρίδος* —. (— pacta fecit, in quibus et tributa pendere ei placuit et —). Praeterea Alexandrini et *εὐδοκῶ τι* (cf. *θέλειν τι* et *τινά* Hebr. 10, 5. Matth. 27, 43.) *lubenter aliquid velle, voluptatem ex aliquâ re percipere* (LXX. Ps. 67, 17. *τὸ ὄρος ὃ εὐδόκησεν* [חָמַד] *ὁ θεός, κατοικεῖν ἐν αὐτῷ.* 50, 20. *τότε εὐδοκήσεις θυσίαν δικαιοσύνης* —. Hebr. 10, 6. 8.) et *εὐδοκειν εἴς τινα* Matth. 12, 18. 2 Petr. 1, 17. *voluntate in aliquem propendere, aliquo delectari* primi dixerunt. Passivum *εὐδοκεῖσθαι* identidem Polybius habet: *εὐδοκεῖσθαι ἐπί τινι re contentum reddi, esse*, 1, 8, 4. 3, 31, 6. 27, 3, 5. et *πρᾶγμα εὐδοκούμενόν τινι res quâ aliquis contentus sit, quae alicui grata, accepta sit, placeat* 1, 6, 3. 88, 4. 5, 55, 10. 2, 49, 9. 1, 71, 3. (cf. *εὐδόκητος gratus* Diog. Laert. 2, 87.). In V. T. semel haec constructio invenitur 1 Par. 29, 23. *καὶ ἐκάθισε Σαλωμὼν ἐπὶ θρόνου Δαυΐδ — καὶ εὐδοκήθη* (et contentus fuit, gavisus est.). Postremo quum antiquiores Graeci *ταῦτά μοι εὖ δοκεῖ* dixissent, posteriores quae illi distraxissent vocabula contraxerunt ut *εὐδοκεῖ μοι ταῦτα* dicerent, qui abusus Etymologi *εὐδοκεῖν* ab *εὖ* et *δοκεῖν* derivantis sententiam corroborat. Polyb. 20, 5, 10. *Τοῖς μὲν οὖν ἄλλοις Βοιωτοῖς ἤρεσκε τοῦτο πράξας, τοῖς δὲ Θηβαίοις οὐχ ὅλως εὐδόκει τὸ γεγονός.* *Schaeferus* has sordes Philippo Demosth p. 159, 16. Reisk. *καὶ ταῦτα τῷ δήμῳ εὖ δοκοῦντα ἐποίησε* tribuendas censuit, quum I, 674. *εὐδοκοῦντα* conjiceret. Restat, ut de Substantivo *ἡ εὐδοκία* disputetur. Quod primo *voluntatem* significat (cf. *εὐδοκῶ*

Deum fundo preces Judaeis favent, ut messiana salus iis detur (at Judaei sibi ipsi desunt s. nocent: non recte *Rueck.*: at aliud consilium Deus iniit: talem enim sententiam l. 9,6.—29. et 11,11. sq. recipiunt, noster l. 9,32.—10, 21. non admittit.). Cf. not. ad 7, 12. et *Kuehneri* Ausf. Gr. II, 430. (§. 734. 2.). Male *Beng.*: „Hanc particulam (*μέν*) solet *δέ* sequi: sed *δέ* v. 2. absorbetur in *ἀλλά*, sed.“ Vocc. v. 2. *ἀλλ᾽ οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν* limitibus circumscribunt Judaeorum laudem his v. comprehensam: *μαρτυρῶ γὰρ αὐτοῖς, ὅτι ζῆλον θεοῦ ἔχουσιν.* Nullum igitur illis cum v. 1. commercium est. Neque sententiam v. 1. suppressam versu 3. enuntiari verum est. Nam versu 3. ultima vs. 2. v. muniuntur. *Ἡ προςευχή* et *ἡ δέησις* differunt ut *precatio* et *rogatio*. *Προςεύχεσθαι* et *ἡ προςευχή* verba *sacra* sunt (v. *Harless.* ad Eph. 6, 18.): precamur enim *Deum* [Deos];

---

volo) Matth. 11, 26. Luc. 10, 21. (v. *Fischerum* D. V. L N. T. p. 328. sq.). Potest hûc referri Eph. 1, 5. (*κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ* cf. v. 11. *κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος αὐτοῦ*) 9., sed *τὴν εὐδοκίαν* ibi *benevolentiam* denotare verisimilius est. Sirac. 32 [35], 18. *εὐδοκία κυρίου ἀποστῆναι ἀπὸ πονηρίας* —. 1, 27. — *ἡ εὐδοκία αὐτοῦ* (quod Deo placet est) *πίστις καὶ πραΰτης*. Deinde *ἡ εὐδοκία animum suâ sorte contentum*, die Zufriedenheit, notat (cf. *εὐδοκεῖν τινι* et *ἐπί τινι re contentum esse*) Sirac. 29, 23. *ἐπὶ μικρῷ καὶ μεγάλῳ εὐδοκίαν ἔχε*. Tum *delectationem*, *laetitiam*, *dulcedinem*, Wohlbehagen, Lust, Wonne et bono sensu et malo *ἡ εὐδοκία* declarat (cf. *εὐδοκεῖν τινι* et *ἔν τινι re delectari*). Luc. 2, 14. *ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία* in genere humano (Messia nato) voluptas est et laetitia. 2 Thess. 1, 11. *εἰς ὃ καὶ προςευχόμεθα πάντοτε περὶ ὑμῶν, ἵνα — — πληρώσῃ (ὁ θεὸς ἡμῶν) πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης καὶ ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει* (— ut expleat omnem dulcedinem honestatis h. e. ut plenam et perfectam, quâ recreemini, honestatem vobis impertiat). Ps. 144 [145], 16. LXX. *ἐμπιπλᾷς πᾶν ζῶον εὐδοκίας*. Sirac. 18, 31. *ἐὰν χορηγήσῃς τῇ ψυχῇ σου εὐδοκίαν ἐπιθυμίας* (cupiditatis dulcedinem, voluptatem), *ποιήσει σε ἐπίχαρμα τῶν ἐχθρῶν σου.* Sir. 9, 11. *μὴ εὐδοκήσῃς ἐν εὐδοκίᾳ ἀσεβῶν* (*impiorum voluptate*, nisi forte *εὐδοκία ἀσεβῶν quod impiis placet* significat.). Sed saepissime *ἡ εὐδοκία* in libris s. *propensam animi voluntatem*, *benevolentiam* designat (cf. *εὐδοκεῖν τινι*, *ἔν τινι*, et *εἴς τινα alicui bene cupio*). Ps. 50, 20. LXX. *ἀγάθυνον, κύριε, ἐν τῇ εὐδοκίᾳ σου τὴν Σιών.* Sirac. 35 (32), 16. *θεραπεύων ἐν εὐδοκίᾳ* (benigne) *δεχθήσεται.* Sirac. 2, 16. *οἱ φοβούμενοι κύριον ζητήσουσιν εὐδοκίαν αὐτοῦ.* Sirac. 11, 17. *δόσις κυρίου παραμένει ἀσεβέσι καὶ ἡ εὐδοκία αὐτοῦ* (Dei in pios homines versa benevolentia) *εἰς τὸν αἰῶνα εὐοδωθήσεται.* Phil. 1, 15. *δι᾽ εὐδοκίαν* (benevolentiâ adducti: opponitur enim *διὰ φθόνον καὶ ἔριν*: cf. etiam v. 17. *οἱ μὲν ἐξ ἀγάπης* —.) 2, 13. *ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας* (ut suam benevolentiam tueatur). Eph. 1, 5. 9. Rom. 10, 1. *Desiderium*, *τὴν ἐπιθυμίαν et τὴν σφοδρὰν ἐπιθυμίαν* Substantivum *ἡ εὐδοκία* denotare nequit propterea, quod verbum *εὐδοκεῖν desiderare*, *concupiscere*, *valde concupiscere* non significat.

δεῖσθαι, *τὸ δέημα* (Aristoph. Acharn. 1059.) et *ἡ δέησις* tum in sacrâ tum in profanâ re usurpantur. Nam et Deum [Deos] rogare possumus et homines. Sed *ἡ δέησις* Deo proposita nisi precatio, quâ Deum aliquod beneficium *roges*, esse nequit 2 Cor. 1, 11. Eph. 6, 18. sq.. *ἡ δέησις ἡ πρὸς τ. θ.*] scil. *ποιουμένη* (1 Tim. 2, 1.) *quae a me ad Deum mittuntur preces*. *ἡ δέησις πρὸς τὸν θεόν* omisso articulo praebent A. B. D. E. F. G. 47. Cyr.. Quam lectionem *Griesbachio* probatam suscepit *Lachm.*, *Reichio* et *Meyero* plaudentibus, qui correctores articulum temere addidisse putant. Imo per festinationem a nonnullis malè neglectus est. Credibile est enim, Paulum vocem *ἡ δέησις* verbis *ἡ πρὸς τὸν θεόν* accuratius constituisse, sicut vocem *ἡ εὐδοκία* verbis *τῆς ἐμῆς καρδίας* illustravit. Praeterea quemadmodum recte dicitur *ἡ δέησις πρὸς τὸν θεόν ἐστιν*, ita male comparata loquutio est *ἡ εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας πρὸς τὸν θεόν ἐστιν*. *ὑπὲρ τοῦ Ἰσραήλ*] *ὑπὲρ αὐτῶν* A. B. D. E. F. G. 71. Syr. It. Vulg. et multi alii, quod *Mill.* Prol. §. 882. et *Beng.* recte probarunt, in ordinem receperunt *Griesb.*, *Knapp.*, *Lachm.* al.. Est enim *τοῦ Ἰσραήλ* apertum glossema, e lectionariis, ut videtur, ortum. Nam lectio ecclesiastica hoc vs. incipit, quae versu 10. finitur. Et firmatur *αὐτῶν* verbo *προςέκοψαν* 9, 32.. *Ἐστίν*, vocem *supplendam*, sed quam librarii temere adjecerunt, recte expunxit *Griesb.* et *Lachm.*. Ab A. B. D. E. F. G. Syr. It. aliisque non agnoscitur augetque suspicionem Vulgati et Patrum lat. *fit* (*γίνεται*), haud dubium librariorum additamentum, quum verbis *ἡ εὐδοκία τῆς ἐμῆς καρδίας* non respondeat. *Ὑπέρ τινός ἐστιν* quod aliquem defendit, tuetur, adjuvat, alicui fävet, conducit, prodest (v. 8, 31. Demosth. de male gestâ leg. 341, 9. *Reisk.*, pro coronâ 305, 20.). Ultima v. *εἰς σωτηρίαν* (11, 26.) loquutionem *ὑπὲρ αὐτῶν* sc. *ἐστιν* exponunt (i. q. *σωτήριός ἐστιν αὐτοῖς*). Qui mihi fratrum loco estis, propensa quidem animi mei voluntas et rogatio, quâ ad Deum precor, pro Israelitis est, h. e. in (eorum) salutem versa est, salutem (iis) exoptat (at Israelitae ipsi se oppugnant).

V. 2. Causa voluntatis, quâ adductus Ap. in Israelitas propendet v. 1., haec est, quod Dei studio tenentur, quo ardentem rectissime diligas: sed eorum studium verae rationis cognitione destitutum esse negari nequit. *μαρτυρῶ αὐτοῖς, ὅτι*] Male *Chr. Fr. Schmid.*, *Koppius* al. *laudo eos, quod* —. Nam Luc. 4, 22. Joh. 3, 26. *μαρτυρεῖν τινι alicui* ***honorificum*** *testimonium dare* significat, in cujus l. qui *aliquem laudare* substituat, is sensum cum significatu confundat. Formula quidem *μαρτυρεῖν τινι ὅτι* — nihil nisi

alicui testimonium impertire, rem alicujusmodi esse declarat, quamquam res, quae testimonio comprobatur, plerumque laude digna et honorifica est Gal. 4, 15. Col. 4, 13.. *ζῆλον θεοῦ*] *studium Dei* h. e. quo Deum colunt et complectuntur. Cf. Joh. 2, 17. 1 Macc. 2, 58. *ζῆλος νόμου*. Act. 22, 13. Gal. 1, 14.. *Schoettg.* aliique (v. *Wolf.*) *ζῆλον θεοῦ* ex hebraismo, quem commentitium esse nunc nemo ignorat (v. *Wineri* gr. p. 225.), *magnum studium* explicuerunt. Postulat contexta oratio, ut P. h. l. et esse Israelitis *Dei* studium testetur (cf. v. 1.), et deesse ei verae rationis intelligentiam moneat (cf. v. 3.). *ἀλλ᾽ οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν*] scil. *ζῆλον θεοῦ ἔχουσιν sed non secundum veri cognitionem, pro veri perceptione* (h. e. ut veri perceptio poscit, *non sapienter, intelligenter*) *Dei studio tenentur*. Cf. Act. 3, 17. — *οἶδα, ὅτι κατὰ ἄγνοιαν ἐπράξατε*. 1 Petr. 3, 7. — *συνοικοῦντες κατὰ γνῶσιν — σκεύει τῷ γυναικείῳ —*. Polyb. 7, 4, 5. — *ὃν μόνον κατὰ προαίρεσιν καὶ κατ᾽ εὔνοιαν Σικελιῶται πάντες εὐδόκησαν σφῶν αὐτῶν ἡγεμόνα εἶναι —*. et *Ellendt.* ad Arriani Exp. Al. 2, 15, 8. — *αὐτῶν Σιδωνίων ἐπικαλεσαμένων κατὰ ἔχθος τὸ Περσῶν καὶ Δαρείου.**) Israelitarum studio, quo erga Deum flagrent, veri perceptionem eatenus deesse, quatenus, quum Dei voluntatem ignorent et suum commentum stabilire obstinate studeant, Deo non paruerint, Ap. v. 3. perspicue dicit. Saepe Israelitas inconsiderato Dei studio ductos esse, quum divina praecepta et instituta tum literis a Mose consignata tum ore propagata acerrime tuerentur, sexcenties mori mallent,

---

*) Non recte *Winerus* gr. p. 381. Hebr. 11, 13. *Κατὰ πίστιν ἀπέθανον οὗτοι πάντες, μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀλλὰ πόῤῥωθεν αὐτὰς ἰδόντες καὶ ἀσπασάμενοι, καὶ ὁμολογήσαντες ὅτι ξένοι καὶ παρεπίδημοί εἰσιν ἐπὶ τῆς γῆς*. sic exposuit: *τῇ πίστει* (*τῆς πίστεως naturae*) *consentaneum erat, ut morerentur promissis non acceptis*. Inepta enim haec sententia est, quandoquidem *ut promissa eventu rata futura esse speret τῆς πίστεως* natura exigit. Nam est *ἐλπιζομένων ὑπόστασις* Hebr. 11, 1.. Tu explica: *pro piâ fiduciâ* (h. e. *ut pia fiducia poscit*) *hi omnes mortui sunt, quum promissa non accepissent, sed eminus ea vidissent et consalutassent et hospites se ac peregrinos in his terris esse confessi essent* h. e. ut pia fiducia postulat hi omnes mortui sunt, quum, quamvis promissa non accepissent, tamen (non vana ea putassent aut spem deposuissent, sed) ut in longinquo posita animo ea vidissent et consalutassent, se hospites ac peregrinos in his terris esse fassi (ut iis minime mirum videretur, quod per *breve vitae in his terris transactae tempus* sua Deus promissa non implevisset). Itaque *τὸ κατὰ πίστιν ἀποθανεῖν* in eo cernebatur, quod quamquam illi homines promissa non acceperant tamen instante morte non ea inania esse crediderunt, sed, spe in tempus post mortem dilatâ, in hâc quidem vitâ constitutis promissa non speranda esse pro piâ suâ fiduciâ confessi sunt.

quam ut sacrae suae disciplinae elementum sprevisse viderentur, aliarum nationum caerimonias contemnerent et detestarentur eosque homines vexarent, quos a Mosis disciplinâ defecisse credidissent, verum sane est (v. Joseph. c. Ap. 2, 20. B. J. 2, 9, 3. Philo De virtutibus II, 562. et 577. *Mang.* Act. 21, 20. sq. 22, 3. Gal. 1, 13. sq. Phil. 3, 6. cl. *Carpz.* ad h. l.), sed nostrum l. minime illustrat, ubi Israelitarum in Deum verso studio veri intelligentiam eo defuisse, quod quum Dei voluntatem satis perspicue in literis s. declaratam (4, 1. 3. 6. 9, 33. 10, 6. 11. al.) ignorassent, suum commentum pertinaciter tueri, quam Deo obtemperare maluissent, verbis non ambiguis Ap. affirmet v. 3.. Discimus ex hoc P. l., „quo nos bonae nostrae intentiones abripiant," si iis obsecundemus parumque idoneam excusationem esse, ubi is qui redarguatur obtendat se non malo animo fecisse (*Calvin.*). Mens nostra tenebris oppleta est et conscientia errori obnoxia (14, 1. sq.). Turpia honesta nobis videntur, falsa vera neque ab incertis rebus assensionem semper cohibemus. Nostrum est igitur nullâ praejudicatâ opinione ductos, sed summo veri, quo nihil divinius est, studio incensos istam caliginem a mentibus animisque nostris depellere ratione, meditatione, consilio. Caecus et improvidus quo res divinas complectaris impetus furor rectius quam ardor appellatur magisque et tibi et aliis exitiabilis est, quam Dei negligentia rerumque div. incuria, quam et ipsam in vitio esse pii homines fatentur.

V. 3. Muniuntur v. v. 2. ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν h. m.: Israelitae non, ut veri perceptio poscit, Deum studio complectuntur (v. 2.). Nam quum quae Deo satisfacit integritatem ignorent et commentitiam suam (quae probe factis paretur) integritatem stabilire conentur, Integritati, quam Deus postulat, non paruerunt (v. 3.). Oportet Dei *studiosum*, qui *verum* cognoverit, facere quae *Deus* fieri voluerit. At Judaei, quia Dei voluntatem *ignorant* falsamque et *commentitiam* rem tueri conantur, Deo *non obtemperarunt*. Non igitur horum hominum, qui in gravissimae rei ignoratione versantes Deum reapse oppugnent, pro quo propugnare sibi temere videantur, studium veri cognitione nititur. — ἀγνοοῦντες] h. e. *quum ignorent*, non *quum non recte interpretentur*, weil sie verkennen (*Rosenm.*, *Reich.*, *dW.* al.). Nam I. Paulo, ut v. v. 2. ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν firmet, *praeterisse* Judaeos τὴν τοῦ θεοῦ δικαιοσύνην dicendum est. Deinde II. Judaei Deum integritatem, quae *fide* compararetur, postulare sane nesciverunt, qui quoniam Deo τὴν ἐξ ἔργων δικαιοσύνην etiamnum placere opinati essent Christo fidem adjungere noluissent (9, 32. 33.). Paulum,

quia Judaeorum peccatum lenissime interpretari voluisset, eorum ignorantiam, quam malam voluntatem accusare maluisse (*Oec.*, *Rueck.*, *Reich.*), non concedendum esse. Nam Judaeorum inscitiam hîc Paulo commemorandam fuisse modo vidimus. Judaeorum ignorantiam Paulum simpliciter memorare, neque utrum probrosa iis sit, an non turpis disputare *Meyero* non largior. Nam gravissimae rei, quae tot V. T. locis a Deo declarata sit (4, 1. sq. 9, 33. 10, 6. sq.), ignorantiam hominibus Mosis disciplinâ eruditis (2, 17. sq.) turpem esse patet neque Pauli affirmatione opus erat. De v. ἡ τοῦ θεοῦ δικαιοσύνη et ἡ ἰδία (τῶν Ἰουδαίων) δικαιοσύνη cf. not. ad 1, 17.. τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην] δικαιοσύνην, quod voc. ab A. B. D. gr. E. 47. Clem. Cyr. Bas. Germ. Vulg. al. abest, *Griesbachius* damnavit, *Lachm.* sustulit. Male. Nam P. haud dubie vocem posuit, quo nervosior fieret oratio magisque oppositio (τὴν τοῦ θεοῦ δικαιοσύνην — τὴν ἰδίαν δικαιοσύνην — τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ) exstaret (v. 5. 6. Phil. 3, 9.), neglexerunt librarii ut superfluam (v. *Mill.* Prol. §. 629. et *Matthaeum* ed. min.). Omisisse librarios δικαιοσύνην, ut soni insuavitatem tollerent (*Reich.*, *dW.*), negabit cui quantum qui N. T. descripserunt aurium fastidio tribuerint compertum sit. ζητοῦντες στῆσαι] *quum stabilire* (3, 31. Hebr. 10, 9. 1 Macc. 2, 27.) *studeant*. Saepe ζητεῖν in libris s. cum Infinitivo jungitur (cf. v. c. Genes. 43, 29. Exod. 2, 15. 4, 24. 1 Reg. 19, 2. 10. 3 Reg. 11, 40. 1 Macc. 6, 3. Luc. 6, 19.), sed non minus ceteri Graeci hanc structuram frequentarunt (cf. v. c. Aesch. Prom. 776. Eur. Phoen. 566. Androm. 230. Bacch. 52. Hel. 156. 955. Hec. 993. Herc. f. 143. Heracl. 128. Demosth. de m. gestâ leg. p. 384, 1. et Thom. Mag. p. 161. *Bern.*). Fallitur *Bornemannus* schol. in Lucae Ev. p. 40.. τῇ δικαιοσύνῃ τοῦ θεοῦ οὐχ ὑπετάγησαν] *Integritati, quam Deus postulat, se non subjecerunt* (v. Präliminarien u. s. w. p. 50.). Persona inducitur ἡ Δικαιοσύνη τ. θ., quemadmodum v. 5. ἡ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη, ubi v. not.. *Integritati*, quae Deo probatur, *fidem poscenti* obtemperat qui Deo obsequens *fidem* habet, quâ integritatem comparet. Ὑπετάγησαν Aoristus eum non offendet, qui nationem jud. fide Christo negatâ Deo tum temporis parere *noluisse* meminerit 9, 31. 10, 16.. Quae *Tholuccius* de v. ὑποτάσσεσθαι et aram. v. קבל ad h. l. dixit, absurda esse docui, quum viri de sacrorum librorum interpretatione merita celebrarem (Ueber die Verdienste Tholuck's um die Schrifterklärung p. 23.).

Vs. 4.—11. docte explicuit h. *Knappius* (v. ejus Scripta var. arg. II, p. 543. sq. ed. 2.). V. 4. Corroboratur v. 3. h. m.: Judaeos quum quam opinionis errore sibi

finxissent innocentiam, legis mos. obsequio parabilem, stabilire vellent Integritati (fide parandae), quam Deus postulat (fide Christo negatâ), se non subjecisse (v. 3.) ex eo apparet; quod Christus, Dei legatus, eo consilio legi mos. finem fecit, ut nemini non, qui fidem haberet, integritas daretur (v. 4.). Hinc Judaeos, postquam Christus ad homines venisset, ut quod Integritas Deo probata juberet facerent, *fidem* habere oportuisse quivis intelligit. At legem mos. saluti sibi futuram esse temere opinati Christo fidem adjungere noluerunt. *τέλος γὰρ νόμου Χρ.*] *finis est enim mos. disciplinae Christus* h. e. *nam finem Mosis lex in Christo habuit, nam finem ei Christus imposuit* (*τέλος γὰρ νόμῳ Χριστὸς ἐπέθηκεν*), *antiquavit enim Christus legem mos.*, unde Judaeos falli patet, qui tanquam etiamnum valeret ab eâ se regi patiuntur. Scilicet sententiae pondus *τέλος* continet, vox primo l. posita. (Cf. Demosth. c. Eubuliden 1306, 25. *Reisk.* *καίτοι πᾶσίν ἐστιν ἀνθρώποις τέλος* [pro coronâ 258, 19. *πέρας*] *τοῦ βίου θάνατος.* Marc. 1, 1. 4.) Sic recte hunc l. nuper ceperunt *Rosenm.*, *Kopp.*, *Flatt.*, *Schleusn.*, *Morus*, *Wahl.*, *Rueck.*, *Reich.*, *Koelln.*. *Meyerus*, *dW.* et alii. Nam primo quidem Christum legem mos. sustulisse P. multis locis docet (Rom. 7, 1. sq. Gal. 3, 13. sq. 4, 4. sq. 5, 1. sq. Eph. 2, 14. sq. Col. 2, 14.). Errarunt autem qui forensia tantummodo et quibus caerimoniae constitutae sunt Mosis praecepta a Christo sublata, sed morales quas ille condidit regulas retentas esse putarunt. Est enim Paulo *νόμος totum legum mos. corpus* censetque apud homines christ. honestatis studiosissimam (1, 46.) fidem eam vim habere, quâ apud Judaeos Mosis lex polleat. Hi enim se observandâ Mosis lege integritatem consequi credunt, illos innocentes reddit fides Gal. 5, 4. 5.. Morum praeceptis homines christ non minus obstricti sunt, quam Judaei, hi quidem quoniam ea *Moses* Dei mandatu dedit, illi propterea quod *Christi* lege continentur Gal. 6, 2. aut quod *Christus* ea Dei jussu sanxit. Deinde explicationem nobis probatam contexta oratio poscit. Ut sententia vs. 3. stabiliatur abrogatam esse Dei mandatu legem mos. ut quicunque fidem haberet integritatem adipisceretur Paulo hîc affirmandum est (v. supra). Accedit, quod P. hanc sententiam: *a Christo tollendam fuisse Mosis legem, ut quicunque fidem animo concepisset integritatem consequeretur* (v. 4.): veram esse ex eo demonstrat, quod ipso Mose auctore lex mos, quippe *opera* expetens, *fidem habentes* integros reddere non possit (v. 5.), *fides* innocentiam allatura sit, salutem Christi operâ paratam esse pie credens (v. 6. — 8.). Postremo nostram interpretationem vocc.

παντὶ τῷ πιστεύοντι commendant. Nempe *paganis* (v. 11. 12.) integritas dari non potuisset, nisi Mosis lege, quâ soli Judaei tenerentur, sublatâ *fide*que in ejus locum suffectâ, quam tum Judaei tum pagani Christo adjungere possent (v. Gal. 3,13. 14.). Ceteras hujus l. interpretationes partim Pauli disputatio respuit, partim etiam usus loquendi redarguit. Multi *τέλος finem* h. e. *scopum*, *ultimum*, *ad quod omnia referuntur*, *quum ipsum ad nullam aliam rem referatur* (quo significatu philosophi de moribus disserentes vocem frequentant, Arrian. Epict. 3, 24, 37. *τί ἄλλο λέγουσιν οἱ τέλος ποιούμενοι τὴν ἡδονήν*; 1, 12, 5. 20, 15. Diog. Laert. II, 87. VII, 87. Cic. de Fin. 3, 7, 26. Juliani Orat. VI. p. 193. ed. *Spanhem*. *τῆς κυνικῆς δὲ φιλοσοφίας σκοπὸς μέν ἐστι καὶ τέλος, ὥσπερ δὴ καὶ πάσης φιλοσοφίας, τὸ εὐδαιμονεῖν*. Adde 1 Tim. 1, 5.) valere putarunt, sed ut non uno omnes hunc l. modo exponerent. *Chrys.*, *Theophyl.*, *Phot.* apud *Oec.*, *Beza*, *Turrettinus* al.: *nam scopus legis Christus est* (scil. quatenus integritatem, quam lex mos. afferre voluit neque per hominum perversitatem 8, 3. tribuere potuit, Christus effecit), *ita ut* (nunc) *nemo non qui fidem habuerit innocentiam et impunitatem consequatur*. *Theodoretus*, *Calvinus*, *Heum.* al.: *nam legis scopus Christus est* (np. quatenus lex mos. tanquam paedagogus aut temporarius magister institutione, obliquis admonitionibus Hebr. 10, 1., praeceptis, minis atque promissis hominibus Christum monstravit eorumque animos ad Christi disciplinam praeparavit Gal. 3, 24. Rom. 3, 21.), *ut quicunque fidem habuerit insons declaretur*. Priori rationi haec objecerim. Pauli verba perplexa sunt. Nam legis ultimum in Christo esse, *quatenus is innocentiam apportaverit*, *quam Mosis lex quum maxime voluisset efficere non potuisset* nullo P. elemento enuntiavit. Sunt etiam vocabula *εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι* ambigua, ut quae sic capi possint: praestitisse Christum id ipsum quod Mosis lex praestare voluerit, non potuerit: *itaque impunitatem consequi quicunque fidem habuerit*. At Mosis disciplina *τὴν ἐξ ἔργων δικαιοσύνην*, non *τὴν ἐκ πίστεως δικαιοσύνην* spopondit. Praeterea verborum ordo perversus est. Patet enim, si quam impugnamus interpretationem probaveris, pondus in voce *Χριστός*, non in voc. *τέλος* recumbere. Itaque *Χριστὸς γὰρ τέλος νόμου* dicendum fuisset *Christus enim* (qui integritatis a Mosis lege promissae, non datae copiam fecerit) *legis scopus* est. Perspicue vero P. ita loqui potuisset: *Χριστὸς γὰρ τέλος νόμου, δικαιοσύνην εἰςαγαγών* (qui introduxerit), *δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως* (9, 30.). Postremo ea, quam nunc

refellere conamur, explicatio Pauli disputationem conturbat. Judaeos quum integritatem obsequio legi mosaicae praestito comparandam stabilire temere conarentur Innocentiae, quam Deus postulet, obedientiam denegasse (v. 3.), ex eo sane elucet, quod Christus Dei mandatu legem mos. abrogaverit, ut integritas *fide parta* nemini non qui fidem habuerit dari posset, quam ipse Moses observandâ suâ lege parari negaverit, sed fide acquirendam esse indicaverit (v. 4.—8.), minime ex eo intelligitur, quod Christus impunitatem apportaverit, quam Mosis lex afferre frustra studuerit (v. 4.). Nam Judaeos ut Mosis legem recte desererent, *Deus* eâ lege solvere debuit, quam iis imposuisset, quod se aliquando facturum esse oblique per Mosen indicavit v. 5.—8., per Christum fecit v. 4.. Accedit, quod v. 5.—8., ubi haud dubie versus 4. ratio redditur, non haec sententia munitur: attulisse Christum integritatem, quam lex mos. afferre voluerit, non potuerit (v. 4.). Non magis posterius consilium ferri potest. Rursus enim verba obscura sunt. Quod rei caput est, esse Christum legis mos. scopum, *quoniam ea Mosis discipulos ad Christum integritatemque fide in eo collocatâ obtinendam tanquam manu duxerit* precario mente additur nullâ voce a P. dictum. Atqui plane P. sic loqui potuisset: ἱστάνει γὰρ ὁ νόμος τὴν ἐκ πίστεως δικαιοσύνην 3,31.. Melius versus 3. hâc sententiâ stabilitur: antiquasse Christum Dei jussu legem mos., ut πᾶς ὁ πιστεύων insons fieri posset (v. 4.), quam si praeparasse legem mos. homines ad Christum v. 4. subjicitur. Denique v. 5.—8., quibus versibus sententia v. 4. fulcitur, non hoc ostenditur, Mosis legem homines ad Christum innocentiamque per eum afferendam finxisse. *Vatablus*, *Calov.*, *Elsnerus*, *Wolf.*, *Chr. Fr. Schmid.* al. τέλος i. q. πλήρωμα 13, 16. valere opinati sunt: *satisfecit enim legi mos. Christus* (moralia praecepta observando, *Gomarus*: et legis mandata faciendo et poenas a Mose constitutas Gal. 3, 13. sufferendo, *Calovius*), *ita ut nemini non qui fidem in eo posuerit impunitas tribuatur* (quum hominibus fide Christo addictis obsequium legi mos. agendo (*Calovius*: et agendo et patiendo) a Christo praestitum imputetur.). *Τὸ τέλος* idem denotare quod *τὸ πλήρωμα* *) male

---

*) Legunt nonnulli PP. eccles. *πλήρωμα γὰρ νόμου Χριστός* pro *τέλος γ. ν. Χρ.* ex *interpretamento*. Exponunt enim veteres interpretes h. l. τέλος voce πλήρωμα (cf. v. c. *Phot.* apud *Oec.*). Sic Clemens Alex. Quis dives salvetur c. 9. (II, 940. ed. *Potter.*). Qui si ipse πλήρωμα vocem τέλος expositurus scripsit, τέλος *fastigium*, *verticem* explicuerat (cf. supra). Docet ejus disputatio. Sed Orig.

sumtum est. Id qui ostendere conati sunt *Elsnerus* et *Wolfius* frustra laborarunt. Valere τὸν νόμον τελεῖν *legem servare* (2,27.) constat, sed inde τὸ τέλος τοῦ νόμου *legis observationem* declarare non sequitur. Luc. 22, 37. τὰ περὶ ἐμοῦ τέλος ἔχει *in literis s. de me perscripta exitum i. e. eventum habent*. Vid. Dionys. Hal. 1, 56. τέλος γὰρ τὰ μαντεύματα ἐφαίνετο ἔχειν. (cl. ibid. c. 55.). Τὰ δόξαντα τῷ δήμῳ εἰς τέλος ἄγεται *plebiscita ad finem adducuntur* sc. eo quod perficiuntur. Hinc vero τὸ τέλος *effectionem* notare male concludas. Julian. Or. IV. p. 157. — τὸ τέλος ἐκεῖσε (apud Jamblichum) τῆς ἀνθρωπίνης εὑρήσεις σοφίας (humanae sapientiae *fastigium*). Adde Plat. Gorg. c. 94. Τῷ ὄντι οὖν ἡ ἐμὴ καὶ σὴ ὁμολογία τέλος ἤδη ἕξει τῆς ἀληθείας. Ael. V. H. 3, 43. Τοῖς δὲ κακῶς ῥέξασι δίκης τέλος (statum poenae tempus) οὐχὶ χρονιστὸν —. Phalar. ep. 38. — καὶ αὐτοὺς εἰς τέλος (plane, penitus) νενίκηκα —. Quum igitur nemo τὸ τέλος τοῦ νόμου pro τὸ πλήρωμα του νόμου dixerit, Paulo ἐτέλεσε s. ἐπλήρωσε γὰρ νόμον Χριστὸς seribendum fuisse emergit. Deinde falsam esse hanc interpretationem ex eo apparet, quod v. 5.—8. satisfecisse Christum legi mos., ita ut obedienter ab eo facta nemini non qui fidem ei adjunxerit imputata innocentiam apportent (v. 4.) minime ostenditur (v. supra). Postremo idcirco hominibus fide Christo addictis impunitatem dari, quod iis obedientia a Christo legi mos. praestita imputetur nusquam P. docuit. Hoc argumento mira interpretatio corruit, quam *Wolfio* et *Carpzovio* auctoribus post *Victorinum Strigelium* iniit *Steph. Le Moyne*: *nam legis mos. vectigal* (13,7.) *Christus est* i. e. vectigal legi mos. debitum pro nobis Christus persolvit et immunitatem nobis donavit. „Lex quippe tanquam rigidus — exactor stat ad fores coelorum nullique januam patitur reserari, nisi prius soluto non siclo, non didrachma, sed sanctitatis integro censu et numismate." Male *Carpzovius*, cui *Reichius* fidem habere non debebat, posse *Strigelii* enarrationem loco Philonis De migratione Abrahami p. 409. C. (I, 457. *Mang.*) roborari dixit, ubi haec perscripta legantur: νόμος γάρ ἐστι τὸ τέ-

---

Exhort. ad martyrium 46. (I, 306.) Christum τὸ πλήρωμα νόμου vocavit, non nostri loci memor, sed Matthaei 5, 17.. In Selectis in Threnos III, 350. nostrum l. sic citat: τέλος γὰρ νόμου καὶ προφητῶν ὁ Χριστός. Liberaliter verba καὶ προφητῶν e Matth. 5, 17. Rom. 3, 21. ipse adjecit, quibus rem quummaxime firmandam (τὸ οὖν χάρισμα τὸ προφητικὸν, πρὸς ὃ βλέπει πάσης τῆς προφητείας ἡ ἔκβασις, Χριστός ἐστιν, τουτέστιν ἀπὸ Χριστοῦ.) muniret.

λος κυρίου. *lex enim tributum est Dei.* At Philonis verba haec sunt: — *Τούτων δὴ τοῦτον ἐχόντων τὸν τρόπον τελειωθεὶς ὁ νοῦς ἀποδώσει τὸ τέλος τῷ τελεσφόρῳ Θεῷ κατὰ τὸ ἱερώτατον γράμμα· νόμος γάρ ἐστι, τὸ τέλος εἶναι κυρίου.* (lege enim constitutum est [Num. 31, 41.], ut tributum domino pendendum sit.).

V. 5. — 8. Fulcitur sententia vs. 4. proposita h. r.: abrogasse Christum legem mos., ut quicunque *fidem* haberet integritatem consequi posset (v. 4.), certum est, quum id futurum esse *Moses* oblique dixerit. Nam non solum quae ex suae legis observatione integritas nascatur, eam *faciendis* Dei praeceptis comparari scripsit (quo legem ab se latam naturâ suâ *fidem habenti* integritatem impertire non posse ipse significavit v. 5.), verum etiam innocentiam *fide* aliquando parandam esse verbis haud ambiguis significavit (v. 6. — 8.).

V. 5. *Μωσῆς*] *Μωυσῆς* B. G. al., quos *Griesb.*, *Knapp.* aliique sequuti sunt. Cf. not. ad 9, 15.. *Bengel.*: „*γράφει*, scribit, literâ occidente. Antitheton v. 6. 8.. *dicit*, voce *vividâ*." Argutatus est V. D.. Nam v. v. 6. *ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη οὕτω λέγει* sic capienda sunt: *ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη ἐν τῇ βίβλῳ Μωϋσέως οὕτω λέγει.* Cf. not. ad v. 6.. *Γράφειν ἄνθρωπον* et *γράφειν τι* in universum valet *scribentem memorare aliquem*, *aliquid.* Xen. Cyr. 4, 3, 21. *ἐμὲ μὲν οὖν, ἔφη, γράφε* (scil. *τινά*, non *εἰς κατάλογον*) *τῶν ἱππεύειν ὑπερεπιθυμούντων* (me, i. e. nomen meum, literis consigna). Idem valet de l. Plutarch. Timol. 3, 2. *τῶν ἀρχόντων γραφόντων καὶ προβαλλομένων τοὺς εὐδοκιμεῖν ἐν τῇ πόλει σπουδάζοντας.* Joh. 1, 46. *ὃν ἔγραψε Μωϋσῆς κτλ.* *quem Moses literis commemoravit in lege.* Cf. Romanorum *scribere aliquem* Cic. ad Att. 12, 49. et *scribi alicui* Horat. Od. 1, 6, 1. Adde *legisse aliquem* h. e. *alicujus nomen et facta e literarum monumentis cognosse* Cic. Acad. II, 1, 3.. Converte: *nam Moses literis consignat quae e lege nascitur innocentiam* (i. q. *γράφει περὶ τῆς δικαιοσύνης τῆς ἐκ τ. ν.* scribit de eâ). Sequitur accuratior rei expositio verbis mosaicis concepta *ὅτι — ἐν αὐτοῖς nempe hominem, qui Dei praecepta fecerit, per ea* (eorum observatione) *vitam habiturum esse.* Cf. *Pflugkium* ad Eur. Alc. 658. *οὐ μὴν ἐρεῖς γέ μ᾽ ὡς ἀτιμάζων τὸ σὸν | γῆρας θανεῖν προὔδωκά σ᾽, ὅστις κτλ.* et ad Androm. 646. *τί δῆ τ᾽ ἂν εἴποις τοὺς γέροντας, ὡς σοφοὶ —;* Arrian. Exp. Alex. 2, 3, 9. *τοὺς δὲ ξυμβαλόντας τὸ μαντεῖον τοῦτον ἐκεῖνον γνῶναι ὄντα ὅντινα ὁ θεὸς αὐτοῖς ἔφραζεν ὅτι ἄξει ἡ ἅμαξα.* et *Win.* gr. p. 483.. Citat P. h. l. et Gal. 3, 12. locum Levit. 18, 5., ut maxime idoneum, ex quo legis

mos. naturam et ingenium discas. *Factis* enim, non fidei, innocentiam destinat eumque beatum futurum esse, qui Dei praecepta *fecerit* docet. Alii quoque hujus l., qui mosaicae disciplinae caput complecteretur, rationem habuerunt Ez. 20, 21. Nehem. 9, 29. Luc. 10, 28.. Sequutus est P. LXX., nisi quod hi ἃ habent pro ὅ: ἃ (scil. *πάντα τὰ προστάγματά μου καὶ πάντα τὰ κρίματά μου*) *ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος* (אֲשֶׁר יַעֲשֶׂה אֹתָם הָאָדָם scil. — אֶת־חֻקֹּתַי וְאֶת־מִשְׁפָּטַי) *ζήσεται ἐν αὐτοῖς*, Pronomina *αὐτά* et *ἐν αὐτοῖς*, quae l. c. ad *πάντα τὰ προστάγματά μου καὶ πάντα τὰ κρίματά μου* referuntur, Ap. retinuit, ita ut eorum rationem non patefaceret. Nam res, ad quas in celebratissimo loco pertinerent, lectoribus satis notas esse putavit (v. not. ad 9, 7.). *ζήσεται*] Dixit Moses vitam diu ac feliciter in Palaestinâ transigendam, cf. Deut. 32, 47.. Sed Christus Luc. 10, 28. (cf. v. 25.) et Paulus vocem ad *vitam sempiternam* rettulerunt. Idem Onkelosus, Salomo Jarchius aliique Rabbini fecerunt, v. *Wetst.* ad h. l. et *Knapp.* l. c. p. 544.. Paulo vocabulum *ὁ ποιήσας* ponderosum est. Nam eo, quod Moses impunitatem, quae ex suae legis observatione nascatur, memorans aeternam vitam, impunitatis fructum, iis spoponderit, qui Dei praecepta ab se promulgatà *fecissent*, suam legem impunitatem, quae *fide* acquiratur, afferre non posse ipsum confessum esse censuit. Aliud enim esse, *Dei praecepta, ut sempiternâ vitâ potiaris, facere*, aliud *ei, qui aeternam salutem paraverit, fidem adjungere*. Variantes lectiones nullius frugis sunt: A. 47. Copt. Vulg. Damasc. Ruf. Pel. Sedul. Beda — *γράφει ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου* [A. *ὅτι τὴν δικαιοσύνην ἐκ πίστεως* sic] *ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ*. | 67.** — *γράφει ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς* sic | 17.* — *γράφει ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου ὁ ποιήσας ταῦτα ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς* sic. | Aeth. — *γράφει ὅτι ὁ ποιήσας ταῦτα ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς* omissis v. *τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου* | 37. et 80. vulgatam scripturam continent, nisi quod ille *ταῦτα* pro *αὐτά*, hic *αὐτῇ* pro *αὐτοῖς* habet. Mt. d. om. *ὅτι*. Male *Grotius* lectionem primo l. positam — *γράφει ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ* ei quae vulgatur praetulit. Nam primum quidem *sensu* destituta est valdeque erravit *de Wettius* eam idoneum sensum fundere arbitratus. Recte dicitur *ποιεῖν δικαιοσύνην*, si *δικαιοσύνη* aut *benignitatem* (Genes. 20, 13. *ποιεῖν δικαιοσύνην* [benevolentiam exercere] *ἐπί τινα* 21, 23. *ποιεῖν δικαιοσύνην μετά τινος*), aut *justitiam*, *quod justum*

est, *quod decet* [LXX. Jes. 58, 2. Ezech. 18, 5. 2 Par. 9, 8. cf. ἐργάζεσθαι δικαιοσύνην Ps. 14, [15], 2. et Matth. 3, 15. πληροῦν δικαιοσύνην) declaret. Sed si voci τῆς δικαιοσύνης technicum *integritatis* significatum, quo eam P. h. l. posuit, tribueris, ποιεῖν τὴν δικαιοσύνην sanâ mente dicere non potes. Est enim *integritas*, quam Ap. τὴν δικαιοσύνην vocavit, *hominis conditio* (I, 48.), quam ut *justum facere* aut *rem in officio positam exsequi* nequis. (Ferri posset τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐν τῷ νόμῳ ποιεῖν hoc quidem sensu: facere quod in Mosis lege justum declaratum est.) Deinde *correctores* scripturam *Grotio* probatam invexisse manifestum est, qui neque constructionem Μωϋσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην ὅτι — concoxissent, neque quidnam sibi vellet αὐτά et ἐν αὐτοῖς intellexissent (v. *Erasmum*). Eosdem natales Aethiopis lectio habuit, nisi forte librorum, quorum alii ὅτι ante τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, alii post haec vocabula collocarent, discrepantia eo valuerat, ut v. τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου in graeco Codice omitterentur. Temere *Millius* Prol. §. 1215. et 1248. Aethiopis lectionem defendit, ut scribi vellet — γράφει ὅτι ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ (scil. τῇ δικαιοσύνῃ). Nam vocc. τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ut esset cui responderet ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη v. 6. inserta esse, αὐτά autem et ἐν αὐτοῖς ex Gal. 3, 12. irrepsisse contendit. At Paulo ipsi hîc quae Moses de innocentiâ, quae suae legis observatione pariatur, scribat iis opponenda erant, quae ἡ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη apud Mosen dicat. Deinde αὐτῇ, quum vs. 5. versum tertium non proxime excipiat, ad τὴν δικαιοσύνην precario refertur. Postremo αὐτῇ non est nisi lectionis a *Grotio* commendatae pannus, quam aut totam recipiendam aut vulgatam scripturam nihil mutatam retinendam esse criticus paullo cordatior facile intelligat. Nempe lectiones Codicum 67.** 17.* 37. 80. (v. supra), ut fit, e vulgatâ scripturâ et alterâ, quae *Grotio* placuit, temere commistae sunt. Diversa igitur confudit *Lachmannus*, qui — γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ (!) dederit, in margine autem pro lectione a multis antiquitus susceptâ hanc venditaverit: — γράφει ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς (!). Non vidit, integram lectionem tum eam esse quae vulgo excuditur, tum hanc: — γράφει ὅτι τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ. Neque id reputaverat *Griesb.*, quum voci αὐτά exitium indiceret et pro ἐν αὐτοῖς commendaret ἐν αὐτῇ, sed ὅτι, quod ut sibi constaret post γράφει ponere

debuerat, loco non moveret. ἄνθρωπος] om. F. G. Syr. Erp. Boern. Chrys. etiam in Mt. 3. 8. Hilar.. Poterat abesse. Itaque omissum est. Sed plures et graviores auctores vocem Gal. 3, 12. praetermittunt.

V. 6. — 8. Non effecisset Ap. quod ei ostendendum erat, antiquasse Christum legem mos., ut fide ei addictus integritatem consequi posset ex eo elucere, quod id futurum esse *Moses* oblique significasset (v. 4.), si hanc sententiam non nisi quinto vs. corroborasset. Ex quo hoc tantummodo sequitur, non potuisse legem mos. *fidem habenti* impunitatem impertire propterea, quod Moses ei vitam sempiternam, impunitatis fructum (1, 48.), spopondisset, qui Dei praecepta *fecisset*. Itaque ut sententia v. 4. firma esset, hoc addendum erat, *fide* aliquando (h. e. Messia ad homines legato) innocentiam hominibus comparandam esse tecte Mosen indicasse (v. 6. — 8.). Sic igitur Pauli argumentatio decurrit: abrogavit Christus legem mos., ut quicunque fidem habuisset integritatem adipisci posset (v. 4.). Hoc enim futurum esse Moses dixit. Nempe et ei impunitatem vitamque aeternam pollicitus est, qui sua praecepta *fecisset* (unde ut ὁ πιστεύων insons fieret Mosis legem tollendam fuisse patet: aliud est enim *facere*, aliud *credere*), et *fide*, non factis, Messiae temporibus integritatem et salutem comparandam esse adsignificavit (Mosis igitur auctoritate firmatum est, quod *Christum* legi mos. finem imposuisse, ut πᾶς ὁ πιστεύων integer fieret, v. 4. scripsi.). ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη οὕτω λέγει] *quae autem ex fide nascitur integritas hâc oratione utitur.* Prosopopoeia, quâ detractâ P. hoc enuntiat: ὁ δὲ ἐκ πίστεως δίκαιος (1, 17.) οὕτω λέγει *per fidem integritatem adeptus ita loquitur.* Cf. Cic. de Off. 3, 26, 99. Quis haec neget esse utilia? Quem censes? *Magnitudo animi et Fortitudo* (magno vir animo et forti) *negat.* Tusc. 3, 17, 36. 4, 24, 54. Quid? ista bellatrix Iracundia quum domum rediit qualis est cum uxore, cum liberis, cum familiâ? Rom. 11, 4. Hebr. 12, 5. et *Knapp.* l. c. p. 547.. Falso *Rueck.* subtiliorem fore oppositionem, si P. Χριστὸς δὲ οὕτω λέγει (*Moses* scribit — *Christus* autem ita praecipit) pro ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη οὕτω λέγει posuisset, affirmavit. Non reputavit V. D., Paulo, ut sententia vs. 4. corroboraretur, *Mosen* non solum de τῇ δικαιοσύνῃ τῇ ἐκ τοῦ νόμου, sed etiam de τῇ ἐκ πίστεως δικαιοσύνῃ disputasse ostendendum fuisse (v. supra) ejusque verba sic capienda esse: ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη κατὰ τὸν αὐτὸν Μωϋσῆν (s. ἐν τῇ βίβλῳ Μωϋσέως) οὕτω λέγει (v. *Meyer.*): *quam autem fides gignit integritas* (ab eâ, quae *faciendis* Dei praeceptis com-

comparatur, longe diversissima v. 5., quoniam alia *faciendi*, alia *credendi* notio est) *eodem Mose auctore* hâc oratione utitur. Affert Ap. v. 6.—8. locum Deuteron. 30, 11—14. LXX. ut oraculum, quo Moses *fide* Messia ad homines misso innocentiam comparandam esse portenderit (cf. *Reich.*, *Koelln.*, *dW.*, *Meyer.*), non suam de integritatis e fide manantis naturâ sententiam verbis a Mose sumtis et ad suam rem accommodatis exprimit (*Wolf.*, *Turrettinus*, *Heum.*, *Kopp.*, *Rueck.* al.). Nam primum quidem, ut sententia v. 4. proposita firmaretur, quidnam Moses de τῇ ἐκ πίστεως δικαιοσύνῃ vaticinatus esset, Paulo docendum erat (v. supra). Deinde Mosen ut testem ab Ap. produci tum ex interpretatione, quâ testimonii perspicuitatem adjuvat (v. 6. τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν, v. 7. τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν et v. 8. τοῦτ᾽ ἔστι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσομεν), tum e vs. 9. et 10., quibus suae explicationis veritatem defendit, intelligitur. Infirma argumenta sunt quibus *Rueck.* usus est, ut Paulum Mosis verba ad rem suam transtulisse efficeret, non eum expressis verbis vocem sacram ab se afferri, quod alias semper fecisset, dixisse (at cf. v. c. 9, 7. et tene veram vocabulorum ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη οὕτω λέγει rationem a *Rueckerto* non intellectam), non solere Paulum suam interpretationem sacris quae citet verbis interjicere (scilicet explicatio iis verbis adhibenda est, quae obscuritate premuntur v. v. c. 9,8.: atqui h. l. vera verborum τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; et τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; ratio nisi interpretatione appositâ percipi non poterat), valde discrepare Pauli verba a Mosis verbis, quae ille attulisse male credatur. Constat vero, quanta allegoricae interpretationis, quam P. h. l. iniit, licentia fuerit. Itaque P. primariam loci allegorice enarrati sententiam partim suis partim Mosis verbis citasse satis habuit. Nempe Mosen l. l., si grammaticam et historicam interpretationem inieris, de τῇ ἐκ πίστεως δικαιοσύνῃ exponere P. minime credidit, sed allegoricam explicationem ingressus oblique eum suam de illâ integritate sententiam enuntiasse putavit. Sed ut mea de loco non ita plano disputatio viâ et ordine procedat primo quamnam P. verbis mosaicis vim subjecerit docebo, deinde et quidnam Apostolum in suam explicationem detulerit ostendam et Pauli verba cum Mosis verbis comparabo, postremo memorabiles quosdam interpretum errores refutabo. μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου] *noli tecum cogitare*. Cf. Ps. 14, 1. אָמַר בְּלִבּוֹ Matth. 3,9. Apoc. 18,7.. Ut proxima v. 6. et 7. vocabula τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; — ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν recte intelligantur haec te-

nenda sunt. Qui Paulum longe diversam esse τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου a τῇ ἐκ πίστεως δικαιοσύνῃ, quoniam illa *faciendo*, haec *credendo* paretur, h. l. (cf. Gal. 3,11. 12.) pro gravi et memorabili re posuisse meminerit, eum v. 6—8. hoc dixisse suspicetur: sed quae e *fide* fluit integritas hâc oratione utitur: noli tecum cogitare: nemo salutem pariat *faciendo et moliendo*, imo salutem tibi para *credendo* (quum contra δικαιοσύνη ἡ ἐκ τοῦ νόμου Dei favorem salutemque sempiternam *agendo* h. e. accuratâ legum divinarum observatione expugnari sibi persuadeat v. 5.). Idque P. dixit v. 6—8.. Nempe vana fuit legis mosaicae vitam aeternam iis, qui divina praecepta *fecissent*, promittentis pollicitatio vel propterea, quod mira est humanae mentis voluntatisque imbecillitas (I, 46.). Imo ut salus hominibus contingeret, Christus de coelo ad eos mittendus (8,3. Gal. 4,4.) missusque et ut genus humanum expiaretur interfectus ex inferis in vitam revocandus erat, ut fuisse eum missum a Deo ut hominum scelera expiaret servatorem homines scirent (v. 1 Cor. 5,17. et supra I, 249.). Quamobrem si salus *faciendo* comparanda esset, duo iis qui salvi esse voluissent praestanda essent. Nimirum et coelum ascendere eos oporteret, ut servatorem e coelesti domicilio in orbem terrarum devocarent, et in orcum descendere, ut servatorem ex inferis in vitam excirent. At quoniam ἡ ἐκ πίστεως δικαιοσύνη fide, *non factis*, nititur, vetat ea nos apud Mosen ita cogitare: nemo aut in coelum profectus servatorem in terram deducat, aut quum in orcum descenderit Christum inde evocet h. e. nemo *factis* salutem comparet (v. 6. 7.), imo partâ a Christo salute *fidem* habere nos jubet (v. 8.): τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; *ecquis in coelum ascendet?* h. e. *nemo* hoc fecerit (11,34. Matth. 19,25.). Adjuvat P. verborum mosaicorum intellectum hâc expositione: τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν *nempe ut Christum in orbem terrarum deducat* h. e. fide effecta Integritas apud Mosen ita nos cogitare vetans: *noli tecum cogitare ecquis coelum scandet?* profectionem dicit hâc mente in coelum suscipiendam, ut (salutem *faciendo* et *laborando* paraturus) inde Messiam, hominum servatorem, ad homines deducamus. ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον;] *aut* (noli tecum reputare): *ecquis in orci voraginem*, sedem mortuorum Luc. 8,31., *descendet?* i. q. *nemo* hoc praestiterit. Rursus Ap. quae Mosis mens fuerit explicationis adjectione docet: τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν *scilicet ut Christum ex inferis ad superos ducat* h. e. fide parta Innocentia apud Mosen ita loquens: noli tecum cogitare: ecquis in orcum descendet? abitum ad inferos intellectum vult, quo (salutem *faciendo* et *moliendo* effecturus) Christum ex

inferis in vitam restituas. *ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν*] Verbum *ἀνάγειν* saepe de iis ponitur, qui mortuos ex inferis ad superas auras ducunt (cf. Ps. 30,4. הֶעֱלִיתָ מִן־שְׁאוֹל). Aristoph. Ran. v. 77. Achill. Tat. 6,13. — *ἄνδρα τοιοῦτον λαβοῦσα παρὰ τῆς Τύχης, ὃν οὕτω φιλοῦσιν οἱ θεοί, ὥς ἂν αὐτὸν καὶ ἐκ μέσων τῶν τοῦ θανάτου πυλῶν ἀναγαγεῖν*; Joseph. A. J. 6,14,2. Sap. 16,13. et Hebr. 13,20., ubi v. *Wetst.*. Usurpatur in hâc re etiam verbum *ἐπανάγειν* (v. *Jacobsium* ad Achill. Tat. II,777.). V. 8. *ἀλλὰ τί λέγει*;] scil. *ἡ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη*. Negligenter P. h. l. loquutus est. Sic enim v. 8. *ἀλλὰ τί λέγει*; (*ἡ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη*) loquutus est, quasi v. 6. pro *ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη οὕτω λέγει* scripsisset *ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη οὐχ οὕτω λέγει*. Atqui aut sic loqui debuerat, aut orationem in hunc modum formare: v. 6. *ἡ δὲ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη οὕτω λέγει· μὴ εἴπῃς κτλ.* et v. 8. *ἀλλὰ λέγει· ἐγγύς σου κ. τ. ἑ.*. Potest tamen Pauli negligentia excusari. Nimirum consentaneum est, *τὴν ἐκ πίστεως Δικαιοσύνην* et ipsam aut ipsum quoque *τὸν ἐκ πίστεως δίκαιον* ea dicere, quae alios dicere jubeat, ea non cogitare, quae alios cogitare vetet. Emendare voluerunt Pauli negligentiam, qui verbis *ἀλλὰ τί λέγει*; addiderunt *ἡ γραφή*. Quae verba librarios adjecisse vel sedis, quam occupant, inconstantia docet. Alii enim *ἡ γραφή* ante *λέγει* (G.), alii post *λέγει* continent (It. Vulg.). Neque aptum est hoc scribarum supplementum. Nam quidnam *ἡ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη* tum ipsa dicat apud Mosen, tum dici jubeat (v. supra) Paulo hic enuntiandum erat. Proxima Mosis v. *ἐγγύς σου — ἐν τῇ καρδίᾳ σου* Ap. sic cepit: *prope te* (in promtu tibi, 7,18.) *vox integritatem comparans est*, *h. e. in ore tuo est* (ut eam profitearis v. 9. 10.) *et in animo tuo* (ut eam pie creditam ibi foveas, v. 9. 10.). Adjungit Ap., *τὸ ῥῆμα* a Mose l. c. commemoratum utique ad *τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως* referendum esse: *τοῦτ᾽ ἔστι — ὃ κηρύσσομεν hoc a Mose memoratum praeceptum praeceptum de fide Christo habendâ* (1 Tim. 4,6. Matth. 9,35.) *est* (1 Petr. 1,25.), *quod nos Apostoli divulgamus*. Jam vere se Mosis mentem percepisse ex eo Ap. demonstrat, quod Mosis verba *fidei naturam* egregie exprimant (v. 9, 10.). Quare totius l. haec ratio est: abolevit Christus Mosis legem ut quicunque *fidem* animo concepisset innocens fieri posset (v. 4.). Quod e Mosis libris disci potest. Nam quam lex mos. innocentiam spondet, eam *faciendis* Dei praeceptis parari Moses scribit (v. 5. itaque non posse *fide* conspicuo innocentiam dari nisi lege suâ sublatâ Moses ipse concedit). Sed quae e fide nascitur innocentia, eam sic loquentem Moses inducit: noli tecum co-

gitare: *nemo in coelum ascendet, nempe ut Christum in terram deducat*, aut *in orcum descendet, scilicet ut Christum ex inferis ad superos ducat* h. e. *nemo salutem parabit faciendo et moliendo*, sed quod salutem gignat praeceptum in promtu nobis esse, i. e. in ore nostro et animo esse monet (v. 6 — 8.). Quod praeceptum Moses haud dubie illud praeceptum dixit, quod de *fide* agens a me, Paulo, divulgatur (v. 8 — 10.). Quae quum ita sint Moses suam legem a Christo sublatum iri, ut quicunque *fidem* habuisset insons fieret, vaticinatus est (v. 4.). Quippe non solum suam legem *facienti*, non credenti, innocentiam apportare expressis verbis dixit eamque abolendam esse, ut *credenti* innocentia obtingeret, indicavit (v. 5.), verum etiam innocentiam fide parabilem ita loquentem induxit, ut Christum e coelo devocandum aut ex orco evocandum, h. e. salutem *faciendo* et moliendo parandam esse negaret, doctrinam de fide *ab Apostolis aliquando tradendam* commendaret (v. 6. — 8.). — Moses Deuter. 30, 11. — 14. haec dixit: hoc praeceptum (de diligendo Deo et de amore, quo eum amplectaris, accuratâ divinarum legum, ejus maxime, quae fictitios Deos colere vetat, observatione probando v. 10. 16. 17.), quod tibi hodie injungo, non vires tuas excedit neque remotum (abstrusum) est. Non est in coelo, ut dicendum tibi sit: ecquis ascendet (i. e. utinam aliquis ascendat! cf. II, 70.) nobis in coelum et illud inde petet (et illud inde petat), ut quum in aures nostras descenderit observemus? Neque trans mare illud praeceptum est, ut dicere debeas: ecquis transmisse nobis mari in ulterius maris litus se conferet (h. e. utinam aliquis — se conferat!) indeque id nobis afferet (afferat), ut auribus perceptum facessamus. Quippe valde propinquum tibi est quod dixi praeceptum, in ore tuo et animo tuo est (h. e. usurpas praeceptum sermone et memoriâ tenes), qui id facturus sis. (LXX, quorum translatione P. usus est, hunc l. sic converterunt: ὅτι ἡ ἐντολὴ αὕτη, ἣν ἐγὼ ἐντέλλομαί σοι σήμερον, οὐχ ὑπέρογκός ἐστιν οὐδὲ μακρὰν ἀπὸ σοῦ ἐστιν. Οὐκ ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω ἐστί, λέγων· τίς ἀναβήσεται ἡμῖν εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ λήψεται ἡμῖν αὐτὴν καὶ ἀκούσαντες αὐτὴν ποιήσομεν αὐτήν; Οὐδὲ πέραν τῆς θαλάσσης ἐστί, λέγων· τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης καὶ λήψεται ἡμῖν αὐτὴν καὶ ἀκούσαντες αὐτὴν ποιήσομεν αὐτήν; Ἐγγύς σου ἐστὶ τὸ ῥῆμα σφόδρα, ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου καὶ ἐν ταῖς χερσί σου ποιεῖν αὐτό.) Moses igitur suum de Deo diligendo servandisque ejus legibus praeceptum factu difficile esse negavit, quoniam ejus cognitio non recondita videretur, sed in promtu esset. (Profectionem in coelum,

et maris trajectum pro abitu in loca remotissima et quae vel difficulter adeas vel adire plane nequeas Moses posuit, cf. Ps. 139,8. Amos. 9,2. 3. Eurip. Phoen. 504. Adde Luc. Hermot. c. 71.) Paulus contra e fide natam Integritatem loquentem a Mose induci, quae salutem messianam profectione in coelum aut ad inferos *efficiendam* esse neget, salutem per Christum partam *fide* a Christi Apostolis commendandâ aliquando parandam esse affirmet, censuit. Veteres Theologi Paulum idoneum Mosis interpretem esse discendumque a Paulo esse quidnam Moses verbis suis paullo obscurioribus dicere voluisset contenderunt (v. *Wolf.* ad h. l. p. 210.). Quod obtineri non posse patet. Nam neque verba Mosis neque disputationis, quam ingressus est, ratio et consilium Paullinam explicationem recipiunt. Itaque ut saltem excusaretur Ap., qui defendi non posse videretur, alii alia excogitarunt. *Knappius* l. c. p. 551. Deuteronomii locum non versari in eiusmodi argumento, quod *plane alio* e genere sit, quam disputationem Paullinam, ex eo apparere dixit, quod sincerus in Deum amor sine *fide Deo habitâ* esse nequeat. Quasi vero quae Moses de diligendo Deo faciendisque ejus suâ ipsius operâ promulgatis praeceptis disseruisset in oraculum de salute Messiae temporibus non faciendo, sed credendo obtinendâ convertere Paulo idcirco licuisset. *Tholuccius* hoc lectoribus suis solatium adhibuit, exstitisse etiam Rabbinos, qui Mosis vocem Deut. 30,11. sq. Messiae temporibus eventum habituram esse affirmarent collato *Fagio* et *Munstero* ad Deut. 30,12.. At dixerunt hoc Rabbini de *cordis circumcisione*, quam Moses Deut. 30,6. memoravit, non de iis, quae Moses Deut. 30,11. — 14. disputavit (v. *Fagium* et *Munsterum* l. c.). Imo sententiae, quam grammatica et historica verborum mosaicorum interpretatio postulat, veritatem neque ignoravit Paulus neque negavit, sed tecte simul Mosen allegoricae explicationis peritis rem multo majorem subindicasse, integritatem et salutem aliquando non faciendo, sed credendo comparandam esse, existimavit (*Reich.*, *dW.*, *Megerus*). Quamquam ne allegorica quidem interpretatio temere a sollertibus viris initur. Quaeritur igitur quâ re nixus Paulus Mosen l. c. id ipsum oblique docuisse crediderit, quod eum docuisse h. l. asseveravit. Scilicet verba Deut. 30,14. LXX. ἐγγύς σου ἐστὶ τὸ ῥῆμα σφόδρα, ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου egregie *fidei* naturam exprimere ei visa sunt (cf. Rom. 10,8 — 10.). Quum igitur etiam quod deinceps Moses τὴν ζωὴν iis ominatus est, qui suum praeceptum facturi essent, et τὸν θάνατον s. τὴν ἀπώλειαν iis minatus est, qui praeceptum suum

migraturi essent Deuteron. 30, 15. 16. 18., Ap. ad *fidem* divinitus imperatam commode referri existimasset, quandoquidem *habita* fides integritatem vitamque sempiternam afferret, *negata* fides aeternam pestem apportaret, oblique Mosen simul de *fide* hominibus, ut salvi essent, olim in Christo reponendâ iisque aliquando a Christi Apostolis praecipiendâ disserere sibi persuasit totumque locum ab eo, qui reconditiorem Mosis mentem allegoricae interpretationis adjumento perspicere voluisset, sic capiendum esse censuit: quod tibi hodie praeceptum (de fide Christo adjungendâ) de non remotum est a te. Non est in coelo, ut tecum cogites: nemo in coelum ascendet (nempe ut Christum in orbem terrarum deducat) indeque id (scil. Christo in terram deducto) nobis petet, ut audiamus et faciamus. (Nimirum praeceptum de fide Christo habendâ homines neque possidere neque observare prius potuerunt, quam Christus e coelo in terram venisset. Praecipitur enim hominibus a Christi Apostolis fides Christo e coelo ad homines *misso* habenda.). Neque in ulteriori maris litore (h. e., si quod Moses subindicavit planius dicere placuerit, *in orco*) praeceptum de fide Christo habendâ est, ut tecum reputes: nemo nobis in ulterius maris litus proficiscetur (h. e. si quod Moses adsignificavit spectare volueris, *nemo in orcum se conferet*, scil. ut Christum ex inferis ad superas auras reducat) praeceptumque inde (Christo ad superos reducto) nobis afferet, ut id audiamus et (eo quod fidem habeamus) faciamus. (Nempe praeceptum de fide Christo adjungendâ tum demum homines possidere et exsequi potuerunt, quum Christus ex inferis in vitam restitutus esset. Nam Christo in vitam revocato tradere coeperunt Apostoli evangelium fideique christianae et primarium caput et robur ac firmamentum est Christi reditus in vitam Act. 2, 31. sq.) Valde propinquum tibi praeceptum de fide in Christo collocandâ est, in ore tuo et pectore tuo est, ut ei satisfacias (scil. tum fidem habendo, tum fidem profitendo cf. Rom. 10, 9. 10.). Hujus sententiae summam et paucioribus quam Moses verbis Ap. complexus est et magis perspicuis. Itaque ut Mosis mens a quovis perciperetur plana verba posuit pro ambiguis (cf. v. 6. *μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου* et v. 7. *τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον;*) et perplexa vocabula interpretationis adjectione illustravit (v. v. 6. *τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν* cl. v. 7. et 8.). Quum P. Mosen ita cogitare vetuisse existimasset: nemo in coelum ascendet, ut Christo in terram deducto praeceptum de *fide*, quâ *integritas* et salus paretur, ad homines apportet, hoc interdictum *τῇ ἐκ πιστεως Δικαιοσύνῃ* tribuere non dubitavit.

Nam τῷ ἐκ πίστεως δικαίῳ non cogitandum esse, quod Moses de innocentiâ per *fidem* obtinendâ disputans cogitari noluisset, perspicuum esse putavit. Praeterea ut τὴν ἐκ πίστεως Δικαιοσύνην τῇ δικαιοσύνῃ τῇ ἐκ τοῦ νόμου opponeret instituta disputatio suasit. μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου] Tribuit igitur P. verbo אָמַר et LXX. λέγειν *cogitandi* significatum. Cf. Ven. *Thilonem* in Cd. apocrypho N. T. I. p. 164.. Ut quod Moses καθ' ὑπόνοιαν dixisset lector statim intelligeret Ap. verbis τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; interpretationem apposuit τοῦτ' ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν idque rursus fecit v. 7. et 8.. τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον;] Quoniam haec v. a textu hebraico et versione LXX. τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης —; prorsus abhorrent,, *Grotius* in aliis versionibus graecis pro εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης fuisse εἰς τὴν ἄβυσσον vel πέραν τῆς ἀβύσσου eaque vocabula Paulum ad *orcum* rettulisse (Luc. 8, 31.), quae graecis interpretibus *mare magnum* valuissent (LXX. Genes. 1, 2. Job. 28, 14.) conjecit. At I. graecos interpretes τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὴν ἄβυσσον vel πέραν τῆς ἀβύσσου convertisse, ejus rei nullum exstat vestigium. Deinde II. P. h. l. translationem LXX. consuluit. Postremo III. etiamsi Ap. a versionis LXX. auctoritate penderet, tamen τὴν ὑπόνοιαν *Mosis planis verbis enuntiaturo* τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; in locum verborum τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης —; sufficere licebat. Nempe quod Moses pro *dissito et qui difficilem aditum haberet* loco memorasset ulterius maris litus interiorem ejus mentem contemplanti ad *orcum* referendum esse tum ex oppositâ sententiâ: τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; tum ex toto loco, ubi de praecepto *fidei*, quod non e longinquo arcessendum esset, sed in promtu esset, *oblique* exponi lectores erectiores intelligerent, cognosci Ap. censuit. Itaque ut dilucide diceret, quod Moses ἐν ὑπονοίᾳ significasset pro τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης —; scripsit τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; eaque verba hâc interpretatione illustravit: τοῦτ' ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν. *Michaelis* Mosen quum τίς διαπεράσει ἡμῖν εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης —; diceret *fortunatas insulas* ultra Oceanum sitas, quo pios homines post mortem recipi Esseni statuerunt auctore Josepho B. J. 2, 8, 11., in mente habuisse et Paulum Mosis sententiam *aliis verbis* expressisse statuit. Praeterquam quod haec fabula Hebraeis ignota fuit (v. *Knapp.* l. c. p. 555.), fortunatarum insularum mentionem neque Mosis neque Pauli disputatio admittit. Iisdem argumentis *Ammonis* τὸ πέραν τῆς θαλάσσης Mosi „non dissitas terrarum regiones, sed νεῖατα

πείρατα γαίης καὶ πόντοιο adeoque *orci vicinitatem* ex aevi prisci notionibus designare" arbitrati sententia refellitur. V. 8. Ap. *σφόδρα* מְאֹד post *ῥῆμα* praetermisit et *καὶ ἐν ταῖς χερσί σου*, quae v. LXX. de suo adjecerunt et Philo agnoscit (Quod liber quisquis virtuti studet p. 875. ed. Mang. II, 456. et de praemiis et poenis p. 922. ed. Mang. II, 421.) post vocc. *καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου*. Aut non invenit P. vocc. *καὶ ἐν ταῖς χερσί σου* in Cd. quo usus est, aut si ea ibi invenerat, quod magis credo, *propterea* praeteriit, quod nihil ad *τὴν ὑπόνοιαν* Mosis declarandam facere viderentur et a suo consilio abhorrerent. Ultima quidem verba *ποιεῖν αὐτό* de industriâ P. neglexit. Nam quo loco *τὴν ἐκ πίστεως δικαιοσύνην credendo*, non *faciendo* effici Mosen disputare moneret, ibi vocc. *ποιεῖν αὐτό* secus intelligi posse vidit. — Reliquum est, ut memorabiles nonnullorum interpretum sententias, quas errore niti judico, redarguam. *Theodoretus*, *Carpz.*, *Kopp.*, *Reich.*, *dW.*, *Meyerus* al. v. 6. — 8. hoc dici putant: sed quae e fide nascitur integritas ita loquitur: *μὴ γίνου ἄπιστος* (v. 6. et 7.), *ἀλλὰ πιστός* (v. 8. cf. Joh. 20, 27.): *noli ita tecum cogitare: nemo in coelum ascendet, scilicet ut Christum inde deducat* (quasi is coelo rellicto nondum ad homines venerit), aut: *nemo in orcum descendet, np. ut Christum inde ad superos ducat* (quasi is crucis supplicio affectus in vitam minime redierit), imo fidem suscipe, quae tibi in promtu est i. q. noli dubitare, quin Christus e coelo profectus ad homines accesserit et ab iis interfectus in vitam reversus sit, crede potius. At I. haec interpretatio attentorum lectorum exspectationi minime satisfacit. Nam postquam P. v. 5. integritatem, quam Mosis lex spondeat, *faciendo* parari dixit, eum integritatem contra, quam fides afferat, *non faciendo, sed credendo* gigni addere consentaneum est (Gal. 3, 11. 12.). Deinde II. haec oratio: *τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν* dolentis potius est, quod nemo coelum scandere possit, ut Christum inde arcessat, quam addubitantis Christi descensum de coelo in orbem terrarum. Rectius igitur illi sic explicuissent: *utinam* aliquis in coelum ascendat — (v. II, p. 70.). Postremo III. haec v.: *τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν* dubitationem de Christi reditu in vitam parum perspicue exprimunt propterea quod Christus, siquidem in vitam reversus est, non in orco est, sed aliquando *fuit*. Atqui plane P. sic loqui potuisset: ecquis in orcum descendet, nempe ut cognoscat, utrum Christus ibi sit, an non sit? Apostoli verba, si illam enarrationem persequi placuerit, vel lamentationem

referunt dolentis, quod nemo orcum adire possit, ut Christum *procul dubio etiamnum ibi versantem* ad superos ducat, vel exclamationem optantis, ut aliquis illo consilio ductus in orcum se conferat, certum Christi in vitam non reversi domicilium. *Carpzovius* interpretibus, quos nunc refellere conati sumus, ita accessit, ut multis assensus explicatoribus verbis v. 6. *τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν* et *τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν* interdicti *μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; causam* enuntiatam esse existimaret h. r.: — *noli tecum reputare*: nemo scandet coelum *quod est Christum inde in terram devocare* (i. q. hominis quod coelum, ut Christus inde in orbem terrarum deducatur, a nemine scandi possit, lamentatio non differt a dubitatione de Christi de coelo descensu et adventu ad homines) aut: nemo descendet in orcum, *quod est Christum ex inferis ad superos ducere* (i. q. hominis, quod nemo in orcum descendere queat, ut Christum, quia in vitam non redierit, haud dubium orci incolam, ad superos ducat, dolor dubitationem de Christi reditu in vitam refert. Itaque neque *τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν*; neque *τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον*; tecum cogita, quum neque *τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ Χριστοῦ* neque ejus in vitam reditum recte addubites). Qui secum cogitat: *τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν*; et *τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον*; is aut dolet quod nemo coelum et orcum adire possit, aut optat, ut aliquis in illa loca abeat, minime Christi de coelo in orbem terrarum descensum ejusque in vitam reditum addubitat. Possum enim multis de causis et dolere, quod nemo sublimis in coelum abire et in orcum se conferre possit, et optare, ut aliquis exoriatur, qui coelum et inferna adeat, v. c. curiositate ductus ut quae ibi agantur comperiam, non solum propterea, ut, quod *τὴν ἐνανθρώπησιν τοῦ Χριστοῦ* ejusque in vitam reditum addubitem, utrum Christus coelum et inferna relliquerit, an etiamnum ibi versetur, cognoscam. Quare ista dubitatio tam perplexe enuntiata esset, ut a nemine facile deprehenderetur. Potuisset autem P. istius sententiae intellectum adjuvare hâc interpretatione additâ: *hoc est Christum nondum ad homines missum esse affirmare*: — *h. e. Christum etiamnum in orco versari contendere.* Ven. *Reichius* autem ita cum illis, quos impugnavimus, interpretibus facit, ut vocabulis v. 6. *τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν* tempus dici putet, non quo Christus nondum coelestes sedes relliquerit et ad homines venerit 8,3. Gal. 4,4., sed quo coeleste domicilium perfectis in terrarum orbe Dei mandatis repetierit 8,34. Phil.

2, 9.. Verum enim vero *primaria* doctrinae christ. capita, quae addubitare nobis non liceat, Paulo haec sunt: venisse Christum a Deo missum de coelo ad homines, ut eos sospitaret 8, 3. Gal. 4, 4. eumque ab hominibus interfectum paullo post in vitam restitutum esse 1 Cor. 15, 16. sq. (Act. 2, 32. 13, 30.). Quod Deus Christum confectis mandatis coelum repetere jussit, ideo fecit ut insignem ejus obedientiam praemio ornaret Phil. 2, 8. sq.. Versari nunc Christum in coelo apud Deum Ap. plerumque propterea commemorat, ut bona ab amico ad tantam potentiam evecto speranda esse lectores commonefaciat 8, 34. Eph. 4, 7 — 11.. Praeterea V. D. sententia claudicat in verbis *τοῦτ' ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν*, pro quibus haec ponenda fuisse: *τοῦτ' ἔστι Χριστὸν ἰδεῖν* *Reichius* ipse sensit p. 344.. Neque *Reichii* opinionem versu 9. firmari verum est. *Chrys.*, *Theophyl.*, *Oec.* (v. *Turrettinum*, *Morum* et *Tholuccium*) v. 6 — 8. hoc doceri putant: non difficilem esse integritatis comparationem (v. 6. 7.), sed facilem (v. 8.) h. r.: has dubitationes e mente tuâ ejice: nemo in coelum ascendet, sp. ut, quomodo Christus inde hominum naturâ assumtâ ad homines venire potuerit, cognoscat: nemo in orcum descendet, sp. ut qui fieri potuerit, ut Christus interfectus ex orco in vitam rediret, discat; imo in promtu tibi esse praeceptum de fide Christo adjungendâ eoque facilem esse integritatis comparationem *ἡ ἐκ πίστεως Δικαιοσύνη* monet. Licenter illi v. v. 6. *τοῦτ' ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν* et v. 7. *τοῦτ' ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν* interpretati sunt, tanquam eorum loco his vocabulis P. usus esset: *τοῦτ' ἔστιν ἰδεῖν πῶς Χριστὸς κατέβη καὶ σάρξ ἐγένετο. — τοῦτ' ἔστιν ἰδεῖν πῶς Χριστὸς ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.* Praeterea illi more suo argutati sunt in v. v. 6. *μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου,* quae idcirco addita putassent, ne quis nimiam etiam fidei facilitatem a P. defendi suspicaretur. Itaque quae v. valent *noli tecum cogitare* temere sic explicuerunt: *dubitationes fidei inimicas omnino noli animo complecti.* (Haec Patrum gr. temeritas interpretes vulgo praeteriit, v. c. *Tholuccium* p. 425.) Denique sententiam, quam illi explicatores versibus 6 — 8. subjecerunt, Pauli disputatio respuit, cui v. 5 — 8. sententia v. 4. enuntiata Mosis auctoritate fulcienda est: finem imposuisse Christum legi mos., ut quicunque *fidem* haberet integritatem acciperet. Atqui hoc consilio Christum Mosis legi finem fecisse non ex eo sequitur, quod Mose ipso auctore integritas legis mos. observatione difficulter, fide contra facile pareretur (nam Mosis lex Dei auctoritate promulgata absurde propterea ab hominibus desereretur, quod duras iis leges injungeret), sed ex

hoc efficitur, quod quum aliud sit *faciendo*, aliud *credendo* integritatem consequi, Moses ipse integritatem *fide* parandam in integritatis faciendo acquirendae locum cessuram esse vaticinatus sit (v. supra). *Rueckertus* quoque p. 474. *facile* salutem fide comparari Paulum h. l. exponere judicavit, ceterum interpretationem parum felicem p. 472. sq. proposuit: noli tecum cogitare: *utinam* aliquis in coelum ascendat! hoc est Christum in orbem terrarum deducere (i. q. cujusmodi votum Christum objurgat, quod hominibus nondum expiatis neque divinis mandatis inter homines confectis sublimis in coelum abierit, et Christum denuo ad homines quasi devocat), aut: *utinam* aliquis in orcum se conferat! (i. q. utinam aliquis genus humanum expiaturus mortem oppetat!) h. e. Christum ex inferis ad superos ducere (i. q. cuiusmodi votum facere nihil aliud est, nisi postulare, ut Christus, quoniam morte suâ homines minime expiaverit, rursus, ut hoc perficiat, mortem adeat, aut eum *nondum* ad inferos se contulisse hominibus nece suâ expiatis affirmare). Ut omnia *Rueckerto* concesseris, hae tamen sententiae: *quae e fide oritur integritas ita cogitare vetat*: *utinam aliquis in coelum ascendat aut in orcum descendat*! *quoniam haec optata hominis sunt Christum priusquam negotium suum absolvisset in coelum se recepisse affirmantis eumque homines morte suâ expiasse negantis*; *imo in promtu tibi esse praeceptum de fide Christo habendâ*, *quo beeris*, *ideoque facilem acquisitu salutem esse integritas quae e fide oritur monet* neque inter se satis cohaerent neque argumentum continent, quo sententia v. 4. confirmetur (v. supra). Sed quî hoc voto: *utinam aliquis in coelum ascendat*! Christus culpetur, quod priusquam Dei mandata persequutus esset sublimis in coelum abisset intelligi plane nequit; posset quodammodo, si Ap. τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν πάλιν καταγαγεῖν scripsisset. Minus etiam e verbis τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; haec sententia extricari potest: *utinam aliquis homines expiaturus moriatur*. Adeunt orcum mortui Luc. 16, 23.. Sed alia *moriendi*, alia *orcum adeundi* notio est. Et quî tandem καταβαίνειν εἰς τὴν ἄβυσσον significare potest *mori*, *ut homines expies*? Postremo vocc. τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν (h. e. Christum *ex inferis ad superos ducere*) declarare nequeunt: quod optare nihil aliud est, nisi Christum *nondum ad inferos descendisse* contendere! *Wolf.*, *Rosenm.*, *Jasp.* al. v. 6. — 8. hoc dici putant: Christi doctrinam (ita enim Χριστόν v. 6. 7. explicuerunt) sine magnâ rerum molitione disci posse: nam eam neque e coelo neque ex orco petendam esse v. 6. 7., sed in promtu esse, suscipi mente verbisque celebrari ab

Apostolis propositam v. 8.. Disturbat haec enarratio Pauli disputationem, quae eo nititur, ut integritas *faciendo* paranda integritati opponatur, quam *credendo* consequaris. Adde quod v. v. 9. — καὶ πιστεύσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, ὅτι ὁ θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν σωθήσῃ illam explicationem vanam esse evincunt. *Knappius* l. c. p. 558. sq. describi statum hominis existimat a Christo alieni, qui suis male factis consternatus saluti suae diffidat sine ullâ rerum exspectatione meliorum, quique requiem curarum requirens ac fomenta dolorum tum hûc tum illûc se vertat et nil linquens inausum modo coelum flectere velit, modo abyssum movere, sed nihil proficiat. Hunc igitur e fide natam Integritatem a desperatione ad spem his verbis v. 6 — 8. benigne compellare: noli tecum cogitare: nemo in coelum ascendet *Dei interpretem mihi paraturus* (unde hoc?) nam hoc cogitare est (v. supra) Christum de coelo deducere velle (scil. quasi is tuâ causâ de coelo *non* descenderit): aut: nemo in orcum descendet, *ut servatorem mihi arcessat* (haec P. non dixit): nam hoc si cogitaris perinde est, ac si Christum *denuo* (?) ab inferis excitatum velis, qui post mortem pro te oppetitam revixerit (v. 6. 7.). Bene potius quam fides gignit Integritas te sperare jubet his v.: praeceptum de fide Jesu habendâ est ejusmodi, ut perfacile tibi sit, non modo *ore* id profiteri animoque complecti, *sed etiam ejus jussis per omnia obtemperare* (?). Haec quoque interpretatio a P. disputatione abhorret, quum nihil contineat, quo sententia v. 4. corroboretur (v. supra). Adde quod Mosis alumni, nisi forte paucissimi, male factorum conscientiâ ad desperationem minime adducti sunt, sed suscepta scelera sacrificiis, quae Moses Israelitis praescripsisset, expiari sibi persuaserunt Jes. 1, 11. sq. Matth. 9, 13.

V. 9 — 11. Fulcit P. vocc. v. 8. τοῦτ' ἔστι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως ὃ κηρύσσομεν h. e. suam verborum mosaicorum interpretationem veram esse ostendit duobus usus argumentis. Primo enim cum Mosis verbis rei naturam congruere docet, quandoquidem Moses l. c. professionem et fidem haud obscure commendaverit, utraque autem re conjunctâ salus paretur v. 9. 10.. Deinde V. T. locum profert, ubi *nemini non* qui fidem habeat summa felicitas portendatur, ergo id ipsum eventurum esse dicatur, quod docere soleat, propter fidem te beari, sive Judaeus sis sive paganus. Consentaneum autem ei videtur, Mosen et Jesajam de tantâ re inter se convenire. ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου κύριον Ἰησοῦν] h. e. ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου κύριον (scil. ὄντα, nam κύριον Praedicatum est Joh. 9, 22. 1 Joh. 4, 2.) Ἰησοῦν *si ore tuo professus fue-*

ris dominum (esse) Jesum. Constanter Christus *domini* nomine ornatur. Cujus ratio nominis mihi haec esse videtur, quod Christus fuerit *ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ* aut mundi conditor et conservator, qui summam in omnes res potestatem exerceret a Deo sibi demandatam 1 Cor. 8,6. 2 Cor. 4,4. 5. 1,3. Sed non dubitaverunt Christiani, quin ille Dei filius quum hominum naturam induisset genus humanum expiare confectoque quod Deus ei injunxisset negotio coelestes sedes repetere et nutu suo quum omnia, tum alumnorum suorum coetum gubernare debuerit (Joh. 17,2. Gal. 4,4. Phil. 2,11.). Hinc factum est, ut Christus modo ut ecclesiae rector munerumque et beneficiorum dispensator (1 Cor. 12,3. 5. cf. Eph. 4,7. — 11.), modo ut is *dominus* vocaretur, quem homines christ. et ob naturae majestatem dignitatemque a Deo ei traditam et propter summa in se collata beneficia pie observarent (1 Cor. 1,5. 2 Cor. 1,2. Eph. 1,2. al.). Hoc ad nostrum l. pertinet. Manifestum est enim verbis *ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου κύριον Ἰησοῦν* et voce. v. 8. *ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν, ἐν τῷ στόματί σου* explicari et ad v. v. 6. *τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν; τοῦτ᾽ ἔστι Χριστὸν καταγαγεῖν* respici h. s.: quae e fide nata Integritas ita nos cogitare vetans: nemo in coelum ascendet, h. e. ut (salutem agendo effecturus) Christum, hominum sospitatorem, in orbem terrarum deducat (v. 6.) deinceps apud Mosen verba facit *ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν, ἐν τῷ στόματί σου* ad praeceptum de fide quod trado referenda esse (v. 8.) ex eo elucet, quod si ore tuo professus fueris dominum (Dei filium, qui sospitator ad homines venerit summisque eos beneficiis obstrinxerit) esse *Jesum* (Mariae filium) beaberis. Ergo et Mosis verba (*ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν, ἐν τῷ στόματί σου*) ejusmodi sunt, ut professionem dilucide indicent, quâ Jesum dominum esse pie celebres (v. 8.), et patet, de Mosis sententiâ non coelum esse petendum, ut salutem *agendo* parias, sed salute *ab Jesu partâ* utendum esse eamque verbis pie celebrandam. (Jesum, quoniam negotio suo in terrarum orbe praeclare gesto receptus coelo esset, vulgo dominum ab hominibus christ. appellatum esse male e Phil. 2,9 — 11. concludas cum *Reichio* p. 344. Nam ibi haec perscripta sunt: idcirco Deum Jesu summam in coelo dignitatem dedisse, ut eum dominum esse nemo non fateretur.) Sane Jesum dominum esse *ex animi sententiâ* ore tuo profiteri nequis, nisi prius eum reditu ex inferis dominum a Deo constitutum esse credideris. Sed h. l. Ap. *professionem* prius quam *fidem* posuit, quoniam suam interpretationem ad explicandorum verborum ordinem apte accommodari vidit.

Praecedunt enim v. 8. v. ἐν τῷ στόματί σου vocabulis καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου. Itaque v. 10., ubi ordini a Mose servato disputatio non diutius adstringenda erat, fidem prius quam professionem commemoravit. Minime autem iis assentior, qui nimium professioni a P. tributum esse putarunt, quandoquidem improbi passim homines Jesum dominum esse ex animi sententiâ fassi fuerint, sed, ut excusarent qui defendi non posse videretur, eum propterea professionem tantopere h. l. celebrasse contenderunt, quod tum temporis ii valde vexati fuerint, qui se Jesu discipulos esse publice profiterentur Act. 5, 40. (v. *Heum.* cl. *Rueckerto*). Inanis est disciplinae christ. professio a simulatione aut levitate profecta, non ea, quam firma animi persuasio et sincera fides gignit, quâ pietas et virtus continentur (I, 46.). Naturâ ita comparatum est, ut quae animos nostros vehementius moveant cum aliis communicemus. Quare vel naturâ duce fide te Christo addictum esse publice fatearis 2 Cor. 4, 13.. Adde quod muta sapientia infructuosa est. Imo ut aliis prosis, oportet te veritatem profiteri, divulgare et defendere, errorem impugnare. Recte igitur P. non esse fidem expletam et perfectam statuit, ad quam professio non accesserit. In quâ eum sententiâ esse vel ex v. 9. apparet, ubi Mosis verbis v. 8. ἐν τῷ στόματί σου καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ σου nixus ei sempiternam beatitatem promittat, qui ore Jesum dominum esse professus fuerit *et* restitutum eum esse a Deo in vitam crediderit. Sed magis etiam Apostoli sententia e v. 10. elucet, ubi rem minorem (τὴν δικαιοσύνην) fide, rem majorem (τὴν σωτηρίαν) professione effici monet. Est igitur Paulo fidei complementum professio. καὶ πιστεύσῃς, ὅτι ὁ θ. α. ἤ. ἐκ νεκρῶν] His verbis Mosis vocc. v. 8. ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν — ἐν τῇ καρδίᾳ σου ita exponuntur, ut verborum v. 7. τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον; τοῦτ' ἔστι Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν ratio habeatur h. m.: Mosen, quo loco in promtu tibi esse praeceptum, hoc est in animo tuo esse dicit, de *fidei* praecepto, quod ego divulgem, disputare ex eo cognoscitur, quod si Jesum a Deo ex inferis in vitam revocatum esse (eoque Dei filium constitutum esse) apud animum tuum credideris, beatus eris. Sic tecum nos reputabis, quod e fide nata integritas te cogitare apud Mosen vetat, *nemo descendet in orcum*, *ut* (salutem *faciendo* paraturus) *Christum ex inferis ad superos reducat*, sed Jesum salutem peperisse pie credis, quippe quem hominum sospitatorem esse eo Deus declaraverit, quod eum in vitam redire jusserit (v. not. ad 4, 25. I, 249.). σωθήσῃ] *Rueck.*, cui *Reich.*, *Koelln.* et *dW.* assensi sunt, Paulum verbis

bene delectis v. 5. ζήσεται et v. 10. σωθήσῃ collocasse observavit. Nam v. 5. de homine exponi, *qui nondum peccaverit* (?) eique officia dici ut *in vitâ conservetur* (?) facienda, sed v. 9. de homine agi peccatis contaminato et Dei irae poenisque *eripiendo*. Mihi haec argutius quam verius disputata videntur. Sane notio verbo σώζεσθαι subjecta *negativa* est. Notat enim σώζεσθαι *servari* i. e. *non perire* et verbo ἀπόλλυσθαι opponitur (Hom. Il. ρ. 227. Aristoph. Nub. 1177. Acharn. 71. Horat. A. P. 467. Invitum qui *servat* idem facit *occidenti*). Sed qui in N. T. σώζονται, i. e. οὐκ ἀπόλλυνται aut secundae morti Apoc. 2, 11. non subjiciuntur, in Messiae regno constituuntur Luc. 18, 25. 26. 2 Tim. 4, 18. vitamque aeternam consequuntur Eph. 2, 5., quoniam beantur quotquot sempiternis poenis non cruciantur (1 Cor. 1, 18. 2 Cor. 2, 15.). Ignota enim est N. T. scriptoribus hominum, qui neque in geennam conjiciantur, neque sempiternâ vitâ potiantur, conditio. Hinc patet, qui voce σώζεσθαι et ἡ σωτηρία *sempiterno beari*, *aeternam felicitatem consequi* in N. T. declarare possint. — V. 10. Corroboratur sententia v. 9. proposita h. m.: *eum salvum fore, qui ore Jesum dominum esse professus fuerit fidemque quae ejus in vitam reditum complectatur mente conceperit* (non eum, qui fidem tantummodo Jesu adjunxerit) *recte affirmavi* v. 9.. *Nam mente fides concipitur, ita ut* **integritatem** (peccatorum veniam Eph. 1, 7.) *consequaris, ore autem fit professio, quae* **sempiternam felicitatem** *apportet* v. 10.. Itaque ut sempiterno beeris *et* fide *et* professione tibi opus est. Illa enim τὴν δικαιοσύνην, rem minorem, tibi affert Deique iram a te avertit: haec quoniam fidei sinceritatem ostendit aeternam beatitatem tibi gignit facitque ut Deus in te sit benignus (v. 1, 48.). Eminet haec argumentatio, non delitescit. Male igitur *Griesbachius*, *Knappius* aliique versum 10. uncis incluserunt. Simul eos falli perspicuum est, qui (*Reich.*, *dW.* al.) Paulum parallelismi studio ductum ita fidem et professionem distinxisse putant, ut ex illâ τὴν δικαιοσύνην, ex hâc τὴν σωτηρίαν manare contenderet. Neque enim differre τὴν δικαιοσύνην a τῇ σωτηρίᾳ et fidei, non professionis, hunc fructum esse, ut sempiternâ beatitate potiaris (? v. *Reich.*). V. 11. Postquam Ap. hanc sententiam τέλος νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην **τῷ πιστεύοντι** v. 4. satis firmaverat (v. 5. — 10.), hoc ostendendum esse vidit, ὅτι τέλος νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην **παντὶ** τῷ πιστεύοντι. Quod sic fecit, ut loco Jesajae 28, 16. (v. not. ad 9, 33.) voce. v. 8. τοῦτ' ἔστι τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως, ὃ **κηρύσσομεν** muniret h. r.: Mosen l. c. de praecepto fidei, *quod ego tradam* (commendavit autem

P. fidem tum Judaeis tum paganis eamque nemini non conducere docuit 1, 16.) exposuisse v. 8. ex his Jesajae verbis intelligitur: quicunque Christo confisus fuerit (ergo etiam ei fidem habuerit: nam fides fiduciam complectitur) rubore non suffundetur (sed optime cum eo agetur.). Nititur haec argumentatio hâc, quam P. neminem non sibi concessurum esse censuit, sententiâ, idem in tantâ re Mosi, summo prophetae, placuisse, quod postea Jesajae placuerit. Vocem πᾶς P. recte adjecit, quum ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ generatim sumsisset, *qui eo confisus fuerit* (nemine excepto). Versu 11. versum 10. stabiliri male credas. Nam v. 10. non de fide Christo habendâ disputatur, sed sempiterna salus iis portenditur, quorum fidem plenam et perfectam esse professio manifestaverit. Adde quod, si versum 11. arcto vinculo cum v. 10. copulaveris, vocis a P. adjectae πᾶς ratio non patet. V. 12. Vocis sacrae v. 11. veritas ostenditur πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ καταισχυνθήσεται *quicunque Christo confisus fuerit beabitur*, sive Judaeus sit sive paganus. Non est *enim* distinctio tum inter Judaeum tum inter paganum nullumque est discrimen (3, 22.), np. quatenus utrique fide Christo adjunctâ sempiternam felicitatem consequi pariter licet. Nam moribus, relligione, vitae cultu aliisque rebus Judaei et ethnici sane differunt. *Oec.* ad v. 11.: τὴν μαρτυρίαν ἤγαγεν, ἵνα δείξῃ μὴ οὖσαν ἐν τῇ πίστει διαφορὰν Ἰουδαίου καὶ ἐθνικοῦ. Jam Judaeos et paganos per fidem aeque ad salutem messianam admitti (οὐ γάρ ἐστι διαστολὴ Ἰ. τ. κ. ἑ.) ex eo efficitur, quod unus idemque (Christus) omnium hominum dominus sit, quem gentilibus non minus quam Judaeis consulere oporteat, quodque satis opulentus ille dominus sit, qui *omnibus*, a quibus pie colatur, non Judaeis tantummodo, verum etiam paganis, opes (aeternam felicitatem) impertiat (ὁ γὰρ αὐτὸς κ. π. — τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν). Ὁ αὐτός, Subjectum est, κύριος πάντων Praedicatum *idem omnium hominum dominus est. De Wettii* expositio, qui v. ὁ αὐτὸς κύριος Subjectum continere statuit (nam idem dominus *est omnium* i. e. ad omnes homines pertinet, v. not. ad 3, 29. I, 208.) praeterquam quod contorta est sententiam non explet. Hanc enim sententiam jure hic requires ὁ γὰρ αὐτὸς κύριος κύριος πάντων *nam unus idemque dominus omnium hominum dominus est.* Ὁ αὐτὸς *Christus* dicitur (*Oec.*, *Chrys.*, *Boehm.*, *Flatt.*, *Rueck.*, *dW.*, *Meyerus* al.) non *Deus* (*Theodoretus*, *Theophyl.*, *Grot.*, *Turettinus*, *Kopp.*, *Koelln.*, *Reich.*). Sane P. per fidem etiam gentiles integritatem consequi ex eo demonstrat 3, 29. 30., quod *unus* sit Deus, quem non solum Judaeis, sed etiam paganis prospi-

spicere oporteat. Sed inde h. l. τὸν αὐτόν *Deum* dici non sequitur. Nam si Christus recte vocetur κύριος πάντων et contexta oratio poscat, ut de Christo agi fateamur, ad hunc verba ὁ αὐτὸς referenda esse apparet. Deinde de *Deo* exponi e v. v. 17. ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ minime elucet. Nam his v. Ap. ad voce. v. 14. 15. πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος; πῶς δὲ κηρύξουσιν ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; respicit recteque P. v. 17. ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ scripsit, si v. 15. legatorum missionem *a Deo* imperatam esse statuit (cf. 2 Cor. 1, 1. al. ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ διὰ θελήματος θεοῦ). Qui enim repugnet Deum misisse legatos et eos Dei mandatu homines ad fidem *Christo* habendam adducere? Postremo ut hanc, quam refutare conor, explicationem tueare, licenter v. 14. nonnulla inculcare debeas ab Ap. neque scripta neque indicata h. m.: quomodo igitur eum (Deum), *ut hominem christ. decet*, invocabunt, cui non fidem, *qualem homines christ. Deo adjungunt*, habuerint? quomodo autem *talem* fidem ei habebunt etc.? (cf. *Meyer.*). Scilicet Judaei et imploraverunt Deum et fidem ei habuerunt. Sed ii quoque, qui v. ὁ αὐτός recte *ad Christum* rettulerunt infirmis argumentis usi sunt. Sic fuerunt, qui suae sententiae firmamentum ex eo peterent, quod Jesus paulo ante v. 9. κύριος vocatus sit. Non cogitarunt, v. 9. Jesum dominum dici hominibus christ. praepositum ab iisque pie cultum (1 Cor. 8, 6. v. not. ad v. 9.), contra h. l. Christum κύριον πάντων (omnium hominum dominum) vocari ut mundi conditorem et rectorem, qui nihil non Dei mandatu gubernet et tueatur Col. 1, 16. 17. Matth. 28, 18. (Locus Act. 10, 36. — διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ οὗτός ἐστι πάντων κύριος nostri dissimilis est, quum ibi Christus omnium (i. e. et Judaeorum et paganorum dominus eatenus appelletur, quatenus Deus per eum utrorumque saluti providere eumque ab utrisque dominum et servatorem agnosci decreverit, v. v. 35. 36. cl. not. ad v. 9.). Neque hoc illi perspexerunt, invitatu loci Joelis proxime afferendi (v. 13. πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου σωθήσεται) Paulum argumentationem iniisse, cujus fundamentum esset Christi in omnes homines dominatio (κύριος πάντων). Hoc unum eos, qui de Christo h. l. exponi existimant, verum tenere confirmat, quod πιστεύειν v. 14. et ἡ πίστις v. 17. nisi ad fidem in *Christum* servatorem versam referri nequit (cf. 9, 30. 32. 10, 4. 6. 8. 9. 10.). Eundem autem Christum pro potestate ei a Deo commissâ omnium hominum rectorem esse idcirco P. monet, ut omnibus eum hominibus consulere lubenterque non solum Judaeos, verum etiam gentiles, si quidem fidem habuerint

beare par esse significet. Nam principem subditis prospicere decet. Πλουτεῖν εἴς τινα in universum notat *copiis circumfluere quod ad aliquem attinet*. Hoc esse potest I. *divitem esse ita, ut cum aliquo opes tuas participes, ut in aliquem liberalis sis* (Lucian. epist. Saturn. 1, 24. Ταῦτα καὶ πλείω τούτων εὐξαίμεθ᾽ ἄν; ἢν μὴ θέλωσιν τὸ ἄγαν φίλαυτον τοῦτο ἀφέντες ἐς τὸ κοινὸν πλουτεῖν καὶ μεταδιδόναι ἡμῖν τῶν μετρίων. Luc. 12, 21. εἰς θεὸν πλουτεῖν opulentum esse ita, ut copias tuas Deo impertias h. e. ut copiis tuis recte, ut Deus postulat, utaris) II. *divitem esse ita, ut in aliquem liberalis esse possis*. Posterior ratio h. l. valet: *Christus dives est respectu omnium, qui eum invocent* (quod ex animi sententia nisi a fidem habente fieri nequit v. 14.) h. e. tantae sunt Christi opes, ut, etiamsi plurimi h. e. praeter Judaeos etiam pagani eum implorent, *omnibus* tamen satisfacere possit dandaque aeterna beatitate copias suas *in omnes* transferre. (Sed hae Christi opes iis tantummodo suppeditantur, qui eum invocent aut fidem ei habuerint v. 14.. Non enim τὴν σωτηρίαν consequuntur, nisi οἱ πιστεύοντες 1, 16. 10, 4. 10.) Qua re dives sit Christus, P. non adjecit, quum instituta disputatio et res ipsa quemvis docere posset, Christi divitias in eo poni, quod πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτόν sempiternam felicitatem largiri possit (cf. v. 13. σωθήσεται). Male igitur *Grot.*, *Heum.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Kopp.*, *Rosenm.*, *Boehm*, multique alii χάριτι (Eph. 1, 7. 2, 7.) s. χρηστότητι (Rom. 2, 4.) post πλουτῶν mente addendum esse censuerunt. Utrumque nimis generale vocabulum est. Si post πλουτῶν aliqua vox cogitando adjicienda esset, vocabulum τῇ σωτηρίᾳ supplendum esset (cf. v. 13. σωθήσεται). Quae si recte disputata sunt, vanam esse *Reichii* interpretationem elucet, qui πλουτῶν εἰς πάντας κτλ. concise dictum esse putat h. s.: *qui dives est benevolentiâ* (χάριτι supplet, quod v. P. neque scripsit neque cogitavit) *eamque* (sic) *effundit in omnes qui* etc.. *Schleusnerus* Lex. II, 597. et *de Ammon.* verbo πλουτεῖν activam vim tribuerunt (i. q. πλουτίζειν) *qui omnes ditat* (beneficiis ornat) *qui* etc. contra usum loquendi. Ne structura quidem hanc opinionem admittit. Nam pro πλουτῶν εἰς πάντας hoc pacto πλουτῶν πάντας scribendum fuisse quivis intelligit 2 Cor. 6, 10.. *Theophylactus*: πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτὸν] τοῦτ᾽ ἔστι τὸν πλοῦτον ἐν τούτοις ἔχων, τοῖς ἐπικαλουμένοις αὐτόν· ὥςπερ εἴ τις εἴποι ὁ βασιλεὺς πλουτεῖ εἰς χρυσίον καὶ ἀργύριον. Is igitur πλουτεῖν εἴς τι (*divitem esse respectu rei, quam possideas* i. e. *divitem esse re*) h. l. eam vim habere, quam Graecos sic enuntiasse constat: πλουτεῖν τινός, τινι et τι,

arbitratus hanc explicationem iniit: *qui dives est omnibus iis, qui* etc. *cujus divitiae omnes ii sunt*, *qui* etc., Non nego equidem, *potuisse* hoc sensu πλουτεῖν εἴς τι usurpari (cf. ζημιοῦν τινα εἴς τι *aliquem respectu rei, quam ei adimas*, *mulctare* i. q. *aliquem re mulctare.*' Vid. Persaeus ap. Athen. IV, 140. F. καὶ εὐθὺς τοὺς μὲν εὐπόρους ζημιοῖ εἰς ἑπάϊκλα·), sed neminem reperire potui, qui ita loquutus sit. Quamquam contexta oratio *Theophylacti* commentum respuit. Postulat enim v. 13., quo versu v. v. 12. πλουτῶν εἰς πάντας τ. ἐ. αὐτόν sacrâ voce communiuntur, ut hoc Paulum v. 12. dixisse concedamus: tam amplas Christum opes possidere, ut dandâ felicitate aeternâ omnibus iis satisfacere possit, qui eum invocent. Perraro Graeci dixerunt ἐπικαλεῖν τοὺς θεούς (Herodian. 7, 4, 1.), saepissime ἐπικαλεῖσθαι τοὺς θεοὺς (Xen. Cyr. 7, 1, 17. Polyb. 15, 1, 13.) *invocare* (Cic. D. N. D. II, 26. 68. — Junonem Lucinam in pariendo invocant, Liv. 1, 9.), *implorare Deos*. In libris s. loquutio ἐπικαλεῖσθαι τὸν κύριον (1 Reg. 17, 21. קָרָא אֶל־יְהוָֹה) *Jehovam invocare* et ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου (Joel. 3, 5. קָרָא בְּשֵׁם יְהוָֹה invocare eo, quod Jehovae nomen pronunties) valde frequentatur. H. l. de iis sermo est, qui *Christum* invocent. Quem ab hominibus christ. et tum temporis invocatum esse (Act. 9, 14. 21. 7, 59. 22, 16. 1 Cor. 1, 2.) et etiamnum invocari constat. Duobus igitur argumentis, ut supra indicavi, promiscue Judaeos et gentiles si fidem habuerint beari P. hoc vs. docet. Nam hoc tum ex eo elucere dicit, quod idem Christus omnium hominum dominus sit, ut eum paganos non minus quam Judaeos beare *velle* consentaneum sit, tum ex hoc emergere contendit, quod tam opulentus Christus sit, ut *omnibus* qui eum fide habitâ invocent, non tantum Judaeis, sed etiam paganis aeternam felicitatem largiri *possit*. *Rueckertus* p. 481. quae P. h. l. dixit iis minime repugnare, quae de salute nonnullis tantum hominibus fatali necessitate a Deo decretâ 9, 7. sqq. disputavit ostendere conatus est. Nam Paulum h. l. omnibus qui Christum invocent aut fidem ei adjunxerint (v. 14.), sive Judaei sint sive gentiles, aeternam vitam portendere; videri autem eum hoc sibi voluisse, non posse fidem Christo habere eumque pie invocare, nisi quos fatalis necessitas ad fidem Christo habendam compulisset 9, 18. sqq.. Erravit *Rueckertus*. Nam missâ tristi illâ de fato, quod alios homines fidem Christo adjungere, alios denegare cogat, disputatione, toto hoc l. *hominum* a fide abhorrentium *culpam* esse quod non credant, non Dei explicat. *Potuisse* enim fidem animis concipere, sed id facere *noluisse* 9, 32. 10, 2. sq. 16. 21.,

V. 13. Firmat Ap. v. v. 12. πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους αὐτόν voce sacrâ Joelis 3,5. LXX., quam ut nobilem neminique ignotam ita affert, ut V. T. locum ab se citari observare supersedeat, ut 9,7. 10,18.. Male igitur ex eo, quod P. non scripsit ἡ γὰρ γραφὴ λέγει· πᾶς κτἑ., aut eum sua cogitata Joelis verbis enuntiasse (*Flatt.*), aut allata Joelis verba in proverbium abiisse a multis celebratum (*dW.*) concludas. Joelis loco non solum ultima v. 12. verba, sed etiam voce. v. 10. στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν muniri (*Chrys.*, *Theophyl.*, *Meyerus* al.) non verum est. Praeterquam enim quod v. 13. nisi ad finem v. 12. referri nequit, multo latius *professio*, quam *invocatio* patet, quandoquidem Christum non solum invocando, verum etiam te ejus discipulum esse intrepide affirmando aliisque rebus profitearis. Joeli κύριος *Jehovah* est et σώζεσθαι cladi, quam הַגּוֹיִם accepturi sint, eripi. Ceterum Joel de *Judaeis* tantummodo disputat in Zionis monte et Hierosolymorum urbe, ubi tutum iis perfugium paratum sit, servandis. Sed P. κύριον ad *Christum*, σώζεσθαι ad *vitae aeternae beatitatem* et πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου tum ad Judaeos tum ad paganos rettulit h. m.: *dives est Christus, ut omnibus, qui eum invocent, non solum Judaeis sed etiam paganis, (donandâ aeternâ felicitate) opes suas impertire possit* (v. 12.). *Nam quicunque*, ut in Joelis oraculo perscriptum est, *Christi nomen invocaverit*, non solum Judaeus, sed etiam gentilis, *aeternam felicitatem consequetur*.

V. 14—16. Nexus: Neminem non, quicunque Christi nomen invocaverit, non solum Judaeum *sed etiam paganum*, aeternam felicitatem consequuturum esse Joel vaticinatus est (v. 13.). Quum igitur ut sempiterno beatus evadas Christi nomen tibi invocandum sit, neminem implorare aliquem posse nisi magistri divinitus missi fuerint, qui implorandi majestatem exposuerint, in promtu est. (Etenim, si rei ordinem persequi placuerit, eum implorare non potes, cui fidem non adjunxeris: porro fidem ei adjungere nequis, de quo non audieris: tum audire non potes sine doctore: postremo [Dei mandatu] docere nequis, nisi divinitus legatus fueris.) v. 14. 15.. Sed *non omnes gentiles* evangelio a magistris divinitus missis tradito paruerunt v. 16.. Itaque quod *non omnes* gentiles aeternae felicitatis spe potiti sunt, quum Joel v. 13. *nemini non*, qui Christi nomen invocasset, etiamsi esset paganus, aeternam vitam ominatus esset, non Dei culpâ factum est, qui missis legatis curavit, ut pagani et fidem Christo habere et implorare eum possent, v. 14. 15., sed eorum vitio gentilium,

qui evangelium a magistris divinitus legatis traditum hoc effectu repudiarunt, ut Christum neque fide neque invocatione colerent v. 16.. Priusquam hanc interpretationem tuear, de singulis v. disputabo. *Οὖν* valet *igitur* (non *jam vero! Kopp.*, *Tholucc.* al.) h. s.: quomodo *igitur* (i. e. quum, ut sempiterno beeris, Christi nomen tibi *invocandum* sit v. 13.) eum invocabis, cui etc.. Pluralis *ἐπικαλέσονται, ἐπίστευσαν, πιστεύσουσιν* etc. vim habet impersonalem: quomodo igitur *homines* eum invocabunt, cui etc.? wie will man nun den anrufen, an den man nicht geglaubt hat etc.? Luc. 12, 20. Joh. 15, 6.. Perperam ad *ἐπικαλέσονται* et cetera v. 14. verba Subjectum e v. 13. arcessas: *πῶς οὖν* (*οὗτοι, οὓς δεῖ ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου* v. 13.) *ἐπικαλέσονται κτλ.* et v. 15. *οἱ κηρύσσοντες* mente addas ante *κηρύξουσιν* (*dW.*, *Meyerus*). Nempe *generatim* Ap. non posse te eum invocare, cui fidem non habueris etc. v. 14. et 15. monet sententiamque suam generalem v. 16. ad paganos applicat. *ἐπικαλέσονται*] *ἐπικαλέσωνται* A. D. E. F. G. 73. Mt. d. | *πιστεύσουσιν*] *πιστεύσωσιν* D. E. F. G. 70. 73. Mt. 3. | *ἀκούσουσι*] *ἀκούσωσι* A. 80. al. 6. Mt. b. e. f. a 3. Chrys. in Mt. 3. 8. *ἀκούσονται* D. E. F. G. 47. 67. 71. 73. al. 4. Mt. g. q. | *κηρύξουσιν*] *κηρύξωσιν* A. D. E. 17. 73. al. 6. Mt. d. g. Chrys. in Mt. 3. 8. *κηρύσσουσιν* F. G.. *Lachmannus* Conjunctivos (*ἐπικαλέσωνται, πιστεύσωσιν, ἀκούσωσι, κηρύξωσιν*) recepit. Indicativi hoc dicunt: quomodo igitur *invocabunt*, *credent* etc.? wie wollen sie nun anrufen, glauben u. s. w.? Conjunctivis hoc subest: quomodo igitur *invocent*, *credant* etc.? wie sollen sie nun anrufen u. s. w.? Nam Conjunctivo deliberativo non solum in primâ, sed etiam in secundâ et tertiâ personâ locum esse in vulgus constat. Matth. 23, 23. *πῶς φύγητε ἀπὸ τῆς κρίσεως τῆς γεέννης;* ubi v. not. 26, 54. *πῶς οὖν πληρωθῶσιν αἱ γραφαί —;* Cf. *Herm.* ad Soph. Philoct. 1081., *Schaef.* ad Demosth. III, 544., *Stallbaum.* ad Plat. Phileb. Append. p. 6. et *Win.* gr. p. 262., ubi pro „Aristoph. Nub. 438" scribe Soph. Aj. 398. *ποῖ τις οὖν φύγῃ;* Ego Indicativos retinui his argumentis adductus. I. Codices, qui Conjunctivos praebent, in iis exhibendis non satis sibi constant, sed nonnulla continent, quibus Indicativi firmentur. Sic *ἀκούσονται* vulgatum *ἀκούσουσι* corroborat neque *κηρύσσουσιν* est nisi *κηρύξουσιν* depravatum. II. Talibus in l. Indicativus multo altiores quam Conjunctivus (Matth. 23, 33. 26, 54.) radices in N. T. egit. Mr. 4, 13. — *πῶς πάσας τὰς παραβολὰς γνώσεσθε;* Matth. 12, 26. *πῶς οὖν σταθήσεται ἡ βασιλεία αὐτοῦ;* 1 Cor. 14, 16. — *πῶς ἐρεῖ τὸ ἀμὴν ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ;* 1 Tim. 3, 5. — *πῶς ἐκκλησίας*

θεοῦ ἐπιμελήσεται; Rom. 3, 6. πῶς κρινεῖ ὁ θεὸς τὸν κόσμον; 2 Cor. 3, 8. Ubi autem variatur, cordatus criticus Conjunctivum nobiscum respuet. 1 Cor. 14, 7. πῶς γνωσθήσεται [γνωσθῇ D*. F. G.] τὸ αὐλούμενον —; Hebr. 2, 3. πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα [3, 31. al. ἐκφευξώμεθα sic] —; Joh. 3, 12. 5, 47. πῶς — πιστεύσετε [nonnulli πιστεύσητε]; Adde Rom. 6, 2. 8, 32. var. lect.. — *Millius* Prol. §. 1286. Paulum ἀκούσονται, non ἀκούσουσι exarasse contendit: „Qui non ferebant hic verbum passivae terminationis fecerunt ἀκούσουσι;" Imo quoniam in N. T. et ἀκούσω Matth. 12, 19. et ἀκούσομαι usurpatur, oscitanter librarii ἀκούσω pro ἀκούσομαι (v. Joh. 5, 25. 28. varr. lect.) et ἀκούσομαι pro ἀκούσω scripserunt, ut h. l.. πῶς οὖν — — ἤκουσαν;] h. e. πῶς οὖν ἐπικαλέσονται τοῦτον, εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; πῶς δὲ πιστεύσουσιν εἰς τοῦτον, οὗ οὐκ ἤκουσαν; Caret hoc attractionis genus, quod duas orationis partes ita in unam conflat, ut structura non ad praecedens, sed ad sequens verbum accommodetur, exemplorum luce auctore *de Wettio*. Tu cf. v. c. Eurip. Med. 752. ὄμνυμι Γαῖαν — — θεούς τε πάντας ἐμμενεῖν ἃ σου κλύω. 758. — πράξασ' ἃ μέλλω καὶ τυχοῦσ' ἃ βούλομαι. Xenoph. Anab. 1, 2, 2. — ὑποσχόμενος αὐτοῖς, εἰ καλῶς καταπράξειεν ἐφ' ἃ ἐστρατεύετο, μὴ πρόσθεν παύσασθαι κ. τ. λ.. 7, 6, 15. — πῶς ἂν ἔτι δικαίως, ὑμᾶς αἱρούμενος ἀντὶ Σεύθου, ὑφ' ὑμῶν αἰτίαν ἔχοιμι περὶ ὧν (h. e. τούτων περὶ ὧν) πρὸς τοῦτον διαφέρομαι; Rom. 6, 17.. πῶς οὖν ἐπικαλέσονται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν;] *quomodo igitur eum homines invocabunt, cui fidem non habuerunt?* h. e. nemo igitur eum, cui fidem non adjunxerit, invocare poterit scil. *ex animo*. Nam ficto officio simulataque pietate numen implorare potes, quod nullum esse tibi persuaseris. Sed P. de piâ invocatione loquitur, quam sincera fides pepererit. Ἀκούειν τινός h. l. valet *de aliquo audire* (Hom. Il. ω. 490. Usurpatur sic etiam ἀκούειν sequente Accusativo, Ael. V. H. 13, 1. τί γὰρ ὑμᾶς λυπεῖ καὶ ἄντρον Ἀταλάντης ἀκοῦσαι, ὡς τὸ τῆς Καλυψοῦς τὸ ἐν Ὁμήρῳ; Aristoph. Thesmoph. 164. — Φρύνιχος, τοῦτον γὰρ οὖν ἀκήκοας. —. Cic. pro lege Maniliâ 11, 29. — quos [imperatores] aut vidimus aut audivimus, v. *Heum.*). Οὗ Masculinum est, non Neutrum (*Rueck.*). Hoc non solum e v. εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν, sed etiam ex ipsâ re perspicitur. Nam si quod P. h. l. *in universum* dixit: *nemo autem ei fidem adjicere poterit, de quo non audiverit*, in paganos transtuleris, hoc utique affirmatur: non poterunt autem pagani *Christo* fidem habere, nisi *de eo* audiverint (cf. v. 17. 18.). πῶς δὲ κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι;] Pauci interpretes (*Phot.*

ap. Oec., Ambrosiaster, Reichardus, Olsh. al.) supplent παρὰ τοῦ Χριστοῦ, plerique παρὰ τοῦ θεοῦ, quae dissensio v. 17. lectionem διὰ ῥήματος Χριστοῦ genuit. Horum vera sententia est. Sane Christus Apostolos legasse et constituisse, interdum dicitur Act. 26, 17. Eph. 4, 11. Sed hoc Christus fecit, ut Dei, in quo ultima humanae salutis causa est, interpres et vicarius. Hinc P. Apostolorum invitationem et dona iis data frequentius a Deo, quam a Christo repetiit 15, 15. sq. 2 Cor. 3, 5. sq. Gal. 1, 15. Eph. 3, 2. 7. Adjice, quod v. 17. διὰ ῥήματος θεοῦ haud dubie genuinum est et v. 19.—21. loquens inducitur *Deus. Quomodo autem homines docebunt, nisi* (a Deo) *legati fuerint?* i. e. nemo autem docere poterit (np. ita, ut idoneus sit magister 2 Cor. 3, 4, justaque doctoris auctoritate fruatur), nisi a Deo missus fuerit. Nam qui se Apostolos 2 Cor. 11, 13., prophetas Jerem. 23, 21. Matth. 7, 15. et magistros 2 Petr. 2, 1. hominibus obtruserunt recte spreti sunt. Scilicet quos Deus verum non edocuisset, ii vana sua commenta ibi sparserunt, unde lucellum sperassent. Ceterum verbis πῶς οὖν ἐπικαλέσονται — — — — ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; sorites inest, quo Ap. a re effectâ ad rei causas regreditur, donec ad eam pervenerit, quae ei ultima h. l. ponenda erat. Nempe ut non posse te quemquam invocare, nisi divinitus missis legatis, qui ejus, quem invocare debeas, dignitatem tibi explicuerint, Ap. doceat, invocationem fide gigni, fidem notitiâ effici, notitiam afferre doctores, doctores autem facere divinam legationem monet. *De Wettius* putidam *Rueckerti*, quae scholam sapiat, diligentiam vituperat, quâ ille v. v. 15. πῶς δὲ κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; cum vocc. v. 14. πῶς οὖν ἐπικαλέσονται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; connexuerit i. e. Paulum eo quod a causis propioribus ad causas remotiores, donec ad extremam pervenisset, regressus esset hoc docuisse: πῶς οὖν ἐπικαλέσονται, ἐὰν μὴ κηρύσσοντες ἀποσταλῶσι; censuerit. Imo necessariam fuisse Apostolorum *institutionem* Paulum ut se ab Judaeis, a quibus saepe repudiatus esset, defenderet, v. 14. 15. *obiter* observasse *dW.* autumat. Aut *dW.* soritis naturam ignoravit, aut eam Paulo ignotam fuisse putavit, qui pro suâ subtilitate versum 15. non adjecisset, sed verbis πῶς δὲ ἀκούσουσι χωρὶς κηρύσσοντος; percontandi finem fecisset, si quod *de Wettio* in mentem venit docere voluisset. — Fulcit P. v. πῶς δὲ κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; Jesajae voce, 52, 7., quam ipse vertit, quum eam LXX. parum recte transtulissent (v. infra). Ibi vates mente sibi repraesentans nuntium in montibus procul visum, qui jam redire Judaeos duce Jehova ex exsilio alla-

turus sit, *quam venusti sunt,* inquit, *in montibus pedes fausta nuntiantis, qui salutem narret, qui laeta referat, qui liberationem nuntiet, qui Zioni dicat: regem se gerit Deus tuus!* Sed P. prophetam exoptatum eorum adventum celebrare existimavit, qui laetum de Messia bonisque per eum partis nuntium ad homines perferant. Item seriores Judaei de Messia ejusque rebus Jesajam l. c. vaticinari crediderunt. Unde Messiam per montes venturum (Tanchuma 2, 1, 2. Unde Messias venit? Per viam montium S. D. Es. LII.) pacemque allaturum esse collegerunt (Vajikra R. IX extr. Rabbini nostri dixerunt: res magna est pax, quia, quum rex Messias venerit, non aperiet os, nisi in pace S. D. Es. LII.). Fuerunt etiam, qui, quum מְבַשֵּׂר ad Eliam, Messiae praecursorem, rettulissent, eum per tres dies ante Messiae adventum in montibus israeliticis pacem (שָׁלוֹם), bonum (טוֹב) et salutem (יְשׁוּעָה) Israelitis, non hominibus impiis, nuntiaturum esse ex h. l. efficerent (Jalkut Schimoni ad Es. f. 53, 3. Cf. *Wetst.* ad h. l.). ʼ*ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην*] Praeteriit P. verba עַל־הֶהָרִים (*ἐπὶ τῶν ὀρέων*) a suâ causâ aliena. Deinde מַשְׁמִיעַ non expressit, sed ad hoc compendium orationem redegit: מַה־נָּאווּ רַגְלֵי מְבַשֵּׂר שָׁלוֹם. Denique מְבַשֵּׂר utrobique (מְבַשֵּׂר שָׁלוֹם מְבַשֵּׂר טוֹב) *collective* cepit (*τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην, τῶν εὐαγγελιζομένων τὰ ἀγαθά*). Recte. Nam prophetam de *doctoribus* christianis, qui laetum de salute per Jesum Messiam partâ nuntium apportent, agere firme credidit. *ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων εἰρήνην*] Pedum ministerio usi movemur et ad homines accedimus. Hinc elata et poëtica oratio tum alicujus adventum enuntiatura adventantis pedes memorat, tum quae de alicujus adventu valent advenientis pedibus tribuit. Act. 5, 9. *ἰδού, οἱ πόδες τῶν θαψάντων τὸν ἄνδρα σου ἐπὶ τῇ θύρᾳ* —. pedes eorum, qui maritum tuum sepelierunt, ante fores sunt i. e. ii, qui maritum tuum sepelierunt, veniunt proximeque absunt. Nah. 2, 1. הִנֵּה עַל־הֶהָרִים רַגְלֵי מְבַשֵּׂר מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם ecce in montibus pedes laeti nuntii, qui salutem narret h. e. ecce, venit laetus nuntius in montibus incedens. Praeterea interpretes post *L. Bosium* Exercit. p. 114. et *Wetstenium* certatim attulerunt Soph. El. 1350. *Herm.* *ὦ φίλταται μὲν χεῖρες, ἥδιστον δ᾽ ἔχων | ποδῶν ὑπηρέτημα, πῶς οὕτω πάλαι | ξυνών μ᾽ ἔληθας* —; H. l. exclamatio: quam venusti et quos, dum moventur, cum voluptate intuearis eorum pedes sunt, qui laetum salutis nuntium afferunt hanc sententiam continet: quam gratus est salutem nuntiantium adventus. *Εἰρήνη*, שָׁלוֹם, Paulo salutem a Messia partam declarat.

εὐαγγελιζομένων εἰρήνην τῶν] Haec v. omittunt A. B. C. 47. (sed habet in m.) 62. 71. Copt. Aeth. Clemens Alex. Strom. II, 6. (I, 442. ed. *Potter.*) Damasc. Ruf.. Praebent igitur hi *ὡς ὡραῖοι οἱ πόδες τῶν εὐαγγελιζομένων* [*τὰ*] *ἀγαθά*. Unus *Lachmannus* v. *εὐαγγελιζομένων εἰρήνην τῶν* exclusit. Perperam. Manifestum est enim, per errorem illa voce. ab iis praetermissa esse, qui *εὐαγγελιζομένων* prius cum posteriore confudissent. Ex LXX. peti ea verba non potuerunt, quum ii hunc l. longe aliter converterint: — *ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά*. Itaque librarii, si hunc l. nonnullis v. ex LXX. haustis locupletassent, saltem *ἀκοὴν εἰρήνης* pro *εἰρήνην* posuissent, ut recte monuit *Meyerus*. *τὰ ἀγαθά*] Articulum praetermittunt A. B. C. D. E. G. 47*. Damasc.. Delevit Articulum, qui *Griesbachio* suspectus visus est, *Lachmannus*. Male. Nam I. aptissimum sensum fundit, *τὰ ἀγαθά quae Mesias paravit bona*, *bona messiana* (Hebr. 9, 11. 10, 1. *τὰ μέλλοντα ἀγαθά*): II. Verisimile est, Paulum, qui Jesajae locum ad res Messiae rettulisset, messianam, quam ingressus esset, loci interpretationem, Articuli adjectione adjuvisse: III. ex LXX. *τά* addi non potuit: IV. credibile est, scribas, qui est eorum mos, *τά* propterea neglexisse, quod in praecedente membro *εἰρήνην* legitur, non *τὴν εἰρήνην*: V. fieri etiam potest, ut in nonnullis libris omissio verborum *εὐαγγελιζομένων εἰρήνην τῶν* et confusio vocis *εὐαγγελιζομένων* priore loco scriptae cum voculâ *εὐαγγελιζομένων* posteriore l. exaratâ articulo *τά* noceret. Certe A. B. C. Damasc. et voce. *εὐαγγελιζομένων εἰρήνην τῶν* et articulum *τά* omittunt. Ceterum verba *πῶς δὲ κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι;* Jesajae vox Paulo auctore sic comprobat: *non posse te rite docere*, *nisi a Deo legatus fueris* Jesajae exclamatio declarat: quam exoptatus eorum adventus est, qui laetum salutis messianae nuntium perferunt, qui bona messiana narrant! quum propheta *τοὺς εὐαγγελιζομένους εἰρήνην* et *τὰ ἀγαθά*, quorum adventum *laetabilem* esse professus fuerit, haud dubie doctores christ. dixerit *a Deo legatos*. Qui enim Jesajas eorum adventum hominum collaudaverit, qui sibi ipsi hoc sumant, ut rerum messianarum notitiâ homines imbuant? — Plane non intellexerunt Jesajae locum LXX.: *ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων, ὡς πόδες εὐαγγελιζομένου ἀκοὴν εἰρήνης, ὡς εὐαγγελιζόμενος ἀγαθά, ὅτι ἀκουστὴν ποιήσω τὴν σωτηρίαν σου λέγων τῇ Σιών· βασιλεύσει σου ὁ Θεός*. Pro נָאווּ fortasse legerunt נָאוֹת s. נוֹאִי *venustas*, *pulchritudo* (*Buxt.* Lex. talm. p. 1285.), ante רַגְלֵי et מְבַשֵּׂר טוֹב e vs. initio repetierunt —מַה, pro מַשְׁמִיעַ שָׁלוֹם verterunt מִשְׁמַע שָׁלוֹם (Jes. 11, 3.)

et [illegible] ita ad Jehovam retulerunt (manifestabo salutem, ap. per τὸν εὐαγγελιζόμενον ἀκοὴν εἰρήνης καὶ ἀγαθά), ut his v. praecedentium vocc. citatum contineri [illegible] putarent. — V. 16. Redit Ap. verbis ἀλλ' οὐ πάντες ὑπ. τῷ εὐαγγελίῳ ad v. 13. πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου σωθήσεται, ita, ut simul eorum rationem habeat, quas v. 14. et 15. demonstravit: sed (quum quivis *etiam paganus* per piam Christi invocationem beari potuisset v. 13.) *non omnes* (pagani) evangelio (a missis divinitus magistris, uti fieri debuit, iis tradito v. 14. 15.) paruerunt (ut quum ei fidem denegassent neque invocare Christum possent, neque per Christum beari v. 13. 14.). οὐ πάντες] non *Judaei* carpuntur, ut plerisque interpretibus visum est (v. *Chrys.*, *Theophyl.*, *Phot.* ap. *Oec.*, *Beza*, *Bengl.*, *Boehm.*, *Rueck.*, *Reich.*, *dW.*, *Meyer.* al.), sed *pagani* (*Carpz.*; v. infra). ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ] Evangelium fidem sibi vult haberi, aut Deus postulat, ut evangelio fides adjiciatur. Itaque paret (ὑπακούει) evangelio qui ei fidem adjungit (v. proxima Jesajae verba), obstrepit (ἀπειθεῖ) evangelio, qui fidem ei negat (v. not. ad 1, 5. I. p. 16. sq.). *Grotii* explicationem: non omnes se paraverunt ad eam vitam, quam praescribit evangelium, Jesajae verba τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; refellunt, quibus in fatis fuisse, ut non omnes evangelio parerent, Ap. ostendit. Ἡσαΐας γὰρ λέγει] 53, 1. LXX. Citata v. Paulo judice oraculum complectuntur, quo perpaucos Messiae Apostolis fidem habituros esse propheta portenderit. Similiter Joh. 12, 38. ipsi Messiae admodum paucos fidem adjecturos esse Jesajam l. l. vaticinatum esse credidit. τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν;] *ecquis fidem adjecit nuntio a nobis allato* (unserer Botschaft)? i. e. *nemo hoc fecit*, quod passim ὑπερβολικῶς dicitur pro: *quotusquisque hoc fecit*? i. q. *pauci hoc fecerunt* (ut h. l. et 2 Cor. 2, 16.) *Phot.* ap. *Oec.* τὸ δὲ κύριε, τίς ἐπίστευσεν ἀντὶ τοῦ, ὀλίγοι. Cf. etiam *Theophylactum*. De gentilibus autem, non de Judaeis Paulum hic (ἀλλ' οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ) disputare longe certissimum est. Scilicet v. 11.—13. id egit, ut quod v. 4. scripserat τέλος γὰρ νόμου Χριστὸς εἰς δικαιοσύνην παντὶ τῷ πιστεύοντι corroboraturus sempiternam beatitatem neminem non, qui in Christo fidem collocasset eumque pie invocasset consequi, ostenderet. Ibi πᾶς procul dubio hanc vim habet: quivis *etiam paganus*. Perspicuum est autem, Paulum v. 16. verbis οὐ πάντες ad v. πᾶς v. 13. reverti. Quare v. οὐ πάντες v. 16. utique *ad ethnicos* referenda sunt. Si P. v. 14.—16. *de Judaeis* disseruisset, ne secus intelligeretur, v. 16. ἀλλ' οὐ πάντες οἱ Ἰσραηλῖται ὑπ. κ. ε.

scripsisset. Vos tamen Apostolum v. 14—16. de Judaeis loquutum esse. Ita etiam versum 18. *ad Judaeos* referre debes, quod fieri prorsus nequit. Etenim objectio v. 18. μὴ οὐκ ἤκουσαν [οἱ Ἰουδαῖοι]; vel per se absurda est propterea, quod multo majori studio doctrina christ. Judaeis, quam ethnicis ab Apostolis tradita est et ipse Paulus, gentilium doctor, prius eam Judaeis quovis loco obtulit, quam paganis Act. 13, 46. Adde, quod locus Ps. 19, 5. quo P. v. 18. istam objectionem (μὴ οὐκ ἤκουσαν;) diluit, ejusmodi est, ut magistros christianos doctrinam divinam *ad gentiles in ultimas terrarum oras* pertulisse bene doceat (animum adverte ad εἰς πᾶσαν τὴν γῆν et ad εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης), in *Judaeorum* institutionem parum conveniat. Cur enim P. exterorum potius Judaeorum rationem habuerit, quam palaestinensium? Sed tollit omnem dubitationem v. 19., ubi μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω; sic exponendum sit: μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω, scil. ὅτι εἰς πᾶσαν τὴν γῆν πρὸς τοὺς Ἕλληνας ἐξελεύσεται ὁ φθόγγος αὐτῶν; (expende v. 19. et 20.). Effectum est igitur, v. 19. *de gentilibus* sermonem institui. Ne multa. Temere Pauli disputationem pervertunt, qui v. 14—20. de *Judaeis* agi putant. Sed ut v. 14—16. recte intelligas, praeter ea, quae supra monuimus hoc tene, v. 14. et 15. divinitus mittendos esse doctores, ut aliquem de ejus majestate ab illis institutus invocare possis, *in universum* observari: legavisse Deum magistros ad gentiles, ut Jesum Messiam cognitâ ejus majestate implorarent verbis v. 16. ἀλλ᾽ οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ significatum esse. Obsequium enim et praestatur et negatur evangelio *a magistris tradito*. Sententiae optime connexae sunt h. m.: Joel *omnibus etiam paganis* aeternam felicitatem ominatus est, qui Christi nomen invocassent (v. 13.). Quum igitur, ut sempiternâ vitâ potiaris, Christi nomen tibi invocandum sit, neminem certe invocare poteris, nisi magistros Deus miserit, qui ejus, quem invocare te oporteat, majestatem tibi demonstraverint (v. 14. 15.). Sed *non omnes* (*pagani*) evangelio (a magistris divinitus missis exposito) paruerunt fideque, quâ opus est, ut Christum invoces, evangelio negatâ salutis jacturam fecerunt (v. v. 16. cl. v. 13. 14.). Hinc ratio facile concluditur: quod *non omnes gentiles* aeternam felicitatem, quam Christus pro immensis suis opibus in omnes etiam ethnicos, quotquot eum pie implorassent, conferre posset (v. 12. 13.) adepti sunt, id non Dei culpâ factum est (misit enim ad paganos doctores, qui Christi quem implorarent majestatem iis monstrarent), sed eorum gentilium temeritate evenit, qui fide evangelio a divinitus mis-

sis magisteriis explanato negata commiserunt, ut Christum ab hominibus beandis utique invocandum implorare non possent (v. v. 14 — 16. cl. v. 12. et 13.). Plerique interpretes eo lapsi sunt, quod neque rationem, quae versui 16. cum praecedentibus versibus intercedit perspexissent et v. 14 — 16. de *Judaeis* agi sibi persuasissent. Sic PP. gr. (*Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Phot.* ap. *Oec.*) sententiae summam bene assequuti neutrum tamen vitium declinarunt. *Chrys.*: εἰ τοίνυν τὸ μὲν σωθῆναι ἐκ τοῦ ἐπικαλέσασθαι ἦν, τὸ δὲ ἐπικαλέσασθαι ἐκ τοῦ πιστεῦσαι, τὸ δὲ πιστεῦσαι ἐκ τοῦ ἀκοῦσαι, τὸ δὲ ἀκοῦσαι ἐκ τοῦ κηρύξαι, τὸ δὲ κηρύξαι ἐκ τοῦ ἀποσταλῆναι, ἀπεστάλησαν δὲ καὶ ἐκήρυξαν — — — εὔδηλον ὅτι τὸ μὴ πιστεῦσαι ἐκείνων (τῶν Ἰουδαίων) ἔγκλημα γέγονε μόνον· καὶ γὰρ τὰ παρὰ θεοῦ πάντα ἀπήρτισται. Nam et de *Judaeis* v. 14 — 16. exponi sibi persuaserunt et vs. 16. rationem parum recte ceperunt. Sic *Chrys.* et *Theophyl.* v. v. 16. ἀλλ' οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ objectionem complecti finxerunt, qua sententia refutetur, esse τοὺς εὐαγγελιζομένους εἰρήνην v. 15. a *Deo* missos (at non omnes evangelio obsequuti sunt, cui omnes paruissent, si id divinitus missi doctores traderent) eamque objectionem Jesajae 53, 1. verbis refelli putarunt (bene: nam me quominus assentiar Jesajae auctoritas impedit, qui perpaucos doctoribus christ. fidem habituros esse praedixerit, v. *Herm.* ad Vig. p. 826.). Scilicet male illi interpretes accepisse Judaeos doctrinam divinam a doctoribus divinitus ad eos missis Paulum v. 14. *et* 15. indicasse putarunt (v. supra). Inculcarunt enim v. 14. καὶ μὴν ἤκουσαν post οὐ οὐκ ἤκουσαν et καὶ μὴν ἐκήρυξαν καὶ ἀπεστάλησαν εἰς αὐτοὺς πολλοί v. 15. post ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι. *Theodoretus* autem, quocum fecit *Chr. Fr. Schmid.*, v. v. 16 ἀλλ' οὐ πάντες ὑπ. τῷ εὐαγγελίῳ; interrogationem continere putavit, ad quam proximis v. respondeatur: *at num omnes obsequuti sunt evangelio*? Minime. *Nam* Jesajas dicit etc. (v. *Herm.* l. c.). Sic ἀλλὰ μὴ πάντες —; scribendum fuisse nemo non intelligit. *Rueck.*, *Usterius* l. c. p. 274., *Reich.* (cf. *Corn. a Lapide*, *Heum.*, *Kopp.*, *Morum*, *Rosenm.*) Paulum a causâ suâ parumper degressum non posse quenquam a te invocari, nisi doctores, qui invocandi vim majestatemque tibi explicent, ad te missi fuerint v. 14. et 15. eo consilio dixisse censent, ut male se ab Judaeis vexari quod magistri ad gentiles divinitus legati munus susceperit, demonstret. Propugnationem et defensionem evangelii gentilibus expositi nulla vox h. l. nullumque elementum lectori monstrat, quam deprehenderemus, si P. v. 16. dixisset: ἐκήρυξα οὖν τοῖς Ἕλλησι τὸ εὐαγγέλιον παρὰ τοῦ θεοῦ εἰς αὐτοὺς

ἀποσταλεὶς Act. 26, 17. Neque illis interpretibus in v. 16. explicatione aquam haesisse mirum est. *Morus* et *Rosenm.* aut uncis includendum esse v. 16. aut sic cum fine v. 15. copulandum opinati sunt: quam gratus est eorum, qui bona messiana nuntiant, adventus, *quamquam* non omnes evangelio *obsequuntur* (i. e. εἰ καὶ οὐ πάντες ὑπακούουσι τῷ εὐαγγελίῳ). *Rueck.* et *Usterius* Apostolum v. 16. ad id, unde v. 14. et 15. degressus esset, reverti statuerunt: sed (ut unde declinavi v. 11 — 13. eo redeam) non omnes *Judaei* obsequuti sunt evangelio. At v. 11 — 13. πᾶς hâc vi pollet: *quivis etiam paganus.* Itaque v. 16. οὐ πάντες saltem ad *gentiles* referre illi debuerant. *Reich.* sententiam v. 11 — 13. enuntiatam, salutem a Messia paratam non solum Judaeis, *sed etiam paganis* divinitus destinatam esse objectione oppugnari inde petitâ, quod non omnes *Israelitae* (?) evangelio paruerint eamque Jesajae auctoritate tolli sibi persuasit (*nempe* Jesajas dicit, Jesaias sagt ja u. s. w. i. e. pondere destituta est objectio, quum Jesajas admodum paucos Christi apostolis fidem habituros esse vaticinatus sit, v. *Hartungii* Lehr. v. d. Part. d. gr. Spr. I, 473. sq.). Quae alii Paulo objiciunt inducere solet formulis objectionem perspicue indicantibus ἐρεῖς οὖν 11, 19. ἀλλ᾽ ἐρεῖ τις 1 Cor. 15, 35.. Praeterea sententiae a *Reichio* invectae non cohaerent. *Grotius* versum 14. et 15. hanc objectionem ad Apostoli dicta continere: *quum Apostoli non pervenerint in loca omnia, in quibus sunt Judaei, ut in remota Syriae et Aegypti, invocare autem, ut aeternam felicitatem adipiscatur, nemo possit, ad quem magistri non missi fuerint divinitus, videtur adhuc causa in Deo esse, cur multi Judaei aeternum pereant* eamque Paulum deinceps idoneis argumentis refellere opinatus est v. 16. sq.. Talis vero objectio isto l. nasci non potuit, ubi P. non solum Judaeos, *verum etiam paganos* sempiternam felicitatem per fidem consequuturos esse ostendisset v. 11 — 13.. Deinde illa objectio nullâ voce indicata est. Fuerunt autem, ut cognosceretur his fere v. concipienda: ἐρεῖς οὖν· πῶς οἱ ἐν τῇ διασπορᾷ Ἰουδαῖοι ἐπικαλέσονται εἰς ὃν οὐκ ἐπίστευσαν; — — πῶς δὲ κηρύξουσιν αὐτοῖς, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι; Tum melius Ap. argumentum quod secundo l. locavit v. 18. primum adversario opposuisset, quam a secundario argumento, ut adversarium refutaret, profectus esset (v. 16.). Postremo ultimi hujus capitis vs. 19 — 21. *Grotii* opinionem plane non admittunt.

V. 17. Conficit Ap. ex Jesajae voce v. 16.: ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς (ergo fides e nuntio allato nascitur) deinde ipse addit ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ (nuntius autem au-

citur per Dei mandatum h. e. ut nuntius feratur Dei mandatum efficit); ut viam sibi aperiat ad objectionem et faciendam et diluendam: non audivisse gentiles doctrinam divinam aut nuntium Dei mandatu ad eos non esse perlatum v. 18. Non igitur hic vs. P. disputationem perturbat; quâ ducti opinione *Tan. Faber* (epist. crit. l. II. ep. 72. p. 347.) et *Stephanus Gausenus* eum pone versum 20. collocandum conjecerunt, *Griesbachius* autem ed. *minimâ* uncis eum inclusit. *ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς*] Sententia perspicua est: *fidem gignit institutio*. Et recte hanc sententiam e Jesajae verbis v. 16. effectam esse (ἄρα) minime obscurum est. Nam Jesajae querimonia: quotusquisque fidem habuit nuntio a nobis allato? et credere te posse si nuntium acceperis et non posse, si nuntius ad te non perlatus fuerit indicat. Verborum e Jesaja v. 16. citatorum invitatu ἀκοήν P. vocavit, quod alias 2 Tim. 4, 17. τὸ κήρυγμα dixit. *ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ*] Haec v. in P. argumentatione primaria sunt, quum viam ad objectionem v. 18. *ἀλλὰ λέγω; μὴ οὐκ ἤκουσαν;* patefaciant. Idcirco igitur Ap. *ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς* ex Jes. 53, 1. collegit, ut ad principalem sententiam *ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ* gradu perveniret. Quam nego ex Jes. 53, 1. ductam esse, quum ex h. l. non facile consequatur. Arguta enim mihi *Meyeri* ratio videtur, qui Apostolum e compellatione *κύριε* v. 16., quae *Dei jussu* nuntium perlatum esse, cui perpauci fidem habuerint, doceat sententiam *ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ* effecisse censuit. Citius v. *ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ* e vocc. v. 16. *ἀλλ' οὐ πάντες ὑπήκουσαν τῷ εὐαγγελίῳ* (sed non omnes pagani doctrinae *a divinitus missis magistris* traditae paruerunt) collecta esse crederem. Sed P. ea memorante v. 15. dictorum (*πῶς δὲ κηρύξουσιν; ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσιν;*) quod dixi consilium sequutus ipse adjecit, ut nulli dubitationi obnoxia: fidem igitur ex allato nuntio nasci Jesajae v. v. 16. significant; nuntius autem ut perferatur (hoc ipse addo supra v. 15. dictis in memoriam reductis) Dei *mandato* (cf. *Beza*, *Piscator.*, *Flatt.*, *Reichh.*, *Meyer.*) efficitur. Si *ῥῆμα θεοῦ doctrinam divinam* (Eph. 6, 17.), *doctrinam a Deo patefactam*, *Dei dogmata et praecepta* (*Boehm.*, *Tholuck.*, *Reich.* al.) explicueris, sententia non bene comparata est; quandoquidem *ἡ ἀκοή* non ex ipsâ Dei doctrinâ, sed ex ejus doctrinae *expositione* nascitur; sin *ῥῆμα θεοῦ traditam et expositam Dei doctrinam* verteris (*Chr. Fr. Schmid.*, *dW.* al.) precario feceris (nam *ῥῆμα θεοῦ* cum voce *τὸ κήρυγμα* confuderis) et tautologiam in hunc l. intuleris: *nuntii acceptio fit per nuntium acceptum* (v. *Meyerum*). Praeterea P. quum *διὰ ῥήματος θεοῦ* exararet neque ver-

sus 8. rationem habuit (*van Hengelius* Annot. in l. nonnulla N. T. p. 135., *Reich.*) neque verborum v. 18. *τὰ ῥήματα αὐτῶν*, quae jam in mente haberet (*dW.*), sed ad v. 15. respexit (v. supra). Non recte *Heum.*, *Rueck.*, *Koelln.* alii *τῆς ἀκοῆς* vocabulum v. 17. *auditionem* (Gal. 3, 2.) interpretati sunt: fides igitur ex auditione oritur, auditio autem per *traditam et expositam* (sic) Dei doctrinam. Nam ἀκοή vs. 17. idem pollere debet, quod v. 16., e quo Ap. vs. 17. argumentetur. Minime autem illorum ratio verbis v. 18. commendatur *μὴ οὐκ ἤκουσαν*; Haec enim cum verbis v. 17. *ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήματος θεοῦ* cohaereat et hanc sententiam contineat: num carent nuntio, quem Dei mandato acceperint? Perverse hunc vs. enarrarunt *Chrys.*, *Theophyl.* et *Oec.*, qui Paulum v. 17. conclusione ex Jes. 53, 1. facta Judaeos miraculis nimium tribuere solitos refellere opinati ponderosa judicarunt tum v. *ἐξ ἀκοῆς*, quae hanc oppositionem indicarent *οὐκ ἐκ σημείων*, tum voces *διὰ ῥήματος θεοῦ*, quibus hoc significaretur: *οὐ δι' ἀνθρωπίνων ῥημάτων* h. l.: *ἄρα ἡ πίστις ἐξ ἀκοῆς* (non, ut Judaeis videtur, *ἐκ σημείων*) *γίνεται*, *ἡ δὲ ἀκοή* (ne quis eam spernat) *διὰ ῥήματος θεοῦ* (*οὐ δι' ἀνθρωπίνων ῥημάτων*) *γίνεται*. *διὰ ῥήματος θεοῦ*] *διὰ ῥήματος Χριστοῦ*. B. D.* E. 6. 9. 23. 47. 49. 57. 67. ** Copt., Vulg., Clar., Germ., Aug., Ambrosiast., Pel.. Hoc dedit *Lachm.* | *διὰ ῥήματος* F. G. Boern., Hilar.. His nihil tribuere debuerat *Reich.*, tum quoniam in locis, in quibus praeter vulgatam lectionem alia aliquot Codices occupavit, nonnulli librarii utramque aut exarare (ut h. l. Beda *Dei Christi*), aut omittere solent. Vulgata scriptura *Syri*, Clementis Alex., Strom. II, 6. aliorumque auctoritate munita et quam priusquam *Χριστοῦ* in Cdd. fuisse *Bedae* lectio *Dei Christi* ostendat (alioqui *Beda Christi Dei* haberet) genuina est. Scripserunt *Χριστοῦ*, qui v. 15. sic explicuissent: *πῶς δὲ κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσι*; (scil. *παρὰ τοῦ Χριστοῦ*).

Vs. 18 — 21. explanavit *van Hengelus* in l.: Annotatio in loca nonnulla N. T. (Amstelaedami 1824. 8.) p. 133 — 149., sed parum feliciter *). V. 18. Cohaerentia: at

---

*) Viri D. explicatio huc redit. Verbis v. 18. *ἀλλὰ λέγω· μὴ οὐκ ἤκουσαν*; judaicum cavillatorem loquentem induci existimat, qui insistens verbis v. 17. *διὰ ῥήματος θεοῦ*, quod gentilium ad doctrinam christ. invitationem aegre pateretur, haec objiciat: nonne gentiles Dei vocem (np. non Mosis et prophetarum ore prolatam, sed quam *rerum natura* edidisset) audiverunt? i. e. nonne injuste agit Deus, qui Judaeis, quoniam divinae voci auscultare noluerunt, rejectis nunc paganos suo favore amplectatur, qui eadem culpâ teneantur, quum ipsi quoque Dei vocem audiverint? Tum Paulum adversario in hunc modum respondere V. D. opinatur: imo vero

objicio (quum ut nuntius perferatur Dei mandatum faciat v. 17.): num gentiles non acceperunt Dei mandatu nuntium? *Ἀλλά* objicientis est (at dico, obtendo v. 19.), v. *Hartungium* l. c. II, 36. sq.. *Μή* percontandi vim habet et *οὐκ* cum verbo intime cohaeret: *num* (gentiles) *non audierunt*? (Quâ interrogatione P. hoc indicavit: non gentiles non audisse h. e. utique eos audisse.) Cf. v. 19.. Loca nonnulla *Winerus* suppeditat gr. p. 477.. *μὴ οὐκ ἤκουσαν;*] scil. *τὸ εὐαγγέλιον* v. 16.. Quamquam ne opus quidem est ut *τὸ εὐαγγέλιον* aut simile vocabulum suppleas. Nam quemadmodum in hâc P. disputatione *ἡ πίστις fidem Messiae habendam* significat et *ἡ ἀκοή* sine ullo additamento *rerum messianarum cognitionem* denotat, ita ipsum v. *ἀκούειν* declarare potest *res messianas cognoscere*. *Μὴ οὐκ ἤκουσαν;*] scil. *οἱ Ἕλληνες* (ita *Orig.* [non *Chrys.*], *Calv.*, *Vatablus*, *van Hengelus* p. 141.), non *οἱ Ἰουδαῖοι* (sic *Chrys.*, *Oec.* et longe plerique interpretes, nuper *Boehm.*, *Flatt.*, *Thol.*, *Rueck.*, *Koelln.*, *Reich.*, *Meyer.*). V. not. ad v. 14 — 16.. Qui de Judaeis sermonem institui putarunt, ut Psalmi locus rem firmandam comprobaret, conclusiunculam e citatis v. derivatam ipsi paullo liberalius adjicere debuerunt. Cf. v. c. *Chrys.* *τί λέγεις, φησίν; οὐκ ἤκουσαν; ἡ οἰκουμένη καὶ τὰ πέρατα τῆς γῆς ἤκουσαν, καὶ ὑμεῖς*

παρ

---

totus terrarum orbis coelorum concentu personuit i. e. plus tibi concedo quam petis: non eae solum gentes, quibus *Christi* doctrina nunc tradita *est*, Dei vocem jam antea audiverunt, sed nulla omnino gens hâc caruit institutione, quâ ad Deum colendum evocaretur (v. 18.). At vicissim te ipse rogo: nonne Israelitae vocem Dei extraordinario instituto *per Mosen et prophetas editam* cognitam habuerunt eaque temere spretâ dignos se fecerunt, quibuscum Christi doctrina non communicaretur? Profecto. Nam Deus Mose et Jesaja interpretibus usus Israelitas vocem suam audivisse, sed dignos esse qui suo favore privarentur fassus est v. 19 — 21.. Multa V. D. peccata commisit. Si Ap. v. 18. adversarium loquentem induxisset, ita ei scribendum fuisset: *ἐρεῖς οὖν· ἀλλὰ λέγω· μὴ οὐκ ἤκουσαν;* Male post v. *μὴ οὐκ ἤκουσαν;* *van Hengelus* *τὸ ῥῆμα τοῦ θεοῦ* cogitando adjecit eamque formulam Dei vocem, *quam rerum natura edat* exposuit, mire observans cavillatori locum Ps. 19, 5. obversatum esse, quo non ipse cavillator *v. Hengelo* judice postea usus est, sed Paulus, ut cavillatorem refutaret! Perperam V. D. *ῥῆμα θεοῦ Dei vocem* v. 17. explicuit. *Ἀλλὰ λέγω* v. 19. *at ipse te vicissim rogo* valere nequit. Post v. v. 19. *μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω;* falso supplevit *τὸ ῥῆμα τοῦ θεοῦ* idque h. l. *extraordinariam Dei vocem per Mosen et prophetas editam* denotare finxit. Postremo, ne plura adjiciam, Mosis et Jesajae voces v. 19. — 21. citatae Israelitas *divinam institutionem audivisse sed ea se indignos praebere* minime confirmant (v. quae in commentariis diximus). Temere enim V. D. versum 21. ea verba continere, in quibus disputationis cardo vertatur, contendit p. 148..

παρ' οἷς τοσοῦτον οἱ κήρυκες διέτριψαν χρόνον καὶ ὅθεν ἦσαν οὐκ ἠκούσατε; καὶ πῶς ἂν ἔχοι λόγον; μενοῦνγε] Cf. not. ad 9,20.. Refutat Ap. factam objectionem verbis Ps. 19,5. LXX., His psaltes sonum coelorum musicum eorumque Dei majestatem celebrantium verba in ultimas terrarum oras penetrasse h. e. omnibus locis coelorum augustum esse mundi opificem majestate suâ indicantium vim intelligi enuntiavit. Sed P. pronomen αὐτῶν, quod in psalmo ad τοὺς οὐρανούς v. 2. pertinet, haud dubie ad doctores christianos rettulit, αὐτῶν i. e. τῶν εὐαγγελιζομένων v. 15.. Non puto autem Paulum Psalmi verba in rem suam convertisse, quum sua cogitata sacris vocabulis efferre maluisset, quam suis (*Chr. Fr. Schmid.*, *Kopp.*, *Flatt.*, *Morus*, *Rueck.*, *Reich.* al.), sed psalmi vocem pro oraculo, quo doctrinam divinam longe lateque inter gentiles propagatum iri Davides ominatus esset ab eo allatam esse existimo. Nempe de coelis quovis loco Deum laudantibus Davidem loquutum esse P. neque ignoravit, neque negavit, sed illum simul doctrinam divinam καθ' ὑπόνοιαν adsignificasse a magistris christ. inter gentiles longe lateque divulgandam censuit. Haec sententia optime in Pauli ingenium convenit, qui hoc ipso capite haud pauca V. T. loca ita citaverit, ut iis oracula Messiae temporibus ad eventum adducenda inesse existimaret (cf. v. 6. 7. 11. 13. 16. 19.—21.). Neque aliter, Paulum, ut videtur, sequutus (nam paullo post citavit Jes. 53,1.), psalmi locum cepit Justinus M. Dial. c. Tryph. Jud. c. 42. Ἀλλὰ καὶ τὸ δώδεκα κώδωνας ἐξῆφθαι τοῦ ποδήρους τοῦ ἀρχιερέως παραδεδόσθαι, τῶν δώδεκα ἀποστόλων τῶν ἐξαφθέντων ἀπὸ τῆς δυνάμεως τοῦ αἰωνίου ἱερέως Χριστοῦ, δι' ὧν τῆς φωνῆς ἡ πᾶσα γῆ τῆς δόξης καὶ χάριτος τοῦ θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ ἐπληρώθη, σύμβολον ἦν. Διὸ καὶ ὁ Δαβὶδ λέγει· εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν κτλ.. Deinde multo fortior Pauli refutatio est, si sic disputet: immo vero, *id quod fata postularunt*, totum terrarum orbem doctorum christ. vox pervasit etc., quam si ita disserat: imo vero, *ut Davidis verbis utar*, totus terrarum orbis magistrorum christ. voce personuit etc. Tum nostrae explicationi minime officit, quod P. sacram ab se vocem citari expressis verbis non dixit (v. not. ad v. 13. et *Surenhusii* βίβλον καταλλαγῆς p. 21. et 22.). Denique h. l. oraculum non afferendum fuisse, quia de re *factâ* agatur, mire contendit *Reichius*. Quem v. 16. et res ipsa refellit. Quidni enim vanam esse objectionem eo recte doceam, quod vetus oraculum eventum *habuerit*? ὁ φθόγγος αὐτῶν] Explosa nunc eorum opinio est, qui aut LXX., quum ὁ φθόγ-

γος αὐτῶν verterent, קוֹלָם pro קַוָּם in Codice suo invenisse (*Grot.*), aut in ipso textu hebraico קוֹלָם pro קַוָּם scribendum esse olim conjecerunt (v. *Wolf.*). Significat vocabulum *ὁ τόνος*, a v. *τείνω* derivatum, *rem intentam*, *funem* (J. Pollux 10,7. *σπάρτον, τόνον, κειρίαν* Herod. 9,118. *οἱ τόνοι τῶν κλινέων*), tum *vocis intentionem*, *tonum*, *sonum*. Similiter קַו, quod ducitur a v. קָוָה (*tendere*), *funem*, deinde *chordam*, *nervum*, postremo *sonum* declarat. Hoc eo minus mirum est, quod instrumenta musica non nervis e lactibus confectis, sed funibus et filis antiquitus intenta sunt (v. omnino *Ewaldum* et *Krahmerum* ad Ps. 19,5.). Verba *ὁ φθόγγος αὐτῶν* in psalmo *sonum concentumque* coelorum Dei majestatem celebrantium *musicum* (cf. *Wetst.* ad 1 Cor. 14,7.) designant, Paulo magistrorum res messianas divulgantium *vocem* declarant. Verba *εἰς πᾶσαν τὴν γῆν* et *εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης*, e quibus doctrinam christ. Apostoli temporibus ad Sinenses, Indos eosque qui Brasiliam incolerent perlatam esse nonnulli temere collegerunt (v. *Cornelium a Lapide*), populari trutinâ examinata P. sic cepit: *longe lateque* doctrinam christ. ab apostolis inter gentiles disseminatam esse (cf. 1,8. Col. 1,6. 23. Herodian. 2, 11,7. — *οὐδέ τι ἦν γῆς μέρος ἢ κλίμα οὐρανοῦ, ὅπου μὴ Ῥωμαῖοι* [quamdiu respublica staret] *τὴν ἀρχὴν ἐξέτειναν.*). Ostenderat Ap. *πάντα τὸν πιστεύοντα* salute messianâ potiri (v. 11. — 13. cf. v. 4.), quod autem non omnes pagani fidem habuissent, non Dei culpâ factum esse, qui magistros ad illos misisset, sed eorum vitio gentilium, qui magistris fidem denegassent v. 14. — 18.. Jam iis, qui populi israelitici nomen dignitatemque (9,4.) admirarentur, durum et iniquum videri debuisset, si Deus messianam salutem ita cum ethnicis participasset, ut id se facturum esse Israelitas ignorare pateretur, qui, quum a Deo prae ceteris foverentur, super tantâ re non admoniti divinitus salutem per Messiam partam non potuissent non sibi solis destinare. Itaque objectionem, quae suae sententiae (*πάντα τὸν πιστεύοντα σώζεσθαι* v. 11. — 18.) obtendi poterat (at Israelitis non dixit Deus, se summam salutem cum paganis communicaturum esse), invitatu vs. 18. P. sibi ipse facit v. 19., ut eam Mosis et Jesajae oraculis refellat v. 20. sq..

V. 19. *μὴ οὐκ ἔγνω Ἰσραήλ;*] *μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω;* A. C. D. E. F. G. 47. 57. 73. 74. Mt. f. q. Copt., Arm., It., Vulg., Chrys. (etiam in Mt. 3. 8.), Damasc., Hilar., Augustin., Sedul. et alii PP. lat.. Recte haec lectio, quae suâ virtute splendet, a *Millio*, *Griesbachio*, *Knappio*, *Lachmanno* aliisque in ordinem recepta est. Nam voci *Ἰσραήλ*, in quâ primaria vis sita esse debet (num *Israeli*-

tae, *quos rem scire oportebat*, non sciverunt rem?) eum locum assignat, in quo emineat. Cf. 1 Cor. 11,22. *μὴ γὰρ οἰκίας* (quae ipso loco, quo ponuntur a *τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ* distinguuntur, v. proxima v. et v. 18.) *οὐκ ἔχετε εἰς τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν;* LXX. Jer. 8,4. *μὴ ὁ πίπτων οὐκ ἀνίσταται; ἢ ὁ ἀποστρέφων οὐκ ἐπιστρέψει;* Praeterea verborum ordo qui vulgatur a librariis profectus est, qui quum inter describendum alias res agerent *ad verba paullo ante scripta* v. 18. *μὴ οὐκ ἤκουσαν;* vocabulorum v. 19. posituram accommodarunt (*μὴ οὐκ ἔγνω Ἰσραήλ;*). *μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω;*] scil. *ὅτι εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξελεύσεται* (non *ἐξῆλθεν*, *Meyer.*, cf. v. 19. et 20.) *ὁ φθόγγος αὐτῶν καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν*, quae v. e vs. 18. mente repetenda sunt: num *Israelitae* (quibus res manifestanda fuerat, v. supra) non sciverunt (Joh. 7,27. Rom. 7, 15.), np. doctorum messianorum verba in ultimas terrarum oras ad paganos penetratura esse? Veram esse hanc interpretationem oraculorum, quibus mota dubitatio *μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω;* tollitur, v. 19. et 20. argumentum docet. Et multi hujus loci sententiam bene assequuti sunt (*Piscator*, *Turrett.*, *Rosenm.*, *Mor.*, *Kopp.*, *Koelln.* al.), sed quomodo e verbis eruenda esset non ostenderunt. Temere *Beza*: num Israel non cognovit *Deum*? Male etiam *Chrys.*: num Israelitae non intellexerunt scil. *τὰ εἰρημένα* (*Oec. τοῦ κηρύγματος τὴν δύναμιν*, *Olsh. τὸ κήρυγμα τῆς πίστεως*). Emanavit haec interpretatio e falsâ opinione, vs. 16. *sqq.* non de gentilibus, sed de *Judaeis* disputari. Redarguit eam *Ἰσραήλ*, eo praesertim, quo a P. collocatum est (v. suprà) loco positum v. 19.. Nam si toto loco v. 16. sqq. de Israelitis ageretur, vs. 16. commemorandi fuissent, v. 19. *Ἰσραὴλ* insigni cum pondere post *μὴ* locatum ratione destitueretur. Neque *intellexisse Israelitas evangelium* Mosis oraculum Deut. 32, 21. ostendit. Itaque aliâ, quam quae demonstranda erat, sententiâ ex eo repetitâ, *potuisse* Israelitas evangelii vim ex eo cognoscere, quod Mosis oraculum in gentilibus eventum habuisse vidissent, Mosis *loco doceri* opinati sunt (v. *Chrys.* et *Oec.*). Imitatus est hos *interpretes* nuper *Rueck.*: num Israelitae non *perspexerunt* evangelium (np. ut fidem ei adjungere possent)? Qui *tam* tecte Paulum V. T. oraculis ad interrogatum *μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω;* respondere, ut ejus mentem *conjecturâ* fortasse assequi possimus, e verbis certo eruere nequeamus (!) praefatus Mosis oraculo hoc subesse credidit: (sane Israelitae evangelium intellexerunt) nam ut olim teste Mose Deu*s in Israelitas benignus fuit*, *Israelitae in Deum ingrati fuerunt*, ita nunc quoque *Israelitae Dei benignitatem ingrato animo re-*

spuunt (*intellexerunt* igitur evangelium, sed *fidem ei adjungere noluerunt*). *Quare* (?!) quod se facturum per Mosen minatus est, salute ad gentiles translatâ Israelitis sollicitudinem et indignationem commovit. Non cogitavit V. D., *de ingrato Israelitarum in Deum animo* Deut. l. c. agi verbis, quia ex iis rationem concludere noluisset, ab Ap. praetermissis: *αὐτοὶ παρεζήλωσάν με ἐπ' οὐ θεῷ, παρώργισάν με ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν,* vocabulis ab eo positis, quoniam ex iis solis argumentari voluisset, Paulo quidem interprete nonnisi *de salute messianâ ab Israelitis ad gentiles transferendâ* disputari. Venio nunc ad Ven. *Reichii* explicationem haud sane felicem: *num Deus non notos habuit Israelitas? num Deus non favit Israelitis?* (cf. supra II, p. 198. 199.). Nam I. Subjectum *ὁ θεός scribi* debuerat (frustra ad 9,18. provocatur, quum ibi toto l. v. 14. — 19. *de Deo* exponatur): II. P. hoc paeto *τὸν Ἰσραήλ* posuisset, non Ἰσραήλ (v. Matth. 2,6. Act. 13,23. Rom. 10,21. 11,25. 1 Cor. 10,18. Gal. 6,6.): III. obest *Reichii* sententiae verborum ordo *μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω*; quem Paulo tribuendum esse supra vidimus. *Μὴ ὁ θεὸς οὐκ ἔγνω τὸν Ἰσραήλ*; Ap. dixisset: IV. V. T. l. v. 19. et 20. allata favisse (aliquando) Deum Israelitis, vix oblique probant. Ipsa enim hoc dicunt, Deum gentiles in amore habiturum v. 20. eaque re Israelitis sollicitudinem et indignationem moturum esse (v. 19.). *Wetstenius* verba sic jungit: *μὴ Ἰσραὴλ οὐκ ἔγνω πρῶτος*; (cf. Mt. c.) h. s.: num primi Israelitae non cognoverunt np. Deum gentiles beaturum esse? „Antequam gentes vocarentur, imo antequam scirent se vocandas esse, Iudaeis hoc praedictum est." At praeterquam quod haec sententia sic exprimenda erat: *μὴ πρῶτος οὐκ ἔγνω Ἰσραήλ*; non illud grave Paulo h. l. videri debebat, rem prius comperisse Judaeos, quam paganos, sed hoc dicendum erat, innotuisse rem Judaeis. Pejus etiam *Storr.* Opusc. I,85. et *Flattus Wetstenium* sequuti verba ita interpretati sunt: num primi Israelitae non *acceperunt evangelium ab Jesu et Apostolis* (Act. 13,46. Matth. 10,5. 6.)? Neque enim doctrinam divinam Judaeis prius quam paganis traditum iri V. T. loci v. 19. et 20. dicunt. *Μωσῆς*] *Griesb.*, *Knapp.*, *Lachm.* al. *Μωϋσῆς* ex F. G. al., v. not. ad 9,15.. *πρῶτος Μ. λέγει*] *Semleri* interpretationem: *prior nobis Apostolis Moses dicit*, quam ne disputatio quidem Apostoli recipit, vana peperit opinio, *πρῶτος* graece idem notare, quod *πρότερος* *). Sed ne ii quidem hunc l. recte exposuerunt,

*) Qui *πρῶτος* pro *πρότερος* et *πρῶτον* pro *πρότερον* graece dici putarunt eo decepti sunt, quod Latini ubi duo comparant *prius* et *posterius* distinguunt. At Graeci quum quod Latini *prius* cogitas-

qui hoc voce *πρῶτος* indicari putarunt, *post Mosis tempora* idem fere dixisse Jesajam, quod Moses affirmaverit, aut Jesajam

---

sent *primum* mente informassent, *πρῶτον* saepe vocarunt, quod Latini *prius*. Nunquam vero ubi Graeci *πρότερον* cogitassent *πρῶτον* scripserunt, sed vel in *iis* formulis, quae mirae nobis primo obtutu videntur, *πρῶτος primi* notionem exprimit. Joh. 1, 15. — *ὅτι πρῶτός μου ἦν* h. e. vel nam primus erat, si mecum conferatur, vel *ὅτι πρῶτος ἦν καὶ πρότερός μου*. Ael. de naturâ animalium 8, 12 — *οἱ πρῶτοί μου ταῦτα ἀνιχνεύσαντες*. Cf. *Herm.* ad Vig. p. 717. sq., *Dorvillium* ad Charit. p. 478. sq. et *Jacobsium* ad Ael. de nat. anim. III. (non II.) p. 38. Ael. V. H. 5, 18. *Ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλή, ἐπεί τινα φαρμακίδα συνέλαβον καὶ ἔμελλον θανατώσειν, οὐ πρῶτον αὐτὴν ἀπέκτειναν, πρὶν ἢ ἀπεκύησεν.* — *non primum* mulierem interfecerunt, priusquam peperisset. *Primum tempus*, quo Areopagitae praegnantem mulierem *non interemerunt*, duravit usque ad ejus partum. Quo praeterito eam interfecerunt. Itaque vocc. *πρὶν ἢ ἀπεκύησεν* vocem *πρῶτον* exponunt. Multo minus Hebr. 8, 7. *εἰ γὰρ ἡ πρώτη ἐκείνη* [*διαθήκη*] *ἦν ἄμεμπτος, οὐκ ἂν δευτέρας ἐζητεῖτο τόπος.* voc. *πρώτη* vocis *προτέρα* potestatem habet (v. *Win.* gr. p. 222.). Potuisset *ἡ προτέρα* et *ἡ ὑστέρα διαθήκη* opponi. Sed scriptor *numerare* maluit. In computando autem a *primo* ad *secundum* pergi constat. Demosth. pro coronâ p. 328, 26. *Reisk.* — *ἐν οἷς οὐδαμοῦ σὺ φανήσῃ γεγονώς, οὐ πρῶτος, οὐ δεύτερος, οὐ τρίτος κτλ.*. Item Act. 1, 1. *τὸν μὲν πρῶτον λόγον ἐποιησάμην* — bene comparatum est. Recte enim Lucas *primam* historiam evangelium ab se confectum numeravit, quum ante id nullam historiam composuisset. Opposuisset autem *τῷ πρώτῳ λόγῳ τὸν δεύτερον λόγον*, si consilium suum, quod voce *μέν* declaravit, exsequutus esset. Sed imperitissime *Tholuccius* vano commento, *πρῶτος* idem notare quod *πρότερος*, abusus est in libro: Die Glaubwürdigkeit der evangel. Geschichte. Hamb. 1837. 8. quo *tumens inani graculus superbiâ pennas pavoni quae deciderant sustulit seque exornavit, deinde contemnens suos immiscuit se formoso pavonum gregi* (Phaedri Fab. 1, 3.). Sed impudenti avi pennas eripuit rostroque fugavit non S. V. *Lueckius*, qui pavonem permulsit (in indicibus liter. Gotting. 1837, n. 73. — 76.), sed S. V. *Schulzius* in *Zimmermanni* indicibus ecclesiasticis 1837. n. 68. — 71.. *Tholuccius* igitur l. c. p. 182. sq., ut *Straussium* videlicet refutaret, Luc. 2, 2. *αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου.* sic explicuit: hic census actus est, *priusquam Quirinus Syriae proconsul fieret*, *αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη* (*προτέρα*) *ἐγένετο ἡγεμονεύοντος — Κυρηνίου* (i. e. *ἐγένετο πρὸ τοῦ ἡγεμονεύειν τῆς Συρίας Κυρήνιον*). Hoc interpretationis monstro leges grammaticas conculcari vel homines non admodum doctos intelligere recte monuit *Winerus* l. l.. Sed docte nimirum *Tholuccius* p. 184. commentum firmavit loco Jer. 29, 2. LXX. *καὶ οὗτοι οἱ λόγοι τῆς βίβλου, οὓς ἀπέστειλεν Ἱερεμίας ὁ προφήτης ἐξ Ἱερουσαλὴμ πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἀποικίας — — ὕστερον ἐξελθόντος Ἰεχονίου τοῦ βασιλέως — — — ἐν χειρὶ Ἐλεάσαρ — — ὃν ἀπέστειλε Σεδεκίας βασιλεὺς Ἰούδα πρὸς βασιλέα Βαβυλῶνος εἰς Βαβυλῶνα* — ; ubi *ὕστερον ἐξελθόντος Ἰεχονίου τοῦ βασιλέως* haud dubie pro *ὕστερον τοῦ ἐξελθεῖν Ἰεχονίαν τὸν βασιλέα* positum sit. Non vidit *Tholuccius* *ἐξελθόντος Ἰεχονίου* genitivum absolutum esse (paullo enim liberius אַחֲרֵי צֵאת יְכָנְיָה הַמֶּלֶךְ LXX.

δεύτερον numerari v. 20. (*Chrys.*, *Oec.*, nuper *Reich.*, *Meyer.* al.). Nam primum quidem v. *πρῶτος M. λέγει* hanc vim habent: *primus* Moses dicit h. e. ante Mosen *nemo* dixit et post eum *alii* dixerunt (Charito 2, 2. fin. *σύ μοι, φησί, πρώτη Χαιρέαν ἔδειξας*). Deinde illi explicatores ad v. v. 20. *Ἠσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει.* non satis attenderunt. Scilicet Jesajae vocem non ideo P. v. 20. affert, quod post Mosis aetatem edita cum Mosis sententiâ v. 19. congruat (nam hoc pacto v. 20. *Ἠσαΐας δὲ λέγει* Ap. scripsisset), sed propterea, quod audax et luculentum Jesajae effatum iis adjicere placuit, quae Moses non ita confidenter et luculente dixisset. Nam oppositio haec est: *Μωϋσῆς λέγει, Ἠσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει* i. e. *ἀποτολμᾷ λέγων.* Itaque Ap. scivisse Israelitas, Deum salutem messianam gentilibus oblaturum esse, ita ex unius Mosis libris demonstrat, ut, quum alii vates post eum idem enuntiaverint, longe antiquissimi prophetae, qui ne ipse quidem gravem rem silentio praeterierit, auctoritate contentum se fore significet (nam in v. *Μωϋσῆς* hoc pondus situm est: Moses, *populi israelitici conditor*, *antiquissimus Hebraeorum vates*, *qui oracula primus literis consignavit*): deinde praeter necessitatem Jesajae vocem idcirco addat, quod Jesajas rem *confidenter* et *perspicue* affirmet. His argumentis ii quoque refelluntur, qui *μέν* cogitando adjecerunt (*πρῶτος μὲν Μωϋσῆς λέγει*, cf. *Tholucc.*, *Rueck.* et *dW.*). Posset *μέν* omissum videri, si P. v. 20. *Ἠσαΐας δὲ λέγει* posuisset, h. s.: rem efficiendam *duorum* prophetarum testimoniis comprobabo, *primo* Mosis, *deinde* Jesajae. Quamquam ne sic quidem *μέν* praetermissum esset, sed Pauli disputatio ita decurreret: rem Mosis auctoritate confirmabo v. 19.. Jesajas *autem* (ut hunc addam) haec dicit. Nunc Ap. sic disputat: sufficiat, ut unum et praecipuum testem proferam, ad rem confirmandam *Mosis* testimonium v. 19.. Jesajas *autem* (ut hoc adjiciam) *sumtâ audaciâ* idem effatus est v. 20.. Falsum est, quod olim multi philologi quum locos parum subtiliter examinassent vanâ specie delusi crediderunt, *μέν* saepe ante *δέ* per ellipsin dees-

---

translulerunt *ὕστερον ἐξελθόντος Ἰεχονίου postea, nempe quum exisset Jechonjah)* h. s.: haec sunt *verba* libri, *quae nuntiari jussit Jeremias* — exsilio affectorum senioribus — *postea, quum Jechonjah rex exisset*, — *per Eleazarem* etc.. Cf. Luc. Toxaris c. 32. *χρόνον μὲν οὖν τινα οὕτω διῆγον, εἰσιὼν μὲν ὁ Δημήτριος ἀκωλύτως, ῥᾷον δὲ φέρων τὴν συμφορὰν ὁ Ἀντίφιλος. Ὕστερον δὲ ἀποθανόντος ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ λῃστοῦ τινος ὑπὸ φαρμάκων, ὡς ἐδόκει, φυλακή τε ἀκριβὴς ἐγένετο καὶ οὐκέτι παρῄει εἰς τὸ οἴκημα οὐδὲ εἷς τῶν δεομένων.*

se. Imo μέν quotiescunque non scriptum est ne cogitatum quidem est a scriptoribus. Recte autem ibi non ponitur, ubi aut non sequitur membrum oppositum, aut scriptores oppositionem addere nondum constituerant, aut loquentes alterius membri oppositionem quacunque de causâ lectoribus non indixerunt (v. *Lehmannum* ad Luc. Dial. Mort. 18. fin. II, 593., *Kruegerum* ad Xen. Anab. 3, 4, 41. et *Sintenisium* ad Plutarchi Periclem p. 73.). Multis N. T. locis commentitiam vocis μέν ellipsin deprehendisse sibi visus est *Rueckertus* (cf. *Rueck.* v. c. ad Eph. 5, 8. p. 228. ad 1 Cor. 1, 22. 23. p. 56., et ad 2 Cor. 4, 12. p. 125. 214.), recte castigatus ab *Harlessio* (ad Eph. 5, 8. p. 462.), et *Rothius* (in l.: Neuer Versuch einer Auslegung der Paul. Stelle Röm. 5, 12 — 21. Wittenb. 1836 p. 53.), qui loquendi usum ex iis, quae *Zeunius* ad Vig. p. 536. attulisset, satis notum esse perhibuit. At quae *Zeunius* l. congessit ne speciosa quidem sunt. Hom. Il. α, 43. ὣς ἔφατ' εὐχόμενος· τοῦ δ' ἔκλυε Φοῖβος Ἀπόλλων. ι, 265. — καταλέξω, | ὅσσα τοι ἐν κλισίῃσιν ὑπέσχετο δῶρ' Ἀγαμέμνων· | ἕπτ' ἀπύρους τρίποδας, δέκα δὲ χρυσοῖο τάλαντα, | αἴθωνας δὲ λέβητας ἐείκοσι, δώδεκα δ' ἵππους | πηγοὺς κτὲ, et similia l., ad quae temere provocatum est, neminem morabuntur. Locus Plat. Phileb. c. 75. p. 36. Ψευδεῖς, αἱ δ' ἀληθεῖς, οὐκ εἰσὶν ἡδοναί; ad disputationem de vocibus ὁ μέν supplendis pertinet (Hom. Il. χ, 157. τῇ ῥα παραδραμέτην, φεύγων, ὁ δ' ὄπισθε διώκων· v. *Stallb.* l. c. et *Pflugk.* ad Eur. Hec. 1160.), a nostrâ disputatione remotus est. Demosth. pro corona 315, 7. *Reisk.* ἐδίδασκες γράμματα, ἐγὼ δ' ἐφοίτων, ἐτέλεις, ἐγὼ δ' ἐτελούμην, ἐχόρευες, ἐγὼ δ' ἐχορήγουν κτλ. sic demum omissum videri posset μέν, si σὺ [μὲν] ἐδίδασκες γρ. Demosthenes scripsisset (v. *Herm.* ad Vig. 335. 6. p. 838.). At non hominum, sed rerum ab iis factarum oppositionem exstare voluit Demosthenes. Eur. Orest. 454. ὄνομα γάρ, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσιν οἱ φίλοι | οἱ μὴ 'πὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι. oppositio non indicta est. Item Matth. 7, 15. non essé omissum μέν ipse verborum ordo docet, qui talis esse debuerat: — οἵτινες ἐν ἐνδύμασι [μὲν] προβάτων πρὸς ὑμᾶς ἔρχονται, ἔσωθεν δέ εἰσιν λύκοι ἅρπαγες. Item Matth. 10, 28. ut μέν suppleas verba transponere debueris: ἀπὸ τῶν τὸ σῶμα [μὲν] ἀποκτεινόντων. Luc. D. Mort. 23, 3. ἐπεὶ Περσεφόνη συνδοκεῖ, ἀναγαγὼν τοῦτον αὖθις ποίησον νυμφίον (Mercuri)· σὺ δὲ (Protesilaë) μέμνησο μίαν λαβὼν ἡμέραν. absurde suppleas σὺ μὲν, ὦ Ἑρμῆ ἀναγαγὼν κτλ. propterea, quod v. ἐπεὶ Περσεφόνη συνδοκεῖ ad alterum membrum σὺ δὲ μέμνησο μ. λ. ἡ. referri plane nequeunt. Utiliter sane quid librorum profanorum et sacrorum inter-

pretibus vanam ellipsis μὲν speciem toties objecerit multis et idoneis exemplis doceas; sed in aliud nimirum tempus haec late patens disputatio, quam commentarii nostri angustiae non capiant, reservanda est. *Μωϋσῆς λέγει*] Dei verba referens Deut. 32,21.. Retinuit P. translationem LXX., nisi quod pro *αὐτούς* collocavit *ὑμᾶς* et Deum Israelitas alloquentem introduxit. Deuter. l. c. Deus haec dixit: quoniam Israelitae sibi marito curam et iram movissent per *non Deos* quos coluissent, vicissim se sollicitudinem et indignationem conjugi suae i. e. Israelitis (Hos. 1, 2.) moturum esse per *non suam gentem* stolidamque nationem h. e. per Chananaeos, quos in amore habiturus esset. Sed Paulo allegoricam explicationem ingresso Deus hoc simul oblique significasse videtur, se sollicitudinem olim Judaeis injecturum esse propter non gentem, quam amaturus esset, h. e. propter paganos, in quos salutem messianam collaturus esset. Fortasse v. praecedentia v. 20. hanc Paulo interpretationem commendaverunt: *ὅτι γενεὰ ἐξεστραμμένη ἐστίν* (dicuntur Israelitae), *υἱοὶ οἷς οὐκ ἔστι πίστις ἐν αὐτοῖς*. Verte: ego curam vobis movebo *propter* non gentem, *propter* stultam gentem iratos vos faciam. Cf. LXX. 3 Reg. 14,22. Ps. 77 (78.),58. Polyb. 4,7,5. *ἐπὶ πᾶσι τούτοις παροξυνθέντες ἐψηφίσαντο βοηθεῖν τοῖς Μεσσηνίοις* —. Plut. 7, 84. *Reisk.* (Ino) *ζηλοτυπήσασα δούλην ἐπὶ τῷ ἀνδρί.* Male Vulg., quem *Reich.* aliique sequuti sunt: ego ad aemulationem vos adducam *in non gentem, in gentem insipientem* in iram vos mittam. Hoc enim est *παραζηλώσω ὑμᾶς πρὸς οὐκ ἔθνος, πρὸς ἔθνος ἀσύνετον παροργιῶ ὑμᾶς.* Cf. Demosth. contra Aristogit. 805,19. *Reisk.* — *ὅταν ὑμᾶς ἴδῃ παροργισθέντας τι πρός τινας* —. Neque rectius *Bretsch.* Lex. II,220. aliique reddunt: — *per* non populum, *per* populum insipientem h. e. *παραζηλώσω ὑμᾶς ἐν οὐκ ἔθνει, ἐν ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ ὑμᾶς.* (LXX. 3 Reg. 14,22. Ps. 77,58.) *ἐπ' οὐκ ἔθνει*] Praebent v. *οὐκ ἔθνος* unam *non gentis* h. e. gentis hoc nomine indignae notionem. Contende griphum, cujus memoriam Athenaeus conservavit 10,76. (p. 452.) *καὶ τὸ Πανάρκους δ' ἐστὶ τοιοῦτον, ὥς φησι Κλέαρχος ἐν τῷ περὶ γρίφων, ὅτι βάλοι ξύλῳ τε καὶ οὐ ξύλῳ* (ferulâ) *καθημένην ὄρνιθα καὶ οὐκ ὄρνιθα* (noctuam) *ἀνήρ τε καὶ οὐκ ἀνὴρ* (eunuchus) *λίθῳ τε καὶ οὐ λίθῳ* (pumice). Eur. Hec. 947. — *γάμος οὐ γάμος* —. Hor. Sat. 2,3,106. *non sutor*, ubi v. *Heindorfium*. Virg. Aen. 1,198. — neque enim ignari sumus *ante malorum* —. *Kypk.* Observ. II,177., *Wineri* gr. p. 446. et not. ad 9,25.. In textu hebr. gradatio est. Primo enim Chananaei לֹא־עָם *non populus Jehovae*, deinde גּוֹי נָבָל *natio stolida* vocantur.

Sed Pauló, qui cum LXX. utramque vocem vocabulo ἔθνος vertit, verba ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ antecedentium verborum ἐπ' οὐκ ἔθνει explicationem complecti videantur necesse est. Credit igitur gentiles nationis nomine indignos dici propter summam, in quâ versentur, rerum divinarum ignorationem. Nam ἔθνος ἀσύνετον est natio *stulta* (Rom. 1,21. sq. Eph. 4,17. sq.), non *impia*.

V. 20. *Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει*] Jesajas autem (ut hunc addam cf. not. ad v. 19.) *audet et dicit* h. e. audet sumtaque audaciâ dicit, i. q. *audaciam expromit dicendo*, ἀποτολμᾷ λέγων Joh. 12,44. Ἰησοῦς δὲ ἔκραξεν καὶ εἶπεν i. q. ἔκραξεν εἰπών. LXX. 3 Reg. 17,21. — ἐπεκαλέσατο τὸν κύριον καὶ εἶπε. Act. 7,59. καὶ ἐλιθοβόλουν τὸν Στέφανον ἐπικαλούμενον καὶ λέγοντα. Luc. 12,17. καὶ διελογίζετο ἐν ἑαυτῷ λέγων. Perperam *Win.* gr. p. 440. *) *Rueck.* aliique post *Lutherum* („Jesaias aber darf wohl sagen" i. q. J. aber erdreistet sich zu sagen, cf. de hoc archaismo *Heumannum* ad h. l.) transferunt: *audet dicere* h. e. ἀποτολμᾷ λέγειν. Cf. Aesch. c. Ctesiph. p. 76. (ed. *Bekker.* p. 436.) — ἀπετόλμα δὲ λέγειν (Demosthenes) ὡς οὐ κινηθήσεται ἐκ Μακεδονίας. Chariton 1,1. — ἀπετόλμησεν εἰπεῖν (Χαιρέας) πρὸς τοὺς γονεῖς ὅτι ἐρᾷ —. Neque melius plerique interpretes (v. c. *Surenhus.* l. c. p. 490., *Turrett.*, *Kopp.*, *van Hengel.* p. 149., *Flatt.*) explicant: *audacter, libere dicit* h. e. ἀποτολμῶν s. παῤῥησιαζόμενος λέγει. Audaci et ad periculum parato animo sit necesse est, qui superbae et iracundae nationi rem ingratam plane dicat et perspicue. Non hoc fecit Moses, qui sententiam suam verborum obscuritate texerit v. 19.. Nihil enim nisi hoc dicentem Deum induxit: curam se olim et indignationem Israelitis injecturum esse propter paganos, quos ornaturus esset. Sed ornamentum in gentiles conferendum Mosen *salutem messianam* dixisse homines, in qui-

---

*) Coloss. 2,5. εἰ γὰρ καὶ τῇ σαρκὶ ἄπειμι, ἀλλὰ τῷ πνεύματι σὺν ὑμῖν εἰμί, χαίρων καὶ βλέπων ὑμῶν τὴν τάξιν κτέ. esse χαίρων καὶ βλέπων *cum gaudio cernens* recte negavit *Winerus* l. c. (Locus Josephi B. J. 3,10,2. προθυμίας μὲν ὑμᾶς εἰς τὸ φανερὸν εὖ ἔχοντας χαίρω καὶ βλέπω (vos alacritatem ostendere laetor meisque oculis cerno), si sanus esset commentum non firmaret. Sed χαίρω βλέπων e subsidiis criticis reponendum est. Parum enim apta lectio est χαίρω καὶ βλέπων laetor vel de eo quod video —.) Interpretatio tamen a *Winero* proposita *laetans*, *nempe animo cernens disciplinae vestrae ordinem* i. q. *laetans*, *nempe de eo, quod* (*animo*) *cerno d. v. ordinem* displicet. Quin χαίρων ad Colossenses referendum est h. m.: χαίρων (scil. ἐφ' ὑμῖν) καὶ βλέπων κτλ. — animo tamen vobis intersum, laetans *de vobis* mentisque acie vestrae disciplinae ordinem videns.

bus non Pauli esset sagacitas et sollertia, ne suspicabantur quidem. At Jesajas fortem se Paulo judice et audacem eo praebuit, quod nihil ab Judaeorum irâ metuens non solum multo quam Moses apertius Deum summo beneficio gentiles ornaturum esse pronuntiasset v. 20., sed etiam suae sententiae intellectum subjectis de Judaeorum Dei benevolentiam temere respuentium contumaciâ querimoniis adjuvisset v. 21.. Affertur l. Jes. 65, 1. 2., ubi Jehovah facile se ab impiis *Judaeis*, ut opem iis ferret, exorari potuisse fatetur, si resipuissent. Sed Paulo hic l. oraculum continere videtur, quo Deus Jesaja interprete usus summum beatitatis messianae ornamentum gentilibus promiserit v. 20. Jes. 65, 1., deinde de Judaeis conquestus sit, quod suum messianae beatitatis munus per contumaciam spreturi sint v. 21. Jes. 65, 2.. Ut P. Jes. 65, 1. *de ethnicis* agi putaret verba fecisse videntur, quibus ethnicos describi existimasset: *εἶπα, ἰδού εἰμι, ἰδού εἰμι, τῷ ἔθνει, οἵτινες οὐκ ἐκάλεσαν τὸ ὄνομά μου* אָמַרְתִּי הִנֵּנִי הִנֵּנִי אֶל־גּוֹי לֹא־קֹרָא בִשְׁמִי׃ quae voce. vel recentioribus nonnullis explicatoribus fraudem fecisse constat. Quâ interpretatione initâ Jes. 65, 2. ad *Israelitas* referre P. debuit, si quidem quae proxime v. 3. 4. 7. de iisdem hominibus, de quibus v. 2. sermo est, dicuntur attente legerat. Retinuit Ap. verba LXX., nisi quod *ἐγενόμην* pro *ἐγενήθην* posuit, membrum Jesajae posterius *εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν* prius fecit et v. 21. *ὅλην τὴν ἡμέραν ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς* — pro *ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου ὅλην τὴν ἡμέραν πρὸς* — scripsit. Membra Paulum transposuisse, quod *memoriter* locum citasset, S. V. *Gesenio* ad Jes. 65, 1. non concedimus. Nam versu quidem 21. consulto v. *ὅλην τὴν ἡμέραν* primo l. collocavit, ut notio *per totum diem*, *semper* praecipuum pondus acciperet. Sic etiam v. 20. de industriâ membrorum ordinem invertit eique priorem locum assignavit, quod propter majorem perspicuitatem lectorum animos magis feriret documentoque esset, quanta Jesajae audacia fuisset (*εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν*), posteriorem locum ei dedit, quod minus luculente eandem sententiam exprimeret (*ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν*). *εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν*] *repertus sum ab iis qui me non quaerunt* h. e. Paulo interprete favore amplexus sum (*quum messianam felicitatem iis darem*) *gentiles*, qui me non implorant. (De rebus agendis quasi actis Deus loquitur, ut vates solent, qui futura nuntiant. Hinc Aoristi.) Nempe *ζητοῦσι τὸν θεόν* qui *Dei auxilium implorant*, *εὑρίσκουσι τὸν θεόν qui petitam Dei pacem inveniunt et Dei favorem sibi conciliant*, *ut propitium Deum habeant* Jerem.

29,13.. Dicuntur etiam ζητεῖν τὸν θεόν qui cupiditate Deum cognoscendi flagrant et εὑρίσκειν τὸν θεόν qui Deum cognoscunt Act. 17,27.. Sed hanc sententiam *cognitus sum ab iis, qui nullâ me cognoscendi cupiditate incensi sunt* (*Meyer.*) sequens membrum non admittit. Male enim ἐμφανὴς ἐγενόμην vertitur *innotui*. ἐμφανὴς ἐγενομην τ. ἐ. μ. ἐ.] *praesens affui iis, qui me non consulunt* h. e. Paulo judice praesentem opem *eo, quod messianam beatitatem largitus sum*, gentilibus tuli, qui me non colunt. Ἐμφανής *conspicuus factus*, *praesens* Deus vocatur, qui aut in conspectum se hominibus dat aut numen suum rebus humanis interponit et vim suam vel adjuvando vel nocendo manifestat. Aristoph. Vesp. 733. σοὶ δὲ νῦν τις θεῶν | παρὼν ἐμφανὴς | ξυλλαμβάνει τοῦ πράγματος | καὶ δῆλός ἐστιν εὖ ποιῶν. Cic. D. N. D. 3,5,11.. At enim *praesentes* vidimus deos —. Liv. 7,26. 29,18.. Frequentius in hâc re voces ἐπιφανής, ἡ ἐπιφάνεια et ἐπιφαίνεσθαι (LXX. Jer. 29,14.) usurpantur, v. *Dorvillium* ad Charit. p. 285. ed. Lips. et *Wesselingium* ad Diod. Sic. 1. I, p. 29,68.. Perperam *Bretsch.*, *Wahl.* al. ἐμφανὴς ἐγένόμην explicuerunt *innotui*, *cognitus sum qualis sim*. Ἐπερωτᾶν τὸν θεόν valet *Deum consulere* (Thucyd. 1,118. LXX. Num. 23,3. Jos. 9, 14. Jes. 19,3.). Atqui solent homines ab iis tantummodo Diis oracula petere, quos in honore habent et pie colunt. Quare *Deum consulere* poni potest pro *Deum honorare*, *colere*. *Curare Deum* (*Rueck.*) ἐπερωτᾶν τὸν θεόν non significat. εὑρέθην τοῖς] εὑρέθην ἐν (inter) τοῖς B. D*. F. G. [non It. Ambrosiast.]. Hoc ἐν ita recepit *Lachm.*, ut vinculis circumdaret. ἐμφανὴς ἐγενόμην τοῖς] ἐμφανὴς ἐγενόμην ἐν τοῖς B. It. Ambrosiast.. Hae lectiones a correctoribus profectae sunt plus dicere vulgatam scripturam, quam res et veritas concederet, ratis. Nempe *nonnullis* paganis, non omnibus ethnicis Deum felicitate messianâ donatâ propitium se et secundum ostendisse. V. 21. πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει] i. e. *contra in Israelitas* (h. e. Israelitarum ratione habitâ) *haec dicit* (*Wolf.*, *Heum.*, *Boehm.*, *Win.* al.). Cf. Luc. 20,19. Hebr. 1,7. *Kypk.* Observ. I, 303., *Win.* gr. p. 383. et Latinorum formulam *aliquid dicere in aliquem* (v. Phaedri fab. I,22,10.). Non recte *Vulg.*, *Luther.*, nuper *Rueck.* et *Koelln.*: *sed Israelitis dicit*, quâ ratione probatâ verba πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλέγοντα sic capienda sunt: πρὸς ὑμᾶς, οἵτινές ἐστε λαὸς ἀπειθῶν καὶ ἀντιλέγων. Nam neque Jesajas 65,2. Israelitas compellavit, neque hoc eum fecisse nisi loco leviter inspecto Paulus credere potuit. Primo Jes. 65,7. Jehovah Israelitas alloquitur. Accedit quod Ap. v. 20. *in gentiles*,

non *gentilibus* dicta rettulit, quibus nunc ea opponit, quae *in Israelitas* propheta dicat (*Meyer.*). *Erasm.*, *Calv.*, *Beza*, *Grot.*, *Kopp.* al. vertunt: sed *adversus* Israelitas dicit, contra usum loquendi. Nam *πρός* seq. Accusativo personae cum verbis dicendi consociatum non significat *adversus*, sed *ad* quem verba dirigantur exprimit. *λέγει*] scil. non *Deus* (*Grot.*), sed *Jesajas*, qui Dei verba refert, cf. v. 19. et 20.. *ὅλην τὴν ἡμέραν*] *per totum diem* (8,36.), *nunquam non*. His v. praecipuum pondus inesse P. voluit (v. not. ad v. 20.). *ἐξεπέτασα τὰς χεῖράς μου πρὸς λαὸν ἀπ. κ. ἀντ.*] *tetendi passas manus meas ad populum inobedientem et renitentem, ut eum sinu meo complexuque reciperem* (i. e. ut eum foverem et messianâ felicitate cumularem). Tendunt passas manus ad aliquem non solum supplices, v. c. ad Deum precantes Jes. 1,15. Virg. Aen. 3,176., sed etiam amantes, quum hominem dilectum ut amplexum petat invitant, ut h. l.. Dionys Hal. A. R. 6,86 — *ἀλλ' αὐτὴ* (*ἡ βουλή*) *καλεῖ καὶ ἀντιβολεῖ καὶ τὰς χεῖρας ὑμῖν* (qui urbe excessistis) *ἅμα ταῖς πύλαις ἀναπετάσασα ὑποδέχεται·* (v. *Kypk.* ad h. l.) *πρὸς λαὸν ἀπειθοῦντα καὶ ἀντιλ.*] LXX., ut סוֹרֵר ad similitudinem, quâ propheta usus est, פֵּרַשְׂתִּי יָדַי accommodarent, explicationis causâ addiderunt *καὶ ἀντιλέγοντα*: *ad populum inobedientem* (in complexum vocanti non parentem) *et obnitentem* h. e. in amplexum ire nolentem. Eos in codice suo סוֹרֵר וּמוֹרֶה invenisse (*Olsh.*) non credo, quum Deut. 21,18. 20. Ps. 78,8. Jer. 5,23. סוֹרֵר וּמוֹרֶה verbis *ἀπειθῶν καὶ ἀντιλέγων* non reddiderint. Argutantur, qui, ut hic quoque verbo *ἀντιλέγειν contra dicendi* significatum vindicent, Israelitas *λαὸν ἀντιλέγοντα* idcirco vocari observant, quod *dicant*: *nolumus* te nos amplexari Matth. 23,37. (*Meyer.*). Imo Israelitae *ἀντιλέγουσιν* Jehovae eatenus, quatenus in Jehovae amplexum ire nolunt. Valere serioribus Graecis *ἀντιλέγειν* non solum repugnare verbis, sed etiam *reniti re et factis* frustra neges recteque hunc significatum verbo tribuerunt *Schneideri* et *Passovii*. Cf. Joh. 19, 12. *πᾶς ὁ βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι* quisquis regnum affectat Caesari *reluctatur*. *Meyerus*: *hostem se Caesaris* fatetur („er erklärt sich wider den Kaiser") nimirum non verbis, sed *factis*. Apte ibi *Kypkius* citavit Achill. Tat. 5,27. *Περιβαλούσης οὖν ἠνειχόμην καὶ περιπλεκομένης πρὸς τὰς περιπλοκὰς οὐκ ἀντέλεγον καὶ ἐγένετο ὅσα ὁ Ἔρως ἤθελεν* —. Jes. 50,5. LXX., quemadmodum nostro l., *ἀπειθῶ* et *ἀντιλέγω* ut verba idem declarantia componuntur. Hebr. 12,3. *ἀντιλογία* est *renisus* (cf. v. 2.). Neque mirus videri debet hic v. *ἀντιλέγω* usus. Nam quum contradictio aliqua repugnandi ratio sit, ma-

jorem sensim sensimque verbum ἀντιλέγω ambitum nactum generalem *repugnandi* notionem complexum est. Similiter nos Germani Widerspruch erheben non solum qui obloquuntur, verum etiam qui facto renituntur dicimus.

CAP. XI.

ARGUMENTUM.

Objicio igitur (nixus eo, quod Deus in V. T. simul paganis messianam salutem promisit, simul de Israelitis conquestus est, quod eos frustra semper ad illam invitasset 10, 19. — 21.): *num depulit ab se Deus populum suum eumque abdicavit?* Minime vero. Nam ego quoque Israelita sum, Abrahami nepos, Benjaminita (v. 1.). Non abdicavit Deus populum suum, cui ante mundi primordia favisset. Imo quemadmodum Eliae temporibus Deus aliquod piorum Israelitarum seminarium sibi relliquit, ita nunc quoque aliquos piorum Israelitarum *benigne* delectorum relliquias esse voluit (v. 2. — 5. cf. 1 Reg. 19,10. 14. 18.). Si autem, ut modo dicebam (v. 5.), *per Dei benignitatem* proborum Judaeorum relliquiae exstiterunt, jam non *per bene facta, quae justam mercedem a Deo poscunt*, exstiterunt: alioquin divina benignitas, quae pios Israelitas restare jussit, benignitatis, quam gratuitam esse nemo ignorat, naturam perdidisset: sin contra (quod judaicae stirpis Christianis placere solet) *bene factorum vi ac merito* piorum qui Christo fidem haberent Israelitarum relliquae exstiterunt, *nulla jam Dei benignitas est* (quod vel cogitare scelus tibi recte videatur!): nam si Dei benignitati locus sit, pulcre facta pulcre factorum, quae Dei favorem tanquam justum praemium expugnant, vim amiserint necesse est (v. 6.). Quid igitur (quum Deus *aliquos* Israelitas, qui fidem Christo pie habeant et per pietatem beentur, benigne delectos restare jusserit v. 2. — 6.) sequitur? Nempe hoc: quam integritatem sempiternamque felicitatem appetit *Israelitarum populus*, eam non consequutus est (neque enim *omnes* Israelitas benigne Deus delegit, sed admodum paucos v. 5.), sed *delecti Israelitae* adepti sunt: ceteri autem (quippe in delectu a Deo praeteriti) contumaces a Deo redditi sunt (v. 7.), ut vetera Mosis [Deut. 29,4.], et Davidis [Ps. 69, 23. 24.] oracula denuntiarunt (v. 8. — 10.). Dico igitur (quum Israelitas in delectu neglectos Deum obstinatos reddidisse scripserim v. 7.): num Israelitas in delectu praeteritos eo Deus consilio fide Christo negatâ peccare jussit, ut eos beatitate messianâ privaret et miseros redderet? Minime. Sed eorum peccato Deo moderante messiana salus paganis obtigit, ut (rem per Mosen denuntiatam perfecturus 10, 19.) curam iis moveret, quâ ad imitandam paganorum fidem, ne felicitate messianâ exciderent, incitarentur (v. 11.). Si autem Judaeorum, qui Dei jussu obduruerunt, peccatum felicitatisque messianae jactura ab iis facta gentiles ditavit, quanto magis (*summa est enim populi jud. majestas*) recuperatâ Dei gratiâ eorum divitiae gentiles ditabunt! (v. 12.). Vos enim, ne hanc sententiam mihi *gentilium apostolo* parum decoram esse putetis, haec considerate, gentiles. Quatenus sum *gentilium apostolus* munus in me collatum eo conspicuum reddo quod experior, si forte Judaeis curam injiciam eorumque

nonnullos messianae felicitatis participes faciam (v. 13. 14.), quum *Judaeorum* felicitas *vobis* saluberrima futura sit (v. 15.). Mementote autem, ne *patriarchas* Deo carissimos fuisse *eorum posteros* divino favore excidisse mihi objiciatis, si primitiae Deo sacrae sint, massam quoque esse, quia primitiae massam consecrent, et si stirps Deo sacra sit, ramos pariter esse (v. 16. h. e. si patriarchae, qui progeniem suam Deo sacraverint, Deo sacri et accepti sint, item patriarcharum posteros Deo sacros et gratos esse). Fortasse haec mihi objicitis: *excisi rami sunt, nos stirpi insiti sumus* (abdicavit Deus Judaeos, nos benevolentiâ complexus est). Mementote igitur, primo *non omnes* ramos defractos esse (i. e. non omnes patriarcharum posteros divini favoris jacturam fecisse), deinde stirpi insitos ramos a radice sustineri, non vicissim radicem ab insitis ramis (h. e. divini favoris adeptionem ethnicos patriarchis, non patriarchas ethnicis acceptam referre. Absurde igitur homines sperneretis, quorum majoribus summum ornamentum debetis, v. 17. 18.). At idcirco qui in olivâ fuerunt rami excisi sunt, ut *vos* arbori insereremini (h. e. eo consilio Deus Judaeos abdicavit, ut vos favore amplecteretur v. 19.). Recte; sed ad causas attendite. Excisi Judaei sunt *propter fidei inopiam*, vos contra *propter fidem* salvi estis. Nolite superbire, in metu potius vivite, ne fidei jacturam faciatis et divino favore privemini (v. 20.). Nam si Deus ramis in olivâ natis non pepercit, vereor, ne vobis quoque (oleastri ramis in oleam immissis) non parcat (v. 21.). Videte igitur benignitatem et severitatem Dei, in Judaeos qui peccarunt severitatem, in vos bonitatem, si in bonitate (eo quod fidem retinueritis) perseveraveritis: alioquin vos quoque exsecabimini (v. 22.). Etiam Judaei vero, si contumaciam deposuerint, olivae inserentur. Ad id enim potens est Deus, ut eos in olivam restituat (v. 23.). Quippe facilius defractus termes suae arbori inseritur adjuvante naturâ, quam repugnante ramus ex oleastro excisus in aliam arborem (in nobilem olivam) transfertur (v. 24.). Nam ne quo statu res sit ignoretis, aliquod mysterium vobis aperiam. *Scilicet Deus Judaeorum contumaciae finem tum imponet, quum gentilium caterva Christi sacra amplexa fuerit atque ita totus Israelitarum populus salutem sibi per fidem comparabit* (v. 25. et 26.). Haec eventura esse Jesajas 59, 20. et 27, 9. oblique denuntiavit (v. 26. et 27.). Neque incredibilis totius populi judaici ad Christi sacra accessio vobis videbitur haec reputantibus. Odit Deus nunc Judaeos eosque a Christi disciplinâ arcet, quoniam *vestrae* saluti providere voluit (v. 11.); at *diligit eos ut patriarcharum ab se delectorum posteros* (v. 28.). Nam Deum non poenitet quum donorum, quae alicui destinaverit, tum ad salutem messianam invitationis, quam alicui decreverit (v. 29.). Nimirum quemadmodum Deus paganorum inobedientiam Judaeorum contumaciâ sanavit, ita vicissim Judaeorum contumaciae paganorum obedientiâ medebitur (v. 30. et 31.). Nam utrosque Deus in contumaciam conjecit, ut erga utrosque benevolentiam conferret (v. 32.). Nunc quotusquisque tam ferreus est, ut quam copiosa Dei opulentia sit et quam abdita ejus sapientia et scientia, sine summa animi commotione sentiat? (v. 32. — 36.). Pie Deus celebretur! (v. 36.).

V. 1. *Λέγω οὖν, μὴ ἀπώσατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ; μὴ γένοιτο· καὶ γὰρ ἐγὼ Ἰσραηλίτης εἰμί, ἐκ σπέρματος Ἀβραάμ, φυλῆς Βενιαμίν.* 2. *Οὐκ ἀπώσατο ὁ θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ, ὃν προέγνω. Ἢ οὐκ οἴ-*

δατε ἐν Ἠλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή; ὡς ἐντυγχάνει τῷ θεῷ κατὰ τοῦ Ἰσραήλ· 3. Κύριε, τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν, [καὶ] τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν, κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου. 4. Ἀλλὰ τί λέγει αὐτῷ ὁ χρηματισμός; κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας, οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ. 5. Οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν. 6. Εἰ δὲ χάριτι, οὐκέτι ἐξ ἔργων, ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκέτι γίνεται χάρις· εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον. 7. Τί οὖν; ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραήλ, τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν, ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν· οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν, 8. καθὼς γέγραπται ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως,' ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. 9. Καὶ Δαυὶδ λέγει· γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς θήραν καὶ εἰς σκάνδαλον καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς· 10. σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διὰ παντὸς σύγκαμψον.

Ex eo, quod Deus tum gentilibus messianam felicitatem per Mosen et Jesajam pollicitus esset (10,19. 20.), tum de Israelitis Jesaja usus interprete conquestus esset quod frustra semper eos passis manibus ad salutem messianam invitasset (10,21.), haec alicui suspicio incidere potuit, *rejecisse Deum nationem israeliticam*, hoc eum citatis 10, 19. — 21. locis significasse rato: *propterea se messianam beatitatem ad paganos transtulisse, quod frustra semper Israelitas ad eam invitasset nolleque se passas manus ad eum populum tendere diutius.* Hanc P. suspicionem ipse movet, ut eam vanam esse doceat 11, 1. Ostendit igitur, non esse Israelitarum nationem a Deo rejectam ex eo elucere, quod *aliquos* Israelitas benigne Deus delegisset, qui per Christum bearentur v. 1. — 6.. Quare rem hanc esse exponit: delectos a Deo Israelitas messianae salutis participes factos esse, ceteros Israelitas contumaces Deum reddidisse, qui salutem contemnerent v. 7. — 10. sapienti quidem consilio ductum v. 11. — 24., neque in perpetuum, sed ad tempus v. 25. — 32..

V. 1. λέγω οὖν· μὴ ἀπ. ὁ θ. τ. λ. αὐτοῦ;] *objicio igitur* (scil. nixus eo, quod Deus in V. T. simul paganis messianam salutem promisit, simul de Israelitis conquestus est, quod eos frustra semper ad illam invitasset 10,19. — 21.): *num depulit ab se Deus populum suum eumque abdicavit?* Hanc ex ante (10, 19. — 21.) dictis natam (*Orig.*) objectionem P. ipse facit, ut eam inanem esse demonstret (*Erasmus* al.), non Judaeum sibi responsantem inducit, ut contra eum disputet verbis μὴ γένοιτο etc. (*Beza*, *Grot.*). Male *Tholuccius* et *Reich.* Apostolum, cui *non totum* Israelitarum populum a Deo rejectum esse h. l. ostendendum esset, parum subtiliter loquutum esse statuerunt, quod non μὴ ἀπώσατο ὁ θεὸς ἅπαντα τὸν λαὸν αὐτοῦ; scripsisset. Neque enim *universus* Israelitarum populus *nonnullis* Israelitis opponitur (*Kopp.*), sed *rejectam* esse nationem israeliticam eo negatur, quod aliquos Israelitas suo Deus favore amplexus sit. Pondus non in vocc. τὸν λαὸν αὐτοῦ, sed in verbo ἀπώσατο recumbit, quod primo l. positum est. Poterat aliquis lectis V. T. l. 10, 19. — 21. *rejecisse* Deum populum israeliticum suspicari; sed hanc suspicionem errore niti ostenditur v. 1. sq.. *Rueckertus*, quoniam P. sententiam supra expositam *nunc quidem nationi israeliticae summum Dei beneficium negari* h. l. non retractet, sic explicat: num *omnino et in perpetuum* Deus suum populum rejecit? At *Israelitarum nationi* divinum favorem ademtum esse P. non dixit c. 9. et 10., sed *delectos* tantummodo Israelitas per Messiam beari exposuit 9,6. sq. 24. magnamque Judaeorum partem, quod Christo fidem adjicere noluissent, felicitate messianâ excidisse ostendit 9, 30. sqq.. Et istud *omnino et in perpetuum* P. scripsisset, si cogitasset, quum praesertim primarium pondus in hâc disputatione habiturum esset. Ἀπωθεῖσθαί τι et τινα valet *aliquid* (Aristoph. Pax 1090.), *aliquem* (Thucyd. 3,55.) *ab se depellere*. Paulo l. Ps. 93 (94), 14. LXX. obversatus esse videtur ὅτι οὐκ ἀπώσεται (יִטֹּשׁ) κύριος τὸν λαὸν αὐτοῦ —. (v. *Beza*). In N. T. communis dialecti formae ἀπωσάμην et ἐξῶσα regnant, atticarum, quae habent augmentum syllabicum (Thomas M. p. 403. *Bern.* ἐωσάμην καὶ ἀπεωσάμην καὶ διεωσάμην· τὸ δὲ χωρὶς τοῦ ε λέγειν ταῦτα ἀνάττικόν.), nullum ibi vestigium est, nisi quod Act. 7, 45. E. ἐξέωσεν praebet pro ἐξῶσεν. In *Wineri* gr. p. 68. lin. 19. ed. 4. tolle vitium typographicum steht et scribe statt. τὸν λαὸν αὐτοῦ] F. G. Boern. al. τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ. Glossema fortasse e Ps. 93 (94), 14. ductum. τὸν λαὸν αὐτοῦ.] τὸν λαὸν αὐτοῦ, ὃν προέγνω; A. D. 76. *Clar.*, *Chrys.* (etiam in Mt. 3.), *Theophyl.*, *Aug.* semel, *Ambrosiast.* in comment.. Hoc ad-

additamentum *Grotio* probatum *Lachm.* recepit, sed ut uncis includeret. Haud dubie librarii v. ὃν προέγνω adjecerunt e vs. 2. repetita. Nam ut optimum sit ἀντίθετον verborum προέγνω et ἀπώσατο: num *rejecit* Deus populum suum *prius amatum*? (*Grot.*), melius tamen vulgata lectio comparata est, quam *Grotiana*. Illâ enim retentâ Ap. primo objectionis vanitatem suo exemplo confirmat v. 1., deinde inanem eam esse novo eoque gravi argumento addito asseverat v. 2. οὐκ ἀπ. ὁ θεὸς τ. λ. αὐτοῦ ὃν προέγνω: hâc susceptâ versu 2. sententia vs. 1. tantummodo iteratur. Accedit, quod ii interpretes vocc. ὃν προέγνω e vs. 2. addidisse videntur, qui de piis tantummodo Israelitis et quorum fidem Deus praevidisset h. l. agi temere opinati sunt (cf. v. c. *Chrys.*, *Theophyl.* et *Ambrosiastrum* et v. not. ad v. 2.). Paulus sententiam, quam proposita objectio continet, verbis μὴ γένοιτο abominatus, falsam eam esse suo ipsius exemplo docet. Hoc ab omnibus interpretibus praeter *dW.* et *Meyerum* (v. infra) recte conceditur. *Καὶ γὰρ* h. l., ut saepissime, *nam etiam* denotat, quae res quum librarios et nonnullos etiam V. D. praeterisset multis l. καὶ γὰρ καὶ temere vel requisitum vel etiam inculcatum est (v. *F. V. Fritzsche* Quaest. Luc. p. 142. sq. et ad Aristoph. Thesmophoriazusas p. 58. sq.). *nam ego quoque Israelita sum.* Grave suum Paulo exemplum videtur; non propterea, quod qui olim Christianorum coetum vexasset Gal. 1,13. 1 Cor. 15,9. nihilo minus tamen in Dei favorem venerit (*Beng.*, *Kopp.*, *Rueck.* al.), neque quod Deum nationem israeliticam abjecisse ipse c. 9. et 10. docuerit (*Tholucc.*; cf. supra), sed idcirco, quoniam Deus se *apostolum* constituerit. *Chrys.*: ἐγώ φησιν, ὁ διδάσκαλος, ὁ κήρυξ. Sensus: si Deus populo israelitico nuntium remisisset, non ille me, Israelitam, Christi apostolum fecisset neque meae fidei sua arcana commisisset 1 Cor. 4,1.. Mire *dW.* et *Meyerus* verbis καὶ γὰρ ἐγὼ Ἰσρ. εἰμὶ κτἑ. vocem μὴ γένοιτο hoc sensu corroborari credunt: abominor hanc sententiam reipublicae israeliticae studio meorumque civium amore motus. Non senserunt, jejunam sententiam hoc pacto in hunc l. inferri: dico *absit hoc*, quoniam ego quoque Israelita sum, quem sententiam Israelitis minime honorificam probare dedecet. Quin gravis objectio idoneo argumento refellenda erat, ut alias a P. factum est (6,1. 15. 7,7. 13. al.). Praeterea male *Meyerus* quasi concedatur aut possit concedi versu demum 2. v. v. 1. μὴ γένοιτο argumento firmari sumsit. Quidni enim Ap. μὴ γένοιτο versu 1. muniverit, deinde sententiam communitam vs. 2. ita repetierit, ut *novum* argumentum adderet (οὐκ ἀπ. ὁ θ. τὸν λαὸν αὐτοῦ,

ὃν προέγνω)? Postremo unius cujusdam Israelitae in tutelam a Deo recepti, *apostoli* maxime, exemplum Deum nationem israeliticam non abjecisse sane probat. Qui exitium genti parat, nemini, si sibi constat, eorum parcit, e quibus gens constat. Ἰσραηλίτης h. l. non honorificus titulus est, ut 9, 4. (*Rueck.*), sed vulgatum Judaei nomen, invitatu loci 10,21. πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει positum. ἐκ σπ. Ἀβρ., φυλῆς Βενιαμίν] His v. germanum se Judaeum esse Ap. significat: *sum Abrahamida*, *sum Benjaminita*, *non Ephraimita*; sum Abrahami nepos per Benjaminum, tribui igitur adscriptus sum, quae cum tribu judaicâ theocraticam civitatem constituit Esr. 4, 1.. Quare meum exemplum idoneum est, quo populum judaicum a Deo non rejectum esse demonstrem. *Non proselytum Paulum esse aut recens in civitatem israeliticam insitum* (*Pelag.*, *Calvin.*, *Rueck.*, *Reich.*) illis verbis non dicitur. Hoc P. sic enuntiasset: Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων Phil. 3, 5.. *Koppius* v. ἐκ σπ. Ἀβρ. φυλῆς Β. nihil facere ad rem commonstrandam, sed Paulum Judaeorum more, quum de natalibus suis loquerentur rerum suarum studio ad stirpem ipsam, unde genus ducerent, ejusque primum auctorem redire solitorum, verbosius, quam opus fuisset, genus suum exposuisse censet. Quod non concedendum est et quia grave suum exemplum esse Paulo indicandum erat et quoniam magnâ vi novo etiam argumento addito rejecisse Deum nationem suam continuo negavit v. 2..

V. 2. Postquam Ap. objectionem v. 1. propositam nullam esse suo ipsius exemplo ostendit, v. 2. non rejecisse Deum populum suum graviter ita affirmat, ut id absurde statui novo argumento verbis ὃν προέγνω concepto indicet. Sunt igitur ea sic enarranda, ut ἀπώσασθαι τὸν λαόν et προγνῶναι αὐτόν vehementer repugnet. Quod tum hâc interpretatione efficitur: — de quo populo antea (ante mundi primordia) decretum (eum beandi) fecit (*Augustinus* de bono perseverantiae II, 18. *nuper Kopp.*, *Tholucc.*, *Rueck.* *Koelln.*; v. supra II, 200. sq. et Rom. 11, 29.), tum hâc explicatione effectum redditur: cui populo antea (ante mundum conditum) favit (*Erasmus*, *Calvinus*, *Vatablus*, *Turrettinus*, *Reich.* al., cf. supra II, 199. et Rom. 11, 28.). Valde enim repugnat Deum, qui semper sibi constat, ante mundi primordia nationi israeliticae aut salutem decrevisse aut favisse eundemque postea eam nationem rejecisse et salutem ei ademisse. Unde non consentaneum est putare rejectum esse a Deo populum israeliticum, quandoquidem sic absurdam sententiam probare debeas, nunc Deum inimicitias cum iis gerere, quos ante mundum conditum au

beatos esse voluerit, aut favore suo amplexus sit. Melius tamen mihi posterior interpretatio placet non solum propter 1 Cor. 8,3. Gal. 4,9. 2 Tim. 2,19., sed etiam idcirco, quod acutius, quam prior enarratio, antitheton verborum ἀπώσατο et προέγνω efficit. Non continent v. ὃν προέγνω rationem, quae Deum populum suum rejecisse temere existimari doceat, si hanc explicationem inieris: non repudiavit Deus populum suum, quem (cujus ingenium) antea (ante mundi initia) notum habuit (cf. II, 198.) h. e. quem sui studiosum et Christo fide addictum fore praevidit. At sic hoc dici *Meyerus* obvertit: non repudiavit Deus populum suum, cujus bonam indolem ante mundi primordia perspexisset: nam si eam nihilo minus repudiasset, Deus *errasset* et improbos homines probos fore putasset, quod fieri nequit. Imo si Deus nationem israeliticam, cujus praeclaram indolem ante mundum conditum perspectam habuisset, tamen postea rejecisset, eam nationem pro suâ omnipotentia corrupisset, quae Christo fidem adjunxisset, si ei suo arbitrio vivere per Deum licuisset. Nam homines rejectos *contumaces Deus reddidit*, ne fide Christo habitâ bearentur v. 8. sq. 11. 25.. Ita autem Paulum argumentatum esse credi nequit: non rejectam esse a Deo nationem israeliticam inde patet, quod nobile ejus ingenium ante mundi primordia perspectum habuit *et Deum pios homines depravasse absurde statuitur*. Nam argumenti pondus tam abditum esset, ut a nemine facile erueretur. Accedit, quod P. ab hâc sententiâ minime abhorruit, Judaeis ab se non delectis Deum pervicaciam ad tempus inseminasse (v. 7. — 26.). Perperam *Chrys.*, *Heum.*, *Turrett.*, *Rosenm.* multique alii verbis ὃν προέγνω vocabula τὸν λαὸν αὐτοῦ accuratius constitui eoque ad Judaeorum partem restringi opinati sunt h. r.: non repudiavit Deus *populum suum*, *cujus bonam indolem antea notam habuit* h. e. eos Judaeos, quos pios et fide Abrahamo similes fore praevidit. Nam toto capite invitatu loci 10,19. — 21. consilia exponuntur, quae Deus de *natione israeliticâ* saluteque ei concedendâ inierit (v. 1. 7. 11. 14. 24. — 32.). Et veri Abrahamidae, qui proavi fidem aemulentur, non solum pii et qui Christo fidem habuerunt *Judaei* appellantur, sed etiam *gentiles*, qui sincerâ fide Christum amplexi sunt, 4, 16. Gal. 6, 16. (v. *Rueck.*). — Nunc postquam Ap. non rejectum esse a Deo populum israeliticum idoneis argumentis demonstravit v. 1. 2., *quo in statu* ejus populi res sint ostendit. Quemadmodum Eliae temporibus, inquit, Deum aliquod piorum Judaeorum seminarium sibi relliquisse nostis v. 2. — 4., sic nunc quoque aliquas piorum Israelitarum benigne de-

lectorum relliquias esse voluit v. 5.. *ἢ οὐκ οἴδατε* —;] cf. not. ad 6,3. I, p. 358.. *ἐν Ἠλίᾳ*] *in narratione de Elia, quo loco libri s. de Elia exponunt.* Quum descriptione veteres carerent ab omnibus receptâ, quâ libri in capita et versus dividerentur, qui paullo accuratius citandum locum constituere voluerunt argumento eum notarunt antiquitus. Marc. 12,26., ubi v. not. Berachoth f. 2, c. 1. מה שנאמר במיכאל quod scriptum est *in Michaele* q. d. quo loco de Michaele agitur (Jes. 6,6.): f. 4,2. ואלו בגבריאל et haec exstant *in Gabriele* i. e. quo loco de Gabriele exponitur (Dan. 9,21.). Philo de agriculturâ p. 203. (I, 317. *Mang.*) — *λέγει γὰρ* (Moses) *ἐν ταῖς ἀραῖς* (quo loco Dei diras refert)· *αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν.* Genes. 3,15.. Cf. *Surenhus.* l. c. p. 31. et 493.. Neque aliter Graeci. Pausanias 8,37,3. *Τιτᾶνας δὲ πρῶτον ἐς ποίησιν ἐσήγαγεν Ὅμηρος, θεοὺς εἶναι σφᾶς ὑπὸ τῷ καλουμένῳ Ταρτάρῳ· καὶ ἔστιν ἐν Ἥρας ὅρκῳ τὰ ἔπη* h. e. *quo loco Junonis jusjurandum continetur.* Homeri locus est Il. ξ. v. 277. sqq., ubi Juno jurat per Titanes. Rhapsodiae illi nomen est *Διὸς ἀπάτη*, minime *Ἥρας ὅρκος* *). *Lutherus*, *Beza*, *Zegerus*, *Turrett.* al. *ἐν Ἠλίᾳ* vertunt *de Elia*, contra usum loquendi. Neque rectius *de Ammon* transfert: „quid Eliae exemplo (am Elias) doceat scriptura." Neque *λέγειν* valet *docere*, neque ad *Eliae exemplum* a P. provocatur, sed res in Eliae historiâ perscripta (v. 4.) *nunc quoque evenisse* dicitur (v. 5.). *Schraderus ἐν Ἠλίᾳ* convertit *in Eliae apocalypsi*, libro apocrypho, de quo consule *Fabricii* Codicem pseudepigr. V. T. I, p. 1072 — 1074.. At v. 3. et 4. citatur 1 Reg. 19,10. 14. 18.. *ὡς ἐντυγχάνει*

---

*) Male hûc *Plutarchus in Romulo*, *Suetonius in Nerone* et similes formulae referuntur (*Kopp.*, *Morus*). Sunt enim tituli libris inscripti *Ῥωμύλος*, *Nero* h. e. *Vita Romuli*, *Neronis*. Neque hûc *Ὅμηρος ἐν Ἕκτορος ἀναιρέσει*, *ἐν νεκυίᾳ* et finitimae voces pertinent. Nam celebrata rhapsodiarum homericarum, quarum unicuique titulum Graeci imposuerunt, nomina sunt, ut *Ὅμηρος ἐν Ἕκτορος ἀναιρέσαι*, *Ὅμηρος ἐν νεκυίᾳ* hanc vim habeant: Homerus *Iliadis libro vicesimo secundo*, *Odysseae libro undecimo.* Temere etiam comparatur Thucyd. 1,9. *φαίνεται γὰρ* (Agamemnon) *ναυσί τε πλείσταις ἀφικόμενος καὶ Ἀρκάσι προσπαρασχών, ὡς Ὅμηρος τοῦτο δεδήλωκεν, εἴ τῳ ἱκανὸς τεκμηριῶσαι. Καὶ ἐν τοῦ σκήπτρου ἅμα τῇ παραδόσει εἴρηκεν αὐτὸν πολλῇσι νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν.* Scilicet hanc verborum *ἐν τοῦ σκήπτρου ἅμα τῇ παραδόσει* interpretationem: *quo loco Agamemnoni sceptrum traditum esse Homerus narravit* vocula *ἅμα* refellit. Quin hoc dicitur: *simul Homerus sceptrum Agamemnoni tradidit, simul eum dixit* etc. *ἅμα τὸ σκῆπτρον αὐτῷ παραδοὺς εἴρηκεν αὐτὸν κτλ..* Cf. Hom. Il. β. 107. — *Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπεν πολύαρνι Θυέστῃ· | αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι | πολλῇσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν.*

τῷ θεῷ κ. τ. λ.] His vocabulis, quae ab ἢ οὐκ οἴδατε pendent, praecedentia v. ἐν Ἠλίᾳ τί λέγει ἡ γραφή magis exponuntur: an nescitis, quid in narratione de Elia libri s. referant, *quomodo* (Elias) accuset apud Deum Israelitas (v. not. ad 8,26.). Cf. *Bornemanni* scholia in Lucae evang. p. 141. ad 22,61. et Thucyd. 1,1. init.. λέγων] om. A. B. C. D. F. G. 23. 47. Copt., It., Vulg., Eus., Chrys., Theodoret. et multi alii. Manifestum scribarum additamentum damnarunt *Grot.*, *Mill.* Prol. §. 882. et *Bengel.*, deleverunt *Griesb.*, *Knapp.*, *Lachm.* aliique.

V. 3. Ita Ap. 1 Reg. 19,10. 14. h. l. attulit, ut quum textum hebraicum cum LXX. translatione contulisset et in compendium verba conferret et nonnulla etiam mutaret, quo melius locus rem comprobaret eo firmandam. Primum voc. κύριε P. ipse addidit, ne lector Eliam *Jehovam* alloqui, cujus vox ad prophetam accidisset (1 Reg. 19,9. 15.), nesciret. τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν] Jehovae prophetae excepto uno Elia Isabellae Tyriae impulsu ab Ahaso interemti erant 1 Reg. 18,4. 13. 22.. Deliberato consilio Ap. hoc membrum, cujus sedes est in l. l. ante v. κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος, loco suo movit. Nam si suâ id sede P. manere passus esset, de eo Elias quereretur, *quod Jehovae prophetis interfectis nullus jam propheta praeter se unum inveniretur.* At Pauli consilium postulavit, ut Elias hoc diceret, se unum superstitem esse, *qui Jehovam coleret* cf. v. 4. et 5.. Itaque primum locum verbis τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν assignavit, ut prophetarum ab Jehovah missorum trucidatio, sicut ararum Jehovae dedicatarum eversio pro insignibus summae et idololatrarum impietatis et Jehovae rebus illatae calamitatis exemplis commemorarentur. *Boehmius*: — „quod (τοὺς προφήτας σου ἀπέκτειναν) in V. T. altero l. positum P. forsitan primo posuit ideo, quod habebat quo referretur, nempe ad interfectum Jesum, Stephanum, Jacobum et si qui praeterea e doctoribus evangelii jam tum per Judaeos perierant." Fallitur V. D. Etenim non propterea Ap. ad allatum V. T. locum provocavit, ut scelera nunc Judaeos concepisse iis similia, quae Eliae temporibus eorum majores edidissent ostenderet, sed idcirco, ut non novum esse, quod nunc aliquos pios Judaeos Deus sibi secrevisset, sed idem antea eum fecisse Eliae aetate idoneo exemplo planum faceret. καὶ τὰ θυσιαστήριά σου κατέσκαψαν] καὶ praetermittunt A. B. F. G. 17. 39. 47. 71. 80. al. 2. Mt. d. f. Copt., Vulg., It. al.; Mihi, ut *Millio* l. c. et *Griesbachio*, vocula in tot subsidiis omissa valde suspecta est, quum praesertim secundo membro 1 Reg. 19,10. 14. neque in textu hebr. neque in LXX.

translatione copula praefixa sit. Itaque cancellis eam circumdedi. *Lachm.* *καί* expunxit. Arae, quas eversas esse Elias queritur, eae sunt, quae tametsi nisi in eo loco, in quo commune nationis sacrarium esset, sacra fieri Moses vetuisset Deut. 12,13., tamen et impenso studio ab Judaeis et Israelitis Jehovae, in montibus maxime, conditae sunt et magnâ relligione ab iis cultae Jud. 6,24. sq. 21,4. (v. *Wineri* Realw. I,57. et 600.). *κατασκάπτω τι aliquid suffodere, subruere* i. e. *funditus evertere* designat. Soph. Oed. C. 1424. *πάτραν κατασκάπτειν.* Arrian. Exp. Alex. 5,24,12. — *τὴν πόλιν μὲν κατέσκαψε* —. Act. 15,16.. *κἀγὼ ὑπελείφθην μόνος*] Eliae haec v. declarant: ego solus *omnium tuorum prophetarum* relictus sum. Proxime enim haec voc. l. l. praecedunt: וְאֶת־נְבִיאֶיךָ הָרְגוּ בֶחָרֶב. (Cf. etiam 1 Reg. 18, 22.) Paulo contra valent: (quum tantopere in res tuas saevitum sit, ut prophetas tuos obtruncaverint, aras tuas everterint) praeter me nemo superest, *qui te, Jehovah, colere audeat.* *μόνος*] *Bengelius*: „Observanda stili apostolici subtilitas: LXX. *μονώτατος* h. l. ut saepe: Paulus *μόνος.*" Injuriâ Ap. reprehenderetur, si *μονώτατος* retinuisset, quâ voce optimi scriptores passim usi sunt (v. Aristoph. Eq. 352. *Kusterum* et *Berglerum* ad Plut. v. 182. et *Fischerum* ad Well. II, p. 111.). Quamquam notio *solius* per se intendi nequit, tamen popularis sermonis negligentia, quâ usi solum dicimus, quocum pauci sunt, et subtiliter loqui aut rem graviter affirmare volentium fervor fecit, ut recte per superlativum *μονώτατος plane solus, solus omnium* intenderetur. Cf. *αὐτότατος, ipsissimus.* *κ. ζ. τ. ψ. μ.*] v. not. ad Matth. 2,20..

V. 4. *Ὁ χρηματισμός, responsum* (Polyb. 28,14,10.), h. l. *divinum responsum, oraculum* (2 Macc. 2,4.) notat i. q. *ὁ χρησμός.* Non memoriter P. 1 Reg. 19,18. citavit (*Rueck.*, *Meyer.* al.), sed loco diligenter excusso sollerter interpretationem excogitavit, quae sententiam funderet aptam rei quummaxime demonstrandae. 1 Reg. 19,15 — 18. Jehovah iis auditis, quae pius propheta idololatris crimini dedisset v. 14., Eliam valde commotus Hasaelem, Syriae regem, Jehujum Israelitarum principem, postremo Elisam prophetam inaugurare jubet, qui idolorum cultores jugulent v. 15. — 17.. Tum septem Israelitarum millia h. e. *omnes eos Israelitas, qui Baalem non adorassent*, se servaturum et a morte vindicaturum esse denuntiat v. 18.. Sed Pauli causa poposcit, ut Jehovah Eliam *praeter se neminem, qui Jehovam pie coleret, superesse* opinatum (v. 3.) hoc *solatio* consolaretur: *septem millia Israelitarum se sibi addicta servasse*, quae Baalem non venerata essent neque

fidem sibi datam fefellissent. Itaque versibus 15. 16. et 17. praetermissis, qui ad causam suam nihil conferrent, Ap. versum 18. attulit, quo solatium contineri putasset Eliae se unum Jehovae cultorem superesse male rato (v. 12.) ab Jehova admotum. Existimavit igitur Jehovam perceptis Eliae querelis v. 14. primo idolorum cultoribus pestem et perniciem intentasse v. 15 — 17., deinde Eliae neminem praeter se qui Jehovam pie coleret inveniri temere opinati dolorem consolatum esse v. 18.. Quare quum הִשְׁאַרְתִּי בְיִשְׂרָאֵל שִׁבְעַת אֲלָפִים sic enarrasset: reliqua feci *in populo israelitico*, *quem meum populum esse aut mihi addictum esse constat*, septem millia, hanc sententiam ut majore perspicuitate exprimeretur ita enuntiavit: *κατέλιπον ἐμαυτῷ ἑπτακισχιλίους ἄνδρας* reliqua feci mihi ipsi septem millia virorum h. e. curavi, ut in fide *mihi* datâ maneant neque ad Baaltidem desciscant septem millia virorum. Proximorum v. כָּל־הַבִּרְכַּיִם אֲשֶׁר sensum bene reddidit Ap. *οἵτινες οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βάαλ* — septem millia virorum *quicunque* non flexerunt genu Baaltidi honorem habituri. Quae quum ita sint, Paulo judice Eliam, quod nullus jam se excepto Jehovae cultor inveniretur conquestum v. 3. divinum oraculum bono animo esse jubet hoc solatio adhibito: reliqua sibi Jehovam septem millia virorum fecisse, quicunque non adorassent Baaltidem neque metuendum esse, ne horum quispiam postea ad Baaltidem deficeret. *Γόνυ κάμπτειν τινί* genu flectere *in alicujus honorem*, *alicui supplicare* (LXX. Jes. 45,23.) designat. Suo igitur Marte Ap. V. T. locum transtulit, quamquam eum LXX. translationem contulisse credo. Retinuit enim v. *καταλείπω* ab illis positum eorumque exemplo vocem *ἄνδρας* collocavit. LXX.: *καὶ καταλείψεις* (ed. Complut. *καταλείψω*) *ἐν Ἰσραὴλ ἑπτὰ χιλιάδας ἀνδρῶν, πάντα γόνατα ἃ οὐκ ὤκλασαν τῷ Βαάλ*. *Bengel.*: „*ἄνδρας*, viros] Viri maxime veniebant in censum et intererant cultui publico. *Horum igitur conjuges et liberi accedunt etiam ad septem millia.*" Sane scriptor hebraeus *de viris* loquutus est (cf. 1 Reg. 20, 15. sq.), neque idoneam causam video, cur eum a LXX. et Paulo male intellectum esse putemus. Quare hanc enarrationem rejicio: septem millia *hominum*. Constat *ἄνδρας*, si Deo opponantur, *homines* (cf. homericum *πατὴρ ἀνδρῶν τε, θεῶν τε*) et *γυναῖκα* respectu ad Deam habito mulierem *mortalem* (Hom. Il. ξ, v. 317. π, v. 176.) declarare. Loquitur autem 1 Reg. 19, 18. *Jehovah*. Praeterea saepe veteres *viros* commemorarunt pro hominibus, sexum jure praepotentem (v. *Herm.* ad Vig. p. 722.). Baal, הַבַּעַל, primarius Phoenicum et Poenorum Deus fuit, a superstitiosis Hebraeis

impenso saepe studio magnaque relligione cultus. Probabilior autem eorum sententia est, qui Baalem Jovis stellam, unde fortuna vitaeque prosperitas ab illis nationibus repeteretur, repraesentasse censuerunt, quam eorum opinio, qui solem Baalis simulacro cultum esse putarunt, v. S. V. *Gesenium* ad Jes. II, p. 335. sq. et in l.: Allgemeine Encyklopädie d. Wissensch. u. Künste, herausg. von Ersch u. Gruber T. VIII. p. 397. — 402.. P. pro Baale Deo Baaltidem Deam memoravit, non memoriae lapsu, quod 1 Reg. 19, 18. ab LXX. *τὴν Βάαλ* positam esse male putasset, sed quia in suo graecae versionis exemplo *τῇ Βάαλ καὶ πᾶν στόμα ὃ οὐ προςεκύνησεν αὐτῇ* legisset (v. supra). Nempe LXX. interpretes, quum הַבַּעַל Hebraeis tum Baalem Deum, tum Baaltidem, *Deam nescio quam*, valere sibi persuasissent, ubi de Deo agi credidissent, *ὁ Βάαλ* locarunt, contra ubi de Deâ exponi putassent, *ἡ Βάαλ* posuerunt (v. *Reich.* et *Win*. gr. p. 166.). Jud. 2,13. וַיַּעַבְדוּ לַבַּעַל וְלָעַשְׁתָּרוֹת LXX. *καὶ ἐλάτρευσαν τῇ Βάαλ καὶ ταῖς Ἀστάρταις.* Nam Baaltidem dici ex eo collegerunt, quod scriptor הַבַּעַל cum Astartes simulacris composuisset. Jud. 10,6. וַיַּעַבְדוּ אֶת־הַבְּעָלִים וְאֶת־הָעַשְׁתָּרוֹת LXX. *καὶ ἐλάτρευσαν ταῖς Βααλεὶμ καὶ ταῖς Ἀσταρώθ.* Nempe הַבְּעָלִים Baaltidis statuas esse (cf. v. 10.) idcirco putarunt, quod cum Astartes statuis conjungerentur neque nisi proximo membro de *Diis* sermo esset (וְאֶת־אֱלֹהֵי אֲרָם). Similis horum l. ratio est: 1 Sam. 7,4. וַיָּסִירוּ בְּנֵי יִשְׂרָאֵל אֶת־הַבְּעָלִים וְאֶת־הָעַשְׁתָּרוֹת — LXX. *καὶ περιεῖλαν οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ τὰς Βααλεὶμ καὶ τὰ ἄλση Ἀσταρώθ.* Jud. 3,7. וַיַּעַבְדוּ אֶת־הַבְּעָלִים וְאֶת־הָאֲשֵׁרוֹת LXX. *καὶ ἐλάτρευσαν ταῖς Βααλεὶμ καὶ τοῖς ἄλσεσι.* 2 Reg. 21,3. וַיָּקֶם מִזְבְּחוֹת לַבַּעַל וַיַּעַשׂ אֲשֵׁרָה LXX. *καὶ ἀνέστησε τὸ θυσιαστήριον τῇ Βάαλ καὶ ἐποίησεν ἄλση.* Videtur enim *ἄλσος* alexandrinis interpretibus locum *Deae* sacratum denotare (v. 1 Reg. 18,22., ubi *οἱ προφῆται τοῦ Βάαλ* et *προφῆται τοῦ ἄλσους* distinguuntur). *Idolum ligneum* illis *ἄλσος* valuisse S. V. *Gesenio* Thes philol. crit. p. 163. non largior. Est potius, ut *τέμενος*, locus numini consecratus. 4 Reg. 21,7. *τὸ γλυπτὸν τοῦ ἄλσους* tornatum simulacrum est, quod in Divae septo collocari solet. 1 Sam. 12,10. LXX. verterunt *ἐδουλεύσαμεν τοῖς Βααλεὶμ καὶ τοῖς ἄλσεσιν,* quia הַבְּעָלִים Deae septis (הָעַשְׁתָּרוֹת) *opponi* existimarunt. Hos. 2, 10. וְזָהָב עָשׂוּ לַבָּעַל LXX. converterunt *αὕτη δὲ ἀργυρᾶ καὶ χρυσᾶ ἐποίησε τῇ Βάαλ,* fortasse *τὴν δάμαλιν* dici Tob. 1,5. (v. infra) arbitrati, sed paullo post v. 15. אֶת־יְמֵי הַבְּעָלִים *τὰς ἡμέρας τῶν Βααλεὶμ (ἐν αἷς ἐπέθυον αὐτοῖς)* reddiderunt (cf. v. 18. et 19.), quoniam הַבְּעָלִים *τοὺς ἐραστάς* populi appellari vidissent. Adde Zeph. 1,4. LXX. *ἐξαρῶ*

ἐκ τοῦ τόπου τούτου τὰ ὀνόματα τῆς Βάαλ. Jer. 11, 13. LXX. — τοῦ θυμιᾶν τῇ Βάαλ. Venio ad l. Tob. 1, 5. καὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ αἱ συναποστᾶσαι ἔθυον τῇ βάαλ, τῇ δαμάλει, ubi ἡ βάαλ non nomen proprium est, Baaltis, sed appellativum dea fictitia (et — — sacrificarunt deae fictitiae, nempe juvencae.). Lectio τῇ δυνάμει absurda est. Contende 3 Reg. 12, 28. — καὶ ἐποίησε δύο δαμάλεις χρυσᾶς. 4 Reg. 10, 29. 17, 16.. Converterunt ibi LXX. juvencos (אֱלֹהֵי הַזָּהָב) in juvencas (δαμάλεις). Ceterum similiter pii Hebraei sacella Deo fictitio dedicata contemtim בָּמוֹת הַבַּעַל sacella Baalis, Baalsheiligthümer, appellarunt, ut Jerem. 19, 5. 32, 35. sacra in Molochi honorem instituta. LXX. Jerem. 19, 5. καὶ ᾠκοδόμησαν ὑψηλὰ τῇ Βάαλ τοῦ κατακαίειν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν ἐν πυρὶ ὁλοκαυτώματα τῷ Βάαλ. 32, 35. καὶ ᾠκοδόμησαν τοὺς βωμοὺς αὐτῶν τῇ Βάαλ τοὺς ἐν φάραγγι υἱοῦ Ἐννὸμ τοῦ ἀναφέρειν τοὺς υἱοὺς αὐτῶν καὶ τὰς θυγατέρας αὐτῶν τῷ Μολὸχ βασιλεῖ —. Qui quid sibi voluerint dictu difficile est *). Fortasse quum Molochum a Baale non differre (v. *Wineri* Realw. II, 1. p. 120.), הַבַּעַל autem et Deum et Deam dici credidissent (v. supra), utriusque numinis sacra conjuncta fuisse statuerunt. Certe neutro l. τῇ Βάαλ conjecturâ recte mutes. Superest, ut interpretum de causis, quibus ductus P. τὴν Βάαλ h. l. introduxerit, sententias referam. *Erasmus*, *Beza*, *Grot.*, *Beng.*, *Wolf.*, *Turret.*, *Rosenm.* al. τῇ Βάαλ pro τῇ τοῦ Βάαλ scil. εἰκόνι Apostolum scripsisse autumarunt, quia videlicet et Deorum simulacra idololatrae fecerunt et ea venerati sunt Jes. 40, 19. Ez. 7, 20. Dan. 3, 3.. Quorum sententiam ita probavit *Bretschn.* in Lex..s. v. Βάαλ, ut τὴν τοῦ Βάαλ scil. εἰκόνα per synecdochen *idololatriam* valere fingeret. At si haec vocis εἰκών ellipsis, quae commentitia est, usu recepta esset, τῇ τοῦ Βάαλ Paulo hoc dicturo: *Baalis simulacro* exarandum fuisse recte monuit *Michaelis* ad *Bosii* ellips. p. 136. ed. *Schaef.*. Praeterea commentum Zeph. 1, 4. τὰ ὀνόματα τῆς Βάαλ et similes loci refellunt. Baalem utriusque sexus numen fuisse cultumque videri a viris Deum (solem), a mulieribus Deam (lunam) *Beyerus* in Additamentis ad *Seldeni* de Dis Syris Syntagmata Lips. 1672. p. 273. sq. *Wetst.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Kopp.*, *Olsh.*, *Meyer.* al. opinati sunt. Baalem, quem Graeci Herculem Tyrium inter-

*) Frustra difficultatem tollere coneris usum antestatus, quo Phoenices Astarten אֱלֹהֵי צִדֹנִים vocarunt, Halenses ancillam heri *ministrum* vocant (v. Ven. *Gesenium* in A. L. Z. 1839., n. 16. p. 122.). Nam ἡ Βάαλ, ὁ Βάαλ et ὁ Μόλοχ ll. cc. nomina *propria* sunt.

pretati sunt, e maris et feminae naturâ compositum fuisse neque credibile est neque idoneis argumentis a quoquam effectum. LXX. autem הַבַּעַל tum ὁ Βάαλ tum ἡ Βάαλ vertere potuerunt non solum si Baal simul mas simul femina fuisset aut si ipsi talem eum fuisse putassent, sed etiam si Hebraeos הַבַּעַל duo diversa numina, Baalem Deum et Baaltidem Deam vocasse existimassent. S. V. *Gesenius* quum alias, tum in b. *Rosenmuelleri* bibl.-exeget. Repert. I, p. 139. Lips. 1822. Paulum Baalem contemtim τὴν Βάαλ appellasse ut invalidum et imbecillum censuit. Sic enim Talmudistas et Rabbinos idola cum contemtu אֱלֹהוֹת dicere imbecillitatem iis exprobrantes (v. *Buxtorf*. Lex. chald. et talm. p. 95.), et in linguâ arabica (إلهة) et الالهة non solum Deam, sed etiam Deum fictitium, idolum notare. Ut imbelles viros feminas dicimus (v. *F. V. Fritzsche* ad Aristoph. Thesmoph. v. 134.), sic Diis infirmitas eo objici poterat, quod אֱלֹהוֹת *Divae, numina feminea* vocarentur, quamquam ii, quos *Buxtorfius* citavit, ut idololatrarum ineptias cavillarentur, consulto Dearum, quas illi opinionis errore commenti essent, mentionem fecisse videntur. Sed non probant rem exempla a *Gesenio* allata. Nam ad *appellativa* nomina provocavit, quum ἡ Βάαλ nomen proprium esset. Probari posset viri egregii sententia, si Judaeos Jovem τὴν Δία, Herculem τὴν Ἡρακλῆ abjecte dixisse ostendisset. Et alexandrinos interpretes quum ἡ Βάαλ scriberent aliquam Deam in mente habuisse supra vidimus.

V. 5. Applicatur exemplum v. 2. — 4. ad praesens tempus v. 5.. Vis exempli in eo sita est, quod Deus aliquos Israelitas, qui pie se colerent, eâ aetate benigne delegerit, cui summa esset ad impietatem in Deum voluntas. Eliae tempore quum Israelitae incredibiliter in Baaltidem effusi essent, tamen ex tanto populo septem millia virorum benevole Deus delegit, qui fide sibi servatâ piorum Israelitarum officio fungerentur atque ita etiam alias Deus fecit Sirac. 47,22.. Item Christi aetate, quum genuinorum Israelitarum genus exstinctum videri posset, quoniam pietatem fide Christo habitâ tum probandam Israelitae vulgo manifestare noluissent, tamen Deus aliquas piorum Israelitarum, qui suae voluntati obsecundarent, relliquias benigne delectas superesse voluit. *Sic* (ut Eliae temporibus) *igitur* (h. e. *ut exemplum ad hanc aetatem applicem*, non: quum id div. oraculum v. 4. portendisset, *Meyer*.) *hâc quoque aetate* (sicut Eliae aetate) *quaedam piorum Israelitarum relliquiae ex benevolentiae delectu exstiterunt.* Voce λεῖμμα vocabulorum v. 4. κατέλιπον ἐμαυτῷ, non

verbi v. 3. ὑπελείφθην (*Kopp.*) ratio ducitur; quod neminem praeterisset, si Ap. κατάλειμμα posuisset (9, 26. 4 Reg. 10, 11. — ὥστε μὴ καταλιπεῖν αὐτοῦ κατάλειμμα). *Λεῖμμα relliquiae* h. e. *Judaeorum paucitas*: cf. LXX. Jos. 13, 12. 4 Reg. 19, 4. Herod. 1, 119. τοῦ παιδὸς τὰ λείμματα pauca pueri in frusta concisi membra sunt, quae Astyages Harpago patri in coenâ non apposuerat Plutarch. De profect. virtut. sent. VII, 248. *Hutten.* τί φὴς ὦ Διόγενες; τοῦτον [scil. τὸν μῦν] μὲν εὐωχεῖ τὰ σὰ λείμματα [scil. τῆς μάζης] καὶ τρέφει, σὺ δ' ὁ γενναῖος ὅτι μὴ μεθύεις ἐκεῖ κατακείμενος ἐν ἁπαλοῖς καὶ ἀνθινοῖς στρώμασιν ὀδύρῃ καὶ θρηνεῖς σεαυτόν; Terent. Adelph. 3, 3, 90.. Nae illiusmodi jam magna nobis civium penuriast antiquâ virtute ac fide. — Quam gaudeo, *ubi etiam hujus generis reliquias restare video.* Donatus: „paucos et raros bonos. Nam reliquias pro relictis paucisque dixit. Ideo *restare* etiam ductum est." Ut aliquot Judaeorum millia Christi sacra susceperint Act. 2, 41. 21, 20., tamen admodum paucos fuisse qui saperent, concedet qui quantus tum fuerit Judaeorum numerus meminerit. Ἐκλογὴ χάριτος *benevolentiae delectus*, Gnadenauswahl, tum delectus esse potest, *quem benevolentia habet* (*Rueck.*, *Koelln.*), tum *qui benevolentiâ instituitur.* Praefero posteriorem rationem propter v. v. 6. εἰ δὲ χάριτι. Sane talis delectus gratuitus est. Sed idcirco ἐκλογὴ χάριτος gratuitum, benignum delectum non significat (*Calvin.*, *Tholucc.* al.). Hic quoque fuerunt, qui ἐκλογῆς vocabulo *beneficii divini*, *propensae voluntatis*, *praecipui amoris* (*Grot.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Morus* al.) et *libertatis* (*Carpz.*) significatus affingerent. Vide not. ad 9, 11. p. 298. sqq..

V. 6. Obiter sane P. v. 6. vim verbi χάριτος v. 5. majore voce pronuntiandi enodat docetque quum Deus *benevolentiâ* adductus piorum Israelitarum relliquias servarit, id factum esse quoniam *pulcre factis* pii homines favorem Deo extorserint temere statui. Nam et liberalitatis cogitatione bene factorum justae mercedis solutionem exigentium notionem tolli, neque hanc cum illâ consistere (*Turrett.*, *Boehm.*, *dW.* al.). Nimirum in institutâ de consiliis, quae Deus de messianâ beatitate nationi israeliticae non continuo tribuendâ inierit, disputatione sententia v. 6. exposita si deesset, a nemine desideraretur. Sed P. capitaliorem errorem nullum esse, quam si quis pulcre factis Dei favorem expugnari putaret, arbitratus hic quoque eum tollendum censuit (2 Tim. 1, 9. Tit. 3, 5.). Accurate igitur notionem χάριτος v. 5. positae explicuit. Similiter Eph. 2, 8.— 10. vim vocc. v. 7. τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον τῆς χάριτος

αὐτοῦ ostendit. Qui versum 6. uncis inclusum voluerunt (*Carpz.*, *Kopp.*, *Rosenm.*, *Rueck.*) brevem a proposito declinationem cum parenthesi confuderunt. *Meyerus* versu 6. brevem a re degressionem contineri negavit, quia non solum res *quae effecisset* ut λεῖμμα ex v. 5. exsisteret sed etiam res quae *non fecisset* ut paucos qui pie se venerarentur Israelitas Deus restare juberet Paulo commemoranda fuisset, quandoquidem v. 7. verbis τί οὖν; ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραὴλ τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν conclusionem e vocc. v. 6. εἰ δὲ χάριτι οὐκέτι ἐξ ἔργων natam afferret. Erravit V. D.. Etenim Ap. v. 7. non eorum summam fecit, quae e vs. 5. et 6. recte colligerentur, sed id paucis verbis complexus est, quod e totâ disputatione v. 2. — 6. consequeretur. Quum omnipotens Deus fecerit, ut nunc quoque quaedam piorum (et per pietatem beandorum) Israelitarum *relliquiae* e delectu benevolentiâ acto exsisterent v. 2. — 6., rem hujusmodi esse elucet: *Israelitarum natio* quam valde cupit integritatem felicitatemque messianam non assequuta est, sed *delecti Israelitae* eam assequuti sunt, ceteros autem (quippe in delectu praeteritos) contumaces Deus reddidit, ne fidem animis conciperent neque per fidem bearentur v. 7.. Ὃ ἐπιζητεῖ Ἰσραήλ, τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν, ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως διώκει αὐτό, ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν, ὅτι ἐπίστευσεν (9,30. — 32.) P. v. 7. neque dixit, neque eo loco dicere potuit. εἰ δὲ χάριτι] scil. λεῖμμα γέγονεν. οὐκέτι] v. not. ad 7,17.. Expone: si autem (ut modo contendi cf. 6,8.) per *benignitatem* piorum Israelitarum relliquiae exstiterunt, non diutius *per pulcre facta, quae justam mercedem poscunt*, exstiterunt [i. e. posterior sententia prioris veritate sublata est]: alioquin [h. e. si bene factis aut jure suo secreti a Deo Israelitae ut deligerentur obtinuissent] divina liberalitas quae illas relliquias restare voluit non esset liberalitas neque liberalitatis naturam haberet. (Nempe si delecti Israelitae pulcre factis, quae Deum pro justitiâ suâ praemio remunerari *oportuisset*, *favorem* Deo extorsissent, Dei liberalitas, quae illos secrevit v. 5., vim suam amitteret. *Justitia* enim Dei agnoscenda esset, quae suum cuique tribuisset, *non liberalitas*, cujus proprium est dignos indignosque dono afficere pro arbitrio. Utique igitur delectos Israelitas non *bene factorum vi aut merito* Dei favorem expugnasse ex eo apparet, quod *benevole* eos Deus secrevit. Nam si pulcre factis Dei favorem obtinuissent, *non benignus* in eos Deus fuisset, sed *juste* iis favisset.) Cf. 4, 4. 5.. Utrum proxima verba εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον genuina sint, an subdititia quaestio subdifficilis est. Omnia igitur referam,

in quibus Cdd. a conformatione receptâ in hoc vs. discrepant. γίνεται] ἐστὶ 54. Chrys. (etiam in Mt. 3.) *est* Vulg., Clar., Germ., Patr. lat. *Erit*, ἔσται, Boern.. Sunt glossemata. | εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον] Omittunt A. C. D. E. F. G. 47. (exstat in m.) Copt., Arm., Aeth., Vulg., It. (habent Syr. et Arr.) Chrys., Theodoret. (uterque habet in textu, sed non in commentario), Damasc., Ruf., Ambrosiast., Pelag., Latini omnes. Quod *Griesbachius* Aethiopem antea post οὐκέτι ἐξ ἔργων addere εἰ δὲ ἐξ ἔργων affirmavit verum non est. Plane enim cum A. C. et ceteris, quae modo nominavi, subsidiis consentit: „*Quodsi per gratiam justificantur* (εἰ δὲ χάριτι), *non est igitur ex operibus* (οὐκέτι ἐξ ἔργων): *si enim ex operibus justificantur* homines (ἐπεὶ) *gratia non est gratia*" (ἡ χάρις οὐκέτι γίνεται χάρις). | ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκέτι γίνεται χάρις· εἰ δὲ ἐξ ἔργων] Praetermittunt 48. * 57. | εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶ χάρις] Absunt haec v. ab 17. (ut videtur) 52. 54. Mt. 8. | ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον] Desunt haec v. in 4. * | ἐστὶ χάρις] *B.* χάρις. | ἐστὶν ἔργον] *B.* ἐστὶ χάρις. Damnarunt vocabula εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον *Erasmus*, *Zegerus*, *Estius*, *Grotius*, *Millius* Prol. §. 679., *Kopp.*, *Koelln.*, *Reich.*, *Meyer.* al., excluserunt *Griesbachius*, *Lachmannus* aliique. Contra a *Beza*, *Wolfio*, *Bengelio* in Gnom. et Appar., *Heumanno*, *Matthaeio* ed. maj. et min. et *Rinckio* Lucubr. p. 126. acriter defensa sunt. Hic quoque VV. DD. re non satis consideratâ contraria judicia fecerunt modumque in affirmando et negando excesserunt. Nam quae v. nonnullis frigere vanumque glossatoris lusum referre visa sunt (v. *Reich.* et *Koelln.*), ea alii *plane necessaria esse explendae operum et fidei antithesi* existimarunt (v. *Bezam* cl. *Bengelio* et *Rinckio*). Levis et tumultuaria eorum κρίσις est, qui v. εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶ χάρις, ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον domo suâ expulerunt. Etenim ne subsidia critica, in quibus ea v. non comparent, sequamur quattuor rationibus impedimur. I. In antiquissimis maxime *N.* T. subsidiis incisa saepe omissa esse, quum similia membrorum initia similesve eorum exitus librariorum oculis errorem objecissent inter peritos N. T. criticos satis constat. Atqui haec quoque v., de quibus nunc quaeritur, per errorem neglecta esse admodum verisimile est. Habent enim *summae* antiquitatis fidem, ut quae Syrus et B. agnoscant, facileque a festinantibus scribis negligi poterant, tum propter iteratum εἰ δέ, quum idem posterioris membri initium librarios decepisset, ut priore membro scripto se posterius exarasse crederent, tum ob

magnam incisorum similitudinem (v. *Matthaeum*). II. Variantes lectiones verbis, de quibus disputatur, praesidio sunt. Nimirum qui vocc. *ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκέτι γίνεται χάρις· εἰ δὲ ἐξ ἔργων* praeterierunt ab *ἔργων* priore ad *ἔργων* posterius oculis aberraverant, et qui *εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκέτι ἐστὶ χάρις* omiserunt *χάρις* post *γίνεται* positum cum *χάρις* post *ἐστὶ* locatum confuderant (v. supra). Neutrum fieri potuisset, nisi v. *εἰ δὲ ἐξ ἔργων κτλ.* in Cdd. suis illi invenissent. III. Vocabula *εἰ δὲ ἐξ ἔργων κτλ.* interpolatoribus inconsiderate tribuas (v. v. c. *Mill.* et *Reich.*) primum propterea, quod illa Paulum plane referunt (nempe interpolatores membrum posterius cum priore putide exaequassent dixissentque *οὐκέτι χάριτι* s. *οὐκέτι ἐκ χάριτος* pro *οὐκέτι ἐστὶ χάρις* et *ἐπεὶ τὰ ἔργα οὐκέτι γίνεται* [*γίνονται*] *ἔργα* pro *ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον* et fortasse etiam *εἰ δὲ ἔργοις* pro *εἰ δὲ ἐξ ἔργων*), deinde idcirco, quoniam membrum, de quo lis est, summo consensu iisdem verbis conceptum in Cdd. legitur. At in locis interpolatis summa esse solet Cdd. discrepantia, quia non una omnium interpolatorum voluntas est. Quare si vocc. *εἰ δὲ ἐξ ἔργων κτλ.* ab interpolatoribus profecta essent, valde in iis Cdd. variarent. Pro *εἰ δὲ ἐξ ἔργων* nonnulli *εἰ δὲ ἔργοις* haberent, pro *οὐκέτι ἐστὶ χάρις* alii *οὐκέτι ἐκ χάριτος* alii *οὐκέτι χάριτι* suppeditarent. In perpaucis autem Cdd. *ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον* inveniretur, sed plerique *ἐπεὶ τὰ ἔργα οὐκέτι γίνεται* (s. *γίνονται*) *ἔργα* continerent. Obscuriora sunt enim verba *ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον*, quam quae in interpolatores jejunam perspicuitatem consectari solitos cadere videantur. Hinc ab iis, qui eorum rationem parum intellexissent, partim omissa sunt (cf. 4. *), partim correcta (*B. ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶ χάρις*: librarius, ut arbitror, scribere voluit *ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔστι χάρις*). Apparet ex iis, quae hucusque diximus, vocabula *εἰ δὲ ἐξ ἔργων κτλ.* Pauli ingenium sapere, non interpolatorum ineptias redolere, et per errorem ea a multis librariis praetermissa esse nonnullis indiciis cognosci. Restat IV, ut *apta* ea esse doceam. Nam *plane necessaria* non sunt. Satis erat hoc a P. dici: si autem, ut modo affirmabam v. 5., *per liberalitatem* piorum Israelitarum relliquiae exstiterunt, non diutius (quam ego opinionem ex animi mei sententiâ abominor) *per bene facta, quae Deus praemio afficere debuisset*, exstiterunt: alioquin Dei liberalitas, quae illas relliquias superesse voluit, liberalitatis, quam *gratuitam* esse nemo ignorat, naturam exuisset i. e., ut brevi praecidam, si autem *benignitate* motus Deus aliquos pios Israelitas reliquos fecit, *non jam eo-*

rum virtute, *cui justa praemia persolvenda essent*, adductus hoc fecit: alioquin enim benignitatis notio interiret. V. Eph. 2,8. 2 Tim. 1,9. Tit. 3,5. cl. Rom. 4,4. 5.. Perperam *Bengelius* in Gnom. verborum εἰ δὲ ἐξ ἔργων κτλ. necessitatem e vs. 7. intelligi existimavit: „Ex inciso illo, *jam non ex operibus*, infertur illud, *Israël non est assequutus*: et ex hoc inciso, *jam non est gratia*, infertur hoc *electio est assequuta*." Neque enim Ap. v. 7. e v. 6. argumentatur. Contende quae *Meyero* supra objecimus. Singulorum v. haec ratio est. εἰ δὲ ἐξ ἔργων] scil. λεῖμμα γέγονεν. οὐκέτι ἐστὶ χάρις] *non diutius locus est liberalitati.* Hoc ultimis verbis ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον ostenditur: *alioquin* (i. e. si liberalitas obtineret) *bene facta*, *quae justam mercedem postulant*, *bene factorum justa praemia extundentium vim amisissent.* Nullum enim praemium pulcre facta Deo extorsissent, sed gratuitum donum Deus hominibus dedisset. *Τὸ ἔργον* collective Ap. dixit (i. q. τὰ ἔργα, cf. 13,3.). Itaque verbis εἰ δὲ ἐξ ἔργων κτλ. retentis Apostolus sic disputavit: si autem, ut modo dicebam v. 5., *per liberalitatem* proborum Judaeorum relliquiae exstiterunt, *jam non per bene facta*, *quae mercedem a Deo poscunt*, exstiterunt: alioquin divina liberalitas, quae pios Israelitas restare jussit, liberalitatis h. e. gratuitae benignitatis, naturam perdidisset: sin contra (quod judaicae stirpis Christianis placere solet) *bene factorum vi ac merito* piorum et qui Christo fidem haberent Israelitarum relliquiae exstiterunt, *nulla jam Dei liberalitas est* (quod vel cogitare scelus Paulo videtur!): nam si Dei liberalitati locus sit, pulcre facta pulcre factorum, quae Dei favorem tanquam justum praemium expugnant, vim amiserint necesse est. Ex his hanc conclusionem nasci nemo non intelligit: itaque *benevolentiâ* adductus Deus aliquos pios Israelitas superesse jussit et valeat absurda opinio, Deum *simul benevolentiâ motum*, *simul ut hominum virtuti justum praemium tribueret* illud fecisse. (Ist aber, wie v. 5. behauptet wurde, ein Rest frommer Juden aus Gnade da, dann ist die Vorstellung aufgehoben, daß er wegen Werkverdienstes vorhanden sei, weil der Begriff der Gnade in dem des Werkverdienstes untergeht; ist er dagegen, wie man vom jüdischchristlichen Standpunkte aus gern annehmen möchte, wegen Werkverdienstes da, dann gibt es (wer sollte sich nicht entsetzen!) keine Gnade mehr, weil der Begriff des Werkverdienstes in dem der Gnade untergeht. Also hat man anzunehmen, jener Rest sei aus Gnade da u. den unstatthaften Gedanken zu entfernen, er könne aus Gnade u. wegen Werkverdienstes zugleich da sein.) Sagacissimus criticus, cui aliquando meam, quam nunc exposui, sententiam ret-

tulissem, hunc l. in iis numeravit, qui antiquissimis temporibus graves plagas experti e nostris subsidiis refici nequeunt, sed *conjecturâ* sanandi sunt. Duas igitur mecum conjecturas communicavit, unam *Εἰ δὲ χάριτι, οὐκέτι ἐξ ἔργων· ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκέτι γίνεται χάρις, εἰ ἐξ ἔργων· ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔστι χάρις.* alteram: *Εἰ δὲ χάριτι, οὐκέτι ἐξ ἔργων· ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκέτι χάρις, εἰ γίνεται ἐξ ἔργων· ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἔστι χάρις.* Ingeniosas has esse conjecturas, elegantes, postremo tales, quae optime conclusam sententiam praebeant nemo negaverit. Sed vulgatam scripturam corruptelâ affectam esse mihi persuadere non potui nituntur que, nisi fallor, Viri praestantissimi conjecturae non firmissimo fundamento. Nam superstructae sunt Cd. B. lectioni *ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶ χάρις*, quae mihi verborum *ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκέτι ἐστὶν ἔργον*, quibus multi offensi sunt, qualiscunque correctio videtur (v. supra).

V. 7. Argumentatione ex iis, quae v. 2. — 6. dixit, id Ap. conficit, quod consequatur, ut quo loco res sit doceat. Quid igitur (quum Deus *aliquos* Israelitas, qui fidem Christo pie habeant et per pietatem beentur, benigne delectos restare jusserit v. 2. — 6.) sequitur? Nempe hoc: quam rem (integritatem et sempiternam felicitatem integris a Deo concedendam) appetit *Israelitarum populus*, eam non consequutus est (neque enim *omnes* Israelitas benigne Deus delegit, sed admodum paucos v. 5.), sed *delecti Israelitae* adepti sunt: ceteri autem (quippe in delectu a Deo neglecti) contumaces (a Deo) redditi sunt, ut vetus oraculum praedixit. Bene *Theodoretus*: *τί οὖν;*] *ἐνταῦθα ὑποστικτέον· κατ' ἐρώτησιν γὰρ κεῖται ἀντὶ τοῦ· τί τοίνυν ἐστὶν εἰπεῖν; εἶτα κατὰ ἀπόκρισιν τὰ λοιπά.* Male *Lachm.* post *τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν* percontationis signum posuit. Non an Israelitarum populus rem desideratam non assequutus sit P. h. l. interrogat, ut rem, de quâ interrogaverit, deinde aut confirmet aut tollat (v. I, 172.), sed omnes promiscue Israelitas cujus magno desiderio tenerentur rem non adeptos esse, delectos Israelitas consequutos esse ex ante dictis consequi monet. *Rueck.* et *Koellnerus* Apostolum, ut corrigeret quod 9,6. 15. sq. 30. sq. *nullum* Israelitam voti compotem factum esse contendisset, *nonnullos* Israelitas desideratâ re potitos esse h. l. concessisse credunt. - At supra quoque, quum *τὸν Ἰσραὴλ* ad *νόμον δικαιοσύνης* pervenisse negaret 9,31., maximam Israelitarum partem, non omnes omnino Israelitas Ap. dixit, cf. 9,23. 24.. Opinione lapsus est Ven. *Reichius*, quum interrogationis signum post *τί οὖν* sublatum pone v. *τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν* rejiceret, quoniam cur

ac-

acquirendae integritatis vitaeque sempiternae studium, quo Israelitae incensi essent, inhonoratum fuisset, P. mirabundus interrogaret (cur igitur quam rem studiose Israelitae persequuti sunt, eam non assequuti sunt?), deinde responderet, at nonnullos tamen Israelitas desideratam rem adeptos esse, causam autem, cur multi voto excidissent, hanc esse, quod non recte ad integritatem vitamque aeternam contendissent, sed contumaciam eorum animis Deus inseviaset (at delecti saltem Israelitae consequuti sunt, ceteri autem [non recte contenderunt, sed] contumaces a Deo redditi sunt). Nam I. talis dubitatio *cur tandem Deus operam ab Israelitis in potiundâ integritate positam nullo honore affecit?* eo loco nasci non potuit, quo et operam in integritatis adeptionem conferre fide Christo adjunctâ *Israelitas a Deo delectos* et propter consumtam operam aeternâ felicitate a Deo donari, Israelitas *in delectu praeteritos nullam* omnino illi rei operam tribuere, sed fidem recusare Ap. indicasset (v. 4. et 5.). Nam toto h. l. Israelitarum pietatem et impietatem non ab ipsorum bonâ malave voluntate, ut 9,30.—10,21. Ap. repetiit, sed a fatali necessitate a Deo iis impositâ, ut 9,6. sqq.. Deinde II. V. D. ἐπιζητεῖν τι, quod *valde desiderare* notat (Phil. 4,17. Hebr. 11,14. 13,14. v. not. ad Matth. p. 443.), cum διώκειν τι (*rei studere*) 9,30. confudit. Tum III. *at saltem* ἀλλά γε valet 1 Cor. 9,2., non δέ. Postremo IV. haec sententia nulla est: *idcirco* Deum studium ab Israelitis in integritatis adeptione collocatum nullo praemio affecisse, *quod eorum animis contumaciam inseminasset* h. e. *quod* pro suâ omnipotentiâ *impedivisset*, *quominus potiundae integritati operam navarent* et Christo fidem haberent!! ἐπιζητεῖ] *valde cupit.* Nam tum quoque, quum P. hanc epistolam scriberet, populus israeliticus integritatem et messianam felicitatem valde appetiit 9,30. 31., neque ullum tempus fuerit, quo non magno ejus desiderio flagraret. Hinc Imperfectum ἐπεζήτει, quod F. G. 5. 52. Mt. E. m. Chrys. VIII,53. a. Syr., Arr., It., Vulg., Ruf. et alii Lat. praebent, rejicio, quum praesertim Aoristus ἐπεζήτησεν aptior h. l. fuisset. τούτου οὐκ ἐπέτυχεν] Haec receptae conformationis scriptura usitatam structuram ἐπιτυγχάνειν τινός *consequi rem* (Xen. Mem. 4,2,28. Philostr. Her. 743. fin. Hebr. 6,15.) refert, lectio τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν, quam A. C. D. E. F. G. 17. 37. 39. 47. 72. et multi alii continent, paullo insolentiorem ἐπιτυγχάνειν τι. Eam *Millio* Prol. §. 986. aliisque probatam *Griesbachius*, *Matthaeius* ed. min., *Knapp.*, *Lachm.* et alii in verborum ordinem receperunt. Recte. Quum Attici τυγχάνειν τι *rem consequi* haud raro dixerint (v. *Herm.*

ad Vig. p. 760. et *Wunderum* Advers. in Soph. Philoct. p. 82.), quin seriores scriptores ἐπιτυγχάνειν τι eodem sensu usurpaverint dubitari vix potest. Et quamquam loca, quae ut structurae ἐπιτυγχάνειν τι *consequi aliquid* probitas ostendatur, vulgo afferuntur, non ejusdem plane generis sunt, credibilem tamen rem faciunt. Plato Rep. IV, 431. C. — τὰς δέ γε ἁπλᾶς τε καὶ μετρίας (ἐπιθυμίας), αἳ δὴ μετὰ νοῦ τε καὶ δόξης ὀρθῆς λογισμῷ ἄγονται, ἐν ὀλίγοις τε ἐπιτεύξει καὶ τοῖς βέλτιστα μὲν φῦσι, βέλτιστα δὲ παιδευθεῖσιν. valet ἐπιτυγχάνειν τι *in rem incidere*, *rem reperire* i. q. ἐντυγχάνειν τινί (Xen. Cyr. 3,3,5.). Concinnitatis studio Platonem, qui modo καὶ μὴν τάς γε πολλὰς καὶ παντοδαπὰς ἐπιθυμίας — ἐν πᾶσι μάλιστα ἄν τις εὕροι καὶ γυναιξὶ καὶ οἰκέταις dixisset, τὰς δέ γε ἁπλᾶς τε καὶ μετρίας — ἐν ὀλίγοις τε ἐπιτεύξαι scripsisse in promtu est: sed eum verbis τὰς δέ γε ἁπλᾶς καὶ μετρίας praecedentem structuram τάς γε πολλὰς καὶ παντοδαπὰς ἐπιθυμίας — ἐν πᾶσι μάλιστα ἄν τις εὕροι κ. γ. κ. οἰκέταις continuasse, deinde post sententiam intermediam αἳ δὴ μετὰ νοῦ τε καὶ δόξης ὀρθῆς λογισμῷ ἄγονται constructionem per anacoluthon mutasse ἐν ὀλίγοις — ἐπιτεύξει κτλ., quum hujus rei nullum vestigium sit, *Matthiaeo* gr. maj. §. 328., *Reichio* et *Meyero* non concedimus. Metaphr. ms. (i. e. paraphrasis Homeri ab J. Bekkero edita, quam *Reichius* cum Homero confudit) Il. ξ, 450. ἐπὶ τούτῳ δὲ ὁ Πολυδάμας τὸ δόρυ σείων, ἦλθε βοηθὸς ὁ Πάνθου υἱός· ἐπέτυχε δὲ Προθοήνορα κατὰ τὸν δεξιὸν ὦμον, τὸν τοῦ Ἀρηϊλύκου υἱόν (Homerus: βάλε δὲ Προθοήνορα δεξιὸν ὦμον, | υἱὸν Ἀρηϊλύκοιο). Ibi ἐπιτυγχάνειν τινά *aliquem, in quem ictum intenderis*, *ferire*, *percutere* designat. S. V. *Bretschneiderus*, vir egregius, Lex. I, 480. hunc l. sic explicuit: — τοῦτο οὐκ ἐπέτυχεν (scil. αὐτῷ, τῷ Ἰσραήλ), ἡ δὲ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν np. αὐτῷ *quam rem Israelitae desiderant, ea iis non contigit, sed* ἡ ἐκλογή *iis contigit*. Haec interpretatio, quae *Koellnero* placuit, vel propterea iniri nequit, quod Graeci non dixerunt ἐπιτυγχάνει τινί τι *evenit res alicui*, sicut τυγχάνει τινί τι *sorte alicui res obvenit* usurparunt (v. Lex. gr.). *Matthaeius* ed. min. hanc interpretationem proposuit: quod Israelitae appetunt, *in eo* secundâ fortunâ non usi sunt, sed delecti Israelitae prosperam fortunam habuerunt. V. Xen. Hellen. 4,5,19. ἐκ τούτου δὲ μάλα καὶ τἆλλα (quod ad cetera attinet) ἐπετύγχανεν Ἰφικράτης cl. 4,8,21.. At Israelitae in delectu a Deo praeteriti *nullum* prorsus, ut felicitatem messianam adipiscerentur, conatum ceperunt, in quo aut adesse iis secunda fortuna posset, aut deesse: fidem enim quum Deus

eorum voluntatem obstinatam reddidisset Christo denegarunt: delecti autem Israelitae, quum non possent non fidem et animis concipere et conceptam tueri, prospero fortunae flatu usi ad optatum exitum pervehi *debuerunt*. Huc accedit, quod non omnes promiscue Israelitas, sed *delectos Israelitas* valde desideratam *felicitatem adeptos esse* ex antecedentibus v. 2. — 6. consequitur, neque quidquam praeterea. Sed omnium pessime hunc l. exposuit *Koppius*: „sunt Israelitae, qui *magno studio affectant felicitatem in regno Messiae* (*ἐπιζητεῖ. sic.* cf. supra) et tamen non obtinent (?) eam, sed pauci tantum — electi." Israelitarum populus dicitur ὁ Ἰσραήλ (v. not. ad 10,19.), non τὸ Ἰσραήλ et si constructio a *Koppio* inita probari posset, Ap. hoc affirmaret: *eos Israelitas* felicitatem messianam non obtinuisse, *qui eam valde cuperent*! ὃ ἐπιζ. Ἰσρ., τοῦτο οὐκ ἐπέτ.] *quam rem* (integritatem beatitatemque messianam) *ardenter cupit Israelitarum populus, eam non assequutus est* np. quoniam legis mos. obsequio τὴν δικαιοσύνην sibi comparare studuit (9,30. sqq.). *Meyerus*: imo quia Deus non Israelitarum populum, sed paucos Israelitas, quos per Christum bearet, delegit (v. 4. et 5.). ἡ ἐκλογή] *delectus* h. e. *Israelitae delecti*, οἱ ἐκλελεγμένοι (*Theophyl.*), οἱ ἐκλεκτοί. Abstracto enim P. usus est pro concreto. Cf. περιτομή et ἀκροβυστία Rom. 3,30. Eur. Heracl. 460. ἀμαθὲς φρόνημα i. q. ἀμαθὲς φρόνημα ἔχων. Arrian. Exp. Alex. 6,1,8. αἱ ὑπηρεσίαι i. q. οἱ ὑπηρέται. Indocte *Tholuccius* sic מִבְחָר Dan. 11,15. positum esse observat quia עַם מִבְחָרָיו graecus interpres οἱ ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ verterit! At esse l. c. עַם מִבְחָרָיו *populum* *delectus a rege Aegyptio facti* h. e. *delectos ab eo milites, lectas ejus copias* in promtu est. Male *Calvinus* plus inesse voci τῆς ἐκλογῆς, quam si Ap. οἱ δὲ ἐκλεκτοί scripsisset perhibuit. Nam significasse P. vocabulo abstracto, *non aliam fuisse obtinendi causam quam electionem* h. e. non qui meritis freti contendunt, sed *quorum salus gratuitâ Dei electione nititur*. Hoc ipsum v. οἱ δὲ ἐκλεκτοὶ ἐπέτυχον enuntiarent. Magnificentius nonnunquam, ut ab oratoribus et poëtis, abstracta nomina dicuntur, quam concreta, sed notione et sententiâ non differunt. ἐπωρώθησαν] *induruerunt* np. quum Deus eorum animos indurasset. Expende v. 8. — 10. et hujus *capitis argumentum*. Sed qui illam impiam videlicet sententiam a P. dictam noluissent, licenter eam amoverunt: *Theodoretus*: ἐπωρώθησαν· ἀντὶ τοῦ σκληροτέραν ἡ ἀπιστία τὴν καρδίαν αὐτῶν ἀπειργάσατο. *Carpz.*, *Heum.* al.: *suos ipsi animos induraverunt*. *Kopp.*: *ceteros autem insanos diceres*, die Uebrigen sind wie verblendet! ἐπωρώθησαν] It. Vulg. Patr. lat.

excaecati sunt. Legerunt ἐπηρώθησαν cum 66. **, quae v. saepe a scribis confusa sunt (cf. v. c. Job. 17,7. var. lect.), nisi forte vocc. v. 8. ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν contuiti verbo πωρόω, quod a πωρός *caecus*, voce ut videtur a grammaticis fictâ, duxissent, *excaecandi* potestatem cum veteribus grammaticis affinxerunt (v. not. ad Marc. p. 78.). Suidas πωρός, ὁ τυφλός. πεπώρωται, τετύφλωται. Hesych. πεπωρωμένοι, — τετυφλωμένοι.

V. 8. καθὼς γέγραπται] Citavit Ap. Deut. 29, 4. LXX. καὶ οὐκ ἔδωκε κύριος ὑμῖν καρδίαν εἰδέναι καὶ ὀφθαλμοὺς βλέπειν καὶ ὦτα ἀκούειν ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης eâ licentiâ sumtâ, quae e libris s. argumentanti tum temporis a nemine non concessa est. Nam quum Moses Deum mentem ad intelligendum, oculos ad videndum et aures ad audiendum Israelitis usque ad illud tempus dedisse negasset, P. e negante sententiâ affirmantem fecit resque posuit, quas Deus iis usque adhuc impertivisset (πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν). Praeterea, ut locus allatus rem firmandam comprobaret, pro verbis καρδίαν εἰδέναι ex Jes. 29, 10. LXX. ὅτι πεπότικεν ὑμᾶς κύριος πνεύματι κατανύξεως substituit πνεῦμα κατανύξεως. Nam Israelitas Deo auctore, ut vetus oraculum portendisset, occalluisse non si *pingue* et quod non intelligeret *ingenium* (ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς καρδίαν τοῦ μὴ εἰδέναι), sed *si malum daemonem iis dedisset, qui torporem eorum animis incuteret* (πνεῦμα κατανύξεως, 18, 15.) effectum erat. Loci Jes. 6, 9. 10. nullam prorsus rationem P. duxit (*Beza, Grot., Surenhus.* l. c. p. 499., *Kopp.* al.). Neque ii non erraruṇt, qui Paulum in Jes. 29, 10. intuitum pro vocabulis ὅτι πεπότικεν ὑμᾶς κύριος πνεύματι κατανύξεως salva sententiâ ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως scripsisse putarunt (*Grot., Surenh.* p. 498. *Rueck., Reich.* al.). Nam ἔδωκεν Ap. ex Deut. 29, 4. duxit neque quidquam ex Jes. 29, 10. repetiit praeter πνεῦμα κατανύξεως. Haud dubie autem P. Mosen iis, quae Deut. 29, 4. aequalibus suis Deum denegasse dixisset, simul ornamenta oblique significasse Messiae aetate Israelitis in delectu praeteritis a Deo non concedenda putavit. Nam Deut. 29, 4. et Ps. 69, 23. 24. pro oraculis afferuntur eo ad eventum adductis, quod Deus Pauli temporibus Israelitarum non delectorum animos obstinatos reddidisset (v. 8. — 10.). *Theophylactus*: — ἔδωκεν ὁ θεὸς, ἀντὶ τοῦ κατέλειψεν αὐτοὺς ἔχειν πνεῦμα κατανύξεως, συνεχώρησεν, ἀφῆκε. Idem placuit *Chrysostomo, Isidoro Pelus.* IV. ep. 101., *Theodoreto, schol. Matth., Suidae* s. v. κατανυγῶ, *Clario, Zegero, Koppio, Flatto, Moro* et multis aliis. At qui spi-

ritum, qui torporem afferat, alicui dat torporis, qui aliquem teneat, effector est et molitor, non permittit, ut aliquis vitio suo torpescat. Ad hoc P. toto hoc capite ea persequitur, quae Deus *fecerit*, ut universam Israelitarum nationem per Christum denique beaxet v. 26. 31. sq., non ea refert, quae ab Israelitis fieri hoc consilio passus sit. *Πνεῦμα κατανύξεως* est *spiritus torporis* vel *consternationis*, *malus daemon animum consternans et torpidum reddens.* (Vide Excursum hujus capitis explicationi subjectum.) Nempe *ὅτι οἱ λοιποὶ ἐπωρώθησαν* v. 7. Paulo docendum est; quod quum his v. ostendat: *ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως*, *κατανύσσεσθαι* ei idem quod *πωροῦσθαι* valere apparet. Quorum animos torpor defixit nullâ re moventur: verum falsum, honestum turpe, felicitatem miseriam in nullo ponunt discrimine, sed caeci quo eos propuleris ruunt: occalluerunt enim (*ἐπωρώθησαν* v. 7.). *ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν κ. ὦ. τ. μ. ἀκ.*] *oculos qui non viderent et aures quae non audirent* i. e. oculos ad videndum et aures ad audiendum ineptas i. q. *ὀφθαλμοὺς τῆς ἀβλεψίας καὶ ὦτα τῆς ἀνηκοΐας caecos oculos et surdas aures* (*Grot.*, *Rosenm.* al.). Cf. ad Matth. p. 844.. Haec v. ad *mentis* aciem a Deo hebetatam referenda esse patet. Vocabula *τοῦ μὴ βλέπειν* et *τοῦ μὴ ἀκούειν* a verbo *ἔδωκεν* suspendunt *Rueck.* et *Meyerus*: dedit iis Deus — oculos, *ne viderent* et aures *ne audirent*. Quod propterea non fecerim, quod P. eas res Israelitis non delectis datas esse, quae fidem impedirent, simpliciter dixisse videtur, animi torporem, qui eos inobedientes Dei imperiis faceret, et mentis caecitatem, quae efficeret ne verum cognoscerent (Joh. 12, 40.). Oxymoron *mentem hominibus quos plane obtusos voluisset eo videlicet consilio Deus dedit*, *ne verum intelligerent h. l.* vix aptum est. *ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας*] Male *Beza*, *Grot.*, *Wolf.*, *Griesb.* ed. minimâ, *Knapp.* al., quum v. *καθὼς γέγραπται* — — *τοῦ μὴ ἀκούειν* uncis inclusissent, vocc. *ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας* cum *ἐπωρώθησαν* v. 7. consociarunt. Pertinent enim ad allata Mosis verba Deut. 29, 4. LXX. — *καὶ ὦτα ἀκούειν, ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης.* Accedit quod v. *ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας* isto pacto v. 7. post *οἱ δὲ λοιποὶ* collocanda fuissent, quod ipsum fieri non potuit, et quia v. 7. Israelitas non delectos Deo auctore occalluisse (eoque felicitatem messianam non adeptos esse), non illos Deo effectore *ad hodiernum diem* obduruisse affirmandum erat, et quoniam loquutio *ceteri autem ad hodiernum diem obtorpuerunt* v. 7. parum apta esset. Nam qui rem *ad hodiernum diem* valere contendunt, longum temporis intervallum, per quod res duraverit, in-

dicant. Atqui non multum temporis effluxerat, ex quo Israelitae Christi evangelium respuere animique torporem ostendere potuissent (v. etiam *Rueckertum* et *Koelln.*). Inepte *Calvinus*, *Carpz.*, *Heum.*, *Kopp.* al. Paulum v. ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας de suo addidisse contenderunt, ne quis olim ad eventum adductum esse illud vaticinium ideoque perperam ad tempus promulgati evangelii referri objiceret. Ita enim Ap. τοῦτ᾽ ἔστι ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας (10,7.) scribere debuerat. Omissâ voce τοῦτ᾽ ἔστι vocc. ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας utique Mosis verbis contribuenda sunt h. s.: dedit iis Deus — — hebetiores, quam quae audiant, aures usque ad hodiernum, quo *ego*, *Moses*, haec loquor, diem. Gravia autem v. ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας, quae allegoricorum interpretum esse solet arguta subtilitas, Paulo idcirco fortasse visa sunt, quod res usque eo sine ullâ intermissione atque ita Israelitis impertitas, ut eorum ingeniis inolevisse crederes, etiam postea i. e. Messiae temporibus Deum iis daturum esse Moses voce ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας subindicaverit.

V. 9. et 10. Addit Ap. locum Ps. 69, 23. 24., ubi Israelitarum non delectorum contumaciam Messiae temporibus a Deo efficiendam Davides ominatus sit (cf. v. 7.). Davidem P. psalmi scriptorem fecit vetustam famam (vide psalmi titulum) sequutus. At lugubrem cantilenam non Davidem cecinisse, sed hominem nobis ignotum tum composuisse, quum eversis Hierosolymis populus judaicus in exsilium ejectus esset (Ps. 69,36.) inter cordatos criticos satis constat (v. *Rosenmuellerum*, *de Wettium*, *Ewaldum*, *Hitzigium* et *Krahmerum*). Ven. *Hitzigius* in l.: Die Psalmen, historisch-kritisch untersucht u. s. w. Heidelb. 1836. p. 54. sq. *Jeremiam* psalmum 69. confecisse ostendere conatus est. Neque res *Messiae* temporibus eventuras poëta ps. 69. vaticinatus est, sed injurias ab adversariis idcirco quod Jehovam pie coleret sibi illatas (Ps. 69. 8,10.) lamentatus v. 1. — 13. tum Dei opem imploravit v. 14. sqq. tum pestem adversariis exoptavit v. 23. — 29. gratiarumque actionem pollicitus Deum suas preces exauditurum esse declaravit v. 30. — 37.. Paulo tamen aliisque N. T. scriptoribus (Joh. 2,17. Act. 1,20.) psalmus 69. vaticinum carmen visus est, quo Davides res messianas per ambages cecinisset. Theologi, ut poëtam, qui parum honeste adversarios exsecratus esse videretur, purgarent mirabilia commenti sunt, fortasse Imperativos γενηθήτω, σκοτισθήτωσαν et σύγκαμψον pro Futuris positos esse (v. *Vatabl.* et *Flatt.* cf. *Baueri* philol. Thucyd. p. 86. sq.): non iracundiâ adductum, sed quia optasset, ut improbi homines punirentur vatem adver-

sarios exsecratum esse (*Flatt.*): quoniam poëtae adversarii ipsum Deum oppugnassent quum perniciem iis exoptaret Dei causam illum egisse Ps. 69,8. 10. 139,21. (*Turrett.*, *Tholucc.*). Verum enim vero ne impios quidem homines recte exsecreris: precetur potius vir honestus a Deo, ut resipiscere eos jubeat. Bene *Grotius*: „Eis (calumniatoribus) *ex spiritu legis* optat (Davides) paria." Cf. v. c. Ps. 35,4. sq.. Vatis verba haec sunt; יְהִי־שֻׁלְחָנָם לִפְנֵיהֶם לְפָח וְלִשְׁלוֹמִים לְמוֹקֵשׁ׃ תֶּחְשַׁכְנָה עֵינֵיהֶם מֵרְאוֹת וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד׃ h. e. fiat mensa (coena cf. v. 22.) iis apposita laqueus et tendicula securis (i. q. cibi iis necopinatum exitium afferant): oculis capiantur et fac ut eorum lumbi semper vacillent (i. q. ut nunquam non proxime absint a lapsu). LXX. *γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν* (legerunt לְשִׁלּוּמִים pro לִשְׁלוֹמִים) *καὶ εἰς σκάνδαλον· σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διὰ παντὸς σύγκαμψον.* P. omisit *ἐνώπιον αὐτῶν*, quae verba 4. Syr. Pelag. et pauci alii male ex LXX. suppleverunt, deinde de suo adjecit *καὶ εἰς θήραν*, quae vocc. ex aliâ quadam translatione psalmorum graecâ librarios adspersisse perperam *Beza* dixit, quum omnes *καὶ εἰς θήραν* agnoscant paucis exceptis, qui locum paullinum cum versione alex. conciliare studuerunt, v. c. Syro, qui haec v. reddidit: *γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν ἐνώπιον αὐτῶν εἰς παγίδα καὶ ἡ ἀνταπόδοσις αὐτῶν εἰς σκάνδαλον.* et Aethiope, tum Ap. pro *ἀνταπόδοσιν ἀνταπόδομα* scripsit, postremo incisorum ordinem *καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν καὶ εἰς σκάνδαλον* invertit *καὶ εἰς σκάνδαλον καὶ εἰς ἀνταπόδομα* et post *ἀνταπόδομα* adjecit *αὐτοῖς*. Haec Paulum mutasse quod V. T. locum *memoriter* attulisset (*Grot.*, *Morus*, *Boehm.* al.) non concedo. Sunt enim verborum *ἐνώπιον αὐτῶν* omissio, vocabulorum *καὶ εἰς θήραν* adjectio et vocum *καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς* in vs. finem rejectio ejusmodi, ut *consilio* has mutationes factas esse appareat. Neque rem prophetae testimonio comprobandam non nisi v. v. 10. *σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν* confirmare, cetera autem v. idcirco a P. adjecta, ut in quo orationis contextu illa in V. T. legerentur lectores cognoscerent, nihil ad Ap. rem conferre *Koppio* largior. Nimirum verbis *σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν τοῦ μὴ βλέπειν* homines in delectu praeteritos Deo auctore *occalluisse* (v. 7.) minime efficitur. Quamobrem sic sentio. P. Davidem diris exsecrationibus, quas in adversarios suos composuisset, simul eorum Israelitarum, qui contumaces a Deo redditi Messiam oppugnaturi essent, sortem *oblique* vaticinatum esse credidit. V. *Ἡ τράπεζα αὐτῶν* Paulo non

cibos eorum mensae impositos (Pollux 6, 84. Herod. 1, 162.). sed *eorum mensam conquisitis epulis exstructam* (conferendae sunt αἱ τῶν Σικελῶν τράπεζαι apud Athenaeum XII, 518. C.) declararunt. Igitur v. ἐνώπιον αὐτῶν omisit. Sed istâ exstructâ mensâ hominum *heluationem*, quae abdominis voluptatibus emancipatos *Dei nutu occalluisse* v. 7. *neque divinas res curare* ostenderet Ap. notari existimavit. *Theodoretus*: τράπεζαν — τὴν τρυφὴν προςηγόρευσεν —. Vocabula καὶ εἰς θήραν Ap. adjecit, ne primaria quaedam ratio, quâ bestiis exitium paratur, praetermissa esset, quum tota res ejus adjectione luculentior fieret. Nempe alias bestias auceps laqueis irretit, alias venator venabulo transverberat, alias muscipula opprimit. Postremo v. καὶ εἰς ἀνταπόδοσιν parum apte inter εἰς παγίδα et καὶ εἰς σκάνδαλον collocata in vs. finem rejecit καὶ εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς, ut hoc ipso exstructam hominum mensam mercedem (poenam Sirac. 14, 6.) iis allaturam esse, quod ut laqueus, venatio et muscipula eos confectura esset, ostenderent. Itaque P. Davidem quum adversarios exsecraretur simul haec in Israelitas a Deo non delectos vaticinatum esse existimavit: fiat (ut futuram iis sortem diris imprecationibus denuntiem) *exstructa eorum mensa* (unde obstinatum et a rebus divinis aversum eorum animum, τὴν πώρωσιν αὐτῶν v. 7., facile cognoscas) laqueus qui eos irretiat, venatio, quae eos sternat, mobile muscipulae tigillum (v. not. ad 9, 33.), quod eos pessumdet (i. q. exstructa eorum mensa exitium iis paret) et (hoc pacto) mercedem (poenam) iis afferat (np. heluationis et *contumaciae*, τῆς πωρώσεως, quam heluando expromserint). Quae quum ita sint, v. v. 9. γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν κτλ. Paulo judice idem dicunt, quod vocc. v. 8. ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, nisi quod *oblique*. Nam heluationem pro *divinitus effectae contumaciae documento* memorari credidit. Fortasse etiam Ap. τὴν τράπεζαν αὐτῶν *mensam, quâ argentariam facerent* (v. Matth. 21, 12. 25, 27. et Lexx. gr.) exposuit, a Davide auri famem lucrique cupiditatem, quâ semper infames Judaei fuerunt, pro contumaciae divinitus efficiendae indicio poni arbitratus. In psalmo τὴν τράπεζαν mensam esse, quae conviviis adhibeatur, non objiciet, qui quanta allegoricae interpretationis licentia sit meminerit. σκοτισθήτωσαν οἱ ὀφθ. αὐτῶν τ. μ. βλ.] *hebetentur eorum oculi ne videant* i. e. obtundatur iis mentis acies, ne verum animo cernant neque viam ineant, quae ad messianam salutem ferat. Respondent v. σκοτισθήτωσαν — τοῦ μὴ βλέπειν vocabulis v. 8. ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν. καὶ τ. ν. αὐτῶν διὰ παντὸς σύγκ.] *eorumque dorsum semper incurva* i. e. fortunae tristitiâ eos

(quippe quos messianâ beatitate carere jusseris) semper affige, mi Deus. Nam rerum asperitates, moerores et acerbitates hominum animos exedunt, dorsa incurvant. Non recte *Meyerus*: eorum dorsa incurva servitutis onere imposito i. e. fac ut eorum *mentes* servitutem serviant quippe contumaces redditae et errori obnoxiae. Nam precario V. D. cum *Grotio*, *Rueckerto*, *Koellnero* et aliis *συγκάμπτειν τὸν νῶτόν τινος* sic cepit: alicujus dorsum *servitutis jugo imposito* incurvare. Omnino in horum vss. enarratione multa peccata commissa sunt. *Koppius* (cf. etiam *Bengelium*, *Tholucc.* et *Reich.*) v. 8. sic exposuit: „inter convivia laeta calamitas et miseria eveniat ipsis, ut poenas luant *injuriae mihi inflictae* [*Meyerus*: fidei Christo negatae]." *Injuriae Deo illatae* et *fidei Christo denegatae* cogitationes nullo elemento expressae licenter additae sunt. Praeterea v. *γενηθήτω ἡ τράπεζα αὐτῶν εἰς ἀνταπόδομα αὐτοῖς* *fiat eorum mensa iis merces aut poena* h. e. *poenae causa* (eorum mensa poenam iis afferat) valeant necesse est. *Rueck.* et *Koelln.*: cibi quos capiant exitium iis apportent. *Grotius* (cf. *Surenh.* l. c. p. 501.): convivae eorum eos decipiant. Neutra explicatio admitti potest, quia eâ probatâ nihil v. 9. continet, quo sententia confirmetur Davidis vaticinio fulcienda ὅτι οἱ λοιποὶ ὑπὸ τοῦ θεοῦ ἐπωρώθησαν v. 7.. *Grotii* interpretationi etiam usus loquendi obstat. Nam *ἡ τράπεζά τινος alicujus convivas* Graecis non declarat *). Plane absurda autem eorum opinio est, qui Davidem Paulo auctore calamitates, quibus Judaei tum, quum Titi ductu Hierosolyma everterentur, afflicti sunt ominatum esse sibi persuaserunt. Sic *Wetst.* et *Chr. Fr. Schmid.* versum 8. h. m. exposuerunt: irretiat eos *coena paschalis*. Nimirum ingens Judaeorum numerus paullo ante urbis excidium Hierosolyma confluxit, ut paschatis ferias ibi ageret. Itaque quasi in carcerem conclusa tota gens prope ad internecionem deleta est. Quos fames et pestilentia non abstulerat expugnatâ urbe a Romanis partim interfecti partim capti sunt. Cf. Joseph. B. J. 6,9,3. 4.. Similiter Grotius ad v. 9.: „mystico sensu *mensa* potest intelligi *altare*, Mal. 1,7. [ubi est שֻׁלְחַן יְהוָה, *τράπεζα κυρίου!*] et *per altare συνεκδοχικῶς templum*, quo incenso multi Judaei partim flammis interiere, partim capti sunt." Idem v. 10. v. *καὶ*

---

*) Addo profundam *Vatabli* explicationem, quam *Tholucciis* et *Olshausenis* commendatam volo: „scandalum] i. e. offendiculum: i. e. *verbum salutis quod illis pro cibo suavissimo esse debebat* (!! *ἡ τράπεζα αὐτῶν*), erit illis unde illaqueentur et capiantur *a venante diabolo et ab eo devorentur* [1 Petr. 5,8.], et id unde gravissime offendantur et in praemium illis."

τὸν νῶτον αὐτῶν διὰ παντὸς σύγκαμψον ad servitutem retfulit, in quam innumerabiles Judaei per Titum abducti sunt (confer etiam *Oecumenium*). Absona haec sunt. Nam quum P. psalmi 69. v. eo consilio attulerit, ut Davidem prophetam Israelitis a Deo non lectis contumaciam ominatum esse doceret v. 7., in promtu est, mentis caecitatem, quam praeter contumaciam hominibus eo l. Davides denuntiaverit, Paulo judice eam esse, quâ messianae salutis consequendae rationem non cernant, fortunae autem acerbitatem ab iis degustandam non in fame, peste, servitute et morte positam esse, sed hoc absolvi, quod obstinati homines messianam beatitatem non consequuturi eoque in perpetuum miseri futuri sint (v. 9. 10.). Ultimum est, ut de nonnullis vocc. disputem. *εἰς παγίδα*] Male Mt. a *εἰς παγῖδα*. Est enim paenultima brevis. Cf. v. c. Aristoph. Av. 194. et 527. *καὶ εἰς θήραν*] *Ἡ θήρα* h. l. utique *venationis* potestatem habet. Sternit enim et pessumdat venatio feras, sicut laqueus perniciem avibus machinatur. Non recte S. V. *Bretschneiderus* Lex. I, 563. *τὴν θήραν* h. l. „*τὸ capi*, i. e. *interitum*" significare contendit. *Wetstenius* autem, *Schleusnerus Lex. N. T.* I, 1068., *Wahl.* in Cl., *Tholucc.*, *Rueck.* al. *τὴν θήραν rete, quod avibus tenditur* i. q. *τὸ θήρατρον* (Ael. V. H. 1, 1.) valere perhibueruht (!). Qui commentum suum tum eo firmarunt, quod P. h. l. *εἰς παγίδα* verbis *εἰς θήραν* exposuerit (sic; v. supra), tum eo stabiliverunt, quod LXX. Ps. 35, 8. רֶשֶׁת *τῆς θήρας* vocabulo converterint. Ps. 35, 8. תְּבוֹאֵהוּ שׁוֹאָה לֹא יֵדָע וְרִשְׁתּוֹ אֲשֶׁר־טָמַן תִּלְכְּדוֹ בְּשׁוֹאָה יִפָּל־בָּהּ *perveniat ad adversarium exitium, nesciat* (ingruentem pestem), *et quod abscondidit rete ipsum capiat, cum exitio* (alii *cum strepitu*) *incidat in foveam.*' LXX. *ἐλθάτω αὐτῷ παγὶς ἣν οὐ γινώσκει καὶ ἡ θήρα ἣν ἔκρυψεν συλλαβέτω αὐτὴν, [καὶ] ἐν τῇ παγίδι πεσεῖται ἐν αὐτῇ.* LXX. non quod רִשְׁתּוֹ *ejus rete* explicuissent, sed quia *ejus capturam* (cf. v. יָרַשׁ) interpretati essent *καὶ ἡ θήρα ἣν ἔκρυψέν συλλαβέτω αὐτὴν* verterunt. Nempe בָּהּ male ad רִשְׁתּוֹ rettulerant, quod pertineret ad שַׁחַת רִשְׁתָּם (foveà adversariorum rete abscondens) v. 7.. Inutilis enim est v. 7. *Houbigantii* conjectura, quae nuper nonnullis VV. DD. perplacuit כִּי־חִנָּם טָמְנוּ־לִי רִשְׁתָּם חִנָּם שַׁחַת חָפְרוּ לְנַפְשִׁי. Nam nihil in vulgatâ scriptura inest, quod recte reprehendatur: *nam sine causâ occultam mihi fecerunt foveam, quae eorum rete contineret, sine causâ eam foveam* (שַׁחַת רִשְׁתָּם) *foderunt vitae meae.* Non differt membrum posterius a priore, nisi quod distinctius לְנַפְשִׁי pro לִי continet. Quod parallelismi genus admodum frequentari constat. Prov. 11, 8 צַדִּיק מִצָּרָה נֶחֱלָץ *vir probus*

ex angustiis extrahitur. LXX. δίκαιος ἐκ θήρας δύνει (al. ἐκδύνει) *vir probus ex venatione emergit.* Scilicet legerunt מְצֻדָה pro מְצָרָה et voci צָדָה eam vim subjecerunt, quam habet צַיִד *venatio.* Kohel. 7,26. אֲשֶׁר־הִיא מְצוֹדִים וַחֲרָמִים לִבָּהּ *quam* (feminam) *ipsam retibus, ejus animum laqueis assimiles.* LXX. — ἥτις ἐστὶ θηρεύματα καὶ σαγῆναι καρδία αὐτῆς. *quam* (feminam) *venationem* (venatoris praedam) *dicas ejusque animum everriculum.* Interpretati sunt מָצוֹד *capturam* Prov. 12,12., *venationem* h. e. *venatoris praedam,* quod ibi *venatorium rete* designat. Quocirca ne θήρευμα quidem alex. interpretibus *rete* significat. — τὸν νῶτον] τὸ νῶτον Edit. *Erasmi* 2. 3. 4. 5. *Colinaei*, *Bogardi*. Cdd. τὸν νῶτον. Atticistae τὸ νῶτον Atticis, τὸν νῶτον Hellenistis recte tribuunt. Moeris: νῶτα καὶ τὸ νῶτον ἀττικῶς· νῶτος καὶ τοὺς νώτους ἑλληνικῶς. *Phrynichus* ed. *Lobeck.* p. 290. ὁ νῶτος ἀρσενικῶς λεγόμενος ἁμαρτάνεται· οὐδετέρως δὲ τὸ νῶτον καὶ τὰ νῶτα δοκίμως ἂν λέγοιτο. *Thomas M.* p. 637. ed. *Bern.*. Unde in translatione alex. saepe ὁ νῶτος (3 Reg. 7,33. 4 Reg. 17,14. Jes. 50,6. Ez. 1,18. 10,12. Zach. 7,11. Ps. 65,10. al.), raro τὸ νῶτον (Genes. 9,23. Jer. 2,27.) inveniri non mirum est. σύγκαμψον] σύγκαψον 32. 39. 72. Mt. c. d. f. al.. Est calami error. Librarii tum pro κάπτειν (avide comedere) temere scripserunt κάμπτειν (exemplum suppeditat *Heynius* ad Hom. 5,490.: v. etiam supra I, 110.), tum pro κάμπτειν vitiose exararunt κάπτειν, v. Ps. 68(69), 24. varr. lect.. Erravit *Wetstenius* pro σύγκαμψον etiam σύγκαψον veteres dixisse opinatus. Loca Galeni quae attulit scribas σύγκαπτειν, συγκάψαι et σύγκαψις pro συγκάμπτειν, συγκάμψαι et σύγκαμψις oscitanter posuisse ostendunt, nihil praeterea. Quae vitia recentiores editores recte sustulerunt. Sic *Kuehnius* De locis affectis l. 6. p. 431. (*Galeni* Opp. Vol. VIII.) συγκάμπτειν et συγκάμψωσιν edidit. καὶ τὸν νῶτον αὐτῶν διὰ παντὸς σύγκαμψον] Vates hebraeus: וּמָתְנֵיהֶם תָּמִיד הַמְעַד *eorumque jugum fac ut semper vacillet.* LXX. *vacillantem spinae vertebram* pro infracti curis et sollicitudinibus animi indicio ceperunt. Minus etiam mirum est, quod LXX. Ps. 66,11. שַׂמְתָּ מוּעָקָה בְמָתְנֵינוּ *imposuisti grave onus in spinae nostrae vertebram* sic converterunt: ἔθου θλίψεις ἐπὶ τὸν νῶτον ἡμῶν.

Dixerat Ap. Israelitas benigne a Deo delectos messianam salutem per fidem obtinuisse, ceteros autem, quod se facturum esse per Mosen et Davidem Deus denuntiasset, contumaces redditos esse, ne fidem animis conciperent (v. 7. — 10.). Quorum fortunam ne misereretur de iis jam actum esse opinati non ut messianâ felicitate privarentur,

sed ut totum genus humanum per Christum bearetur obstinatos eos redditos esse docuit. Sapienter enim Deum, qui in omnes homines ornamenta messiana conferre benigne decrevisset, rem sic instituisse monuit, ut primo gentilium ad Christi sacra adducendorum rationem inituras multis Judaeis contumaciam inderet, deinde eorum contumaciam aemulatione sanaret, quam gentilium pietas iis injecisset (v. 11.—32.).

V. 11. Λέγω οὖν, μὴ ἔπταισαν ἵνα πέσωσι; μὴ
γένοιτο· ἀλλὰ τῷ αὐτῶν παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς
ἔθνεσιν, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. 12. Εἰ δὲ τὸ
παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτος κόσμου καὶ τὸ ἥττημα αὐ-
τῶν πλοῦτος ἐθνῶν, πόσῳ μᾶλλον τὸ πλήρωμα αὐτῶν.
13. Ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν· ἐφ᾽ ὅσον μὲν εἰμὶ ἐγὼ
ἐθνῶν ἀπόστολος τὴν διακονίαν μου δοξάζω, 14. εἴ-
πως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα καὶ σώσω τινὰς ἐξ
αὐτῶν. 15. Εἰ γὰρ ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν καταλλαγὴ κό-
σμου, τίς ἡ πρόςληψις εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν; 16. Εἰ δὲ
ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα, καὶ εἰ ἡ ῥίζα ἁγία,
καὶ οἱ κλάδοι. 17. Εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλά-
σθησαν, σὺ δὲ ἀγριέλαιος ὢν ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς
καὶ συγκοινωνὸς τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας
ἐγένου, 18. μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων· εἰ δὲ κατα-
καυχᾶσαι, οὐ σὺ τὴν ῥίζαν βαστάζεις, ἀλλ᾽ ἡ ῥίζα σέ.
19. Ἐρεῖς οὖν· ἐξεκλάσθησαν οἱ κλάδοι, ἵνα
ἐγὼ ἐγκεντρισθῶ. 20. Καλῶς· Τῇ ἀπιστίᾳ ἐξ-
εκλάσθησαν, σὺ δὲ τῇ πίστει ἕστηκας. Μὴ ὑψηλο-
φρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. 21. Εἰ γὰρ ὁ θεὸς τῶν κατὰ
φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, μήπως οὐδὲ σοῦ φείση-
ται *). 22. Ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν θεοῦ,
ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομίαν, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότητα,
ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι· ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ.
23. Κἀκεῖνοι δέ, ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσι τῇ ἀπιστίᾳ, ἐγκεν-
τρισθήσονται· Δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ θεὸς πάλιν ἐγκεν-
τρίσαι αὐτούς. 24. Εἰ γὰρ σὺ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξ-
εκόπης ἀγριελαίου καὶ παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθης εἰς
καλλιέλαιον, πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, οἱ κατὰ φύσιν ἐγκεν-
τρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ;

*) Fortasse tamen P. scripsit μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται.

V. 11. *λέγω οὖν, μὴ ἔπτ. ἵνα πέσωσι;*] *dico* (interrogo, objicio) *igitur* (i. e. quum Israelitas in delectu neglectos Deum obstinatos reddidisse scripserim v. 7.): *num* (Israelitae, quorum animos Deus induravit v. 7. sq.) *offenderunt, ut corruerent?* Rursus P. objectionem, quae lectis vs. 7.—10. nemini non oboriatur, ipse facit, ut eam tollat, non Judaeum responsantem inducit, ut eum refellat (*Beza*; v. not. ad v. 1.). *Πταίειν* proprie significat *offendere*, ut in proverbio *μὴ πολλάκις πρὸς τὸν αὐτὸν λίθον πταίειν* (cf. Polyb. 31, 19, 5. 20, 1.). Potest autem offensio et *peccatum* et *infortunium* incedentis videri. Quocirca *πταίειν* metaphorice tum *errare* (Plato Theaetet. c. 46.) *peccare* (Jac. 2, 10. 3, 2.), tum *rebus adversis conflictari, miserum fieri* (Xen. Cyr. 3, 1, 26. Dionys. Hal. A. R. 8, 26. 2 Petr. 1, 10.) denotat. H. l. *peccare* valet. Dicitur enim Israelitarum in delectu praeteritorum peccatum eorum *ἀπιστία* v. 20. 23. vel *ἀπείθεια* v. 30. 32.. Male *Wolf., Boehm., Rueck., Reich., dW.* al. Paulum voce *σκάνδαλον* v. 9. et iis motum quae 9, 32. (cf. 1 Cor. 1, 23.) scripsisset v. *πταίω* h. l. posuisse affirmarunt nonnullique eorum (*Wolf., Reich.*) *πρὸς τὸν λίθον τοῦ προσκόμματος* post *ἔπταισαν* precario mente addiderunt. Neque enim *σκάνδαλον* v. 9. *rem quae offensioni sit* significat. Praeterea ubi *πταίειν* metaphorice *peccare* designat, lapis, in quem pedem offendas, non magis a Graecis cogitatur, quam a Romanis ubicunque *offendere* pro *peccare* usurpant. Imo unam *peccandi* notionem utrique tum tenent. *Πίπτειν* metaphorice non solum *peccare*, sed etiam *corruere, perire* notat. Nempe stare cogitatur qui recte facit, cecidisse existimatur qui male agit (v. 22. 14, 4. 1 Cor. 10, 12.). *Corruunt* autem qui pereunt (Xen. Anab. 1, 9, 31. cf. נָפַל Ps. 27, 2.) et quae res collabuntur eae intereunt. Herodot. 8, 16. — *ὁ γὰρ Ξέρξεω στρατὸς ὑπὸ μεγάθεός τε καὶ πλήθεος αὐτὸς ὑπ' ἑωυτοῦ ἔπιπτε* — Cic. Catil. 2, 10, 21. — qui homines primum, si stare non possunt, *corruant*, sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant. Nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint, aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant arbitrentur. Hic *πίπτειν corruere* i. e. *perire* declarat. Cernitur enim Israelitarum in delectu neglectorum ruina, quam Deum decrevisse Ap. negat, in salute messianâ iis ademtâ (contende membrum sequens et v. 26.). Falso multi *πίπτειν* enarrarunt *in totum concidere et sine spe reparationis, in casu manere* (*Pelag., Erasmus, Grot., Beng., Chr. Fr. Schmid., Flatt., Reich.*), *πίπτειν τελείως μηδέποτε ὀρθωθῆναι δυνάμενον* (*Theophyl.*). *Photius*: — *τὸ πταῖσμα αὐ-*

τῶν οὐχὶ εἰς καταπτῶσιν τελείαν γέγονεν, ἀλλὰ μόνον οἷον ὑπεσκελίσθησαν· καὶ τοῦτο οὐχ ἁπλῶς, ἀλλὰ διά τινα οἰκονομίαν συνεχωρήθη, ἵνα ἐν τῷ ἐκείνων παραπτώματι γένηται μὲν ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσι, γένηται δὲ καὶ αὐτῶν ἐκείνων ἡ ἀνόρθωσις παραζηλούντων καὶ μιμουμένων τοὺς ἐξ ἐθνῶν —. Cf. *Oec.* et *schol. Matth.*. Non viderunt πίπτειν h. l. *perire* notare eoque verbo eorum pestem enuntiari, quibus ademtâ salute messianâ (τῇ σωτηρίᾳ) sempiterna miseria (ἡ ἀπώλεια) decreta sit. Accedit quod πταίειν *impelli* i. e. *leviter peccare*, πίπτειν *labi* h. e. *gravissime* atque ita peccare, ut resurgendi i. e. resipiscendi spes abscissa sit interpretati sunt. At utrumque v. quandocunque ad *voluntatis* errorem refertur *delinquere*, *peccare* in universum valet, minime autem πταίειν *leve et quod corrigi possit*, πίπτειν *grave et quod emendari nequeat* peccatum committere declarat (v. supra). It., Vulg.: numquid *sic* offenderunt ut caderent? His non solum multi PP. lat., sed etiam *Vatablus*, *Grot.*, *Chr. Fr. Schmid.* aliique temere assensi sunt. Nam neque P. verba hanc explicationem admittunt (μὴ ἔπταισαν ὥστε πεσεῖν; scribendum fuisse apparet) — neque instituta ab eo disputatio recipit. Quippe toto capite hoc agit Ap., ut rationes explicet, *quibus Deus pro omnipotentiâ suâ Israelitas gubernaverit*, ut nonnullos benigne delectos continuo ad fidem Christo habendam adduceret, ceteros induraret, ut per ambages eodem denique pervenirent. Hoc argumento etiam eorum consilium evertitur, qui hunc l. ad Dei *permissum* rettulerunt: num eos offendere Deus *passus est*, ut corruerent? (*Phot.*, *schol. Matth.*, *Kopp.*, *Rosenm.*, *Flatt.* al.). Imo sic explicandum est: num offenderunt ut corruerent? h. e. num Israelitas in delectu praeteritos eo Deus consilio fide Christo negatâ peccare jussit, ut eos beatitate messianâ privaret et miseros redderet? Cf. v. 31. 2 Cor. 4,7. et librum meum Ueber die Verdienste Tholuck's p. 96. sq. Ceterum Ap. Israelitas in delectu neglectos, qui quoniam Deo auctore induruerant v. 7. — 10. fidem Christo adjungere plane non possent, eo quod Christo fidem derogassent *peccasse* scripsit (cf. ἔπταισαν et τὸ παράπτωμα v. 11. 12.) eoque parum sibi consensit. Scilicet toto h. l. *necessitatem Israelitis divinitus impositam* factamque iis *liberam statuendi agendique potestatem* confudit. Illius memor fuit v. 15. 25. 31. 32., hanc Israelitis tribuit v. 11. 12. et 20. — 22., ubi eos, quod Christo fidem habere noluissent, *poenis* Deum affecisse dixit. Cf. *Hitzigium* ad Jes. 65,2.. Negat P. Deum Israelitas non delectos peccare i. e. Christum repudiare jussisse, ut eos messianâ felicitate defraudatos in sempiter-

nam pestem praecipitaret, verbis μὴ γένοιτο. Tum quidnam Deus quum eos peccare juberet sequutus sit explicat vocabulis ἀλλὰ τῷ αὐτῶν παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν (scil. ἐγένετο) εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. Τὸ παράπτωμα non notionem verbo πίπτειν comprehensam (*Reich.*), sed cogitationem verbo πταίειν inclusam continet. *Peccatum* enim notat (v. I,323. sq.) et dicitur τὸ παράπτωμα αὐτῶν *Israelitarum in delectu praeteritorum peccatum* ἡ ἀπιστία αὐτῶν v. 20. vel ἡ ἀπείθεια αὐτῶν v. 31. 32.. Non igitur Ap. τὸ παράπτωμα collocavit, ut verbi πίπτειν metaphoram continuaret (*Rueck.*). Quin paronomasia (ἵνα π έ σ ω - σ ι; — τῷ αὐτῶν π α ρ α π τ ώ μ α τ ι) ad verba pertinet, sententiam non attingit. Judaeorum Christum abominatorum contumacia eo valuerat, ut Apostoli in paganorum institutionem operam conferrent Act. 13,46. 28,28. idque futurum esse Jesus portenderat Matth. 21,43. 22,1. — 14.. Hoc P. omnia moderantis Dei consilio attribuit, qui eo inito et prodesse gentilibus (ἀλλὰ τῷ παραπτ. αὐτῶν ἡ σωτηρία τ. ἔθνεσιν) et plane non nocere Judaeis in delectu neglectis (εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς) voluerit. εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς] Male *It.*, *Vulg.*, *Lutherus* al.: ut (Israelitae non delecti) *illos* (paganos) *aemulentur*. Ratio enim a P. habetur loci mosaici Deut. 32,21. supra 10,19. allati (cf. etiam 11,14.). Quamobrem explana: *ut Deus* (id effecturus, quod se facturum esse per Mosen denuntiaverat) *curam Israelitis non delectis moveret* (quae eos stimularet, ut gentilium fidem aemularentur, cf. v. 31.). Uxorem a marito repudiatam, quum aliam jam feminam ab eo amari senserit, cura accendit, ut amissam gratiam recuperare studeat: sic Deum favore suo in gentiles inclinato Israelitis in delectu praeteritis curam et sollicitudinem injicere decrevisse, ut cura eos ad imitandam gentilium fidem, quâ Dei gratiam consequuti sempiterno bearentur, impelleret Ap. affirmavit. Cf. *Calvinum*. Perspicuum est igitur, Deum Israelitas in delectu neglectos, non ut *corruerent* h. e. salute messianâ privarentur, sed ut quum suo peccato paganis profuissent et ipsi bearentur peccare, h. e. Christo fidem negare jussisse. Quocirca P. sententia haec est: ut Israelitae non delecti nullâ Christo fide habitâ offenderent h. e. peccarent non eo consilio Deus fecit, ut corruerent aut messianâ felicitate fraudarentur; sed eorum peccato Deo moderante messiana salus paganis obtigit, ut (rem per Mosen denuntiatam 10,19. perfecturus) curam iis moveret, quâ ad imitandam paganorum fidem, ne felicitate messianâ exciderent, incitarentur. Jam quaeritur et quomodo P. in hanc sententiam inciderit et an ea *nobis plausibilis videri*

possit. Sane Judaeorum qui Christi evangelium respuissent contumacia effecerat, ut P. aliique paganis doctrinam salutarem offerrent v. Act. 13,46.. Quae res quum iis prospere successisset (v. Act. 13,48. cl. 28,28.), Deum ipsum sapienter et benevole permultos Israelitas a fide Christo habendâ arcuisse, ut summae felicitatis copiam gentilibus faceret Paulo placere potuit. Sed Israelitas, quos Deus quominus Christo fidem adjungerent impedivisset, ne messianâ beatitate exciderent, in tempore ad bonam frugem Deum reducturum esse Paulo consentaneum videri debuit, non tam propterea, quod nationem judaicam dilexit 9,3. ejusque jura admiratus est 1,16. 4,2. 9,4. sq., ut optima quaeque ei exoptaret summisque eam ornamentis dignam judicaret, quam idcirco, quoniam beatitatem messianam genti judaicae *deberi* existimavit, quandoquidem Deus eam Israelitis pollicitus esset 9,4. 15,8. 11,29.. Itaque Deum quam multis Israelitis contumaciam indidisset in tempore sanaturum esse 11,25. 26. firmissime credidit, quum praesertim id Deum ipsum Jesaja interprete usum denuntiasse putaret 11,26. 27.. Reliquum erat, ut medicinam P. constitueret, quâ adhibitâ Deus Israelitarum non delectorum pervicaciam sanaturus esset. Credibile igitur ei visum est, Deum caritate, quâ paganos complexus esset, contumacibus Israelitis curam et sollicitudinem moturum esse, quâ ad imitandam paganorum fidem inflammarentur regnique messiani ornamentis digni evaderent (v. 11. 31. 32.). Quae Pauli opinio eo confirmata est, quod ejus veritatem Dei quodam per Mosen Deut. 32,21. promulgato oraculo stabiliri sibi persuasit (10,19.). Negari nequit, Pauli disputationem egregie compositam esse tum ad Christianorum judaicorum, qui de futurâ Israelitarum sorte valde solliciti essent, animos recreandos, tum ad omnium lectorum mentes percellendas divinaeque sapientiae et benignitatis admiratione imbuendas. Hodie quoque qui hunc locum legant divinae sapientiae bonitatisque sensu perfundantur necesse est. Praeterea permultorum Israelitarum contumaciam tum gentilibus, tum ipsi relligioni christianae salutiferam fuisse certum est. *Grotius*: — „si Judaeorum pars maxima in Christum credidisset, ea obstitisset, ne gentes, nisi circumcisae et legi Mosis subditae, ad corpus ecclesiae reciperentur, ut videre est Act. 15,1. et 21,20.. Nunc vero multo minor pars quum essent, legem dare ceteris non potuere." Nihilo secius qui Pauli sententiam diligentius examinaverit multis eam difficultatibus premi, nisi forte verum vafre occultare secum constituerit, ingenue fatebitur. I. Non ut doctrina christ. omnino paganis ab

Apo-

Apostolis traderetur (Act. 10,1.—11,18.) Judaeorum pervicacia fecit, sed ut ad plures paganos perferretur, quam perlata esset, si Judaei Apostolorum institutionem admisissent (Act. 13,46. sq.). Quamobrem Judaeorum peccato effectum esse, ut *eo facilius et citius* (*Grot.*, *Flatt.*) messiana salus ad *multos* paganos perveniret recte dixeris, non item, Deum fecisse, ut Judaeorum peccato illa salus gentilibus obtingeret (*τῷ αὐτῶν παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν ἐγένετο*). Quamquam credibile est, si Judaei Jesu Messiae debitum honorem tribuissent, eam rem maximum momentum ad eos gentiles, *quibus doctrina christ. innotuisset*, ad fidem adducendos habituram fuisse. Fieri enim non potuit, quin haud pauci pagani Christo parum fiderent propterea, quod eum a popularibus contumeliose sperni vidissent (v. *Theodoretum* et *Turrettinum* ad v. 12. et *Reichium* ad h. l.). II. Quod P. *Judaeorum peccato felicitatem messianam gentiles adeptos esse* h. e. *Deum Judaeos non delectos Christo fidem sceleste denegare jussisse*, *ut gentiles per Christum bearet* (v. 11. 25. sq. 31. 32.), scripsit multum offensionis habet. Nam *a.* haec sententia iis repugnat, quae P. supra 1,16. 9,32. sqq. disputavit, *voluisse* Deum ut Judaei, *qui Christo et fidem praebere et negare possent*, *continuo fidem Christo adjicerent.* Quare eum, quasi illud fieri *noluisset*, multorum Judaeorum animos, ut paganis prodesset, a fide cohibuisse verum non est (v. *Reich.*). Deinde *b.* P. sententia Dei sanctitatem tollit. Est divinae providentiae curare, ne hominum, quibus bene maleque agendi optio facta sit, perversitas divina consilia disjiciat eorumque mala facinora plus utilitatis quam detrimenti humano generi denique afferant. Pervertere Caji mentem ejusque consilia ad tempus corrumpere, quo citius ad Sempronium aliquod emolumentum perveniat Deus pro suâ sanctitate plane non potest. Huc accedit *c.*, quod P. in hâc disputatione sibi parum constitit. Judaeos non delectos Deum indurasse dixit, ne statim Christo fidem haberent (v. 7. — 10. 15. 25. 32.). Patet igitur eos, quum fidem Christo negarent, nullum peccatum commisisse, sed *inexsuperabili fato* paruisse. Nihilo minus, quum ineluctabilem vim fati, quod in Israelitas non delectos dominaretur, concessamque iis agendi ut voluissent libertatem commiscuisset, in hâc ipsâ disputatione Ap. *peccasse* Israelitas in delectu neglectos eo quod nullam Christo fidem habuissent (v. 11. 12.) *justamque commissi peccati poenam Deo dependisse* (v. 20. — 22.) contendit (v. supra). III. Non minus difficultatis in hâc P. sententiâ est: Israelitarum Christi doctrinam aversatorum peccato salutem messianam Deo moderante ad pa-

ganos pervenisse, *ut curam Deus Israelitis moveret, quâ ad imitandam paganorum fidem perpellerentur, ut et ipsi beatitatem messianam consequerentur* (v. 11. 31. 32.). Etenim *a.* pugnat haec sententia cum eâ, quam P. supra 9,3. 6. — 29. defendit. Ibi homines a Deo non delectos, in quibus permulti Judaei essent, beatitate messianâ non potiri disputavit: contra hoc l. Deum contumaciam Israelitis in delectu praeteritis inditam in tempore sublaturum esse, ut non minus quam gentiles per Messiam bearentur dixit (v. 11. 25. 26. 30. — 32.). Deinde *b.* Israelitis in delectu neglectis non prius curam injici eosque per injectam curam ad aemulandam gentilium fidem compelli potuisse, quam divinitus effecta obstinatio amota esset (v. 25. 26.) in promtu est. Nam quamdiu eos inexsuperabilis vis fati in contumaciâ contineret Christo refragari coacti sunt. Nihil enim in eorum potestate erat. Cujus rei immemor P. fuit v. 13. 14., quum munus suum, quod gentiles complecteretur, eo se nobilitare dixit quod experiretur, an forte Judaeorum dignitate extollendâ popularibus suis curam aemulationemque injicere atque ita nonnullos ad salutem messianam adducere posset. Antequam τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν ad Christi sacra accessisset (v. 25.) tantummodo Israelitae divinitus delecti (τὸ λεῖμμα v. 5.) Pauli aliorumque apostolorum admonitionibus moveri poterant neque erat, quod homines ad concipiendam fidem propensos et ad sempiternae felicitatis adeptionem a Deo factos et formatos aliquis astu aggrederetur: Israelitae in delectu praeteriti, quippe quos Deus indurasset et a fide avertisset, nullo artificio flecti poterant. Sane hi Paulo judice amissam libertatem tum recuperaturi erant, quum τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν ad Christi sacra transisset (v. 25. 26.). Sed quaerebatur, utrum recuperatâ libertate bene usi ad aemulandam gentilium fidem animos adjecturi, an illâ male usi suapte sponte in contumaciâ perseveraturi viderentur. Paulo quidem plerosque (cf. v. 26. πᾶς Ἰσραήλ) curâ et sollicitudine tactos operam daturos esse, ut gentilium virtutem et fidem aemularentur consentaneum visum est. Sed non culpandus est, qui de hâc re ab summo Apostolo dissentiens perpaucos Judaeos hoc pacto ad imitandam paganorum fidem inflammari potuisse, plerosque rem a P. dictam nihil moturam fuisse videri censuerit. Scilicet pagani qui Christo fidem adjunxissent nihil posséderunt, quod Judaeis, qui a Christi sacris abhorruerunt, curam injicere potuisset. Frustra observatur, honorem ab Judaeis ad gentiles translatum, felicitatem paganis datam, sanctimoniam et extraordinaria divini spiritus dona, quae gentiles conspicuos reddidissent, eo valere

potuisse, ut curâ tacti Judaei, ne suum locum gentiles fide occupassent Dei gratiam et ipsi fide recuperare conarentur (*Grot.*, *Boehm.*, *Rueck.* al.). *Spe* enim, non *re* felicitate messianâ gentiles tum potiti erant (8,24.). Miraculis autem ii moventur, quorum teneriores animos et ad fidem flexibiles Deus finxit, non percelluntur increduli portenta aut a praestigiis aut a fanatico errore et insaniâ repetere sueti (Matth. 27,63. sq. Joh. 12,37. 1 Cor. 14,21.). Quamnam in partem *summum* miraculum increduli Judaei interpretati sint Act. 2,13. constat. Quae quum ita sint a Pauli initio profectus nonnullos induratos Judaeos receptâ libertate ad bonam frugem redituros fuisse recte existimaveris, non item aut omnes aut plerosque id facturos fuisse.

V. 12. Sententia: *si jactura, quam Judaei fecerunt, gentiles ditavit, multo magis eos Judaeorum divitiae ditabunt.* Extollendam Judaeorum dignitatem Ap. putavit, ne pagani incredulis Israelitis temere spretis superbirent. *τὸ παράπτωμα αὐτῶν*] Judaeorum peccatum hic quoque τὸ ἁμάρτημα τῆς ἀπιστίας Ap. dixit. Rursus male *Boehm.*, *Rueck.* et *Reich.* τὸ παράπτωμα αὐτῶν *eorum casum*, *infortunium* exposuerunt; Paulum ut in verbi *πίπτειν* v. 11. metaphorâ maneret τὸ παράπτωμα posuisse opinati, cf. not. ad v. 11.. *πλοῦτος κόσμου*] scil. ἐγένετο. *divitiarum, quae gentiles locupletarent*, causa, fons *exstitit.* Κόσμου vocabulum, quod *genus humanum* complectitur, h. l. et v. 15. *ad gentiles* referendum est. Nam κόσμος non solum ab incredulis Judaeis distinguitur, verum etiam voce ἔθνη explicatur. Ne articulum desideres contende *Wineri* gr. p. 117. et Gal. 6,14.. Non recte *Theodoretus* divitias τῆς θεογνωσίας τὸν πλοῦτον (1 Cor. 1,5.) interpretatus est. Dicitur enim ab Ap. ὁ πλοῦτος τῆς σωτηρίας v. 11.. Cf. 10,12. 2 Cor. 6,10. 8,9. Eph. 3,8. cl. v. 6.. Integritatem adepti Paulo judice, si mendicissimi sint, divites sunt; contra mendici etiamsi omnibus copiis circumfluant ii sunt, quibus integritatem non consequutis salutem messianam sperare non licet. Locus Hebr. 11,26., ubi πλοῦτος pro re valde expetendâ memoratur, nostrum l. non illustrat. Eo autem Judaeorum, qui Christo fidem negarunt, peccatum gentiles ditavit, quod fecit, ut ad eos divitiae atque ornamenta beatitatis messianae ab apostolis afferrentur (v. 11.). *καὶ τὸ ἥττ. αὐτῶν πλ. ἐθνῶν*] scil. ἐγένετο. *et si eorum jactura gentiles locupletavit.* Nihil ἥττημα praeterquam *cladem* Jes. 31,8., *detrimentum* 1 Cor. 6,7. et *jacturam* denotat. H. l. *jacturam* significat. Dicitur autem *salutis messianae* (τῆς σωτηρίας v. 11.) jactura ab incredulis Judaeis facta. *πόσῳ μᾶλλον τὸ πλ. αὐτῶν*] sp. πλοῦτος

ἐθνῶν γενήσεται. *quanto magis abundantes eorum copiae paganos locupletabunt*, i. e. quanto magis felicitatis messianae opes Judaeis datae hanc vim habebunt, ut gentiles salute messianâ cumulentur! Τὸ πλήρωμα αὐτῶν *largas copias*, *abundantiam* i. q. ὁ πλοῦτος declarat. Cf. Joh. I, 16. Rom. 15, 29. Cant. 5, 12. Eph. 3, 19. 4, 13. Col. 1, 19. 2, 9.. Sic Jamblichus de mysteriis I, 8. fin. Pluralem usurpavit, τὰ πληρώματα τῶν θεῶν. Recte opponi τὸ ἥττημα αὐτῶν *eorum jacturam* et τὸ πλήρωμα αὐτῶν *eorum abundantiam* apparet. Cernitur enim jactura, quam Judaei passi sunt, in salutis messianae *inopiâ*, abundantia autem iis exspectanda posita est in felicitatis messianae possessione iis aliquando dandâ. In vocabulorum τὸ ἥττημα αὐτῶν et τὸ πλήρωμα αὐτῶν explicatione ab interpretibus valde peccatum est. Permulti (*Chrys.*, *Theodoret.*, *Bezá*, *Grot.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Reich.*, *dW.* al.) τὸ ἥττημα αὐτῶν *Judaeorum credentium* ***paucitatem*** et τὸ πλήρωμα αὐτῶν *Judaeorum credentium* vel ***multitudinem*** (*Grot.*) vel ***universitatem*** (*Chrys.*, *Theodoret.*, *Reich.*) enarrarunt. Non significat τὸ ἥττημα *paucitatem*. Temere enim ad Jes. 31, 8. provocatum est, ubi LXX. וּבַחוּרָיו לָמַס יִהְיוּ *ejusque juventus servorum opus faciet* i. e. *capietur* libere verterunt οἱ δὲ νεανίσκοι ἔσονται εἰς ἥττημα h. e. *juventus autem cladi erit* i. q. *cladem accipiet*. Cf. v. 9. πέτρᾳ γὰρ περιληφθήσονται ὡς χάρακι καὶ ἡττηθήσονται —. Τὸ πλήρωμα autem ubi de hominibus dicitur *hominum* ***multitudinem*** (v. 25.), non *h.* ***universitatem*** notat. Sed etiamsi τὸ ἥττημα *paucitatem* et τὸ πλήρωμα *universitatem* declararet, hoc tamen l. hos significatus vocabulis temere subjiceres. Argumentatur enim Ap. a minore utilitate, quam *incredulorum* Judaeorum vel peccatum vel jactura gentilibus apportaverit ad majus ornamentum, quod illorum beatitas paganis allatura sit (cf. v. 11. 15. et v. 12. verbis τὸ ἥττημα αὐτῶν eosdem homines dici, qui vocabulis τὸ παράπτωμα αὐτῶν significatur, memento). Quamobrem vel si τὸ ἥττημα *paucitatem* designaret, τὸ ἥττημα αὐτῶν *Judaeorum* ***credentium*** *paucitatem* h. l. valere non posset. Multos interpretes hoc fugit, v. c. *Theodoretum*: εἰ γὰρ τῶν πλειόνων ἀπιστησάντων οἱ ἐξ αὐτῶν πεπιστευκότες [sic: cf. v. 11. 15.] τοῖς ἔθνεσι τῆς θεογνωσίας τὸν πλοῦτον προσήνεγκαν, δῆλον ὅτι πάντες πιστεύσαντες μειζόνων ἀγαθῶν πᾶσιν ἀνθρώποις ἐγένοντο ἂν πρόξενοι. Ridicula est autem eorum argumentatio, qui e v. v. 25. τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν hic quoque τὸ πλήρωμα αὐτῶν *eorum* ***multitudinem*** denotare, ut τὸ ἥττημα αὐτῶν *eorum* ***paucitatem*** valere efficerent, collegerunt. Est enim τὸ πλήρωμα vox

πολυσήμαντος *). *Schleusnerus* Lex. N. T. I, 1040. sq. τὸ ἥττημα *condemnationem* sensu judiciali i. q. τὸ κατάκριμα

---

*) Τὸ πλήρωμα semper in N. T. *activam* vim habere *Storrius* commentatione minime luculentâ *De vocis* πλήρωμα *vario sensu in N.T.* Opusc. I, p. 144. — 187. docere conatus est persuasitque *Baehrio* (Comment. über den Br. P. an die Colosser p. 162. sq.), *Harlessio* (Comment. über den Br. P. an die Epheser p. 122. sq.) et *Meyero* ad h. l.. Itaque τὸ πλήρωμα nunquam non in N. T. *id quod impleat*, appositum autem genitivum *rem quam* τὸ πλήρωμα *compleat* enuntiare crediderunt, v. c. 1 Cor. 10, 26. τὸ πλήρωμα τῆς γῆς *res quae orbem terrarum implent* eoque continentur. Quam opinionem ut tuerentur mirabilia excogitarunt, v. c. notare Gal. 4, 4. τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου *id quod alicujus temporis spatium expleat*, τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν Rom. 11, 25., *quod gentilium numerum plenum faciat*, *gentilium universitatem*, τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ Eph. 3, 19. *quod Dei notionem expleat*, *Dei majestatem quae conspiciatur* (*Harless.* l. c. p. 122. — 125.). Quum Substantivis, quae syllabâ μα terminantur, *passiva* notio propria sit (cf. χαράκωμα, στεφάνωμα, ἐπανόρθωμα, ἐλάττωμα, πήρωμα, σκήνωμα, ἑδραίωμα, δρυφάκτωμα, θήραμα, δεῖγμα, νόμισμα, βούλημα, βλῆμα, κήρυγμα et Pollucis catalogum VI, 180. sqq.) eaque in voce τοῦ πληρώματος altissimas radices apud Graecos egerit, mirum sane videatur, si in N. T. τὸ πλήρωμα semper *activam* potestatem habeat. Quamquam illorum virorum opinio hoc uno evertitur, quod τὸ πλήρωμα, ubi active dicitur, τὸ πλήρη ποιεῖν *complendi actionem*, non *id quod complet* significat. Cf. Eurip. Troad. 823. — Λαομεδόντιε παῖ, | Ζηνὸς ἔχεις κυλίκων | πλήρωμα, καλλίσταν λατρείαν· Philo De Abrahamo p. 387. (II, p. 39. *Mang.*) Μόνον οὖν ἀψευδὲς καὶ βέβαιον ἀγαθὸν πίστις ἡ πρὸς τὸν θεόν [[πίστις]], παρηγόρημα βίου, πλήρωμα χρηστῶν ἐλπίδων — (bonae spei ad eventum adductio. Chariton. 8, 1. πεπληρώκασιν οἱ θεοὶ τὰς ἀμφοτέρων εὐχάς.). Rom. 13, 10.. Verbi πληρόω et Substantivi τὸ πλήρωμα usus latissime patet. Nam pro vocabulorum, quibuscum componuntur, rerumque de quibus quovis l. agitur diversitate diversissima declarant. Nullo igitur modo multiplicem vocis τὸ πλήρωμα usum apud Graecos h. l. complecti possum, sed tantum attulisse contentus ero, quantum ad vocis rationes perspiciendas et firma passivae cogitationis vocabulo inclusae fundamenta cognoscenda satis fuerit. Saepissime τὸ πλήρωμα *id quo res impletur s. impleta est* significat. Pervulgata loquutio est ναῦς πληροῦν (v. Thucyd. 3, 75. Xen. Hellen. 1, 6, 24. et *Amersfoordt.* in *Schaeferi* appar. ad Demosth. I, 772.) *naves complere.* Hinc τὸ πλήρωμα et τὰ πληρώματα navium ea significant, *quibus naves complentur s. completae sunt* h. e. vel *socios navales* (τοὺς ἐπικώπους) vel *milites classiarios* (τοὺς ἐπιβάτας), vel *utrosque* (cf. *Schneiderum* ad Xen. Hellen. 5, 1, 11.). Philo De vitâ Mosis 663. (II, 144. *Mang.*) de navis *onere* τὸ πλήρωμα posuit: Μετὰ δὲ τὴν εἴσοδον ἁπάντων, εἴ τις ἐθεάσατο τὸ πλήρωμα (animalia dixit in Noachi navem imposita), οὐκ ἂν διήμαρτεν εἰπὼν ἀντίμιμον γῆς εἶναι πάσης, ἐν αὐτῷ φέρον τὰ ζώων γένη, ὧν κτλ. (Suidas: πληρώματα ὁ τῶν νηῶν φόρτος) et in l.: Liber quisquis virtuti studet 871 (II, 451. *Mang.*) de *saburrâ*, navis stabilimento: ὁ δέ γε σοφὸς εὐδαίμων, ἕρμα καὶ πλήρωμα καλοκἀγαθίας ἐπιφερόμενος, ἐν ᾗ τὸ κῦρός ἐστιν ἁπάντων. Transeo ad formulam πλήρωμα (πληρώματα) πόλεως et finitimas loquutiones. Aristoteli Polit. 3, 13. et 4, 4. πλήρωμα πόλεως homi-

designare perhibuit, quia Syrus *τὸ ἥττημα* voce ܒܨܝܪܘܬܐ reddidisset, quâ supra 8, 1. *κατάκριμα* convertisset! For-

---

nes sunt, quibus civitas *compleatur*: 3, 13. (p. 1284. *Bekker.*) εἰ δὲ τίς ἐστιν εἷς τοσοῦτον διαφέρων κατ' ἀρετῆς ὑπερβολήν, ἢ πλείους μὲν ἑνὸς μὴ μέντοι δυνατοὶ πλήρωμα παρασχέσθαι πόλεως — —. 4, 4. (p. 1291. *Bekk.*) — καὶ ταῦτα πάντα (ὑp. ὑφάντης, γεωργὸς, σκυτοτόμος, οἰκοδόμος, χαλκεὺς, οἱ ἐπὶ τοῖς ἀναγκαίοις βοσκήμασιν ἔμπορος καὶ κάπηλος) γίνεται πλήρωμα τῆς πρώτης πόλεως —. Aristides in Romam oratione I, 381. (ed. *Canteri*) — ἀλλὰ τοσούτους γε ἀφ' ἑκάστων ἡττήσατε, ὅσοι μήτε τοῖς διδοῦσιν ἔμελλον ἄχθος ποιήσειν, μήτε αὐτάρκεις ἔσεσθαι πλήρωμα ἑνὸς οἰκείου στρατεύματος (homines quibus peculiaris quidam exercitus *expleretur*) παρασχέσθαι. Ibid. p. 374. — ἀλλὰ τὸ πλήρωμα αὐτῆς ἄξιον ἐζητήσατε (homines quibus Roma compleretur, cives urbe dignos). Or. de non agendis comoediis II, p. 282. — παῖδας δὲ καὶ γυναῖκας καὶ πάντα τὰ τῆς πόλεως πληρώματα (i. e. aut *omnes urbis incolas*, aut *omnia quae urbe continentur*) καὶ συλλήβδην εἰπεῖν τὴν ἀξίαν τοῖς βουλομένοις μεταχειρίζεσθαι δώσομεν; Libanius Op. II, 124. A. καὶ πλήρωμα πόλεως (incolae) — πανοικεσίᾳ μετηνέχθη. Idem Antiochico I, 301. *Reiske.* Ἀντιγονίαν δ' αὐτὴν ἠφάνισεν, ἀνδρὸς δυσμενοῦς ὑπόμνημα, τὸ δὲ πλήρωμα δεῦρο μετέστησεν, ἐν οἷς ἦσαν καὶ Ἀθηναῖοι. Gregor. Naz. Or. XIX. p. 305. C. πᾶν τὸ τῆς ἐκκλησίας πλήρωμα et Chrysost. Hom. XXVIII. in ep. ad Hebr. p. 578. τὸ πλήρωμα τῆς ἐκκλησίας ἁπάσης i. e. *omnes homines*, *quibus ecclesia completur*, *homines*, *quibus tota ecclesia impletur*, nisi forte rectius *universam ecclesiae multitudinem*, *totius ecclesiae multitudinem* exponas (v. infra). Passiva τοῦ πληρώματος notio non minus in his l. elucet: Herodot. 3, 22. οἱ δὲ σιτέεσθαι μὲν τὸν ἄρτον εἶπαν ἐξηγησάμενοι τῶν πυρῶν τὴν φύσιν, ὀγδώκοντα δ' ἔτεα ζόης πλήρωμα ἀνδρὶ μακρότατον προκέεσθαι (octoginta annos longissimum spatium esse, quo viri vita *compleatur*). Aristoph. Vesp. 660. τούτων πλήρωμα (id *quo haec explentur et comprehenduntur* h. e. horum quos 663. — 665. nominavi redituum *summam*) τάλαντ' ἐγγὺς δισχίλια γίγνεται ἡμῖν. Deinde τὸ πλήρωμα Graecis valet *id quod completur* v. c. *navigium*. Lucian. Verae hist. II, c. 37. προσβαλόντες οὖν ἡμῖν (οἱ Κολοκυνθοπειρᾶται) ἀπὸ δύο πληρωμάτων ἐμάχοντο —. (ubi v. *Solanum*) et c. 38. — πέντε γὰρ εἶχον πληρώματα —, Hippocrates de morbis mulierum l. II. ed. Foës. I, 662. (*Kuehn.* II, 840). ἔστι δ' ὅτε κενεὸν φαίνεται τὸ πλήρωμα τῆς γαστρὸς (ventris *moles*) — Tum quae prima τοῦ πληρώματος significatio fuit, ut *id quod completum est* i. q. τὸ πεπληρωμένον designaret (contende χαράκωμα et cetera quae supra posui hujus generis vocabula) raro exstat. Nam posse ex eâ τὰ πληρώματα *naves* repeti concedimus. Ab hâc profecti Gnostici τὸ πλήρωμα (*plenum*) *mundum sensibus non subjectum*, *qui solâ mente comprehenditur quod plenus esset* vocarunt eique opposuerunt τὸ κένωμα, (*inane*) *mundum oculis subjectum tanquam inanem*. Cf. Ven. *Bauri* librum: Die christliche Gnosis p. 157. 462. sqq. Tüb. 1835., praeterea etiam Leucippi et Democriti *plenum* et *inane* apud Ciceronem Academicorum priorum libro secundo c. 37. §. 118. Postremo τὸ πλήρωμα *activâ* vi positum *implendi actionem* declarare supra vidimus. Venio ad libros s., in quibus *passiva* τοῦ πληρώματος notio multo frequentius quam activa invenitur. Τὸ πλή-

tasse Syro ܚܘܒܬܐ non *condemnationem*, sed *peccatum* (i. q. ܚܘܒܐ Matth. 6, 12.) h. l. significavit, quum pro eâ,

---

ρωμα τῆς γῆς 1 Cor. 10, 26. Ps. 23, 1. Jer. 8, 16. Ez. 12, 19. 19, 7. 30, 12. *τὸ πλ. τῆς οἰκουμένης* Ps. 49, 12. 88, 12. *τὸ πλ. τῆς θαλάσσης* Ps. 95, 11. 97, 7. 1 Par. 16, 32. valere *id quo terra*, *terrarum orbis*, *mare complentur* i. e. res quae terrâ marique continentur in promtu est. Porro Marc. 8, 20. *σπυρίδων πληρώματα κλασμάτων* frusta sunt, quibus corbes *implentur* et Eccles. 4, 6. *πλήρωμα δρακὸς ἀναπαύσεως* tantum quietis dicitur, quanto pugillus *compleatur*. Sed implentur spatia *copiis*, hominum autem copias hominum *multitudo* facit. Hinc factum est, ut *τὸ πλήρωμα* rerum *copias* (i. q. *ὁ πλοῦτος*) hominumque *multitudinem* (i. q. *τὸ πλῆθος*) ita significaret, ut rei quâ aliquid impleretur cogitatio interiret neque quidquam nisi *affluentiae* et *multitudinis* (cf. vocem vernaculam die Fülle) notiones menti informarentur. Haec significatio in libris s. saepe repperitur. Cant. 5, 12. *πληρώματα* (*πλήρωμα*) *ὑδάτων copiae aquarum*. Rom. 15, 29. *πλήρωμα εὐλογίας Χριστοῦ Christi beneficiorum abundantia*. Rom. 11, 12. *τὸ πλήρωμα τῶν Ἰουδαίων abundantes Judaeorum copiae*, *eorum opulentia*. Joh. 1, 14. 16. — *καὶ ἐσκήνωσεν* (*ὁ Λόγος*) *ἐν ἡμῖν* — *πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας*. — *καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν*. Apertam agnominationem interpres imitetur verbis *copiosus* et *ex ejus copiis*. Col. 1, 19. *ὅτι ἐν αὐτῷ* (*τῷ Χριστῷ*) *εὐδόκησε* (scil. *ὁ θεός*) *πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι*. Dici *πᾶν τὸ πλήρωμα* omnes *divinae naturae* divitias h. l. e re et contextâ oratione, Col. 2, 9. *ὅτι ἐν αὐτῷ* (*τῷ Χριστῷ*) *κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς* ex ipsis verbis discimus. Eph. 3, 19. — *ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ ut pleni fiatis usque eo, ut omnes Dei opes animis vestris recipiatis*. 4, 13. — *μέχρι καταντήσωμεν οἱ πάντες* — — *εἰς μέτρον ἡλικίας τοῦ πληρώματος τοῦ Χριστοῦ donec nos omnes pervenissemus ad justum terminum maturae aetatis*, *quae Christi opes*, *quibus animi locupletarentur*, *caperet* (cf. v. 14.). Male h. l. *τὸ πλήρωμα τοῦ Χριστοῦ* exponas *τὸ πλῆθος τοῦ Χριστοῦ*, die Schaar Christi, *Christianorum coetum* Eph. 1, 23. vel propterea, quod P. v. 12. 15. 16. Christianorum coetum Christi *corpus* et Christum corporis *caput* fecit. Jamblichus de mysteriis 1, 8. p. 15. (ed. *Gale* Oxonii 1678. 4.) *Ἀλλ' οὐδέν ἐστι τούτων ὑγιές· οὔτε γὰρ οἱ θεοὶ κρατοῦνται ἔν τισι τοῦ κόσμου μέρεσιν, οὔτε τὰ περὶ γῆν ἄμοιρα αὐτῶν καθέστηκεν· ἀλλ' οἱ μὲν κρείττονες ἐν αὐτῷ ὡς ὑπὸ μηδενὸς περιέχονται καὶ περιέχουσι πάντα ἐν αὐτοῖς· τὰ δ' ἐπὶ γῆς ἐν τοῖς πληρώμασι τῶν θεῶν* (in Deorum opibus et copiis) *ἔχοντα τὸ εἶναι, ὁπόταν ἐπιτήδεια πρὸς τὴν θείαν μετοχὴν γένηται, εὐθὺς ἔχει πρὸ τῆς οἰκείας ἑαυτῶν οὐσίας προϋπάρχοντας ἐν αὐτῇ τοὺς θεούς.* Ibid. p. 13. haec leguntur: *ἔτι δίδωσι μὲν* (*τὰ γένη τῶν κρειττόνων*) *ἀφ' ἑαυτῶν εἰς τὰ σώματα πᾶν ὅσον δύναται δέξασθαι ἐκεῖνα ἀγαθόν, αὐτὰ δὲ ἀπὸ τῶν σωμάτων οὐδὲν παραδέχεται.* Non recte *Baehrius* p. 163. *τὰ πληρώματα τῶν θεῶν ea quae Deos implent*, *quae Diis insunt* explicat et V. *Baurus* l. c. p. 157. Gnosticorum pleromate in errorem inductus *mundum Deorum* h. e. mundum qui cogitatione depingitur mundoque opponitur oculis subjecto. Ipse Pluralis virum doctum ab hâc sententiâ avocare poterat. Rom. 11, 25. *τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν multitudinem*, *catervam* (non *uni-*

quam in interpretando sibi sumsit, libertate τὸ ἥττημα vocis τὸ παράπτωμα synonymum fecisset. *Bretschn.* Lex. I,

---

versitatem) *gentilium*, die Schaar der Heiden designat. Cf. Genes. 48, 19. מְלֹא הַגּוֹיִם (LXX. *πλῆθος ἐθνῶν*), Jes. 31, 4. מְלֹא רֹעִים (pastorum caterva) et Dionysium Halic. A. R. 6, 51. — *οὔτε γὰρ ὡς πολιορκησόμενοι παρεσκευάσμεθα ἐκ πολλοῦ τὰ συμμαχικά, οὔτε πλήθει αὐτοὶ ἀποχρῶντες ἐσμέν, ὡς πρὸς τοσαῦτα πολεμίων ἔθνη· τοῦ δ' ὀλίγου καὶ οὐχ ἀξιομάχου πληρώματος* (multitudinis bellicae) *τὸ πλεῖόν ἐστι δημοτικόν, θῆτες καὶ πελάται καὶ χειρώνακτες, οὐ πάνυ βέβαιοι τεταραγμένης ἀριστοκρατίας φύλακες.* Qui *τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν gentilium universitatem* explicuerunt, ii praeterquam quod usum loquendi violarunt Paulum non *omnibus omnino* paganis et Judaeis, sed *plerisque* et gentilibus et Israelitis messianam felicitatem destinasse non perpenderunt. Sequitur locus, qui interpretum ingenia vehementer exercuit, Eph. 1, 23. — *καὶ πάντα ὑπέταξεν* (ὁ *θεὸς*) *ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ* (*τοῦ Χριστοῦ*), *καὶ αὐτὸν ἔδωκε κεφαλὴν ὑπὲρ πάντα τῇ ἐκκλησίᾳ, ἥτις ἐστὶ τὸ σῶμα αὐτοῦ, τὸ πλήρωμα τοῦ* [*τὰ*] *πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου.* *Πληροῦσθαι* Medium tria significat: I. *se complere* (cibo potuque) Plat. Gorg. c. 106. II. *πληροῦσθαί τι sibi aliquid implere* Plutarch. Alcib. c. 35. — *ὥστε τὴν αὑτοῦ πληρωσάμενος τριήρη* (quum suam *sibi triremem* complevisset) *καὶ τῶν ἄλλων μίαν ἐπιπλεῦσαι τῇ Ἐφέσῳ κτλ.* III. *πληροῦσθαί τι aliquid implere* i. q. *πληροῦν τι.* Xen. Hellen. 6, 2, 14. *ὁ δ'* (Iphicrates) *ἐπεὶ κατέστη στρατηγὸς μάλα ὀξέως τὰς ναῦς ἐπληροῦτο καὶ τοὺς τριηράρχους ἠνάγκασε.* Iphicrates naves complevit, non naves sibi complevit. Publica enim in Corcyraeos expeditio erat, non privata. *Budaei* conjecturam *ἐπλήρου τε* verborum ordo refellit. Aut *τάς τε ναῦς ἐπλήρου καὶ* — aut saltem *ἐπλήρου τε τὰς ναῦς καὶ* — Xenophonti scribendum fuisse elucet. Rursus *πληροῦσθαι* Deponens est Xen. Hell. 5, 4, 56. — *ἐπληρώσατο* (*Ἀλκέτας*) *τρεῖς τριήρεις* —. Jam paronomasiam *τὸ πλήρωμα τοῦ — πληρουμένου* Ap. consectatus est (cf. Eph. 3, 19. Col. 2, 9. 10. Joh. 1, 14. 16.). Quam si *sententiam* complecti censueris, eadem Substantivo, quae verbo notio insit necesse est. Hoc pacto *τὸ πλήρωμα τοὺς πεπληρωμένους*, *hominum a Christo impletorum catervam* valebit. Nempe *τὸ πλήρωμα* etiam *τὸ πεπληρωμένον* notare supra monuimus. Contende etiam *πληροῦσθαι θεοῦ* apud Pollucem 1, 16. et *πληροῦσθαι ἐν Χριστῷ* Col. 2, 12. (Eph. 4, 10.), *ἐν πνεύματι* Eph. 5, 18.. Quare P. esse Christianos *homines ab eo* (Christo) *impletos*, *qui* (ut mundi conditor, conservator et gubernator a Deo constitutus Col. 1, 16. sqq.) *rerum universitatem omnibus rebus impleat* dixerit. Sic acutam habemus oppositionem. Christus *agit* (nam *πληροῦται* h. e. *πληροῖ*, bonis complet tum rerum universitatem tum homines christianos), Christiani Christi actionem patiuntur (sunt enim hominum a Christo completorum aut bonis cumulatorum caterva). Quanquam eos non inclementius accipiam, qui — ejus qui rerum universitatem omnibus rebus *sibi* implet vertere maluerint. Est enim mundus Christi peculium, qui mundum condiderit conditumque tueatur. Recte autem eum qui *suas* res compleat eas *sibi* complere dixeris. Sed si paronomasia *in verbis* subsistat *τὸ πλήρωμα hominum multitudinem* declarabit, ut Christiani *plenum ejus* (Christi) *agmen*, *qui rerum universitatem omnibus rebus* [sibi] *impleat* vocentur. Philo De vitâ Mosis III, p. 688. (II, 171. *Mang.*) Deus ὁ

406. τὸ ἥττημα αὐτῶν *Judaeorum defectum* valere finxit. Non minore licentiâ interpretes in v. τὸ πλήρωμα αὐτῶν explicatione versati sunt: *Wahl.* Cl. *melior eorum conditio* (!), *Meyerus supplementum quod accipiunt* i. e. jacturae, quam fecerunt, reparatio (*Heum.*, *Rueck.*: nemo ita loquutus est!), *Tholuccius* cl. 13,10. *conditio eorum plane non peccantium* (!), *Storr.* Opusc. I,156. sq. *supplementum quod efficiunt* h. e. reliqua Judaeorum pars, cujus accessione integer efficitur populus, *Origenes*, cujus mentem *Tholuccius* non assequutus est, *supplementum quod constituunt* h. e. Judaei, qui hominum Dei opes et divitias facientium numerum explebunt. Superest, ut de periodo et sententiâ disputem. Nulla prioris membri εἰ δὲ τὸ παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτος κόσμου ratio habetur in apodosi (*Calvin.*, *Kopp.*, *Meyer.*). Quod si P. fecisset sic loquutus esset: εἰ δὲ τὸ παράπτωμα αὐτῶν — πλοῦτος ἐθνῶν, πόσῳ μᾶλλον τὸ δικαίωμα αὐτῶν (*eorum recte factum*, non ἡ ἀνάστασις αὐτῶν Luc. 2,34., *Kopp.*, *Meyer.*, nam τὸ

πάντα διὰ πάντων (per omnes quasi vias) πεπληρωκὼς τῆς εὐεργέτιδος ἑαυτοῦ δυνάμεως appellatur. Ineptam *Rueckerti* interpretationem *Harlessius* recte rejecit, sed verbosius quam apertius de h. l. disputavit. Ecclesiam modo *Christi copiam*, quia *sicut in rerum universitate, ita in ecclesiâ suae majestatis copias habitare jubeat*, modo *Christi majestatem* (sic: cf. supra) quoniam *cum solâ ecclesiâ quemadmodum caput cum corpore Christus conjunctus sit* ab Ap. vocari dixit, quae singula perversa sunt et inter se discrepantia. Verba autem τοῦ τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου sic enarravit: ejus (Christi), qui rerum universitatem *omnibus modis* implet! — A *supplendi* significatu, quo v. πληροῦν pollet, τὸ πλήρωμα rei, quâ aliquid *suppleatur*, *supplementi* potestatem accepit Matth. 9,16. Marc. 2,21.. Tempus quod aliquis constituit completum est (Marc. 1,15. πεπλήρωται ὁ καιρός), quum totum elapsum est ita ut nihil ei ad integritatem desit. Conf. de hâc graeciensium Judaeorum loquutione *Wetstenium* ad Marc. 1,15.. In formulis inde derivatis τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου Gal. 4,4. et τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν Eph. 1,10. τὸ πλήρωμα notionem abstractam concretae cogitationis πλήρης (cf. τὸ κίνημα proprie *commotum*, deinde *motus*, τὸ ἐπανόρθωμα *correctum*, *correctio*, τὸ πλήρωμα *completum*, τὸ πεπληρωμένον, *plenum*, *plenitas*) continere existimo: *temporis plenitas* i. q. *plenum tempus*, ὁ πλήρης χρόνος, οἱ πλήρεις καιροί. (Hoc significatu ἡ πλήρωσις Ez. 5,2. et Dan. 10,3. legitur.) Nolim enim hanc explicationem inire: τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου *id quo* (temporis articulus, quo) *temporis spatium expletur*. Postremo τὸ πλήρωμα *activam* vim habet in formulâ πλήρωμα νόμου Rom. 13,10. *legis completio* h. e. *observatio*. Nimirum graecienses Judaei τὸν νόμον πληροῦν (*legem implere*, *legi satisfacere* Rom. 13,8. Gal. 5,14. dixerunt, Graeci τὸν νόμον ἐκπιμπλάναι Herodot. 1,199. Perperam nonnulli Rom. 13,10. πλήρωμα νόμου *exactam legis observationem* exposuerunt. Nam τὸν νόμον ἐκπιμπλάναι s. πληροῦν et *implere legem* legi satisfacere, non *plane* ei satisfacere denotat.

παράπτωμα αὐτῶν non denotat *eorum lapsum*) καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῶν. Non ardor ingeniique alacritas Paulum, at nullam verborum εἰ δὲ τὸ παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτος κόσμου rationem in apodosi duceret, movit (*Meyerus*), sed Judaeorum, quos Deus obstinatos reddidisset v. 7. — 10. τὴν ἀπιστίαν, quippe a Deo profectam non satis recte incredulis Judaeis vitio verti eorumque *peccatum* vocari subsensit. Quare *peccati* cogitationi diutius immorari noluit (cf. v. 15.). *Grotius*, *Chr. Fr. Schmidius* al. Paulum hoc dixisse arbitrantur: credentium Judaeorum paucitatem eo valuisse, ut multi pagani Christo fidem haberent: multo magis credentium Judaeorum multitudinem *exemplo suo ac doctrinâ alios gentiles ad fidem perducturam esse.* Decipiuntur. Nam praeterquam quod τὸ ἥττημα αὐτῶν et τὸ πλήρωμα αὐτῶν male interpretati sunt, non viderunt, Judaeos quum resipuissent *exemplo suo et doctrinâ gentiles commoturos esse* Paulum sine summâ inconstantiâ affirmare non potuisse. Scilicet Judaeos a Deo induratos *postquam gentilium multitudo ad Christi disciplinam accessisset* fidem animis concepturos esse Ap. speravit v. 25. 26.. *Judaeos* igitur, non gentiles, hominum per Christum beandorum agmen clausuros esse existimavit v. 30. — 32.. *Rueckertus* neque quomodo res ab apostolo dicta evenire potuerit Paulum dixisse, neque quemadmodum P. eam mente informaverit certo dici posse more suo observavit. Potest vero apostoli mens e vs. 15. constitui, ubi idem dicitur planius. Haec igitur est Pauli sententia; si autem Judaeorum, qui Dei jussu obduruerunt, peccatum felicitatisque messianae jactura ab iis facta dites fecit gentiles (np. quum iis τὴν καταλλαγὴν et per eam beatitatis messianae *spem* apportaret), quanto magis eorum abundantia in recuperatâ Dei gratiâ conceptaque salutis messianae spe posita gentiles ditabit (scil. quum beatitatem messianam *ipsam* iis allatura sit; cf. not. ad v. 15.). Quae argumentatio hâc sententiâ, quam veram esse quivis concedere debeat, nititur: tantam esse Judaeorum majestatem, ut utraque eorum fortuna gentilibus salutaris sit et adversae quidem eorum res minores prosperitates paganis pariant, multo majores secunda eorum fortuna gentilibus gignat (cf. v. 15.). Hanc Pauli argumentationem speciosam rectius dixeris, quam veram. Neque enim adversae Judaeorum res, quod tanta esset populi judaici majestas, ut ipsa ejus calamitas gentilibus necessario prodesset, effecerunt, ut gentiles fide Christo habitâ salutis messianae spem animis conciperent, sed Dei consilia et instituta, qui multos Judaeos obdurescere jusserat, ut doctrina div. paganis traderetur (v. 11.). Non magis Ju-

daeorum opulentia, quod tanta populi judaici dignitas sit, ut fieri nequeat, quin ejus prosperitates summam beatitatem paganis pariant, gentiles ipsâ felicitate messinâ locupletabit, sed divinorum consiliorum ratio. Nam quum indurati Judaei recuperatâ libertate paganorum fidem aemulati fuerint, totum genus humanum ad fidem adductum eoque idoneum erit, quod salute messianâ perfruatur (v. 25. 26. 30. 31.). Cur igitur tum Deus beatitatis messianae donationem procrastinet neque Christum de coelo in terrarum orbem ocius reverti jubeat? *Chrysostomus*: ἐνταῦθα πρὸς χάριν αὐτοῖς (Judaeis) διαλέγεται· καὶ γὰρ εἰ μυριάκις παρέπεσον οὗτοι, οὐκ ἂν ἐσώθη τὰ ἔθνη, εἰ μὴ πίστιν ἐπεδείξατο, ὥςπερ οὖν οἱ Ἰουδαῖοι οὐκ ἂν ἀπώλοντο εἰ μὴ ἠπίστησαν καὶ ἐφιλονείκησαν· ἀλλ' ὅπερ ἔφην, παραμυθεῖται αὐτοὺς κειμένους, ἐκ περιουσίας παρασκευάζων θαῤῥεῖν ὑπὲρ τῆς σωτηρίας αὐτῶν εἰ μετάθοιντο. Vide etiam *Theophylactum*. Pauli argumentationem vitiosam esse bene sensit *Chrys.*, sed vitium eum praeteriit ibique errorem quaesivit, ubi nullus error a P. commissus est. Videlicet neque *fide Christo denegatâ* Judaeos salutis jacturam fecisse neque *fide* eam salutem gentiles obtinuisse Ap. negavit; illud contendit, salutis jacturam, quam contumaces Judaei Dei jussu fecissent, gentiles felicitatis messianae spe locupletasse, quum effecisset, ut gentiles evangelium cognoscerent cognitoque fidem, quâ in summae beatitatis spem ingrederentur, adjicere possent (v. 11. 12.).

V. 13. et 14. Ap. v. 12. Judaeorum dignitatem valde celebraverat, quum quoniam jactura ab Judaeis facta gentiles ditasset multo magis eorum divitias paganos locupletaturas esse diceret. Quam gentis judaicae admirationem sibi, *gentilium* apostolo, parum decoram videri posse ipse sensit. Itaque ad eos lectores, qui olim gentiles fuissent, conversus ingeniose ita disputavit: vos enim, ne offendamini, haec considerate, gentiles. Quatenus sum *gentilium apostolus* demandatum mihi munus eo illustro, quod experior, si forte Judaeis curam injiciam eorumque nonnullos messianae felicitatis participes reddam (v. 13. 14.), quandoquidem fieri nequit, quin Judaeorum felicitas ipsam vobis beatitatem messianam afferat, quam nunc *spe*, non re possidetis (v. 15.). Quum igitur meum, *quod quidem gentiles complectatur*, munus studio, quo Judaeos ad Christi sacra adducere coner, nobilitetur istam haud quaquam e cupiditate nimiove quo in nationem israeliticam propendeam favore natam Judaeorum admirationem quippe quae Judaeorum animos ad fidem Christo habendam exsuscitare possit me gentilium apostolum decere facile in-

telligitis. — Hujus l. ratio et sententia, quam in l.; Ueber die Verdienste Tholuck's p. 68. paucis verbis aperui, ab interpretibus vulgo non percepta est. Quare eum primo diligenter ipse explicabo, deinde nonnulla interpretum peccata referam. ὑμῖν γὰρ λ. τ. ἔ.] ὑμῖν δὲ λ. τ. ἔ. A. B. 10. 31. 47. 73. 80. Syr. Copt. Damasc. Theodoret. ms.. Suscepit hoc *Lachmannus*. | ὑμῖν λέγω τ. ἔ. Aeth.. Correctores, qui voculae γάρ rationem non perspexissent, δέ posuisse *Reich.*, *dW.* et *Meyerus* falso contenderunt. Constat librarios saepenumero γάρ et δέ confundere tum aliis de causis, tum quod multis locis utraque particula pariter apta est (cf. v. c. Rom. 11, 16. 14, 15. 15, 8. 1 Cor. 7, 7. 9, 16. 10, 1. 11, 31. 13, 9. 16, 7. Gal. 1, 11. 4, 26. Col. 3, 25. Hebr. 13, 4. varr. lect. et *Schaeferum* ad Demosth. V, p. 353.). Sic h. l. *ad vos autem* (ne ante dicta v. 12. vos offendant) *orationem meam dirigo gentiles* non magis minusve apte diceretur, quam *ad vos enim* (ut scrupulum vobis fortasse injectum ex animis vestris evellam) *verba facio gentiles*. Probo tamen γάρ. Nam novae lectionis initium v. 13. fecisse videtur, ut particula γάρ a P. posita deleretur (ὑμῖν λέγω κτλ. v. *Matthaeium* ed. min.), quo facto ab aliis recte reposita est, ab aliis particula δέ (cf. v. 12.) in ejus locum suffecta. Ceterum vocc. ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν neque ad ea, quae praecedunt v. 12. (*Morus*), neque ad totam P. disputationem v. 11. — 32. (*Reich.*) pertinent, sed ad ea, quae sequuntur v. 13. — 32.. Ἐφ' ὅσον h. l. valet *in quantum* h. e. *quatenus* (Matth. 25, 40. 45. *Erasm.*, *Beza*), non *quamdiu* (Matth. 9, 15. 2 Petr. 1, 13. Polyaen. 6, 22. 7, 34. It. Vulg. PP. lat.). Nam Paulo hoc dicendum est: se *quatenus gentilium apostolus sit* tentandâ eâ re, quae vs. 14. exponitur, munus suum illustre reddere *non quatenus gentilium apostolus non sit, sed tantum apostolus in universum* (v. infra). Altera explicatio (*quamdiu* sum —) iniri nequit propterea, quod P. se non ad breve tempus, quo praeterlapso alius nescio quis sibi successurus esset, sed usque ad eum diem, quo Christus de coelo rediturus esset (13, 10. 2 Cor. 5, 4. sq.), gentilium apostolum constitutum esse existimavit (15, 16. Gal. 2, 7. sq. Eph. 3, 8.). Quamobrem ne tum quidem, quum ἐφ' ὅσον μὲν ἐγὼ εἰμὶ ἔ. ἀ. scripseris (quamdiu *ego* sum paganorum apostolus neque alius muneri meo successerit), ista interpretatio sanam sententiam praebet. μὲν] om. D. E. F. G. 4. 9. 39. 54. Clar. Boern. Ambrosius. | μὲν οὖν praebent A. B. C. Scripsit μὲν οὖν *Lachmannus*. Μέν *Rueck.*, *Reich.*, *dW.* et *Meyerus* ita defenderunt, ut ejus omissionem correctoribus tribuerent, quos voculae, quam δέ non exciperet, ratio praeterisset.

Imo adjecerunt οὖν, qui v. ὑμῖν γὰρ λέγω τ. ἔ. ad praecedentia vocc. v. 12. rettulissent, ut intolerabile asyndeton tollerent: Vobis enim (quae v. 12. antecedunt) dico gentilibus. Quatenus *igitur* sum ego gentilium apostolus, munus meum nobilito etc. (Act. 1, 6. 19, 38. 28, 5. Phil. 2, 23.) At v. ὑμῖν γὰρ λ. τ. ἔ. ad ante dicta referri plane nequeunt tum aliis de causis, tum propterea, quod nunc primum (v. 13.—32.) Ap. ad eos Romanos convertitur, qui aliquando pagani fuissent. Quae v. 1.—12. leguntur omnibus promiscue lectoribus dicta sunt (cf. v. 2.). Quum igitur v. ὑμῖν γὰρ λέγω τ. ἔ. male ad praecedentia vocc. referantur, οὖν genuinum esse nequit, quod ut illi juncturae locus esset additum sit. Sed postquam susceptâ voce οὖν dubitari potuit, utrum P. μέν an μὲν οὖν posuisset, nonnulli librarii, ut fit, neutram voculam scripserunt (v. 1 Cor. 9, 25. varr. lect.). Correctores μέν, quoniam quo pertineret non intellexissent, sustulisse non credo. Neque enim hoc similibus in l. supra fecerunt 7, 12. 10, 1.. Ne Hebr. 6, 16. quidem *correctores* μέν delevisse posito pignore contenderim. εἰμὶ ἐγώ] ἐγὼ εἰμὶ F. G. | Omittunt ἐγώ A. 3. 30. 33. 35. 73. 80. Mt. f. h. Arm. Theodoret. ms.. *Millio* probante Proleg. §. 1376., cui ἐγώ „*emphaseos gratiâ*" fortasse ex 1 Tim. 2, 7. insertum videtur. Est potius ἐγώ primo per errorem ab aliquot scribis neglectum, quoniam salvâ sententiâ abesse potuisset, deinde a nonnullis, qui fugitivum vocabulum retraherent, alieno loco collocatum ἐγὼ εἰμί. Nimirum ἐφ' ὅσον ἐγὼ εἰμὶ ἐ. ἀπ. (F. G.) idcirco ferri nequit, quod P. se non aliis opponit, sed se *gentilium apostolum* ab se *apostolo* discernit. Oppositio voce μέν indicata membro, quo δέ particulae μέν responderet, non enunciata est. Docet tamen res, hanc Paulum sententiam ipsâ voculâ μέν significasse: ἐφ' ὅσον δὲ οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος τὴν διακονίαν μου οὐκ ἐν τούτῳ δοξάζω ὅτι τὴν σάρκα μου παραζηλῶ καὶ τινὰς ἐξ αὐτῶν σώζω (cf. 7, 12. 10, 1. Col. 2, 23. Hebr. 6, 16. et *Hartungii* Lehre von den Part. der gr. Spr. II, 411. sq.). Quatenus P. *gentilium* apostolus erat munus flagitabat, ut *gentilibus* consuleret. Quod quum *Judaeis* ad fidem Christo adjungendam perpellendis fieret (v. 15.), Paulum munus suum, quo *gentiles* tueretur, eo conspicuum reddidisse, quod *Judaeos* ut Christo fidem haberent movere studeret elucet. Contra quatenus P. non erat gentilium apostolus, sed tum Judaeorum tum gentilium apostolus aut generatim apostolus, ut Judaeis non minus, quam paganis prospiceret suscepti muneris rationes postulabant (Act. 9, 15.). *Apostoli* igitur munus eo nobilitavit, quod quam plurimos

tum Judaeos tum paganos ad Christi sacra adducere studuit 1 Cor. 9, 19. sqq.. Quae quum ita sint haec Pauli mens est: quatenus sum ego *gentilium* apostolus (non quatenus paganorum apostolus non sum, sed potius apostolus Judaeis non minus quam gentilibus praepositus) munus quo fungor eo illustre reddo, quod experior si forte consanguineis meis curam injiciam atque ita eorum nonnullos beatos reddam. Fuit P. *gentilium* apostolus, quod non, ut Petrus Judaeam, sed gentiles provinciam acceperat, h. e. ad exteros missus erat, quorum plerique erant gentiles, Gal. 2, 9. Rom. 15, 16. Eph. 3, 8.. Sic fieri non potuit, quin de gentilibus potissimum bene mereretur (v. *Grotium*, *Rosenm.* et *Kopp.* ad h. l. et quae in *Fritzschiorum* opusculis disputavi p. 220. sq.). τὴν διακονίαν μου] *munus meum.* Munus apostoli dicit ad gentiles legati, ut iis consuleret. τὴν διακονίαν μου δοξάζω, εἴ πως] i. e. τ. δ. μ. δοξάζω σκοπῶν, πειρώμενος, εἴ πως — *munus meum nobilito tentans, si forte curam injiciam consanguineis meis.* Constat εἰ (Act. 8, 22.), ἤν (Xenoph. Cyr. 2, 4, 16.), εἴ πως (Rom. 1, 10. Act. 27, 12. Phil. 3, 11. Thucyd. 1, 58. 7, 79.), ἤν πως (Eur. Hel. 428.) cum verbis actionem declarantibus, quâ aliquid effectum reddere tentes, ita conjungi, ut tentandi notio verbo non enuntietur (v. *Kuehneri* Ausf. Gr. d. gr. Spr. II, 584.) neque aliter Romanos loquutes esse (v. *Hartung.* l. c. II, 207.). Modestiam suam P. eo expromit, quod *experiri* se ait, *si forte* ad fidem consanguineos suos stimulare possit. Item modeste paullo post dicit τινάς. Vir non ita modestus scripsisset πολλούς. Τὴν διακονίαν μου δοξάζω valet *munus meum nobilito, conspicuum facio.* Facit munus conspicuum qui efficit, ut magni aestimetur et celebretur. Fit sane munus diligenti et religiosâ ejus administratione illustre; sed idcirco *munus nobilitare* non idem quod *munus fideliter obire* significat (*Meyerus*). Quocirca Ap. eo se muneri suo gentilium saluti dicato honorem et venerationem conciliare affirmat, quod experiatur, si forte populares suos ad aemulationem provocet atque ita (pro exiguo virium modulo) non neminem eorum ad messianam salutem perducat. Nam quum omnium Judaeorum, quos Deus hucusque in contumaciâ continuisset, fides et pietas summa gentilibus ornamenta allaturae essent (v. 15.), jure meritoque gentiles ejus apostoli sibi praepositi munus splendere crediderint, qui licet paucos Judaeos ad Christi sacra adduceret hoc ipso tamen gentilibus prodesset, quum faceret, ut eo citius felicitate messianâ potirentur. Quae v. 13. 14. leguntur parum cum v. 7. 8. 25. 26. congruere supra ad v. 11. monuimus. Nam Judaeos a Deo in contuma-

ciâ contineri, donec τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν ad Christi sacra accessisset, P. v. 25. scripsit. Quare se Judaeos a Deo induratos moturum esse non prius sperare potuit, quam hi *gentilium multitudine ad Christum conversâ* libertatem recuperassent et Christo fidem adjicere *possent*. Male *Lutherus*, *Morus*, *Boehm.*, *Reich.* al. τὴν διακονίαν μου δοξάζω exponunt: *munus meum laudo*, *celebro*, *non parvum pretium ei statuo*. Neque laudando neque aestimando Apostoli, cui gentilibus consulendum erat, munere se id apud Judaeos effecturum esse, quod v. 14. dixit, P. putare potuit. Licenter *Grotius* vertit: *meae tunc operae felicitatem praedico, cum dico multos esse ex gentibus conversos*. δοξάζω] δοξάσω G. 46. It. Vulg. et aliquot PP. lat. apud *Sabatierium*. Hanc lectionem *Millius* Prol. §. 449. his v. defendit: „*Futurum* rectius est et ad scopum Apostoli accommodatius; quo nempe significat se in posterum *etiam magis* adhuc munus hoc suum illustre ac celebre redditurum, *non solum jam propter salutem gentium*, *verum etiam Judaeorum*, ut zelotypiâ quadam incitati, quum vident gentes fidei — participes factas, accedant etiam ipsi ad fidem unaque cum gentibus salutem consequantur." Totum l. *Millius* non intellexit, quum τὴν διακονίαν perperam de munere *apostolico* exposuisset (contende *etiam magis*, quae v. liberaliter ipse adjecit et haec ejus vocabula: *non solum jam propter salutem gentium*, *verum etiam Judaeorum*). Praeterea sententiarum ordinem praesens tempus poscere non animadvertit. Nimirum quae v. 13. et 14. perscripta sunt, idcirco P. in universum monuit, ut sententiam v. 12. dictam se *gentilium* apostolum minime dedecere ostenderet, quum eam ita comparatam esse diceret, ut si incredulis Judaeis innotuisset curam iis aemulationemque injicere posse videretur, quâ in Judaeis excitandâ suum quod gentiles complecteretur munus *dum eo fungeretur nobilitaret*, non *in posterum nobilitare secum constituisset*. Denique δοξάσω aut correctio est eorum, qui ἐφ᾽ ὅσον perperam *quamdiu* vertissent, aut si e calami errore natum fuerit certe ab iis cupide propagatum est, qui ἐφ᾽ ὅσον *quamdiu* explicuissent. παραζηλώσω] Alluditur ad v. 11. et 10, 19.. Conatur P. munus in gentiles sibi datum nobilitaturus curâ incredulos Judaeos afficere, quae eos ad imitandam paganorum fidem compellat. Hanc ipsam vim dignitas populo jud. v. 12. tributa in Judaeos exercere posse apostolo videbatur, quos si tantum sibi a P. concedi comperissent in curam conjectos, ne fide diutius dilatâ major gentilium pars Dei favorem praeoccuparet et prius quam generosa Abrahami posteritas, quam paganis exemplo esse

oporteret, summos honores caperet, proclives ad concipiendam fidem fore credibile esset. Sententiae pondus in v. παραζηλώσω, non in vocc. μου τὴν σάρκα recumbit (*cura* quae poenitentiam afferat populares suos afficere eosque *beare*, non *populares suos* curâ afficere et *cognatos suos* beare P. conatur). Itaque ap. verba sic ordinavit: εἴ πως παραζηλώσω μου τὴν σάρκα καὶ σώσω τινὰς ἐξ αὐτῶν. μου τὴν σάρκα] *carnem meam* h. e. homines, quibuscum mihi carnis communio est, populares meos, τοὺς συγγενεῖς κατὰ σάρκα 9, 2.. Hâc voce simpliciter popularium suorum notionem Ap. enuntiat, sed cúm propensae in eos tanquam cognatos suos voluntatis significatione caritatisque testificatione. Recte *Theophylactus*: Σάρκα δὲ εἰπὼν γνησιότητα καὶ φιλοστοργίαν ἐνέφηνε. Cf. 2 Sam. 5, 1. הִנְנוּ עַצְמְךָ וּבְשָׂרְךָ אֲנָחְנוּ. LXX. Ἰδοὺ ὀστᾶ σου καὶ σάρκες σου ἡμεῖς. Jes. 58, 7. Gen. 29, 14. 37, 27. 2, 23. Jud. 9, 2. Levit. 18, 12. 2 Sam. 19, 13.. Σώζειν est *messianae beatitatis participem reddere* 1 Cor. 7, 16. 9, 22. 1 Tim. 4, 16. Jac. 5, 20.. ἐξ αὐτῶν] Structura ad sensum, tanquam pro μου τὴν σάρκα praecessisset τοὺς συγγενεῖς μου κατὰ σάρκα. Libanius Antiochico I, 301. *Reiske* — τὸ δὲ πλήρωμα δεῦρο μετέστησεν, ἐν οἷς ἦσαν καὶ Ἀθηναῖοι. Cic. Acad. II, 32, 103. — qui dicant ab *Academiâ* sensus eripi, a *quibus* nunquam dictum sit —. Quae quum ita sint, Pauli disputatio sic decurrit: ad vos enim (ne me, *gentilium* apostolum, Judaeis tantum honorem temere habuisse putetis v. 12.) jam verba facio gentiles: quatenus sum ego *gentilium* apostolus (non quatenus tum Judaeorum tum gentilium apostolus sum) susceptum munus eo nobilito, quod experior, si forte curâ afficere cognatos meos atque ita beare aliquos eorum possim (v. 13. 14.), quum Judaeorum salus gentilibus salutem allatura sit (v. 15.). Jam quoniam honor Judaeis v. 12. tributus eo valere potest, ut curâ affecti ad fidem Christo habendam adigantur, me muneris, quod gentilibus me jubet prospicere, bene memorem illum Judaeis honorem habuisse apertum est. — Tres maxime causas repperio, quae fecerint, ut interpretes hunc l. non intelligerent. Primo enim eos hujus l. consilium et argumentum fugit. *Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Grot.*, *Elsner.*, *Reich.*, *dW.* et multi alii Paulum paganorum fastum comprimere atque efficere, ne quod crederent magnificentius de se sentirent Judaeis contemtis, Judaeos autem vel consolari (*Theophyl.*) vel ut ipsi quoque Christo fidem haberent incitare voluisse (*Theodoret.*) putarunt. *Calvino* nihil decedere gentilibus, si Judaei rursum cum Deo in gratiam redeant, quia utrorumque salus sic conjuncta sit, ut ea-

eadem operâ promoveri possit P. h. l. docere videtur. *Beza* Paulum suo exemplo gentiles monere, ut ipsi quoque Judaeorum emendationem promoveant, opinatur (cf. *Rosenm.* ad v. 14.). *Koppius* apostolum versum 14. adjecisse, ne in judaicae stirpis Christianos memorandâ suâ ad ethnicos legatione invidiam odiumque excitaret (*Chr. Fr. Schmid.* — ne hac re judaicae originis Christianis indignationem moveret) arbitratur. Deinde interpretes voculae *μέν* rationem non assequuti sunt. Postremo in vocc. *τὴν διακονίαν μου δοξάζω, εἴ πως* — explicatione lapsi sunt. *Theophylactus*, qui hîc quoque *Chrysostomum* excerpsit, hanc nostro l. sententiam affinxit: *ἐπαινῶ ὑμᾶς, ὦ ἐθνικοί, διὰ δύο ταῦτα· ἓν μὲν ὅτι ἀνάγκην ἔχω, ἅτε τὴν διδασκαλίαν ὑμῶν ἐγκεχειρισμένος, δοξάζειν τὴν διακονίαν μου, τουτέστιν ὑμᾶς* [sic], *δι' ἕτερον δὲ ἵνα παραζηλώσω, τουτέστιν εἰς ζῆλον ἐμβάλω τὴν σάρκα μου* (*Chrys.*: — *δι' ἕτερον δὲ ἵνα δι' ὑμῶν ἑτέρους σώσω*). Nullum hujus sententiae vestigium Pauli verbis inesse quivis qui non lippiat videt eamque sic exprimendam fuisse facile intelligit: *ἐπαινῶ γὰρ ὑμᾶς, τὰ ἔθνη, ὅτι εἰμὶ ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος καὶ ὅτι ζητῶ παραζηλῶσαι μου τὴν σάρκα.* *Elsnerus*, versum 15. cum v. 12. cohaerere male opinatus, vs. 13. et 14. parenthesi inclusit *Wolfio*, *Chr. Fr. Schmidio*, *Rosenmuellero*, *Flatto*, *Reichio* aliisque plaudentibus eique hunc sensum subjecit: de populi jud. privilegiis et futurâ emendatione *apud vos gentiles potissimum* [quasi vero omnes Romani olim gentiles fuissent!] verba facio, ne fide vestrâ superbiatis spretis Judaeis: alioquin quoties *cum Judaeis congredior* gentium fidem extollere soleo, ut illos ad aemulationem provocem (!!) h. e. *παρ' ὑμῖν μὲν γὰρ τοῖς ἔθνεσι δοξάζω τοὺς Ἰουδαίους, Ἰουδαίοις δὲ συνὼν, ὅτι εἰμὶ ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος, τὴν πίστιν ὑμῶν δοξάζω, εἴ πως κτλ..* *Beza* v. *ὑμῖν γὰρ λέγω τοῖς ἔθνεσιν, ἐφ' ὅσον μὲν εἰμὶ ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος* uncis male inclusit. *Rueckertus* tres explicationes proposuit juxta ineptas, quarum hanc ipse probavit: quatenus *gentilium* quidem apostolus sum muneri mihi demandato pro viribus satisfacere *ac proinde quot possum gentiles ad Christi sacra adducere* [sic: cf. supra] *studeo*, si forte cognatis meis aemulationem injicere atque ita eorum nonnullos beare possim. Jam oppositionem a P. cogitatam, non enuntiatam, hanc esse *Rueck.* putavit: sed quatenus *natione Judaeus* sum *nihilominus* (?) populi mei restitutionem in integrum spero. Gentilium apostolo *apostolus, quem et Judaeis et gentilibus prospicere oporteat*, recte opponitur, non Judaeus, qui pagano opponi solet. Accedit sententiae pravitas. Nisi Paulus *gentilium apostolus* Judaeorum emendationem sperasset, scribere non potuis-

set, quod *Rueckerto* judice h. l. scripsit, se *suum gentilium apostoli munus* multis paganis emendandis exornare studere, *ut ipsi quoque Judaei tot piorum gentilium exemplo incitati Christo fidem adjicerent.* Praeterea Judaeorum emendationem non *Paulus Judaeus speravit*, quod popularibus suis optima quaeque optaret, sed *Paulus apostolus denuntiavit*, qui arcanum neque nisi per ambages a prophetis monstratum Dei consilium perspectum haberet (cf. v. 25. 26.). Nihilo meliora hîc quidem Ven. *Koellneri* et Ven. *Reichii* inventa sunt. *De Wettius* impediti loci difficultates interpretes artificiosius quam simplicius tollere conatos esse praefatus hanc infelicem explicationem iniit: quatenus *gentilium* quidem apostolus sum munus meum *evangelio inter eos divulgando* [sic: v. supra] nobilitare *studeo*, adnitor tamen ut *popularibus meis* aemulationem injiciam. Et grammatico et logico vitio haec interpretatio affecta est. Nempe oppositio, cujus spem vocula μέν fecit, verbis εἴ πως κτλ. contineri nequit, quia vocc. εἴ πως παραζηλώσω κτἑ. cum v. τὴν διακονίαν μου δοξάζω intime cohaerent. Rem enim comprehendunt, quâ tentandâ P. suum gentilium apostoli munus celebre faciat. Pravam vero aut nullam potius hanc oppositionem esse: quatenus *gentilium* apostolus sum munus meum nobilito, simul tamen *Judaeis* prodesse studeo in promtu est. Sententia a *de Wettio* ficta his v. concipienda fuisset: *δοξάξω μὲν ἐγὼ ἐθνῶν ἀπόστολος ὢν τὴν διακονίαν μου, ζητῶ δὲ καὶ τὴν σάρκα μου παραζηλῶσαι.*

V. 15. Restabat, ut Ap. sententiam vs. 13. et 14. idoneâ ratione confirmaret et sane se suum *gentilium* apostoli munus eo nobilitare, quod experiretur, si forte Judaeos ad imitandam gentilium fidem incitare posset, doceret. Hoc facit v. 15., quo contumacium Judaeorum fidem *gentilibus saluberrimam fore* ostendit. ἡ ἀποβολὴ αὐτῶν] i. e. *eorum* (Judaeorum a Deo induratorum v. 7.) *quam passi sunt rejectio, abdicatio* (cf. ἀποβάλλεσθαί τινα *aliquem ab se rejicere* i. q. ἀπωθεῖσθαί τινα v. 1. Prov. 28, 24. ὃς ἀποβάλλεται πατέρα ἢ μητέρα —.), non *eorum amissio, jactura quam fecerunt*, *It.*, *Vulg.*, *Luther.*, *Beng.* al. (cf. ἀποβάλλειν *amittere* Herodot. 8, 65. et ἀποβολή *jactura* Act. 27, 22.). Docet vocabulum oppositum ἡ πρόςληψις. Fuit Judaeorum rejectio, quâ factum est, ut pro divinitus inseminatâ contumaciâ Christo fidem negarent, paganis reconciliationis *causa.* Fecit enim, ut Christi doctrina ab induratis Judaeis repudiata gentilibus traderetur, quâ *pie* susceptâ qui antea Deo invisi fuerant esse in gratiâ cum Deo coeperunt (v. v. 11. 12. cl. 5, 10.). τίς] i. e. ποία np. ἔσται *qualis erit*, *cujus rei causa erit*, *nisi vitae ex mortuis*?

ἡ πρόςληψις] scil. *αὐτῶν pervicacium Judaeorum in amicitiam et tutelam receptio.* Quos Deus abdicat eos ab se depellit (ἀπωθεῖται v. 1. 1 Sam. 12, 22.), contra quos in amicorum numerum aggregat et tuetur eos *benigne ad se recipit* (προςλαμβάνεται 1 Sam. 12, 22.). Chariton 8, 2. *οὐκ ἐάσω δὲ ὑμᾶς μετανοῆσαι θεῶν ὑμᾶς προςλαμβανομένων.* Ps. 26, 10. *ὁ κύριος προςελάβετό με.* Ps. 65, 4. *μακάριος ὃν ἐξελέξω καὶ προςελάβου.* 17, 17. 72, 24. Rom. 14, 3. 15, 7.. Contumacium Judaeorum in divinam gratiam receptionem in eo positam fore P. judicat, quod Deus hominibus ab se induratis emendatâ gentilium multitudine libertatem redditurus sit v. 25., quâ sapienter usi neque gentilium exemplo mediocriter commoti Christo fidem habituri sint (v. 26. 30. 31.). Commemoravit igitur Ap. pervicacium Judaeorum in Dei favorem receptionem pro eorum *fide*, re, quam illa paritura esset. Paulum quia mentem in similitudinem a ramis ducendam v. 17. sqq. jam intendisset vocc. *τῆς ἀποβολῆς* et *τῆς προςλήψεως* posuisse *Meyero* non largior. Nam verbis v. 16. *καὶ εἰ ἡ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι* primum invitatus hâc similitudine usus est v. 17. sq.. ζωὴ ἐκ νεκρῶν] Primo de formulae ratione, deinde de ejus sensu dicendum est. Animum in eâ advertit abstracti nominis (ζωή) cum concreto (*νεκροί*) compositio. Nam ζωὴ ἐκ θανάτου abstracta nomina et concreta ζῶντες ἐκ νεκρῶν consociari solent. Tribus modis formula expediri potest. Etenim ζωὴ ἐκ νεκρῶν valere potest I. *vitam ex mortuis pullulantem s. exorientem, vitam, in quam mortui eorum statu prorsus commutato vocantur* (cf. 6, 13. ἐκ νεκρῶν ζῶντας et ibi not.): II. *vitam ex mortuorum statu* (*Reich.* p. 380.): III. *vitam ex mortuorum* vel *coetu* vel *loco* (ex orco) *emicantem.* Cf. ἐκ νεκρῶν (ex mortuorum coetu) ἐγείρεσθαι Marc. 6, 14., ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι Matth. 17, 9., ἐγείρεσθαι ἀπὸ τῶν νεκρῶν (*rellictis mortuis* ad superos redire). Possunt etiam quodammodo conferri οἱ ἰχθῦς *locus ubi sunt pisces*, *forum piscarium*, τὰ κενέβρεια et similia. Utrum prima an tertia explicatio vera sit non audeo decernere, secundam rejicio. Jam v. ζωή et *νεκροί* proprie, non figurate capienda sunt, ut Judaeorum in divinam gratiam receptionem nihil nisi *mortuorum in vitam reditum* allaturam esse P. affirmet (*Orig.*, *Chrys.*, *Theodoret.*, *Anselmus*, *Erasm.*, *Toletus*, *Semlerus*, *Reich.*, *dW.*, *Meyerus*, *Kaeufferus* in l.: de biblicâ ζωῆς αἰωνίου notione p. 68. Dresdae 1838. 8. al.). Memorari autem mortuorum in vitam reditum pro re *summam gentilibus felicitatem* allaturâ manifestum est. Qui de P. sententiâ omnibus piis Christianis summe laetabilis futurus est. Nam erit cum eo sempiternae beatitatis adeptio

conjuncta. Possederunt tum gentiles, quum fide in Christo collocatâ Deo reconciliati essent, aeternam felicitatem *spe* (Rom. 8, 24.); sed quo die Christus de coelo in terrarum orbem revertetur, ut unicuique quidquid promeritus fuerit rependat 2 Thess. 1, 6. sqq., *et mortuos ex inferis excitabit* sempiternam felicitatem *ipsam* consequuturi sunt. Tum enim regnum messianum condetur 1 Cor. 15, 50. et aeternae vitae initium erit, in quâ mortui per reditum ex inferis collocabuntur 1 Cor. 15, 35. sqq. Joh. 5, 29., ii autem, quorum vitam mors non finiverit per immortalis corporis, quod superinjectum mortale corpus absorbeat, receptionem constituentur 1 Cor. 15, 51. sqq. 2 Cor. 5, 2. sqq.. Recte igitur mortuorum in vitam reditus pro eventu, qui summam paganis beatitatem apportaturus sit, a P. ponitur. Non minus bene *Judaeorum in divinum favorem receptionem aut fidem* mortuorum in vitam reditum et per eum summam beatitatem gentilibus allaturam esse P. contendit. Scilicet quum Judaei Christo fidem adjecerint, totum beandorum hominum agmen collectum erit, quandoquidem Judaei non prius resipiscent, quam gentilium multitudo ad Christi sacra transierit v. 25.. Nihil igitur impedimento fore, quominus beandorum hominum grege coacto sempiterna beatitas distribueretur P. recte judicavit ineptumque ei visum est statuere, Deum omnibus hominibus, qui per Christum beandi essent, congregatis non sine morâ beneficia sua in eos collaturum, sed mortuorum in vitam reditum vitaeque aeternae dispensationem procrastinaturum esse. Quippe boni viri homines nacti, apud quos beneficia sua recte collocent, suam benignitatem non differunt, sed prosunt continuo. Ad hoc interpretationis, quam defendo, veritas ex eo apparet, quod, quum verbis ζωὴ ἐκ νεκρῶν majus gentilium ornamentum inesse debeat, quam quod vocabulo καταλλαγή enuntiatum est (cf. v. 12.), καταλλαγή id continet, quod aeternae felicitatis *spem* paganis fecerit, ζωὴ ἐκ νεκρῶν rem complectitur, quae *ipsam* felicitatem aeternam paganis olim paritura sit. Sic igitur Ap. disputavit: meum gentilium apostoli munus eo conspicuum reddo, quod experior, si forte Judaeos ad imitandam gentilium fidem compellam eorumque nonnullos beem (v. 13. et 14.). Nam si eorum abdicatio (et per eam effecta incredulitas) Deum gentilibus placatum reddidit (iisque sempiternae beatitatis *spem* attulit), cujus rei eorum in Dei favorem receptio (et fides) gentilibus causa erit, nisi vitae ex orco exorientis (s. ex mortuis pullulantis), quam aeternam felicitatem *ipsam* parituram esse nemo ignorat? Cf. Rom. 5, 10.. Hinc cujusvis est rationem concludere; quum igitur con-

tumacium Judaeorum fides gentilibus saluberrima futura sit (v. 15.), apparet, me *gentilibus* consulere meumque *gentilium apostoli* munus nobilitare, si Judaeos ad fidem Christo habendam adducere eosque beatos reddere studeam (v. 13. 14.). Quam firma fundamenta sint, quibus ea nituntur, quae Ap. v. 15. disputavit, supra diximus ad v. 12.. Ineptis argumentis eorum, quibuscum ζωή et *νεκροί proprie* explicuimus, interpretatio impugnata est, v. c. male voci ζωῆς vim vocabuli ἡ ζωοποίησις tribui (! *Tholuec.*), Paulum εἰ μὴ ἀνάστασις ἐκ ν. dicturum fuisse (*Rueck.* ita scribere Ap. *potuisset*, sed ζωὴ ἐκ ν. dicere maluit, quod temere reprehendas), mortuorum in vitam reditum a *καταλλαγῇ κόσμου*, cui ut res major opponatur, genere toto disjunctum esse (non vidit *Rueck.*, reconciliationem pro re, quae aeternae felicitatis *spem* paganis fecerit, ζωὴν ἐκ νεκρῶν pro eventu sempiternam felicitatem *ipsam* iis parituro poni), requiri articulum ἡ ζωή (*Thulucc.*, *Rueck.*). Hoc affirmanti articulum etiam ante *καταλλαγή* desiderare consentaneum est. At hujusmodi in l. neque Graecorum neque Germanorum consuetudo loquendi articulum adsciscit: die Verwerfung der Juden war Versöhnung der Heiden (h. e. versöhnte die Heiden mit Gott): ihre Annahme zu Gnaden wird Leben aus dem Todtenreiche (vel aus den Todten) sein h. e. wird Leben aus dem Todtenreiche bringen (vel wird die Todten beleben). *Reich.* πάντων post ζωή tacitâ mente assumsit a P. non cogitatum, qui in hâc notione acquievit, gentilium in Dei favorem receptionem effecturam esse, ut vita ex orco (vel ex mortuis) oriatur h. e. ut mortui vivant. *Calvinus* et multi alii vocabulis ζωή et *νεκροί* vim tropicam subjiciunt, ita ut illud *vitam pietati dicatam*, hoc *homines vitâ, quae pietati consecretur, destitutos* designet h. s.: — quidnam Judaeorum in Dei gratiam receptio effectura est, nisi ut gentiles pii fiant ex impiis? At praeterquam quod vocc. ζωή et *νεκρός* nusquam per se istam vim habent (v. Ven. *Kaeufferum* l. c. p. 70.) neque quae praecedunt istum verborum intellectum adjuvant *), sententia absurda est. Verbis ζωὴ ἐκ νεκρῶν

*) Loca, quae interpretes, ut suam opinionem tuerentur, hic citarunt, recte enarravit *Kaeufferus*. Matth. 8, 28. interpretationem a me propositam bene defendit p. 34. sq. Luc. 15, 24. 32. Meyeri explicationem jure probavit p. 50. Eph. 2, 1. 5. Col. 2, 13. *νεκροὺς ὑπερβολικῶς perituros* vocari praeclare vidit (cf. Rom. 8, 10.). Idem valet de Apoc. 3, 1. — *ὅτι ὄνομα ἔχεις ὅτι ζῇς, καὶ νεκρὸς εἶ* vitam (aeternam) habere diceris (quippe cujus nomen in libro vitae consignatum sit v. s.) et morti addictus es (np. propter mancam tuam virtutem v. 2.). De Rom. 6, 13. v. supra I, p. 405. et *Kaeufferum* p. 70., et de Eph. 5, 14. *Kaeufferum* p. 95..

majus gentilium ornamentum, quam quod vocabulo καταλλαγή enunciatum est, declaretur oportet. Atqui vitae pietas reconciliatione continetur. Neque enim Deo reconciliatus est, nisi qui *integritatem* adeptus fuerit, quam sine sincerâ et pietatis plenâ fide consequi nemo potest (v. not. ad 1, 17. 5, 9. 10.). Frustra *Calvinus* objicit, gravius eandem rem verbis ζωὴ ἐκ νεκρῶν, quam vocabulo καταλλαγή exprimi. Nam gradatio rerum diversitatem h. l. complecti debet (v. v. 12.). Hûc accedit, quod Judaeorum in Dei favorem receptio gentiles ad pietatem adducere nequit, quandoquidem prius gentiles quam Judaei pietatem colent exemploque illi his, non hi illis erunt (v. 25. 25.). Vitio auxerunt *Calvini* explicationem, qui (*Beng.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Boehm.*) hunc l. sic exposuerunt: — quidnam Judaeorum in Dei gratiam receptio effectura est, nisi ut *totum genus humanum* ex impietate reviviscat et piam vitam vivat? Non *totum genus humanum* h. l. *gentilibus* opponitur, sed *majus* decus, quod ζωὴ ἐκ νεκρῶν paganis allaturum sit, a *minore* ornamento distinguitur, cujus copiam iis reconciliatio fecerit. Alium errorem *Heum.* adjecit sic interpretatus: quamnam vim Judaeorum in Dei favorem receptio habebit, nisi ut *ipsi* ex impietate reviviscant et pie vivant? In promtu est enim Judaeorum in Dei gratiam receptionem *gentilibus* utilem fore Paulo hîc demonstrandum esse. Permulti ζωὴν ἐκ νεκρῶν *summam felicitatem* denotare crediderunt diversis formulis usi *Theophylactus* (cf. *Photium*) — ζωὴ γὰρ ἐκ νεκρῶν τότε ἔσται, τουτέστι ἄπειρα ἀγαθά. *Beza*: *cumulatum mundi* (generis humani, *sic.* cf. supra) *gaudium*. *Grot.*: *summum gaudium*. *Kopp.*, *Rosenm.*, *Rueck.*, *Koelln.* al.: *summa felicitas*. Sunt hi aliquid sequuti. Nam quoniam misera vita mors potius quam vita neque nisi beata vita vitae nomine digna hominibus vulgo videtur, tum se vivere dicunt, quum beatos se sentiunt tumque ex orco vitam se recepisse contendunt, quum ex magnâ aerumnâ emerserunt. Cf. 1 Thess. 3, 8. Liv. 9, 6. Quum e saltu evasissent etsi *velut ab inferis extracti* tum primum *lucem adspicere* visi sunt, tamen ipsa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte tristior fuit. Terent. Hec. 5, 4, 12. Pamphilus: Egon' te, *qui ab orco mortuum me reducem in lucem feceris*, sinam sine munere a me abire? ah! nimium me ingratum putas. Tum Parmeno, qui imprudens hero profuerat (v. 40.), Egone, inquit v. 35., hunc ab orco mortuum? quo pacto? Respondet Pamphilus: Nescis, Parmeno, quantum hodie profueris mihi et *me ex quantâ aerumnâ extraxeris*. Hûc tum illud Alexidis refer ζῶσι δ' οἷς ἔστιν βίος, tum nonnulla l., quae alieno

tempore *Bornemannus* ad Luc. 15, 24. attulit. Nam hanc sententiam continent, vivere divites, pauperes pro mortuis habendos esse. Timocles Stobaei 89. (III, 219. *Gaisf.*) *τἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς· | ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο μηδ' ἐκτήσατο | οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ.* Menandri incert. fab. 188. (p. 249. *Meineck.*) *Ἄνθρωπε, πέρυσι πτωχὸς ἦσθα καὶ νεκρός, νυνὶ δὲ πλουτεῖς.* Sane igitur sic explicare licet: quidnam Judaeorum in Dei favorem receptio (gentilibus) effectura est, nisi *vitam ex orco* h. e. *felicitatem ex miseriâ*? Sed haec enarratio lectoris exspectationi non satisfacit. *Certum* quoddam et *definitum* decus, quod Judaeorum abdicatio paganis apportaverit, voce *καταλλαγῆς* continetur; hinc consentaneum est, etiam verbis *ζωὴ ἐκ νεκρῶν certum* quoddam ornamentum ex Judaeorum in div. gratiam receptione in gentiles redundaturum Paulum dixisse et circumscripte complexum esse. *Tholuccius* (v. *Flatt.*) *ζωὴν ἐκ νεκρῶν reditum ex inferis* i. e. *magnam rerum conversionem* exposuit Arabum loquendi consuetudinem antestatus. At superquam quod nostri scriptores mortuorum in vitam reditum pro magnâ rerum conversione non commemorarunt h. l. *rei gentilibus saluberrimae* notione opus est. Et quum *Tholucc.* magnâ suâ rerum conversione *mortuorum in vitam reditum* oblique indicari diceret, inutili se ambage uti non cogitavit. *Mori* et *Beneckii* inventa mentione indigna sunt.

V. 16. Etiamsi aut *sperandam esse* Judaeorum in divinum favorem receptionem v. 15. (*Turrett.*, *Meyer.*, *dW.*), aut *fieri posse*, ut Judaei Dei gratiam recuperent (*Rueck.*) P. h. l. doceret, tamen *δέ* nihil nisi *autem* valeret; si *autem* primitiae Deo sacrae sunt, massa quoque sacra est i. q. *scitote autem*, si primitiae Deo sacrae sint, massam quoque esse, et male *Rueckertum δέ atqui* explicuisse appareret. Sed neutrum Ap. h. l. efficere voluit. Nam proximis vs. argumenta refutavit, quibus freti gentiles Judaeos, quia divinum favorem amisissent, contemnere posse viderentur v. 17. — 20. et paganos, ne incredulorum Judaeorum fortunam subirent, ad fidei constantiam adhortatus est v. 20. — 22.. Tum demum invitante disputationis ordine de Judaeis in divinam gratiam recipiendis disseruit v. 23. — 32.. Imo quum gentiles hoc sibi objicere posse P. intellexisset: *nimium tu pretium statuisti Judaeis qui nunc vivunt* (v. 15.); *patriarchae magnâ apud Deum caritate fuerunt*, *viri a nobis pie colendi*, *sed nullius frugis eorum posteri sunt*, *nostri aequales*, huic objectioni hâc sententiâ obviam eundum putavit: *mementote autem*, *si patriarchae Deo sacri sint*, *etiam eorum posteros Deo sacros esse* (v. 16.). Ita

summam salutem ab Judaeorum qui nunc sunt fide repetenti (v. 15. cl. v. 12.) non succensebitis. Tum argumenta Ap. refellit, quibus paganos suum Judaeorum quoniam divini favoris jacturam fecissent contemtum defensuros esse credidisset (v. 17. — 20.). Versus 16. duas sententias communes continet ad aliam rem, quam de quâ proprie dictae sunt, transferendas. Itaque primo quidnam ipsae valeant disquirendum est, deinde, ad quamnam rem eas P. applicatas voluerit, videndum. *ἡ ἀπαρχὴ*] Dicitur *ἡ ἀπαρχὴ τοῦ φυράματος* (LXX. Num. 15,20. 21. hebr. רֵאשִׁית עֲרִיסוֹת Num. l. c. Ez. 44,30. Neh. 10,38.) h. e. *primitiae farinae ad panificium subactae.* Sic sacer panis vocatus est, quem Moses Hebraeos quum panes coquerent ex farinae subactae parte, quae Jehovae sacra esset, parari jussit sacerdotibus. Vide Num. 15,19. — 21., Philonem De praemiis sacerdotum p. 830. (ed. Mang. II,232.) — *κελεύει γὰρ* [*ὁ νόμος* Num. l. c.] *τοὺς σιτοπονοῦντας ἀπὸ παντὸς στέατός τε καὶ φυράματος ἄρτον ἀφαιρεῖν ἀπαρχὴν εἰς ἱερέων χρῆσιν.* Josephum A. J. 4,4,4. — *τούς τε πέττοντας τὸν σῖτον καὶ ἀρτοποιουμένους τῶν πεμμάτων αὐτοῖς* [*τοῖς ἱεροῦσι*] *τινα χορηγεῖν.* et *Lundii* librum Die alten jüdischen Heiligthümer u. s. w. p. 904. sq. (Hamb. 1722.). *Φύραμα*, quod in universum materiam humore maceratam denotat (Geopon. 15,2,8. *φυράματα κονίας καὶ βολβίτου*, Rom. 9, 21.), ab hellenistis potissimum de farinae ad panificium subactae massâ usurpatur (sic h. l. et Cor. 5,6. Gal. 5,9.), quam attici *τὴν φύστην* appellarunt. Vide *Oudendorpium* ad Thomam M. p. 903. ed. *Bern.*. Sententia perspicua est. Si primitiae farinae Deo sacra sunt, massa quoque sacra est. *Consecrant* enim primitiae massam parteque farinae Deo dicatâ pie totâ massâ vescaris quum cocta fuerit. Frustra *Koelln.* et *Olsh.* interpretationem nobis probatam hoc argumento impugnarunt, Paulo *εἰ δὲ τὸ φύραμα ἅγιον, καὶ ἡ ἀπαρχὴ* (i. e. *καὶ ὁ ἄρτος*) scribendum fuisse. Neque enim farinae massam a sacro pane, sed sacrum panem a farinae massâ *originem ducere.* Quos fugit, *τὴν ἀπαρχὴν* h. l. non pro re, quae farinae massam *pariat*, sed pro re, quae farinae massam *consecret* memorari. Neque intellexit hoc *Rueck.* *τὴν ἀπαρχὴν* hîc quod *tempore primum* sit metaphorice notare opinatus (cf. supra II,173.). Male *Grot.* (cf. *Morus*) *τὴν ἀπαρχὴν frugum primitias* Deut. 18,4. 26,2., *τὸ φύραμα reliquum frumenti*: quia ad coquendum sumtum fuerit vocari putavit. Significat enim *φύραμα massam humore maceratam* (cf. supra). Nihilo melius *Köpp.*, *Koelln.*, *Olsh.* al. *τὴν ἀπαρχὴν primitias frugum*, *τὸ φύραμα massam ex primitiis frugum confectam* explicuerunt. Super-

quam enim quod Paulum τὴν ἀπαρχὴν τοῦ φυράματος dicere l. Num. 15,20. et res ipsa docet, τὴν ἀπαρχὴν h. l. pro re, quae vim *consecrandi* habeat, poni non assequuti sunt. Quid quod sententiae applicatio hanc enarrationem non admittit. Etenim voce τοῦ φυράματος homines indicari, qui profani Deoque exosi videri possent (Judaeos, patriarcharum posteros) apertum est. Quorum hominum notionem adipiscimur, si τὸ φύραμα *farinae massam* exponimus, *quâ per portionem Deo dicatam consecratâ quum cocta fuerit familia vescatur*, non item, si τὸ φύραμα farinae massam explicamus, quam sacerdotes ex suis frugum primitiis miscuerint Deut. 18,4.. Nimirum alimenta ex sacris primitiis a sacerdotibus sibi parata et ipsa sacra esse nimis manifestum est. Postremo vana est *Theophylacti* interpretatio, quam ex 1 Cor. 5,6. et Gal. 5,9. temere hausit: ἡ ἀπαρχὴ τουτέστιν ἡ ζύμη. Idem valet de hâc Hesychii glossâ: φύραμαι, ζύμη, cf. *Oudendorp*. ad Thomam M. l. c.. Secunda sententia planissima est, in quâ ἡ ῥίζα id denotat, unde aliquid pullulat, οἱ κλάδοι ea significant, quae inde pullulant. Si stirps Deo sacra est, pariter sunt rami. Sustinet enim stirps ramos quos produxit v. 17., 18., ut rami a stirpe separari non posse videantur. Quamquam Paulo metaphoricus τῆς ῥίζης et τῶν κλάδων usus obversatus est. Nempe parentes *radici*, liberi *ramis* assimilantur. Apte in hanc rem *Wetstenius* hoc Menandri fragmentum citavit p. 278. (*Meinek*. p. 247.) ὁ μὴ τρέφων τεκοῦσαν ἐκ τέχνης νέος | ἄκαρπός ἐστιν οὗτος ἀπὸ ῥίζης κλάδος. Item Isidorus Pelus. ep. 4,141. Evam cum radice, Evae posteros cum ramis comparavit: — εἰ δ' ἐκεῖ τῆς ῥίζης τεθνεώσης ἀναγκαίως καὶ οἱ κλάδοι ὡς κληρονόμοι τῆς ἀποφάσεως συναπήλαυσαν τοῦ πάθους, τί θαυμαστόν, εἰ κἀνταῦθα διὰ τὴν ῥίζαν ὁ κλάδος ἠτιμώθη —; Lege sequentia, in quibus Isidorus similitudinem persequitur. Haec igitur Pauli sententia est: si progenitores Deo sacri sunt, eorum posteri pariter sunt. Sequitur ut quonam communes sententiae referendae sint ostendamus. Recte autem plerique interpretes verbis ἡ ἀπαρχή et ἡ ῥίζα *patriarchas* (Abrahamum, Isaacum et Jacobum), vocabulis τὸ φύραμα et οἱ κλάδοι *patriarcharum posteros* (totum populum judaicum) indicari censuerunt (*Chrys*., *Theophyl*., *Calvin*., *Beza*, *Vatabl*., *Clarius*, *Grot*., *Beng*., *Wolf*., *Heum*., *Chr. Fr. Schmid*., *Morus*, *Kopp*., *Rueck*., *Koelln*., *Meyerus* et multi alii). Est tamen haec explicatio nobis paullo diligentius firmanda. Ap. sic disputavit: si autem primitiae farinae (quae massam consecrant) Deo sacrae sunt, massa quoque est (h. e. *si autem patriarchae qui posteros suos consecrarunt Deo sa-*

cui [ideoque etiam *Deo grati et accepti* 1 Tim. 4,4. 5. 1 Cor. 7,14.] *sunt*, *eorum posteri quippe a progenitoribus suis Deo consecrati pariter Deo sacri et grati sunt*), et si stirps Deo sacra est, sunt etiam rami (h. e. *si patriarchae*, *qui gentem jud. condiderunt*, *Deo sacri et cari sunt*, *etiam gens ab illis condita Deo sacra et accepta est.*). Hoc si perpenderitis, non honorificentius, quam par esset, me de Judaeis statuisse fatebimini, quum summam salutem ab eorum fide repeterem v. 15.. Hujus interpretationis veritas sic docetur. Posteriorem sententiam in patriarchas et genus ab iis profectum dictam esse longe certissimum est. Nam in similitudinis continuatione ἡ ῥίζα *patriarchas*, οἱ κλάδοι *eorum posteros* et ἡ ἐλαία *nationem judaicam* declarant, quam patriarchae eorumque posteri constituant v. 17. — 24.. Atqui ad eosdem homines prior sententia spectet necesse est. Nam si in alios nescio quos homines dicta esset quorsum pertineret nesciremus, quum quonam referenda esset nullo elemento Ap. docuisset. Hoc ipso autem priori enuntiato eandem quam posteriori sententiam subesse P. indicavit, quod posterioris membri similitudinem vs. 17. sqq. ita persequutus est, ut nullam similitudinis priore loco positae rationem haberet. Hûc accedit, quod prioris membri adjectione opus erat, ut Judaeis a patriarchis impertita sanctitas effecta esset. Quae verbis εἰ ἡ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι minime demonstrata esset. Potuisset enim Deus patriarchas propter pietatem et virtutem caros habere eorumque posteris propter impietatem inimicari. Ita tantummodo conclusio valet *si patriarchae Deo sacri et accepti sunt*, *pariter sunt eorum posteri* (εἰ ἡ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι), si verum sit, ut primitias farinae massam, sic *patriarchas genus suum consecrasse*, aut *sanctitatem a patriarchis in eorum posteros transfusam esse* (εἰ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα). Inania argumenta sunt, quibus explicatio a nobis defensa oppugnata est. *Simplicissime* τὴν ἀπαρχήν ad eos referri, qui *primi* ex Judaeis Christi sacra suscepissent, h. e. ad τοὺς τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντας 8,23., frustra objicitur (*dW.*). Nam quum τῆς ἀπαρχῆς vocabulum translate positum non solum quidquid tempore *primum* sit, sed diversa significet (II,173.), unoquoque loco quamnam vocis potestatem res et contexta oratio poscant expendendum est minusque considerate τῇ ἀπαρχῇ *primi* notionem ubique simplicissime subjici dixeris. Ceterum 8,23. *primorum* Christianorum cogitatio minime hâc circumloquutione enuntiata est: οἱ τὴν ἀπαρχὴν τοῦ πνεύματος ἔχοντες (cf. ibi not.). Non melius patriarcharum mentionem ab h. l. abhorrere, et quoniam nullâ P. voce ad patriarcharum

commemorationem viam sibi straverit, et quia toto l. Judaeos qui Christo fidem adjecerint iis Judaeis Ap. opposuerit, qui nondum fidem animis concepissent (cf. v. 7. ἡ ἐκλογὴ — οἱ δὲ λοιποί, v. 15. ἡ ἀποβολὴ et ἡ πρόςληψις) *Boehmius* et *dW.* obtenderunt. Non erant lectorum animi ad patriarcharum mentionem sedulo praeparandi. Nam haec Paulo h. l. obtendi posse: *dilexit Deus Judaeorum progenitores, ab Judaeis abalienatus est* lectores sentire profecto debebant recteque et satis perspicue Judaeos ramis, eorum progenitores ramorum radici assimilari, praeterire eos non poterat. Tum mire sane *dW.* objecit, incredulos Judaeos male v. 17. *excisos* ramos appellari. Mansisse enim eos et Judaeos et patriarcharum posteros. Quasi vero hoc P. negasset. Non vidit V. D. Paulum v. 16. generalem sententiam proferre, proximis autem vss. (17. 18.) argumentum refellere, quod generali sententiae opponi potuisset. Quod P. v. 16. generatim dixit: *si stirps Deo sacra est, sunt etiam rami* h. e. *si patriarchae, Judaeorum progenitores, Deo sacri et accepti sunt, pariter Judaei sunt, eorum posteri* cavillator hâc ratione impugnare potuisset: vana tua argumentatio est; nam si patriarcharum posteri Deo sacri et cari essent, fide Christo habitâ summam sibi felicitatem, ut olim Abrahamus pietate 4,3., comparassent; itaque caritatis, in quâ patriarchae apud Deum fuerunt, jacturam fecerunt h. e., ut stirpis et ramorum similitudo retineatur, *excisi sunt rami de oleâ* et nos, gentiles, eorum locum occupavimus. Haec partim vere dici Ap. concessit, sed ut gentilibus propterea altos spiritus gerendos esse negaret v. 17. 18.. Tum aliam, quae Christianis, qui aliquando pagani fuissent, obtendi posset, objectionem refutaturus v. 19. excisionis *causam* P. aperuit v. 20., quo facto *temporariam* fore Judaeorum excisionem, h. e. tristem eorum a Deo repudiatorum sortem, demonstravit v. 23. — 27.. Non igitur repugnat, ramos Deo sacros esse, quia eorum stirps Deo sacra sit (v. 16. 28.) et futurum esse, ut rami *ad tempus* de arbore excisi in tempore arbori reddantur (v. 17. — 27.), aut demtâ similitudine Judaeos Deo caros esse propter patriarchas, ut iis ad fidem adductis summa salus recte speretur (v. 15. 16. 28.), et futurum esse ut Judaei nunc quidem ad tempus a Deo repudiati in tempore in Dei favorem recipiantur et fide Christo habitâ, quia Deo propter patriarchas cari sint, beentur (v. 17. — 28.). *) Po-

*) Tam ponderosa objectio, quam refutare studui, *de Wettio* visa est, ut eâ fretus interpretationem a me defensam nonnihil emendandam putaret. Itaque τὴν ῥίζαν hominum, qui fide et pietate

stremo P. si nostram interpretationem inieris neque patriarchis, neque vero etiam Judaeis plus tribuit, quam quod utrisque tribuere recte posset. Favere Deum Judaeis propter patriarchas Ap. claris verbis v. 28. dixit neque hoc iis mirum videbitur, qui Paulum promissa patriarchis data potissimum ad Judaeos spectare censuisse meminerit (cf. I, 44. II, 256. sqq.). Perperam autem *Chrysostomus*, *Theophylactus* et alii verbis τὸ φύραμα et οἱ κλάδοι eos Judaeos, *qui Christo fidem adjecerint* dici putarunt. Etenim hos Deo sacros esse paganae stirpis Christiani sanâ mente negare non potuerunt. Illud verendum erat, ne gentiles hos Judaeos, non quod Judaei essent, sed quod Christo fidem adjunxissent, Dei favorem adeptos esse arbitrati *totum nomen Judaeum* contemnerent. *Carpz.*, *Rosenm.*, *Boehm.*, *Flatt.* al. verbis ἡ ἀπαρχή et ἡ ῥίζα eos Judaeos, qui Chri-

---

patriarcharum ingenium referant, societatem, cujus auctores patriarchae fuerit, τοὺς κλάδους homines, quibus *externa* quaedam cum illâ societate cognatio sit, postremo vocem ἅγιος fieri posse, ut mentis animique cognationem praeter illam externam cognationem cum piorum hominum corpore consequaris, significare perhibuit h. s.: si patriarchae piorum hominum societatem facere coeperunt, fieri etiam poterit, ut eorum posteri in eam societatem recipiantur. Hanc opinionem mihi infelicissimam videri ingenue fateor. Piorum hominum familiam, quam patriarchae condiderint, τῆς ἐλαίας, non τῆς ῥίζης vocabulo enuntiari recte monuit *Meyerus*. Pertinent autem ad istam piorum hominum familiam (ad τὸν Ἰσραὴλ τοῦ Θεοῦ Gal. 6, 16.) non solum Judaei, verum etiam *gentiles*, qui patriarcharum pietatem et fidem aemulati fuerint. At in argumentatione, quam *dW.* formavit, *Judaeorum*, qui sacram familiam primi condiderint, cogitatione opus est. Nam Paulum rationem sic concludere putavit: si *patriarchae* sacrae familiae auctores fuerunt, etiam *patriarcharum posteri* in eam recipi poterunt. Porro ex *sacrâ familiâ, quam patriarchae condiderint* de Wettius ubi versus sententiam paucis verbis complexus est *patriarchas* fecit, *qui sacrae familiae auctores fuerint!* Tum „ramum esse" *extrinsecus* cum sacrâ familiâ conjunctum esse h. e. *natalibus* sacrae familiae cognatum esse denotare inconsiderate *de Wettius* scripsit. Arctissima enim est et quae intrinsecus spectanda sit ramorum cum stirpe et oleâ conjunctio, quum stirps ramos sustineat, olea pinguedine eos complêat v. 17. 18.. Et quum sacra familia ex piis Judaeis et paganis constet, Judaeis qui a Christi sacris abhorreant nullam cum piis paganis sanguinis cognationem intercedere in promtu est. Mire etiam *dW.* de voce ἅγιος philosophatus est: „ἅγιος bezeichnet die zu der äußern Angehörigkeit hinzukommende Möglichkeit einer innern Angehörigkeit." Nam ἅγιος Deo sacrum ideoque ei acceptum significat 1 Tim. 4, 4. 5. 1 Cor. 7, 14.. Quare non hoc affirmatur, *fieri posse*, ut Judaei sacrae familiae inserantur, sed plus dicitur: *esse Judaeos Deo gratos propter patriarchas* (v. 16. cf. v. 28.). Denique *sperandam esse* Judaeorum in divinam gratiam receptionem P. versu 16. docere minime voluit (v. supra).

sto fidem habuerint, vocabulis τὸ φύραμα et οἱ κλάδοι ceteros Judaeos, qui id nondum fecerint indicari existimarunt. Potest in hanc partem prius membrum accipi, si quidem τὴν ἀπαρχήν *homines Deo consecratos*, τὸ φύραμα *ceteros ejusdem generis homines* enarraveris (II, p. 173.), non item posterius. Intima enim ramis cum stirpe societas intercedit, quum stirps ramos sustineat v. 17. 18.. At Judaeis, qui nondum Christo nomen dederint, cum Judaeis, qui id jam fecerint, nulla interior societas est, nisi quod sanguine iis cognati sunt; quae sanguinis cognatio stirpis et ramorum similitudine v. 16. dicta esse nequit propterea, quod qui v. 17. excisis ramis assimilantur Judaei, certe propinquitatis, quâ pios Judaeos contingerent, jacturam non fecerunt. Accedit sententiae perversitas. Male enim rationem sic concludas: si populi pars Deo sacra et cara est, totus populus Deo sacer et acceptus est. Quippe consentaneum est pietatem populi partem Deo commendasse, totius populi impietatem Deo displicere. Frustra *Reichius* p. 386. Paulum ab hâc communi sententiâ profectum esse obtendit: *primitiis totum earum rerum genus consecrari, quarum primitiae offerantur*. Quod si concesseris, apostolum communem sententiam male in suam rem transtulisse simul confessus fueris. Nam cum primitiis, quibus tota massa consecretur, homines comparasset, qui suum gregem Deo consecrare non potuissent. Contra *patriarchas* suam progeniem Deo sacrare et commendare potuisse vidimus (cf. v. 28.). *) Pejus etiam *Semlerus* et *Ammon*. verbis ἡ ἀπαρχή et ἡ ῥίζα *Judaeos primum ad Christi relligionem adductos*, vocabulis τὸ φύραμα et οἱ κλάδοι *Christianos ex gentilibus*, *suam ex illis originem repetentes* declarari opinati sunt. Τοὺς κλάδους v. 16. generosae oleae ramos i. e. Judaeos esse Pauli disputatio v. 16. — 24. ostendit. Origenes absurde de h. l. disputans τὴν ἀπαρχήν et τὴν ῥίζαν *Christum*, τὸ φύραμα *humani generis massam*, τοὺς κλά-

---

*) Ineptum hujus interpretationis temperamentum est, quod *de Wettius* excogitavit. Is τὴν ῥίζαν ecclesiae aut verae theocratiae fundamenta, quae Christi disciplinam amplexi Judaei fecerint et τοὺς κλάδους incredulos Judaeos, quatenus eos quia *Judaei* essent ad illam theocraticam civitatem accedere oportuisset appellari putavit h. s.: si fieri potuit, ut qui primo se ad Christum contulerunt Judaei in sacram civitatem reciperentur, fieri etiam poterit, ut ceteri Judaei aliquando in eam recipiantur. At τοὺς κλάδους τῆς ῥίζης eos dici, qui stirpis rami *sint*, non qui radicis rami *fieri debuerint* manifestum est. Item *excisos* ramos stirpem aliquando sustinuisse in propatulo est (v. 17.). Increduli autem Judaei verae theocratiae cives neque tum tuerunt, neque antea fuerant. Confer *Meyerum* et expende notam praecedentem.

δους nunc *homines Christo insitos*, nunc *apostolos* et *prophetas Dei* interpretatur. Debuerat saltem τὴν ἀπαρχὴν et τὴν ῥίζαν ad Christum, τὸ φύραμα et τοὺς κλάδους ad populum Jud., a quo Christus humanam originem habuit, referre (v. *Pelag.*). Quamquam ne hoc quidem recte factum esset. Judaicos Christi natales splendorem et decus nationi israeliticae afferre P. dixit 9,3.: illos effecisse, ut Israelitarum populus Deo sacer et gratus esse inciperet ne potuit quidem affirmare. Denique non est, quod eos operose refellamus, qui alio prius membrum, alio posterius traduxerunt, quandoquidem *utroque* membro de *patriarchis eorumque posteris* agi supra effecimus. *Stolzius* et *Reichius* τὴν ἀπαρχὴν pios Judaeos, qui Christo fidem habuerint, τὸ φύραμα ceteros Judaeos, τὴν ῥίζαν patriarchas et τοὺς κλάδους eorum posteros enarrarunt. *Theodoretus*, *schol. Matth.*, *Pelag.* τὴν ἀπαρχὴν Christum (τὸ φύραμα Hebraeorum populum, *Pelag.*) τὴν ῥίζαν Abrahamum et τοὺς κλάδους Abrahami posteros dici opinati sunt. *Gloecklerus* τὴν ἀπαρχὴν Christum, τὸ φύραμα homines christianos, τὴν ῥίζαν mentis animique sanctitatem, τοὺς κλάδους vitae integritatem et bene facta notare sibi persuasit!!

V. 17. et 18. Dixerat P. v. 16.: si stirps Deo sacra et grata sit, ramos pariter ei sacros et acceptos esse, quoniam illa hos consecret h. e. si patriarchae Deo sacri et cari sint, etiam eorum posteros a Deo diligi, quia patriarchae progeniem suam Deo sacros reddiderint. Quam sententiam hoc argumento ab ethnicis oppugnari posse ap. animadvertit: effuderunt Judaei Dei gratiam fide Christo negatâ et nos, gentiles, qui nobis Dei gratiam fide conciliavimus, eorum locum apud Deum obtinuimus, h. e., ut tuam similitudinem continuemus, *excisi rami* (die Zweige) *sunt*, *nos stirpi insiti sumus*. Hanc, quae ab ethnicis moveri potuisset, dubitationem ita P. v. 17. et 18. tollit, ut primo *omnes* ramos defractos esse i. e. omnes patriarcharum posteros divini favoris jacturam fecisse neget (εἰ δέ τινες τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν v. 17.), deinde malam excisorum ramorum fortunam, i. e. tristem Judaeorum a Deo repudiatorum sortem non eo valere, ut pios Judaeos superbe contemnere gentilibus concessum sit moneat. Nam stirpi insitos ramos a radice sustineri, non vicissim radicem ab insitis ramis i. e. divini favoris adeptionem ethnicos patriarchis, non patriarchas ethnicis acceptam referre. Temere igitur a paganis homines sperni, quorum majoribus summum ornamentum debeant (v. 17. et 18.). τινὲς τῶν κλάδων] Quum oppido paucos Judaeos Deus favore amplexus esset (cf. *Chrys.* et v. 5. τὸ λεῖμμα), eorum longe

plerosque abdicasset (v. 5. 7.8.), tamen P. εἰ δέ τινες κ.λ. ἐξ. (si autem *aliqui* rami excisi sunt) scripsit *extenuatione oratoriâ* usus, quâ *non omnes* ramos defractos esse, quod factum esse ab ethnicis paucos Judaeos *non quod Judaei essent* sed quoniam Christo fidem habuissent Dei favorem consequutos esse arbitratis objici poterat, fortissime enuntiaret (cf. 3,3.). Paulum *quosdam* pro *longe plurimis* memorasse vel *euphemismo* (*Grot.*) usum vel *charientismo* (*Chr. Fr. Schmid.*) non recte observatum est. *Κλάδος, ramulus.* Theophrast. Hist. Plant. I,1,9. *κλάδον δὲ* (sc. *λέγω*) *τὸ βλάστημα τὸ ἐκ τούτων* (np. *τῶν ἀκρεμόνων*) *ὑφ' ἕν, οἷον μάλιστα τὸ ἐπέτειον. τινὲς τῶν κλάδων ἐξεκλάσθησαν*] Paronomasia (cf. v. 19.), quam latine sic licet imiteris: si autem aliqui *termites exterminati* sunt. Utrum agnominatio fortuita sit, an studiose quaesita definiri nequit. Mihi quidem posterior sententia verisimilior videtur. Nam P. paronomasiis valde delectatur (v. I, 127. sq.) videturque ei horum sonorum vicinitas (*κλάδων ἐξεκλάσθησαν*) eximie placuisse, quum eam v. 19. retinuerit. Potuisset autem *τινὲς τῶν κλάδων ἐξεκόπησαν* (v. 22. 24.) dicere. *σὺ*] „*unum aliquem alloquitur pro omnibus.*" *Grotius* (cf. 2, 17.). *ἀγριέλαιος ὢν*] Ἀγριέλαιος h. l. Adjectivum est (cf. *ἀγριέλαιος σκυτάλη*) *tu, qui in oleastro natus sis* i. q. *ἐκ τῆς ἀγριελαίου ὢν* (cf. v. 24.). Non igitur est, quod *κλὼν* s. *κλάδος* cogitando asciscas (*Kopp.*) *oleastrinus*, sive potius *in oleastro natus* (nam *oleastrinus* nemo usurpavit) *calamus* (*Beza: oleaster* i. e. *oleastri surculus!*). Male *Reich.*, *Koelln.* al. *ἀγριέλαιον oleastrum* interpretati sunt, *Lutherum* sequuti. Nam arborum surculi, non integrae arbores arboribus inseruntur. Frustra illi objecerunt, quoniam P. unum aliquem gentilem pro gentilium universitate alloquutus sit, idcirco compellatum paganum oleastro arbori recte assimilatum esse. Nempe eo quod P. unum aliquem gentilem alloquutus est non ex cunctis gentilibus unum hominem conflavit, sed hoc dixit: *tu*, homo gentilis, *quisquis sis*, *sive Cajus sive Sempronius voceris.* Quî igitur Sempronium, qui Christo fidem habuisset, cum oleastro recte contenderit? Quin gentilium universitas oleastrum facit (v. 24.), singuli autem gentiles oleastri ramis respondent. Praeterea apostolum v. 17. 18. non de cunctis gentilibus (nondum enim *τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν* ad Christi sacra accesserat v. 25.), sed de iis paganis, qui Christo fidem adjecissent agere in promtu est. Vide etiam librum meum: Ueber die Verdienste Tholuck's u. s. w. p. 59. sq.. Sed quod P. h. l. populum judaicum cum oleâ, paganorum familiam cum oleastro et pios paganos cum oleastri ramulis oleae insitis et

qui ab eâ sustinerentur et nutrirentur comparavit, haud paucas difficultates habere visum est: quas priusquam referam relatasque tollam de voce ἡ ἀγριέλαιος mihi disserendum est. Ἡ ἀγριέλαιος *) et ἡ ἀγριελαία *oleastrum* denotat h. e. oleae europaeae arborem sylvestrem (cf. Sprengel's Geschichte d. Botanik I, 58. Leipz. 1817.), quam Atticos frequentius *κότινον*, quam *ἀγριέλαιον* vocasse recte monuerunt Atticistae. Vide quae *Piersonus* ad Moer. *κότινος, ἀττικῶς. ἀγριέλαιος, ἑλληνικῶς. Trillero* ad Thomam M. *κότινος, οὐκ ἀγριέλαιος* opposuit. Esse autem *τὴν ἀγριέλαιον* oleastrum clara veterum scriptorum loca docent. Theophrast. Hist. Plant. 2, 2, 5. *φύεται δὲ καὶ ἐκ τῶν τῆς ἐλαίας πυρήνων ἀγριέλαιος, καὶ ἐκ τῶν τῆς ῥόας κόκκων τῶν γλυκέων ἀγεννεῖς* —. Dioscorides de materiâ medicâ l. I. c. 136. (p. 131. ed. *Kuehn.*) *Ἀγριελαία, ἣν ἔνιοι κότινον καλοῦσιν, οἱ δὲ αἰθιοπικὴν ἐλαίαν ἔχει τὰ φύλλα στυπτικά.* (Oleastrum nonnullos *κότινον*, ceteros *αἰθιοπικὴν ἐλαίαν* vocasse Dioscorides auctor est. Secus igitur Dioscoridem intellexit *J. Sibthorpius* in Florae graecae prodromo [ab *Jac. Ed. Smitho* edito Lond. 1806.] I, p. 105. Dioscoridem *elaeagnum αἰθιοπικὴν ἐλαίαν* dicere ratus.) Pollux I, 241. — *ἡ δὲ ἀγριελαία κότινος καλεῖται.* Adde quod oleaster hodie quoque *Ἀγροελιὰ* appellatur auctore *Sibthorpio* l. c. I, p. 4.. *Schneiderus* ad Theophrastum V., p. 425. differre *ἀγριέλαιον* a *κοτίνῳ*, quod Theophrastus semel *ἀγριέλαιον*, saepe autem *κότινον* posuerit, censuit. Sed hoc argumentum quam imbecillum sit ipse sensit. Nihil enim nisi Atticistarum observationem, cujus mentionem supra fecimus, comprobat. Lacedaemonios oleastrum

---

*) Eustathius in Od. ψ. p. 1944, 3. sq. Iones oleastrum *τὸν ἀγριέλαιον* dixisse minime condendit, ut *Reichius* putavit, sed generosam oleam *ἐλαίαν*, oleastrum *ἔλαιον*, non *ἀγριέλαιον* vocari, postremo ab Ionibus oleastri *marem* (non feminam) *ἔλαιον* (cf. summum *Hermannum* ad Soph. Trach. v. 1186. — *πολλὸν δ' ἄρσεν' ἐκτεμόνθ' ὁμοῦ | ἄγριον ἔλαιον* —.) appellari auctoribus nominatis observavit. Eustathii verba haec sunt: — *ἔνθα σημειωτέον καὶ ὅτι ἡ μὲν τοιαύτη θηλυκῶς ἐλαία ἐλέγετο, ἡ μέντοι ἀγρία, ἔλαιος κατὰ Αἴλιον Διονύσιον καὶ οὐκ ἀγριέλαιος.* — — — — *καὶ οὕτω μὲν ὁ Στράβων· ἐν δὲ τῷ ῥητορικῷ λεξικῷ φέρεται καὶ ὅτι ἔλαιον τὴν ἄῤῥενα καὶ ἀγρίαν ἐλαίαν φασὶν Ἴωνες.* Praeterea amaris oleastri *olivis* Graecos in *macerando* usos esse *Reichius* narravit. Vir doctus Dioscoridis loca a *Wetstenio* allata, quum ipse non evolvisset, male interpretatus est. Oleastri *folia* (non fructus) *adstringendi* (non macerandi) vim habere Dioscorides monuit de materiâ medicâ I, c. 136. *Ἀγριελαία — ἔχει τὰ φύλλα στυπτικά.* Idem ibidem c. 125. (p. 118. *Kuehn.*) *ταύτης* (*τῆς φιλλυρέας*) *τὰ φύλλα στύφει ὡς ἀγριελαία* (dicit oleastri *folia*, cf. c. 136, et Conjectanea mea in N. T. I, 1. sqq.), *ποιοῦντα πρὸς τὰ στύψεως δεόμενα.*

strum *ἄγριππον* appellasse et fuisse proverbium *ἀκαρπότερος ἀγρίππου* in valde pauperes dictum multi memoriae prodiderunt. Suidas: *ἀκαρπότερος ἀγρίππου, ἐπὶ τῶν πάνυ πενομένων. Λάκωνες γὰρ τὴν ἀγρίαν ἐλαίαν ἄγριππον καλοῦσιν.* Idem tradunt Zenobius Adag. 1, 60. Diogenianus Prov. 2, 63. et Zonaras s. v. *ἄγριππος*. Ven. *Reichius* oleastrum a Laconibus *ἄγριππον* vocitatum esse Suidam temere dictitasse, fuisse potius *ἄγριππον elaeagni* speciem, arboris ab oleâ longe diversae, quum alia familia (diandria) oleam, alia (tetrandria) elaeagnum *) contineat, affirmavit, vereor ut satis considerate. Primo cum Suida Hesychius concinit, *ἄγριππον* a *κοτίνῳ* non differre haud obscure indicans: *ἄγριφος* (lgd. *ἄγριππος*), *γένος τι ἀγρίας ἐλαίας Ὀλυμπιᾶσιν.* Notus enim est *κοτίνου στέφανος*, qui olympionicas ornavit (v. *Schneider.* ad Theophrast. V. p. 425. sq.). Deinde Pausanias 2, 32, 9. *κότινον* ad *τὰ ἄκαρπα τῆς ἐλαίας* refert: *ῥάχους μὲν δὴ καλοῦσι Τροιζήνιοι πᾶν ὅσον ἄκαρπον ἐλαίας, κότινον καὶ φυλίαν καὶ ἔλαιον.* Denique res ipsa Suidam defendere videtur. Oleae fructus oleastri olivas ubertate multum vincunt, e quibus et longe ignobilius quam e generosis olivis oleum et minorem olei copiam exprimas **). Recte igitur *πενόμενος* et *ἀνωφελής* cum oleastro conferatur, *πάνυ πενόμενος ἀκαρπότερος ἀγρίππου* dictus sit. Nunc ut ad difficultates supra motas redeam, primo quaeritur, cur P. populum judaicum cum oleâ et paganorum familiam cum oleastro contulerit. Collationis ratio in majore oleae, minore oleastri *nobilitate* (*Boehm.*), non in majore oleae, minore oleastri *fertilitate* (fuisse enim gentiles pietatis et virtutis inopes, cf. *Chr. Fr. Schmid.* et *Kopp.*) posita est. Scilicet nobile Judaeorum genus Paulo visum est (1, 16. 3, 2. 9, 4. 5. 15, 8.), gentilium multo ignobilius. At idem, inquit, Ap. consequutus esset, si notionem judaicam *cum fico* (*τῇ συκῇ*), paganorum familiam *cum caprifico* (*τῷ ἐρινεῷ*) contendisset. Cur igitur P. gentem jud. *oleam*, gentilium genus *oleastrum* fecit? Id percontanti respondeo, oleae et oleastri contentionem primum Paulo occurrisse, quoniam olea, quae *prima omnium arborum* judicaretur (Columella 5, 8, 1.), impenso studio culta est ***).

*) De elaeagno inaudita tradidit *Reichius* p. 389., elaeagni *folia* oleae foliis similia esse et *nullos* plane fructus elaeagnum ferre. Imo elaeagni fructus, qui non prorsus inutiles sunt, olivis, folia viticis foliis respondent. Vide *de Berchtoldi* et *Opizii* ökonomisch-technische Flora Böhmens T. II. Fasc. I. p. 21.—24. Prag 1838..

**) Theophrast. Hist. Plant. 1, 4, 1. *Πλείω μὲν γὰρ δοκεῖ τὰ ἄγρια φέρειν, ὥσπερ ἀχράς, κότινος, καλλίω δὲ τὰ ἥμερα.*

***) Addo absurda commenta, quae indoctis hominibus nunc mire placent. *Grotius*: „*Oleam* autem potius dixit (P.) quam aliam

Secunda difficultas in eo sita est, quod Ap. oleastri ramulos oleae insitos esse scripsit, quum contra agricolae virgulas oleaginas oleastro inserere soleant (*Orig.*). Minime ea locis a *Bredencampo* (in l.: Memorabilien von *Paulus* Fasc. II, p. 149.—151.) primum allatis remota est, quae oleastri surculos in olivam immissos esse ostendunt. Columella 5, 9, 16. *Schneid. Solent etiam quamvis laetae arbores* (oleae) *fructum non afferre.* Eas terebrari gallicâ terebrâ convenit atque ita in foramen viridem taleam oleastri immitti: *sic velut inita arbor foecundo semine fertilior exstat.* Palladius De insitione l. XIV. vs. 53. 54. *Foecundat* sterilis pingues oleaster *olivas*, | et quae non novit munera ferre docet. Adde Theophrast. De causis plantarum 1, 6, 10. *Schneid.* *Εὔλογον δὲ καὶ τὸ καλλικαρπότερα ταῦτα γίνεσθαι, καὶ μάλιστα ἐὰν τὰ ἥμερα εἰς τὰ ἄγρια τιθῆται τῶν φυτῶν· — Διὸ καὶ κελεύουσι κοτίνους φυτεύσαντας ἐνοφθαλμίζειν ἢ ἐμφυτεύειν ὕστερον. — ἐπεὶ εἴ γέ τις ἀνάπαλιν τὸ ἄγριον εἰς τὰ ἥμερον ἐμβάλλοι, διαφορὰν μέν τινα ποιήσει, τὸ δὲ καλλικαρπεῖν οὐχ ἕξει.* Namque oleastri taleae, ut oleam foecundarent, oleae inserebantur; P. contra oleam oleastri taleis, non oleastri surculos olivae prodesse contendit, quod naturae repugnat, quandoquidem insiticii rami arborem adjuvant, non arbor insitivos surculos nobilitat. Quamobrem sic judicandum est: Paulum vel insitionis ignarum vel agriculturae leges parum curantem *docendi causâ* rem confinxisse iis, qui insitionis rationem non penitus perscrutati fuerint, satis probabilem reique quae plana facienda erat unice convenientem. Arborem insiticiis ramulis succum impertire rei rusticae rudes et imperiti facile credunt. Ut populus judaicus cum oleâ, gentilium familia cum oleastro conferretur *res* flagitavit. Ille enim nobilis erat, haec multo ignobilior: haec nuda et inops erat, ille amplissima Dei promissa possidebat paganis nisi in judaicam civitatem receptis minime obtinenda. Sane igitur per fidem beandi gentiles oleastri surculis olivae insitis aequiparandi erant. Natio judaica cum oleastro, paganorum genus cum oleâ et pii gentiles cum oleagineis ramulis oleastro insitis ne poterant quidem a P. conferri. Contende *Origenem*: „Illi (agrico-

---

arborem, quia et *pulcra* est et *fructifera* Ps. 52, 10. [haec probavit *Tholuccius*] *et ex eâ unguntur reges et sacerdotes.*" (!!) *Olshausenus* autem Paulum oleae similitudine ideo usum esse putat, quod oleae pinguedo largas divini spiritus dotes per transennam significet, quae Israelitis divinitus destinatae fuerint. Hinc sacrum unguentum Exod. 25, 6. 30, 31. 37, 29. largam divini spiritus suppeditationem [cf. Act. 10, 38.] oblique indicare (!!!).

lae) enim magis olivam oleastro inserere, et non olivae oleastrum solent: P. vero *apostolicâ auctoritate* (!!) ordine commutato res magis causis, quam causas rebus aptavit." et praeterea *Castalionem*, *Koppium*, *Reichium* et *Meyerum*. Sed quum oleastri surculorum in oleam insitione hoc P. declaraverit, gentiles extra ordinem summum Dei beneficium in civitatem judaicam receptione consequutos esse, secum discors esse et *civitati judaicae* tribuere quod *fidei* dandum esset *Reichio* p. 391. videtur. Non assentior. *Fidei* in Christo repositae pios gentiles summam felicitatem debere Ap. h. l. minime infitiatus est: illud vere statuit, et probos gentiles cum oleastri ramis in olivam immissis recte conferri h. e. eos praeter rerum ordinem salutis Judaeis potissimum destinatae (1, 16.) participes factos esse (nulla enim promissa Deus paganis dederat neque nisi benevolentiâ adductus felicitatem Judaeis prommissam cum iis participavit, 15, 8, 9.) et civitatem judaicam generosam olivam facere, quae insitis sibi oleastri taleis succum largiatur, aut nationem judaicam sua ornamenta cum paganis civitate donatis communicare. Nempe Abrahamum beatae subolis progenitorem fore Deus portenderat Gal. 3, 8.. Quare Abrahamo promissae beatitatis particeps fieri non potuit nisi aut in Abrahami familiâ natus aut in eam insitus. Sane hanc Deus legem scripserat, ut qui *mente et fide* Abrahamum aemulati essent Abrahami posteri censerentur 4, 11, Gal. 3, 9.. Sed considerandum est, primo fide gentiles *Abrahami filios* factos esse, *quibus* Deus summam felicitatem pollicitus esset, deinde Paulum Judaeis, naturalibus Abrahami posteris, aliquem, quem inter homines fide Abrahami genus consequutos obtinerent, principatum detulisse (v. not. ad 1, 16.). Jure igitur Abrahamum ejusque progeniem familiam facere P. censuit, cui summam felicitatem Deus ita privam constituisset, ut nemini nisi in illam recepto dari posset. ἐνεκεντρίσθης] Athen. 14, 68. — ἐπεμβολάδας ἀπίους ὀνομάζει (Aristoteles) τὰς ἐγκεκεντρισμένας. Falso *Erasmus*, *Grot.* al. v. ἐγκεντρίζω ad *inoculationem* referunt. Nam *inoculare* valet ἐνοφθαλμίζω. Neque ἐμβάλλω, ἐμφυτεύω, ἐμφυλλίζω et ἐνοφθαλμίζω idem quod ἐγκεντρίζω notare recte contenditur (v. *Stephanum* in Thes. s. v. ἐγκεντρίζω). De τοῦ ἐνοφθαλμισμοῦ et τῆς ἐμφυτείας discrimine consule Theophrastum de causis plant. 1, 6, 6.. Idem ὀφθαλμίζειν, ἐγκεντρίζειν et ἐμφυτεύειν distinguit ibid. 2, 14, 5.. Imo ἐμβάλλω generis vocabulum est, ἐγκεντρίζω autem *insitionem in fissurâ* et ἐμφυλλίζω *insitionem in cortice* declarat. ἐνεκεντρίσθης ἐν αὐτοῖς] h. e. *inter eos* (in olivâ natos neque defractos) *ra-*

mulos insitus es (*Erasm.*, *Luther.*, *Grot.*, *Beng.*, *Wolf.*, *Heum.*, *Morus*, *Rueck.* al.). Nam Pronomen *αὐτοῖς* ad *τοὺς κλάδους*, non ad *τινὰς τῶν κλάδων* pertineat necesse est. Docet voc. *συγκοινωνός* (*simul* h. e. *unâ cum ramulis in arbore natis neque ex eâ excisis* particeps) et v. 18. *οἱ κλάδοι*, quos si *defractos* ramos interpreteris sententia perditur (v. infra). Non ingressi essent hanc interpretationem tot interpretes, si cogitassent, ethnicos non solum impios Judaeos (*excisos* ramos), sed etiam pios (ramos *in arbore rellictos*) contemsisse, quum hos virtute suâ (fide) divinum favorem sibi peperisse, non generis quod ab Abrahamo ducerent splendore obtinuisse contenderent et Paulo ne Christiani judaici ab ethnicis qui Christi sacra suscepissent laederentur hîc providendum fuisse. Peperit hujus rei neglectio interpretationem, quam *Erasmus* recte ridiculam dixit, quum et loquendi usum violet et sententiam pessumdet: *insitus es eorum* (ramorum defractorum) *loco* (! *ἀντ᾽ αὐτῶν Theophyl.*, *Kopp.* al.), *in eorum locum* (! *Beza*, *Reich.*, *dW.*), *in eorum loco* (*Syrus*, *Meyerus*, *Olsh.*). Ἐγκεντρίζομαι ἐν τοῖς κλάδοις τῆς ἐλαίας *inseror ibi*, *ubi oleae ramuli antea fuerunt* denotare nequit. Sententia haec est: insitio tibi dedit quod illis natura (*Erasmus*) h. e. extraordinario Dei instituto gentiles decus debent, quod Deus Judaeorum generi attribuit. *τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας*] Horat. Epod. 2, 55. lecta de *pinguissimis* oliva ramis arborum. Jud. 9, 9.. *συγκοινωνὸς τῆς ῥίζης κ. τ. π. τ. ἐ. ἐγένου*] i. e. *simul* (cum ramis in arbore conservatis) *particeps factus es radicis* (quae te sustineat, cf. v. 18.) *et pinguedinis olivae* (quae suum tibi succum largiatur). Demtâ similitudine hoc dicitur: patriarchae, quos Deus beatae familiae conditores esse voluit, tuae hominis gentilis, qui in eorum familiam insitus sis, beatitatis auctores sunt eorumque familia felicitatis sibi divinitus destinatae te consortem fecit. *Grot.* *συγκ. τῆς ῥίζης καὶ τῆς πιότητος τῆς ἐλαίας ἐγένου* per figuram *ἓν διὰ δυοῖν* dictum esse putavit pro *συγκ. τῆς πιότητος τῆς ῥίζης τῆς ἐλαίας* (s. potius *τῆς πίονος ῥίζης τῆς ἐλαίας*) *ἐγένου*. Nam a radice succum ad ramos diffundi. Hoc argumentum ineptum est. Nam olivae radicem *ramos firmare* (cf. v. 18.), olivam ipsam pinguedinem iis suppeditare Ap. h. l. declaravit. Et tum demum *Grotii* opinio ferri posset, si tantummodo oleae radix pinguis esset (radix *i. e. pinguedo* oleae i. q. pinguis oleae radix, cf. not. ad Matth. p. 854.), non item arboris truncus et rami. V. Ueber die Verdienste Tholuck's p. 61.. *μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων*] *noli de ramis* (*in arbore rellictis*) *triumphare*, id quod temere nunc facis (*Win.* gr.

p. 468.). Moleste ferrent naturales oleae rami, si ratio in iis esset et consilium, se ab oleastri surculis oleae insitis h. e. ab iis despici, qui praeter rerum ordinem generosae arboris firmamentum et indolem consequuti essent, quum ipsi naturâ haec decora haberent. Item pios, qui ad Christi sacra se contulerint, Judaeos ethnicorum, a quibus spernantur, insolentia recte mordeat extraordinario Dei instituto eum locum apud Deum adeptorum, quo ipsos ut patriarcharum posteros apud se esse Deus voluisset. *εἰ δὲ κατακ., οὐ σὺ τὴν ῥίζαν βαστάζεις*] i. e. *εἰ δὲ κατακαυχᾶσαι, ἴσϑ' ὅτι οὐ σὺ τὴν ῥίζαν βαστάζεις*. Cf. de notissimâ hâc brachylogiâ not. ad 2, 14. I, 177.. Adde 2 Cor. 9, 17. Ev. Nicodemi c. 4. *Εἰ εἰς Καίσαρα ἐάν τις βλασφημήσῃ ἄξιός ἐστι ϑανάτου, οὗτος δὲ κατὰ τοῦ ϑεοῦ ἐβλασφήμησεν*. Cic. de oratore II, 12. 51. Atqui, ne nostros contemnas, inquit Antonius, *Graeci quoque ipsi sic initio scriptitarunt*, ut noster Cato —. Male *Reich.* sic explicuit: si autem triumphas *stulte facis* (*παραφρονεῖς*). *Nam* (?) non tu radicem sustines —. Confudit V. D. hunc l. cum iis, quae duas habent sententias conditionales. In his post priorem sententiam conditionalem apodosis omitti solet (Luc. 13, 9. Thucyd. 3, 3. Aristoph. Thesmoph. 536. ed. *Fritzsche*. Xen. Anab. 7, 7, 15.). Ap. sic disputavit: si autem de ramis non exsectis (de piis Judaeis) triumphas, scito non radicem a te, sed te a radice sustineri (non te de patriarchis, sed patriarchas de te praeclare meritos esse). Sic stulte te de piis Judaeis triumphare intelliges. Stultum est enim homines contemnere, quorum majores summis beneficiis te sibi obligaverint. *εἰ δὲ κατακ., οὐ σὺ τ. ῥ. βαστάζεις, ἀλλ' ἡ ῥίζα σὲ*] *Oecumenius*: *καὶ τί τοῦτο πρὸς τοὺς ἐκκλασϑέντας κλάδους; οὐδέν· εἰ μὲν γὰρ τῆς ῥίζης κατεκαυχώμην, εἶχε λόγον τοῦτο· εἰ δὲ τὴν ῥίζαν ὡς ἁγίαν προσκυνῶ, τί πρὸς τοὺς ἐκπεσόντας κλάδους εἰ βαστάζομαι ὑπὸ τῆς ῥίζης;* Eandem dubitationem movent *Chrys.*, *Theophyl.* et *schol. Matth.* Sane non esse *ex oleâ excisos* ramos ab oleae insitis oleastri surculis contemnendos temere hâc ratione doceas: oleastri virgas *ab olivae radice* sustineri. Nulla est enim inter termites *ex arbore excisos* et ipsam arborem communio. Itaque sententia poscit, ut *τοὺς κλάδους* ramulos *in oleâ natos neque ex eâ exsectos* interpretemur (v. supra). Verba *ἀλλ' ἡ ῥίζα σὲ βαστάζει* illustrat epigramma *Cyllenii* (non *Callimachi*, *Grot.*) in Anthol. Palat. T. II, p. 6. *Ἡ πάρος ἐν δρυμοῖσι νόϑης ζείδωρος ὀπώρης | ἀχράς, ϑηροβότου πρέμνον ἐρημοσύνης, | ὀϑνείοις ὄζοισι μετέμφυτος, ἥμερα ϑάλλω, | οὐκ ἐμὸν ἡμετέροις κλωσὶ φέρουσα βάρος. | Πολλή σοι,*

φυτοεργέ, πόνου χάρις· εἵνεκα σεῖο | ἀχρὰς ἐν εὐκάρποις δένδρεσιν ἐγγράφομαι.

V. 19. et 20. Quum P. quod ethnici obtendere potuissent *defracti rami sunt*, *nos oleae insiti sumus* h. e. *nos in Judaeorum a Deo abdicatorum locum successimus* diluisset v. 17. et 18., iis hanc objectionem relinqui vidit: *defracti ramuli sunt*, *ut ego insererer* i. e. *eo consilio Deus Judaeos repudiavit*, *ut me suo favore amplecteretur.* Itaque hanc objectionem posuit v. 19., ut eam refelleret v. 20.. ἐρεῖς οὖν] *dices* (objicies) *igitur* (du wirst nun sagen) np. postquam quod nobis primum objicere potuisses (excisorum ramorum locum occupavi v. 17. 18.) refutavimus. Non recte *Winerus* gr. p. 425.: dices *igitur* np. similitudinem, quâ ego usus sum v. 17. 18., in tuam rem convertens. ἐξεκλάσθησαν οἱ κλάδοι] Omittunt Articulum A. C. F. G. 37. 46. 47. 57. 72. 73. 80. al. Mt. e. f. a. l. n. et quattuor Cdd. ex septem, quos *Matthaeius* postea consuluit (v. ed. min.) Chrys. (etiam in Mt. 3. 8.) Damasc. Oec.. Itaque *Erasmus*, *Colinaeus*, *Stephanus* ed. 1. et 2., *Beng.*, *Knappius*, *Lachm.* aliique articulum deleverunt multique eum adulterinum esse judicarunt (v. c. *Griesb.*, *Rinck.* Lucubr. p. 127., *Reich.*, *Meyer.*). At articulum retinendum esse necessarie demonstres, non solum probabiliter ostendas. Etenim homo gentilis *populum judaicum* a Deo repudiatum esse, ut ipse in Dei gratiam veniret (h. e. *quos oliva habuisset ramos* excisos esse, ut ipse arbori insereretur) Paulo h. l. objicere debet, *nonnullos Judaeos* Dei gratiâ excidisse, ut ipse apud Deum gratiosus esset, aut *aliquos* ramos defractos esse, ut ipse in oleam immitteretur paganus apostolo ne potest quidem hîc objicere. Docet disputationis paullinae tenor. Scripto vs. 15. P. veritus est, ne ab ethnicis prognati lectores plus *populo judaico* tributum esse, quam veritas pateretur arbitrati hoc sibi obtenderent: dilexit Deus patriarchas, non diligit eorum posteros. Ut haec dubitatio amöveretur patriarchas subolem suam Deo sacram et caram reddidisse Ap. monuit v. 16.. Nunc gentiles suam *nationis judaicae* contemtionem hoc argumento tueri poterant; abdicavit Deus Judaeos, nos benevolentiâ complexus est (defracti rami sunt, nos stirpi insiti sumus). Occurrit P. huic objectioni v. 17. et 18.. Reliquum erat, ut ultimum paganorum perfugium obstrueretur, qui suam populi jud. despicientiam hâc ratione defendere poterant: *eo consilio* Deus *Judaeos* abdicavit, *ut nos favore amplecteretur* (*idcirco qui in olivâ fuerunt rami* excisi sunt, *ut ego* arbori insererer v. 19. cf. v. 11.). Hoc P. facit v. 20. sq.. *Nonnullos* Judaeos Deum ab se depulisse (ἐξεκλάσθησαν

κλάδοι), ut se ad gentiles inclinaret ii dicere non potuerunt, quibus exstinctum esse *nominis judaici* splendorem ostendendum erat. Nimirum P. operam dedit, ne *stirps judaica* ab ethnicis contemneretur, non hoc tantummodo efficere voluit, ne *incredulos* Judaeos gentiles despicerent (v. 16. sq.). Quod multos interpretes fugisse mirum est. Praeterea articulum corroborat verborum ordo et orationis nuditas ἐξεκλάσθησαν κλάδοι. P. enim κλάδοι τινὲς ἐξεκλάσθησαν scripsisset. Denique correctores, qui hunc l. parum intellexissent, verbis v. 17. τινὲς τῶν κλάδων temere motos articulum sustulisse in oculos incurrit. Patet ex his, quae dicta sunt, eos errasse, qui articulum ab se retentum sic exposuerunt: excisi ex arbore rami, *quorum mentio facta est* v. 17. et 18.. *Matthaeius* ed. maj.: „Non dubito, quin articulus sit retinendus. Gentilis enim loquitur arrogantius. Fortasse οἱ sublatum est ideo, quod vs. 17. legitur τινὲς τῶν κλάδων. Nam κλάδοι sunt τινὲς κλάδοι, οἱ κλάδοι autem sunt πάντες οἱ κλάδοι." Vera haec sunt iis exceptis quae de gentilis arrogantiâ dicta sunt. Si Deum genti judaicae suum favorem ademisse paganus *arroganter* h. l. dixerit, hominis arrogantia non hîc primum exsistit, sed jam v. 16.—18. oblique ab apostolo vituperata est. — V. 20. Ramos in oleâ natos a Deo excisos esse ut pagani generosae arbori insererentur h. e. Judaeos a Deo repudiatos esse, ut sordido loco nati gentiles generosis Judaeis succederent et Dei beneficiis nationi judaicae ademtis fruerentur P. liberaliter concedit voce καλῶς, *bene mones, recte ais, audio* (cf. Demosth. adv. Lept. p. 493, 1. 496, 2. 506, 8. *Reisk.* Philipp. II. p. 69, 15. or. c. Boeotum p. 998, 24.). Tanta enim fuit piorum Judaeorum paucitas (v. 5. 7.), ut Judaeorum populus Dei favorem amisisse nullusque termes in olivâ rellictus esse videri posset. Ad *causas*, quibus ductus Deus tum Judaeos repudiaverit, tum ethnicos benevolentiâ complexus sit, paganos, ut eos a populi judaici contemtu dehortetur P. attendere jubet verbis τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλ. κτλ.: τῇ ἀπιστίᾳ, τῇ πίστει] Sunt Dativi *causae, propter fidei inopiam, propter fidem* (cf. Gal. 6, 12. 2 Cor. 2, 12. et *Pflugkium* ad Eur. Heracl. v. 475. ξένοι, θράσος μοι μηδὲν ἐξόδοις ἐμαῖς | προςθῆτε· et ad Hel. v. 79.. ἐξεκλάσθησαν] D*. F. G. ἐκλάσθησαν, quod recepit *Lachm.*. Paulo verbum retinendum erat, quod v. 19. posuerat, ubi temere ἐκλάσθησαν scribas F. G. auctoritate confisus, qui εἰ κλάσθησαν (sic. *Boern.*: *si* fracti sunt rami) habent. Sententia h. l. enuntiata: Judaeos ex oleâ excisos esse aut bonorum patriarcharum posteris a Deo destinatorum jacturam fecisse, *quoniam Christo fidem negassent* iis repugnat, quae

P. supra v. 7.—11. disputavit. Quibus haec sententia consentanea est: ἐκκλασθέντες ἠπίστησαν διὰ σὲ *divino favore privati nullam Christo fidem habuerunt, ut tibi, gentili, Deus propitius esset.* Nam Deus Judaeos obstinatos reddidit, *ne Christo fidem adjicerent* v. 7.—10., paganis consulturus v. 11.. σὺ δὲ τῇ πίστει ἕστηκας] Male multi (*Orig.*, *Theophyl.*, *Vatablus*, *Kopp.*, *Boehm.*, *Flatt.*, *Rueck.*, *Reich.*, *Meyer.* al.) explicuerunt: tu contra propter fidem *stas* s. *flores np. in arbore* (h. e. σὺ δὲ τῇ πίστει θάλλεις ἐγκεκεντρισμένος). Non viderunt Paulum similitudinem ab insitione repetitam hîc missam fecisse et gentilem non ut oleae ramum, sed ut hominum spectasse: tu contra propter fidem *salvus es.* Nempe cum stantibus comparantur qui florent, cum corruentibus qui miseri fiunt (v. 11.). Ceterum pagani beatitas sane in eo posita erat, quod olivae inhaesit. Perperam *Grot.*: tu vero *in fide* stetisti (stas) h. e. σὺ δὲ ἐν τῇ πίστει ἕστηκας (5, 2.). Rectius exposuisset: tu vero fidei firmam constantiam probas (du hälst dem Glauben Stand 2 Cor. 1, 24.). Sed hanc expositionem sententia opposita (τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν) respuit. μὴ ὑψηλοφρόνει] Unus A. μὴ ὑψηλὰ φρόνει (v. Lucian. Icarom. c. 11. cl. Rom. 12, 16.), quod *Lachm.* recepit! Ὑψηλοφρονεῖν (1 Tim. 6, 17.) *mente efferri*, *superbire* eâ lege formatum est, quâ ὑψηλολογεῖν (ὑψηλολογεῖσθαι, v. Plato de republ. l. 8. p. 545. fin.). ἀλλὰ φοβοῦ] *sed in metu vive, esto sollicitus.* Sententia: noli superbire et miseros Judaeos ferociter contemnere; nam fide partum decus fidei inopiâ amittere potes: *metum potius habeto ne fidei jacturam facias et divino favore priveris. Neque enim tibi pagano quum fidem ex animo ejeceris Deus parcet, qui incredulis Judaeis non pepercerit* (v. 21.). Nonnulli verbo φοβεῖσθαι *modeste de se sentiendi* significatum affinxerunt, quoniam etiam superbi in metu esse possint (v. *Wolf.*), aut quia ὁ φόβος h. l. *superbiae* opponatur (*Rosenm.*). *Wetstenius* sententiam illustravit Senecae loco Troad. 260. Moderata durant, quoque Fortuna altius | evexit ac levavit humanas opes, | hoc se magis supprimere felicem decet, metuentem Deos | nimium faventes. Magna momento obrui| vincendo didici. Troja nos tumidos facit | nimium ac feroces. Stamus hoc Danai loco, | unde illa cecidit.

V. 21. Οἱ κατὰ φύσιν κλάδοι dicuntur *qui secundum naturam aut naturâ* (generosae olivae) *rami fuerunt.* His surculi opponuntur, qui in oleastro nati *arte* (insitione) oleae rami redditi sunt (cf. οὐδὲ σοῦ). Non recte *Win.* gr. p. 178. τοὺς κατὰ φύσιν κλάδους *ramos naturae congruos* explanavit. Ne oleastri quidem ramuli oleae naturae repu-

gnant. Possunt enim olivae inseri. Sunt οἱ κλάδοι h. l. οἱ κλάδοι τῆς ἐλαίας (v. 17.) et οἱ κατὰ φύσιν κλάδοι, οἱ κλάδοι τῆς ἐλαίας οἱ κατὰ φύσιν (φύσει) ἐν τῇ ἐλαίᾳ (τῆς ἐλαίας κλάδοι) ὄντες. His Deus non pepercit. Excidit enim eos ex olivâ (v. 17.—20.). *μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται*] Haec conformationis receptae lectio est. Subsidia critica in hunc modum discrepant: *οὐδὲ σοῦ φείσεται* (omissâ voce *μήπως*) A. C. 6. *Copt. Orig.* *) *Ruf. Augustin.* identidem (v. *Sabatierium*) Damasc. Hoc dedit *Lachm.*| *μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται* D. F. G. 1. 2. 4. 7. 9. 14. 18. 19. 20. al. *Chrys.* (etiam in Mt. 3. 8., sed ed. *Montf.* habet *φείσηται*) *Theodoret.* al.. Hoc *Bengelius*, *Griesb.*, *Matthaeius* aliique susceperunt multique probarunt, v. c. *Mill.*

---

*) *Griesbachius* Origenem *πόσῳ μᾶλλον* (vel *πλέον*) *οὐδὲ σοῦ φείσεται* (vel *σοῦ οὐ φείσεται*) legisse videri parum dixit considerate. Origenis loca haec sunt: Homil. IV. in Jerem. (III, p. 144.) *Εἶτα πταίσματα περὶ ἐκεῖνον τὸν λαὸν δέον ἡμᾶς φοβεῖσθαι καὶ λέγειν· εἰ τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσετο, πόσῳ πλέον οὐδὲ ἡμῶν φείσεται; εἰ ἐκείνους τοὺς αὐχοῦντας εἶναι καλλιέλαιον, τοὺς ἐῤῥιζωμένους εἰς τὴν ῥίζαν τῶν πατριαρχῶν — μὴ φεισάμενος ὁ Χρηστὸς ἅμα καὶ φιλάνθρωπος θεὸς ἐξέκοψεν, πόσῳ πλέον ἡμῶν οὐ φείσεται;* Ibid. sub finem (p. 146.) — *δέον ἐκ τούτων ἡμᾶς ἐπιστρέψαι καὶ ἕκαστον ἡμῶν λογίσασθαι ὅτι εἰ ὁ θεὸς τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, πόσῳ πλέον ἡμῶν οὐ φείσεται; εἰ τοὺς ἀπὸ τῶν πατέρων οὕτως ἐξέωσε γενομένους ἁμαρτωλούς, τί ἡμεῖς οἱ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν κληθέντες πεισόμεθα;* Ibid. Hom. XIX. (p. 276.) — *καὶ ὁρῶντες μεμνήμεθα τοῦ μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ· εἰ γὰρ ὁ θεὸς τῶν κατὰ φύσιν κλάδων οὐκ ἐφείσατο, πόσῳ μᾶλλον τῶν παρὰ φύσιν οὐ φείσεται;* Num *Theodoretus* *πολλῷ μᾶλλον σοῦ οὐ φείσεται* legit, quia lectionem *εἰ — ἐφείσατο, μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται* sic interpretatus est: *εἰ γὰρ ἐκείνους οὐδὲν ὤνησεν ἡ τῆς φύσεως οἰκειότης, ἐπειδὴ τὴν αὐτὴν οὐκ ἔσχον προαίρεσιν, πολλῷ μᾶλλον σὺ μὴ φυλάξας τὴν χάριν γενήσῃ τῆς ῥίζης ἀλλότριος.* ? Non sensit *Griesbachius*, Origenem quum non verba annumeraret sed sententiam appenderet formulis *πόσῳ πλέον οὐδὲ ἡμῶν φείσεται; πόσῳ πλέον ἡμῶν οὐ φείσεται;* et *πόσῳ μᾶλλον τῶν παρὰ φύσιν* (scil. *κλάδων*) *οὐ φείσεται;* sensum verborum *οὐδὲ σοῦ* recte declarasse. Dicit enim P. Deum pravo ethnico *multo minus* parciturum esse, quam impiis Judaeis pepercerit, quia hortulanus sterilem oleastri ramulum quem in olivam inseverit citius excisurus esse videatur, quam inutilem termitem ex oleâ defregerit, ut oleastri ramum insereret. Concedo Origeni loci sententiam quo fecit modo describere *licuisse* et si *οὐδὲ σοῦ φείσεται* et si *μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται* (*φείσεται*) in suo codice invenisset. Nihilo minus eum *οὐδὲ σοῦ φείσεται* legisse certum est. Nam si *μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται* (*φείσεται*) in codice habuisset aliquando dixisset *πόσῳ μᾶλλον* (vel *πολλῷ μᾶλλον*) *φοβοῦμαι, μήπως σοῦ οὐ φείσηται* (*φείσεται*). Et h. l. in commentario ei tribuitur *nec tibi parcet* h. e. *οὐδὲ σοῦ φείσεται.*

Prol. §. 882., *Rueck.*, *Meyerus.* | οὐδὲ σοῦ φείσηται (sic) B. 42. | Aeth. haec v. expressit: μὴ σοῦ φείσεται; Lectionum μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται et μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται perexiguum est ad sententiam discrimen. Illa valet *vereor* (φοβοῦμαι) *ne forte tibi quoque non parcat* (2 Cor. 12,20. 11,3. Act. 13,40. 27,29. 1 Cor. 8,9. Matth. 25,9. Hebr. 12,25. LXX. Genes. 24, 39.), haec declarat *vereor* (φοβοῦμαι) *ne tibi quoque non parciturus sit* (Hebr. 3, 12.). Cf. summus *Hermannus* ad Soph. El. 992. et in adnotationibus ad Medeam ab Elmslejo editam p. 357. ed. *Lips.*. Ne μηδὲ requiras, vocem οὐδὲ unam cum verbo notionem efficere memento i. q. μήπως καὶ σοῦ οὐ φείσηται (φείσεται), h. e. μήπως καὶ σὲ ἐκκλάσῃ (ἐκκλάσει). Artificiosa *Meyeri* explicatio: *metuendum est: an tibi quoque non parciturus est?* („so steht zu fürchten: er wird doch nicht etwa auch deiner nicht verschonen?") nemini recte placeat. Nititur mirâ *Hartungii* l. c. II, p. 137. sq. disciplinâ, μή post verba timendi indirectae percontationis indicem esse. Neque ego non erravi, quum Conject. I, p. 49. Paulum duas loquendi formas conglutinasse putarem, unam μήπως σοῦ φείσεται; alteram οὐδὲ σοῦ φείσεται. *num forte* (tibi parcet?) *ne tibi quidem parcet.* De lectionis varietate sic judico. Nihili esse οὐδὲ σοῦ φείσηται (sic) apparet. Est enim e duabus lectionibus (μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται et οὐδὲ σοῦ φείσεται) temere commistum. Aethiopis translatio — *num tibi parcet?* (μὴ σοῦ φείσεται;) lectionis vim non habet, sed liberior sensus descriptio est, quâ interpres vulgatam scripturam exprimeret. Itaque aut οὐδὲ σοῦ φείσεται, aut μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται (φείσεται) a P. profectum est. Cui posterior lectio haud dubie vindicanda est. Nam primum quidem librarii ex οὐδὲ σοῦ φείσεται non temere fecerint μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται (φείσεται): contra ex μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται (φείσεται) facile nasci potuit οὐδὲ σοῦ φείσεται (v. infra). Deinde P. gentilis ferociam oppugnaturus majore lepore et efficaciâ *se vereri*, ne Deus gentili quoque non parcat (μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται) dixerit, quam Deum gentili quoque *non parciturum esse* simpliciter negaverit (οὐδὲ σοῦ φείσεται). *Chrys.*: καὶ οὐκ εἶπεν οὐδὲ σοῦ φείσεται, ἀλλὰ μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται (*Montf.* φείσηται) ὑποτεμνόμενος τοῦ λόγου τὸ φορτικὸν καὶ ποιῶν ἐναγώνιον τὸν πιστὸν εἶναι. *Oecum.*: μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται] περιαιρεῖ τοῦ λόγου τὸ φορτικὸν τῇ ἀμφιβολίᾳ. Viri D. lectiones οὐδὲ σοῦ φείσεται et μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται a *correctoribus* invectas esse credunt. Nam qui unde μήπως suspensum esset nescivissent deletâ voce μήπως verbis οὐδὲ

σοῦ φείσεται contentos fuisse et qui Futurum φείσεται post μήπως non concoxissent φείσηται scripsisse (v. *Mill.* Prol. §. 882., *Reich.*, *Meyer.*, *dW.* et b. *Schott.* in N. T. a S. V. *Baumgarten-Crusio* quartum edito ad h. l.). Qui stultiores scribas finxerunt quam fuerunt. Post φοβοῦμαι, βλέπω μὴ, μήποτε et similia alii Conjunctivum, alii Futurum idcirco exararunt, quia utrumque loquendi consuetudini consentaneum esse sciverunt. Quamobrem nunc literis *oculorum errore* confusis ex Conjunctivo Futurum fecerunt (v. Matth. 25, 9. Hebr. 12, 25. varr. lect.), nunc *quum aliud agerent* Futurum pro Conjunctivo scripserunt (v. Genes. 24, 39.). Imo scriptura οὐδὲ σοῦ φείσεται vetustum vulgatae lectionis μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται interpretamentum est. Observarunt interpretes, sententiae verbis μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται comprehensae *summam* hanc esse: οὐδὲ σοῦ φείσεται, sicuti Aethiops eam his v. complexus est: μὴ σοῦ φείσεταί; Lectiones autem οὐδὲ σοῦ φείσηται (sic) et μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται e vulgatâ scripturâ μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται ejusque interpretamento οὐδὲ σοῦ φείσεται temere conglutinatae sunt. Ne quid tamen dissimulem, potest etiam μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται genuina lectio videri. Facile a festinantibus librariis μήπως neglectum et tantummodo οὐδὲ σοῦ φείσεται scriptum esse patet. Tum alios qui μήπως retinuissent μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται posuisse non mirum est. Postremo nonnulli, ut fit, diversis lectionibus temere conflatis οὐδὲ σοῦ φείσηται exararunt. Fateor tamen sententiam priore loco positam mihi verisimiliorem videri. Illud quivis concedere debet, Paulum *aut* μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται, *aut* μήπως οὐδὲ σοῦ φείσεται exarasse et lectionem a *Lachmanno* receptam οὐδὲ σοῦ φείσεται corruptelam esse. Ap. sic disputat: *in metu potius vive ne quum fidei naufragium feceris Dei favore priveris* (ἀλλὰ φοβοῦ v. 20.). *Nam si Deus ramis in olivâ natis non pepercit, vereor ne tibi quoque* (oleastri ramo in oleam immisso) *non parcat.* Citius enim hortulanus agrestem surculum, quem bonae arbori inseverit, quum inutilem eum esse cognoverit defringat, quam sterilem nobilis arboris ramum exciderit citiusque Deus adoptivos filios, qui deterioribus inclinati fuerint, abdicet, quam naturales filios, qui homines nequam et improbi essent, domo extruserit. Cf. Dionys. Hal. 4, 46. 15. πολλῆς τε μωρίας ἔφη (Turnus) καὶ θεοβλαβείας εἶναι — — — νομίζειν ὡς ὁ τῶν συγγενεστάτων καὶ ἀναγκαιοτάτων μὴ φεισάμενος (Tarquinius) τῶν ἀλλοτρίων φείσεται.

V. 22. et 23. Nunc P. et quanta in incredulos Judaeos Dei severitas sit et quanta in ipsum quia fidem habuerit

benignitas gentilem considerare jubet, ut eum ad fidei constantiam cohortetur. — ἰδὲ] ἴδε *Erasmus*, *Beza*, *Beng.*, *Matthaeius*, *Lachm.* aliique ex haud paucis Cdd. ediderunt. Cf. 2, 17. ἴδε οὖν χρ. κ. ἀποτ. θεοῦ] *vide igitur* (h. e. quum Deus Judaeos propter negatam fidem repudiaverit, te quoniam Christo fidem habuisti favore amplexus sit v. 20.) *benevolentiam et severitatem Dei.* Paulum *Dei rigorem* τῆς ἀποτομίας vocabulo enuntiasse, ut metaphoram (allegoriam) de ramis ex oleâ *excisis* (v. 17. — 21.) continuaret multi interpretes crediderunt (*Chr. Fr. Schmid.*, *Kopp.*, *Flatt.*, *Olsh.*, *Meyer.*). Hanc opinionem miram vocare licet. Nam primum ἡ ἀποτομία non idcirco *severitatem* Graecis declarat, quod ingenii *ad excidendum* proni notionem vocabulo subjecerint, sed aliâ de causâ. Praerupta et abscisa *aspera* sunt. Hinc ἀπότομος *asperum*, *immitem*, et ἡ ἀποτομία *asperitatem*, *rigorem*, cui τὸ ἐπιεικές (Dionys. Hal. 8, 61.) et ἡ ἡμερότης (Diod. Sic. 2, 591.) opponitur, tralate significat (v. Lexica graeca et cf. vernaculam vocem die Schroffheit. Valer. Max. 2, 7, 14. Aspero enim et absciso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia vires armis constant —). Deinde P. similitudinis ab excisis ramis repetitae nullam toto versu rationem habuit, nisi quod ultimis verbis ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ ad eam reversus est. Incredulos Judaeos τοὺς πεσόντας *ut ramos*, *qui defracti ex arbore* **deciderint** h. l. appellari (*Meyerus*) verum non est. Notat hîc πίπτειν *in officio labi* 14, 4.. ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομίαν] *in eos qui peccarunt* (in incredulos Judaeos) *severitatem.* Rursus Ap. ante dictorum immemor fuit. Injuste Deus qui fidem Christo denegassent Judaeos poenae severitate coercuisset. Nihil enim deliquerant. Ipse Deus eorum in delectu neglectorum animos obstinatos reddiderat, ne Christo fidem adjicerent v. 7. sqq. Cf. not. ad v. 11. et 20.. ἐπὶ μ. τ. π. ἀποτομίαν, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότητα] ἐ. μ. τ. π. ἀποτομίαν, ἐ. δ. σ. χρηστότητα θεοῦ Copt. Arm. Vulg. Clar. Eus. Pelag. | ἐ. μ. τ. π. ἀποτομία, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότης 67.** et Orig. in Jerem. Hom. 18, 5. (III, 246.) *) | ἐ. μ. τ. π. ἀποτομία, ἐπὶ

---

*) Origenes l. c.: Ὅρα πόση οἰκονομία περὶ τῆς τῶν ἐθνῶν ἐστι σωτηρίας. Ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν θεοῦ· ἐπὶ μὲν τὸ πρότερον ἔθνος καὶ πεσὸν ἀποτομία, ἐπὶ δὲ τὸ δεύτερον ἔθνος ἐπαγγελίαι καὶ χρηστότης, ἐὰν ἐπιμείνῃ τῇ χρηστότητι· εἰ δὲ μή, καὶ αὐτὸ ἐκκοπήσεται. In tantâ citantis libertate facile tamen quae Origenes in codice invenerat ab iis distinguas quae ipse mutavit eumque ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν θεοῦ· ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομία, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότης, ἐὰν κτλ. legisse certo contendas.

δὲ σὲ χρηστότης θεοῦ A. B. Damasc.. Hoc *Lachm.* textis intulit. | ε. μ. τ. π. ἀποτομίαν, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότης θεοῦ C. D.. Hoc e vulgatâ scripturâ et *Lachmanno* probatâ lectione temere commistum est. Lectionem a *Lachmanno* receptam genuinam esse non tam certum est, quam *Reichio*, *Meyero* et *Schotto* visum est. Suspectam eam reddit θεοῦ post χρηστότης adjectum. Nam quum P. verba sic capienda essent: ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομίαν (ἀποτομία) scil. θεοῦ, ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότητα (χρηστότης) np. θεοῦ, librarii θεοῦ post χρηστότητα (χρηστότης) addiderunt, Paulum qui post posterius Substantivum posuerat ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν θεοῦ imitati. Et quamquam scriptura Elseviriana vulgare, *Lachmanniana* minus usitatum loquendi genus refert, tamen correctores Nominativis offensos Accusativos scripsisse falso putaveris. Nimirum haec oratio: ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν θεοῦ· ἐπὶ μὲν τοὺς πεσόντας ἀποτομία (sc. ἐστὶν), ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότης (vide igitur benignitatem et severitatem Dei: in eos qui peccarunt severitas versa est, in te benignitas) minime inusitata est (2, 8.). Quin festinantes scribae in tali l. non difficilius pro Accusativis Nominativos, quam pro Nominativis Accusativos exararunt et qui in sententiam intenti hunc l. liberius citarunt tum liberam enuntiationem vocis ἴδε regimini subjicere i. e. Nominativos in Accusativos mutare, tum suspensa verba in libertatem vindicare h. e. pro Accusativis Nominativos collocare potuerunt. Postremo Nominativos perpaucorum, Accusativos plurimorum partim antiquissimorum testium, ut Clementis Alex. Paedag. I, 8, 51. (I, 140. Pott.), auctoritate defendi considerandum est. ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι] *si in bonitate* (morum honestate, cf. 3, 12.) *perseveraveris* np. eo, quod fidem retinueris. Sic recte hunc l. cepit *Chr. Fr. Schmid.* post Clementem Alex. l. c. — ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι, τουτέστι τῇ εἰς Χριστὸν πίστει. Hanc interpretationem et sua felicitas commendat (nam ἐπιμένειν cum Dativo virtutis, aut vitii, in quo permaneas strui solet 1, 6. 11, 23. Col. 1, 23.) et sententia opposita v. 23. ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσι τῇ ἀπιστίᾳ. Accedit, quod antanaclasis — ἐπὶ δὲ σὲ χρηστότητα (*bonitatem* i. e. *benignitatem*), ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι (si perseveraveris *in bonitate* h. e. *morum honestate*) Pauli ingenium redolet. Alteri, quam plerique interpretes inierunt, explicationi: si in *Dei* benignitate permanseris i. q. si eo quod fidem tuitus fueris dignum te Dei benignitate praebueris, wenn du dich in der Güte (Gottes) erhältst, behauptest (*Theophyl.*, *schol. Matth.*, *Heum.*, *Morus*, *Flatt.*, *Boehm.*, *Rueck.*, *Reich.*, *Meyer.* al.)

non ea solum argumenta obstant, quae nostram interpretationem munire contendimus, sed etiam alia. Neque enim per sese tam facilis est quam nostra, quamquam *προςμένειν τῇ χρηστότητί τινος* isto sensu dici potuisse concedo Act. 13, 43., neque probari potest idcirco, quod P. non scripsit *ἐὰν ἐπιμείνῃς τῇ χρηστότητι τοῦ θεοῦ* s. *αὐτοῦ*. *Pelagii* autem et *Vatabli* opinio, notare *τὴν χρηστότητα* h. l. *fidem benigne a Deo donatam* inanis est. Idem valet de *Bezae* expositione: in benignitate i. e. in *eâ conditione, ad quam Dei benignitas te evexit.* *ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ*] *alioquin* (si in honestate non permanseris, sed fidem ex animo ejeceris) *tu quoque* (qui oleastri surculus es sicut rami in oleâ nati v. 20.) *exsecaberis*. Cf. v. 21. *μήπως οὐδὲ σοῦ φείσηται*. Argute *Bengelius* (cf. *Orig.* et *Grot.*): „*ἐκκοπήσῃ, excideris*) ferro, non modo *ἐκκλασθήσῃ, defringeris*, ut illi, manu." Ut *ἐκκόπτω excidere ferro*, non *effringere manu* h. l. valere largiar, tamen *ἐκκόπτω* non gravius, quam *ἐκκλάω* v. 20. vocabulum esse et verba *ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ* h. e. *ἐπεὶ σὺ ἐκκοπήσῃ καθὼς ἐκεῖνοι τῇ ἀπιστίᾳ ἐξεκλάσθησαν* i. q. *ἐξεκόπησαν* v. 20. declarant et res ipsa ostendit. Sive enim ramus ex oleâ excisus sit, sive ex eâ decerptus oleae pinguedine et radicis fulturâ caret v. 17.. *Lachmannus* et *Meyerus* hunc l. sic interpunxerunt: *ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ, κἀκεῖνοι δέ, ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσιν τῇ ἀπιστίᾳ, ἐγκεντρισθήσονται. alioquin et tu excideris, et illi vero, nisi fidem Christo negare perrexerint inserentur.* Duo viros doctos ab hâc interpunctione avocare debebant, paullo diligentior vocum *καὶ σὺ* consideratio, quas *tu quoque* denotare manifestum est (cf. *οὐδὲ σοῦ* v. 21. et v. supra) et sententiae pravitas. Paganum quoque si fidem habere desierit ex oleâ excisum iri, quemadmodum increduli Judaei ex eâ defracti fuerint (*ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ·*) ex antecedente disputatione sane sequitur (sunt enim Judaei propter fidei inopiam defracti, paganus contra propter fidem nunc beatus est v. 20.); illud ex ante dictis colligi nequit, quum paganus bonam mentis indolem et fidem deposuerit, tum futurum esse, ut *et* ipse ex oleâ excidatur *et Judaei*, si quidem fidem animis conceperint, oleae inserantur. Nam quum hanc legem Deus sequatur, ut *τοὺς πιστοὺς* in oleam immittat, *τοὺς ἀπίστους* ex oleâ excidat v. 20. sq., in promtu est Judaeos in oleam restituendos esse quum primum ipsi Christo fidem adjecerint, non tum demum, quum gentiles fidei naufragium fecerint ideoque ex olivâ defracti fuerint. *Καὶ ἐκεῖνοι*] *Κἀκεῖνοι* recte *Griesb.* et *Lachmannus* ex A. B. C. D. E. 37. 47. 80. Mt. f. q. et aliis. *Κἀκεῖνοι δὲ*] *Etiam illi vero.* Matth. 16, 18. *Κἀγὼ δέ σοι λέγω,*

ὅτι —. Aristoph. Eq. 711. κἀγὼ δέ σ' ἕλξω καὶ διαβολῶ πλείονα. ἐγκεντρισθήσονται] *inserentur*, non *inseri poterunt* (*Kopp.*) i. e. ἐγκεντρισθῆναι δυνήσονται. *Grotius*: „Si cesset causa, cessabit effectum. Nihil est praeter incredulitatem quod Deum impediat eos rursum pro suis assumere et paterne tractare." Sane, si quidem Judaei quoniam quam fidem Christo habere potuissent animis complecti improbe noluissent, ex olivâ defracti sunt v. 20.. Sed neque hoc neque quod inde concluditur v. 23. ei consentaneum erat dicere, qui Deum incredulis Judaeis non credendi necessitatem imposuisse disputaverat v. 7. sqq.. δυνατὸς — — αὐτούς] Olivae inserentur. Ad id enim potens est Deus, ut eos in olivam restituat. Cf. 4,21. 14,4. 2 Cor. 9,8. 2 Tim. 1,12. Hebr. 11,19..

V. 24. S. V. *Winzerus* in versus 25. et 26. explicatione (Lips. 1828. 4.) p. 5. et S. V. *Reichius* Paulum vs. 24. secundum quoddam argumentum attulisse, quo v. v. 23. κἀκεῖνοι δέ, ἐὰν μὴ ἐπιμείνωσι τῇ ἀπιστίᾳ, ἐγκεντρισθήσονται firmaret, censuerunt: etiam Judaei vero, si Christo fidem negare destiterint, (in generosam oleam) inserentur, primum propterea, quod Deus hoc facere potest (v. 23. δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ θ. π. ἐ. αὐτούς), deinde idcirco, quia facilius termitem suae arbori, quam oleastri surculum generosae olivae inseras (v. 24.). Errarunt viri egregii. Nam de excisorum Judaeorum in nobilem olivam *restitutione* agi ipsum versus 24. argumentum docet. Itaque versu 24. ultima vs. 23. v. δυνατὸς γάρ ἐστιν ὁ θεὸς πάλιν ἐγκεντρίσαι αὐτούς muniuntur: potest Deus defractos Judaeos generosae oleae *reddere*. Facilius enim defractus termes suae arbori inseritur adjuvante naturâ, quam repugnante ramus ex oleastro excisus in aliam arborem (in nobilem olivam) transfertur. Ἡ κατὰ φύσιν ἀγριέλαιος i. q. ἡ ἀγριέλαιος ἣ κατὰ φύσιν (s. φύσει) ἀγριέλαιος οὖσα *oleaster, qui secundum naturam* (naturâ) *oleaster est, quem natura oleastrum fecit*, cf. v. 21.. Deliberato consilio Ap. εἰ γὰρ σὺ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξεκόπης ἀγριελαίου καὶ παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθης εἰς καλλιέλαιον collocavit, ut paganos *extraordinario Dei instituto* ornamentorum populo judaico destinatorum participes factos esse lectores ipso verborum ordine admoniti sentirent (nam si tu ex eo, qui *naturâ* oleaster esset, *resectus es oleastro* et *contra naturae ordinem insitus es generosae olivae* —.). Quanta sit rerum mutatio, si ramus ex eo, qui *naturae lege oleaster* sit, *excisus oleastro contra naturae legem inseratur nobili olivae*, multo minus sentiremus, si Ap. verba sic ordinasset:

εἰ γὰρ σὺ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἀγριελαίου ἐξεκόπης καὶ παρὰ φύσιν εἰς καλλιέλαιον ἐνεκεντρίσθης. Vide not. ad 9,21.. *καὶ παρὰ φύσιν ἐνεκεντρίσθης εἰς καλλιέλαιον*] Rami ex oleastro decerpti in nobilem oleam insitio naturae eatenus repugnat, quatenus surculi in *alius generis* arborem translatio est. Naturae enim consentaneum est, ut rami in sui quisque generis arbore propagentur. Expende proxima v. *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, οἱ κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ*; Vocem *καλλιέλαιον* non finxit, ut melius eam opponeret *ἀγριελαίῳ* (*Grot.*, *Kopp.*, *Rueck.*), sed ex usu loquendi depromsit. Nam jam Aristoteles *τὴν καλλιέλαιον* (generosam olivam) *τῇ ἀγριελαίῳ* (oleastro) opposuit *περὶ φυτῶν* 1,6. *ἔστι δὲ καὶ ἄλλος ἐμφυλλισμὸς ἐν ἄλλοις διαφόροις γένεσιν, ὡς — καλλιέλαιος εἰς ἀγριέλαιον —*. (v. *Schleusneri* Lex.). *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, οἱ κατὰ φύσιν, ἐγκ. τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ*] Haec quae vulgatur lectio corrupta est. Posse post *οἱ κατὰ φύσιν* suppleri *κλάδοι* concedo. Nam quum rami *inserantur*, ramorum notionem verbo *ἐγκεντρισθήσονται* inclusam esse dixeris (cf. *βλέπειν ἀμφοτέροις* scil. *ὀφθαλμοῖς* et *χωλὸς ἀμφοτέροις* scil. *ποσίν*) eoque ellipsin excusaveris, quod P. Judaeos v. 21. *τοὺς κατὰ φύσιν κλάδους* np. *τῆς ἐλαίας* v. 17. appellaverit. Sed aspera tamen est haec ellipsis neque sententiae satisfacit. *Naturâ rami* non solum Judaei, sed etiam gentiles fuerunt, illi nobilis olivae, hi oleastri. Quocirca P. si Judaeos gentilibus (*εἰ σὺ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐξεκόπης ἀγριελαίου*) opponere decreverat, ita *scribere* debuerat: *οἱ κατα φύσιν κλάδοι τῆς καλλιελαίου*, vel *οἱ ἐκ τῆς κατὰ φύσιν καλλιελαίου ἐκκοπέντες*. Nam quod *Rueckertus* suppletum voluit *οἱ κατὰ φύσιν* scil. *τῆς καλλιελαίου ὄντες* cogitando asciscì nequit, et si posset temere h. l. mente adderetur. Perspicuum est enim, non Judaeos *ex arbore, quam natura generosam olivam esse voluisset, defractos* pagano hic opponi, *ex arbore, quae naturâ oleaster esset exciso*, sed multo facilius Judaeos *κατὰ φύσιν* nobili olivae inseri, quam paganus *παρὰ φύσιν* in hanc arborem immissus fuerit colligi. Quamobrem *ἐκ τῆς κατὰ φύσιν ἐκκοπέντα ἀγριελαίου παρὰ φύσιν ἐγκεντρισθῆναι εἰς καλλιέλαιον* et *κατὰ φύσιν ἐγκεντρίζεσθαι τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ* ex adverso ponuntur. Praebet justam oppositionem eorum lectio, qui *οἱ* omittunt (2. 38. 76. Boern., Clar., Tol., Demidov., Ruf., Beda, editio *Erasmi*, *Aldi*, *Colinaei*, *Bogardi*): nam si tu ex eo, quem natura oleastrum fecit, excisus *oleastro contra naturae legem insitus es nobili olivae*, quanto magis hi *e naturae lege inseren-*

rentur suae olivae? Et peperisse vocem praecedentem *οὗτοι* incommodum istud *οἱ* aliquis sibi persuadeat. Sed si quis pleraque subsidia mirum istud *οἱ* mordicus tenere attenderit, deinde Syri et Chrysostomi lectiones expenderit, postremo scripturae, quae *οἱ* excludit, facilitatem contemplatus fuerit, a correctoribus *οἱ* sublatum esse fatebitur. Paucis absolvam. *OI* non Articulus est (*οἱ*), sed Pronomen relativum (*οἵ*). Strue: — *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι* (scil. *ἐγκεντρισθήσονται εἰς καλλιέλαιον*), *οἳ κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ*. nam si *tu* ex eo, qui naturâ oleaster est, *resectus oleastro contra naturae ordinem* insitus es *generosae olivae*, quanto magis *hi* nobili arbori inserentur (proxima v. vocabulorum *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι ἐγκεντρισθήσονται εἰς καλλιέλαιον rationem* continent), *qui secundum naturae ordinem* inserentur *suae*, in quâ nati sunt, olivae? Non esse conjecturam dicendam, si quis *οἱ* mutet in *οἳ* nemo ignorat. Quamquam h. l. vel levissimam conjecturae suspicionem historiae vel testimonia vel indicia tollunt. Nimirum hic — *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, οἳ κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ;* antiquitus lectum esse e *Syro* et fortasse etiam e *Chrysostomo* intelligitur *). Pauli disputatio ita comparata est. *Potest* Deus

---

*) Syrus hunc l. sic transtulit: ܐܢ ܓܝܪ ܐܢܬ ܕܡܢ ܙܝܬܐ ܐܢܬ
ܕܒܪܐ ܗܘ ܕܒܟܝܢܟ ܐܬܦܣܩܬ ܘܕܠܐ ܒܟܝܢܟ ܐܬܛܥܡܬ
ܒܙܝܬܐ ܛܒܬܐ: ܟܡܐ ܗܘ ܗܠܝܢ ܐܢ ܢܬܛܥܡܘܢ
nam si tu, qui ex oleâ agresti es, quae ܒܙܝܬܐ ܕܟܝܢܗܘܢ ܀ *tuae naturae respondet, excisus es et adversante tuâ naturâ insitus es in oleam bonam, quanto magis hi* (sp. bonae oleae inserentur), *si immittentur in oleam, quae eorum naturae consentanea sit?* h. e. *Εἰ γὰρ σὺ — — ἐνεκεντρίσθης εἰς καλλιέλαιον, πόσῳ μᾶλλον οὗτοι* (scil. *ἐγκεντρισθήσονται εἰς καλλιέλαιον*), *εἰ κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ*; quamquam liberius conversum. Jam Syri *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, εἰ κ. φ. ἐ. τ. ἰ. ἐλαίᾳ*; aut scripturae *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, οἳ κ. φ. ἐ. τ. ἰ. ἐλαίᾳ*; levis depravatio est, aut libera hujus ipsius lectionis translatio. Utraque lectio (et *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, οἳ — —*; et *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, εἰ — —*;) duo membra sistit, quum vulgata scriptura unum efficiat: *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, οἱ κατὰ φύσιν, ἐγκεντρισθήσονται τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ*; Idem fortasse de lectione, quam *Chrysostomus* in textu habet — *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, ἐὰν κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθῶσι τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ*; judicandum est. Tum Chrys. hanc scripturam in commentario magnâ libertate sic explicuerit: *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι, φησί, ἐγκεντρισθῶσι* (inserantur) *τῇ ἰδίᾳ ἐλαίᾳ*. Sed fieri etiam potest, ut quum Chrys. legisset *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι* (omisso *οἱ*) *κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθήσονται τ. ἰ. ἐλαίᾳ*; idque interpretatus esset *πόσῳ μᾶλλον οὗτοι κατὰ φύσιν ἐγκεντρισθῶσι* (inserantur) *τ. ἰ.*

Judaeos in nobilem olivam restituere. Facilior est enim artis effectus ubi natura adjuvat (*Grot.*) meliusque surculi in sui quam diversi generis arbore inolescunt. Quum igitur Deus quod naturae repugnare videtur effectum reddiderit, ut oleastri surculum (gentilem) generosae olivae insereret, multo facilius quod naturae consentaneum est efficiet, ut defractas nobilis oleae virgas (Judaeos) in suam arborem immittat h. e. demtâ similitudine: potest Deus repudiatos Judaeos in gratiam recipere. Facilius enim cum tuis in gratiam redeas, quam alienos favore tuo complectaris. Jam quum his gratiosum se Deus praebuerit, quanto magis illis se reconciliabit?

Deum miseros Judaeos, si Christo fidem habere nolle destitissent, in integrum restituturum esse eo quod Deus hoc facere posset Ap. asseveravit v. 23. 24.. Nunc in doctrinae divinae mysteriis hoc esse paganae stirpis lectoribus aperit, fore ut divinitus indurati Judaei tum utique et libertatem recuperent et per fidem beentur, quum ethnicorum caterva ad Christi sacra accesserit (v. 25. 26.). Quo facto mysterii sui veritatem sacrâ voce (v. 26. et 27.) et iis argumentis stabilit, quae ei pia de rebus divinis meditatio suppeditasset (v. 28. — 32.).

V. 25. *Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν, ἀδελφοί, τὸ μυστήριον τοῦτο, ἵνα μὴ ἦτε [παρ'] ἑαυτοῖς φρόνιμοι, ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰςέλθῃ,* 26. *καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται, καθὼς γέγραπται· Ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ·* 27. *καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν.* 28. *Κατὰ μὲν τὸ εὐαγγέλιον ἐχθροὶ δι' ὑμᾶς, κατὰ δὲ τὴν ἐκλογὴν ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας.* 29. *Ἀμεταμέλητα γὰρ τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ.* 30. *Ὥσπερ γὰρ [καὶ] ὑμεῖς ποτε ἠπειθήσατε τῷ θεῷ, νῦν δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ,* 31. *οὕτω καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν, τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι.* 32. *Συνέκλεισε γὰρ ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ.* 33. *Ὦ*

ἐλαίᾳ; in textum irreperet *ἐγκεντρισθῶσι* et homo ineptus, qui Conjunctivum non percepisset, *ἐὰν* post *οὗτοι* inculcaret. Etiam *Oecumenius ἐγκεντρισθῶσιν* affert ex *Chrysostomo* haustum. Sed prior tamen suspicio Syrum comparanti verisimilior videatur necesse est.

βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ. Ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ. 34. Τίς γὰρ ἔγνω νοῦν κυρίου, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; 35. ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; 36. Ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα· αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.

V. 25—27. Verba οὐ γὰρ θ. ὑ. ἀ., ἀδελφοί, τ. μ. τ. κτὲ. cum vocc. v. 23. κἀκεῖνοι δὲ — — ἐγκεντρισθήσονται sic cohaerent: increduli Judaei, si fidem ad animum admiserint, generosae oleae *inserentur*, quum facilius etiam Deus hoc effecturus sit, quam vos, gentiles, in nobilem olivam immisit (v. 23. 24.). *Nam* (ut quo statu res sit enuntiem) hoc scitote mysterium etc.. Formulam οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν tum poni solere, quum res nova, gravis et inaudita expromenda sit inutilis multorum observatio est (*Kopp.*, *Winz.* l. c. p. 6., *Reich.* al.). Etenim *hoc te nolo praeterire*, *hoc scito* hominem sanum nisi rem dignam quae sciatur et expendatur memoraturum non dicere apparet. Mire igitur *Rueck.* ad 1 Cor. 10, 1. istius observationis veritatem oppugnavit et formulâ οὐ θέλω ὑμᾶς ἀγνοεῖν nihil praeterquam transitum ad rem novam indicari perhibuit. τὸ μυστήριον τοῦτο] Accuratam de vocis τὸ μυστήριον usu apud Graecos disputationem, quâ nonnullis N. T. locis certior lux affundatur, hujus loci angustiae non capiunt. Tantum igitur afferam, quantum ad hunc l. recte intelligendum sufficiet. Τοῦ μυστικοῦ et τοῦ μυστηρίου usus apud Graecos latissime patet. Nam utraque voce „non solum illud dicitur, quod in mysteriis proponitur, sed quidquid difficiliorem intellectum speciemque secreti habet, sive a naturâ ipsâ involutum est, sive reconditis quibusdam continetur doctrinis, seu ob verborum obscuritatem majorem minoremve pro captu audientium." Vide summum *Lobeckium* in aureolo libro, quem Aglaophamum inscripsit, T. I. p. 85. et 89.. Sed angustior et maxime propria τῶν μυστηρίων haec notio est, ut ita arcana sacra vocentur, quae veritatem in profundo abstrusam patefacere crederentur, non nisi initiatis committenda neque cum profanis hominibus ab initiatis communicanda. Maxima fuit Eleusiniorum mysteriorum celebritas antiquitus. Fortasse P. mente in illa arcana Graecorum sacra intentâ doctrinam christianam *mysterium* appellavit; sin minus, Paullinorum mysteriorum cum Graecorum mysteriis collatione Apostoli sententiam planam facias. Doctrina christ. non humanam sapien-

tiam, quae vana est et opinabilis, sed divinam, quae vera sapientia est, sapientiam complectitur, quae nemini innotuit, nisi postquam Christus ad homines legatus est apostolis et prophetis, quibus Deus eam spiritu s. interprete usus aperuisset (v. 1 Cor. 2,6. — 13. cl. Col. 2,3. et Eph. 3,5.). Recte igitur doctrina christ. (ὁ λόγος τ. θ. Col. 1, 25. sq.) vocatur τὸ μυστήριον τ. θ. (Col. 2,2.) *arcana Dei doctrina*, τὸ μυστήριον (Rom. 16,25.), τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ (Col. 4,3.) *secreta doctrina, quam Christus primus evulgavit* et τὸ μυστήριον τοῦ εὐαγγελίου (Eph. 6,19.) *arcana doctrina, h. e. evangelium* non propterea, quod ea nonnullis hominibus celanda sit (est enim optandum, ut quam plurimi divinam sapientiam discant et per eam beentur Col. 4,3. Eph. 6,19.), sed duas ob causas. Nam primum quidem sapientiae thesauros, quos Graeci suis mysteriis contineri temere putarunt, revera in se reconditos habet Col. 2,3.. Deinde sine apostoli aut prophetae disciplinâ non magis cognosci potest, quam Graecorum mysteria discas sine institutione hierophantae. Nam per aeternitatem silentio tecta Christi temporibus primum ab apostolis et prophetis, quos divinus spiritus erudivisset, penitus perspecta est Col. 1,26. sq. Eph. 3,3. Rom. 16,25.. Quamobrem τὸ μυστήριον τ. θ. abditam Dei sapientiam apostolis et prophetis a div. spiritu extraordinariâ aliquâ institutione traditam recte definias. Et quum doctrina christ. et divinam sapientiam complectatur et recte mysterium vocetur, in promtu est, apostolos dum evangelium exponant θεοῦ σοφίαν λαλεῖν ἐν μυστηρίῳ (1 Cor. 2,7. ubi v. *Meyerum*), divinam sapientiam tradere *mysterium enuntiantes s. per mysterii enuntiationem*. Sed doctrina christ. non ex uno dogmate constat, sed multa dogmata continet, quae et ipsa recte dici μυστήρια apparet. Nam evangelium abdita et a div. spiritu discenda Dei sapientia non esset, si singula evangelii capita sine divini spiritus institutione cognosci possent. Sic P. mysterium vocavit arcanum Dei de paganis per Messiam beandis decretum, cujus accuratissimam notitiam apostolis et prophetis per spiritum s. dedisset Eph. 3,5., et τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος τοῦ θεοῦ arcanum Dei ex coelicolis et hominibus piam et beatam familiam per Christum faciendi consilium, quod cum Apostolo (spiritus s. interventu) communicasset (v. Eph. 1,9. sq. cl. Phil. 2, 9. sq. Col. 1,18. sq. Hebr. 12, 22. sq.). Patet igitur apostolos esse οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ (1 Cor. 4, 1.) *mysteriorum divinorum dispensatores, hierophantas* et hominis christ. scientiam *omnium* mysteriorum cognitione absolvi, quamquam tanta perspicientia veri in solos prophetas ca-

dat (1 Cor. 13,2.). Quemadmodum in humanis disciplinis nonnulla quae intellectu facilia sint tironibus dicuntur, recondita et abstrusa iis qui profecerunt reservantur, sic alia mysteria minora sunt, quae in ipsis initiis tradendis recte aperiantur, alia majora et augustiora, quae peritis quum tempus aut res poposcerit committenda et tanquam epoptis enuntianda esse videantur. Talia dogmata κατ' ἐξοχὴν mysteria appellantur h. l. et 1 Cor. 15,51. i. e. reconditiora divinae sapientiae dogmata in tempore hominibus christ. tradenda et quae multo minus, quam non ita abdita, virum a divino spiritu non edoctum scire posse elucet (1 Cor. 2,7. 10. Eph. 3,3. 5.). Ut gentilium sapientia confutaretur mysterium iis aperiendum erat de populo judaico tum in divinam gratiam recipiendo, quum ethnicorum caterva ad Christi sacra transisset et ut sententia 1 Cor. 15,50. proposita penitus perciperetur reconditum de mirabili mortalium in immortales mutatione dogma exponendum erat 1 Cor. 15,51.. Non male *Chrys.*: — μυστήριον ἐνταῦθα τὸ ἀγνοούμενον καὶ ἀπόῤῥητον λέγων καὶ πολὺ μὲν τὸ θαῦμα, πολὺ δὲ τὸ παράδοξον ἔχον. Parum accurate *Theodoretus*: μυστήριόν ἐστι τὸ μὴ πᾶσι γνώριμον, ἀλλὰ μόνοις τοῖς θεωρουμένοις. Ante quam P. ethnicis mysterium aperiat, quo consilio id enuntiaturus sit demonstrat verbis ἵνα μὴ ἦτε [παρ'] ἑαυτοῖς φρόνιμοι, quae *Griesb.*, *Knappius* et alii uncis male incluserunt, v. not. ad 9,11.. παρ' ἑαυτοῖς] A. B. Damasc. ἐν ἑαυτοῖς, quod *Lachm.* recepit. | F. G. 47. 67** Vulg., Clar., Boern., Hilar., Hieron., Augustin. et alii PP. latini ἑαυτοῖς. Sententia non mutatur, sive vulgatam lectionem retineas, sive ἐν ἑαυτοῖς probes, sive ἑαυτοῖς omisso praeverbio scribas. Παρ' ἑαυτοῖς valet *apud vos* i. e. *vestro judicio*. Herodot. 1,32. παρ' ἐμοὶ *de meâ* (Solonis) *sententiâ*. Prov. 3,7. μὴ ἴσθι φρόνιμος παρὰ σεαυτῷ Rom. 16,12.. Qui παρ' ἑαυτοῖς ex Hebraismo dictum esse putarunt, quia LXX. Prov. 3,7. אַל־תְּהִי חָכָם בְּעֵינֶיךָ converterint μὴ ἴσθι φρόνιμος παρὰ σεαυτῷ, non cogitarunt LXX. graecae loqui, quam hebraicum voc. בְּעֵינֶיךָ exprimere maluisse. Alioqui μὴ ἴσθι φρόνιμος ἐναντίον σεαυτοῦ (LXX. Job. 32,1. ἦν γὰρ δίκαιος ἐναντίον αὐτοῦ Ἰώβ.) vel ἐνώπιον σεαυτοῦ (LXX. Jes. 5,21. οὐαὶ οἱ — ἐνώπιον ἑαυτῶν ἐπιστήμονες) posuissent. Ἐν ἑαυτοῖς significat *vobiscum* i. e. vestrâ sententiâ. Eurip. Hippol. 1320. *Dind.* σὺ δ' ἔν τ' ἐκείνῳ κἀν ἐμοὶ φαίνει κακός, | ὃς κτλ. LXX. Jes. 5,21. οὐαὶ οἱ συνετοὶ ἐν ἑαυτοῖς —. Postremo Dativus ἑαυτοῖς et ipse *vestro judicio* declarat: *ne sitis vobis prudentes, ne vos sapere putetis*, *Herm.* ad Soph. Oed. C. 1448. ἀνάξιαι γὰρ πᾶσιν ἐστε δυστυχεῖν et *Pflugk.* ad Eur. Med. 580. ἐμοὶ

γὰρ ἄξεις ἄδικος ὢν σοφὸς λέγειν | πέφυκε πλείστην ζημίαν ὀφλισκάνει. Utrum ἵνα μὴ ἦτε παρ' ἑαυτοῖς φρόνιμοι, an ἵνα μὴ ἦτε ἑαυτοῖς φρόνιμοι a P. profectum sit decerni nequit. Illud qui defendere voluerit, festinantes librarios et facile praetermisisse praeverbium παρά, quod neglectum nemo desideraret, et errore saepe commisso aliam non minus aptam praepositionem (ἐν) pro praeverbio παρά exarasse contenderit. Sed mihi *Knappii* sententia, qui Paulum ἵνα μὴ ἦτε ἑαυτοῖς φρόνιμοι posuisse censuit, veri similior videtur. Nimirum quoniam multo frequentius παρ' ἐμοὶ et ἐν ἐμοὶ ita ut *meâ sententiâ* denotet legitur, quam ἐμοί, librarii in loci sententiam unice intenti per festinationem pro ἑαυτοῖς partim παρ' ἑαυτοῖς partim ἐν ἑαυτοῖς scripserunt. Itaque παρ' cancellis circumdedi ut valde suspectum: ἵνα μὴ ἦτε [παρ'] ἑαυτοῖς φρόνιμοι. Certe *Lachmanniana* scriptura nullius pretii est. Perverse enim statuas, nonnullos loco 12, 16. motos ἐν ἑαυτοῖς *corrigendum* (!) et παρ' ἑαυτοῖς reponendum putasse et codicum inter παρ' ἑαυτοῖς et ἐν ἑαυτοῖς fluctuantium discrepantiam fecisse, ut aliqui librarii neutrum praeverbium exararent. ἵνα μὴ ἦτε [παρ'] ἑαυτοῖς φρόνιμοι] *ne vobis sapere videamini* np. Deum Judaeos abdicasse, ut vos suo favore amplecteretur, opinati (v. 19.). Sane haec prudentiae opinio ethnicorum Judaeos a Deo repudiatos esse arbitratorum animos ad superbiam contemtumque Judaeorum inflare debuit. Sed idcirco v. ἵνα μὴ ἦτε [παρ'] ἑαυτοῖς φρόνιμοι minime valent *ne intus insolescatis* (*Luther.*, *Calv.*, *Beza*, *Calov.* al.). Nam τὸν φρόνιμον h. l. ad *affectum* referri et τὸν φρονηματίαν declarare male dixit *Beza* ab *Erasmo* deceptus. Nihil enim nisi *prudentem* φρόνιμος significat. Imo prudentiae opinionem se oppugnaturum esse P. denuntiavit, superbiam, rem ex illâ consequentem, non commemoravit. Bene *Theodoretus*: — ἵνα μὴ σφόδρα ἡγούμενοι ἑαυτοὺς συνετοὺς ὑψηλὸν ἐντεῦθεν εἰςδέξησθε φρόνημα. Vide etiam *Winzerum* p. 7. et *Meyerum*. Sequitur mysterii enuntiatio, quod non proximis verbis ὅτι πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονε absolvitur (nam Judaeorum partem a Deo contumacem redditam esse lectores non ignorarunt, cf. v. 7. sq.), sed totâ sententiâ continetur ὅτι πώρωσις — — — καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται Deum Judaeorum contumaciae finem tum impositurum esse, quum gentilium caterva Christi sacra amplexa fuerit atque ita totum Israelitarum populum salutem sibi per fidem comparaturum esse. *Πώρωσις τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν contumacia populo israelitico nata est* idem valet quod πεπώρωται ὁ Ἰσραὴλ *contumax redditus est populus israeliticus*, np. a Deo cf. v. 8. et verba

ἀπὸ μέρους cum τῷ Ἰσραὴλ necessario cohaereat. Nam *populo israelitico* *e x p a r t e* (= quum ejus populi partem spectaveris) verbis ἀπὸ μέρους ideirco ante τῷ Ἰσραὴλ locatis h. l. tacite, v. 26. diserte *totus* populus, π ᾶ ς Ἰσραήλ, opponitur (— *partim* populo isr., *non toti* Israelitarum populo). Cf. etiam v. 17. Xenoph. de vectig. 4,48. Ἐπισιτίζεσθαί γε μὴν μ έ ρ ε ι μέν, κίνδυνος — π ά ν τ ε ς δὲ ἀεὶ μ ε τ ι ό ν τ ε ς πολιορκοῖντ᾽ ἂν —. Herodian. 8,2,11. ὃ (τὸ προβέβλημένον τεῖχος) παλαιότατον ἐκ τ ο ῦ π λ ε ί σ τ ο υ μ έ ρ ο υ ς πρότερον μὲν κατερήρειπτο *murus* (non totus, sed) ex maximâ parte antea dirutus fuerat. Dici etiam potuisset ὅτι πώρωσις μ έ ρ ε ι τ ο ῦ Ἰ σ ρ α ὴ λ γέγονεν. Evertitur sententia, si voce ἀπὸ μέρους verba πώρωσις γέγονεν (i. q. πεπώρωται) accuratius constitui censueris: *p a r t i m* (*Meyerus*), vel *q u o d a m m o d o* (*Calvin.*) *e f f e c t a e s t contumacia in Israelitis.* Imo π ά ν τ ω ς, non ἀπὸ μέρους, illa contumacia in iis Israelitis *effecta* est, quos corripuit v. 7. — 10. et non totum populum israeliticum, sed ejus populi partem Deum ad tempus indurasse Paulo hîc dicendum est. Scripsisset Ap. ἐκ τοῦ πλείστου μέρους (9,29. 11,5. 7.) pro ἀπὸ μέρους, nisi extenuatione oratoriâ, ut non ita incredibilem rem esse lectores sentirent, uti maluisset (cf. v. 17.). ἄχρις οὗ τ. πλ. τ. ἐ. εἰςέλθῃ] (contumacia partim populo israelitico divinitus creata est) *donec gentilium caterva in Christi scholam intraverit.* Tum Judaeorum contumaciam finem habituram esse his v. Ap. indicat et proximis voce. καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται perspicue enuntiat. De ἄχρις οὗ cum Conjunctivo sine ἂν consociato v. Gal. 3,19. 4,19. et not. ad Marc. p. 580.. Perverse *Calvinus* ἄχρις οὗ *ut* explicat („*ut* dum Israelitae lucem respuunt ad gentes transferatur") et *Carpzovius* ἄχρις οὗ, quemadmodum עַד, continuationem et perpetuitatem notare cum *Glassio* suo opinatus, *semper*, vertitque *et magna s e m p e r copia intrat gentilium in ecclesiam Dei.*!! Videtur homo obscurus ἄχρις οὗ neglecto Conjunctivo Aoristi *quamdiu* exposuisse (v. I, 307.) et sempiternum fore gentilium ad sacra christiana transitum pro certo sumsisse. τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν] *caterva gentilium* (cf. notam vs. 12. explicationi subjectam) h. e. plerique gentilium. Male permulti (*Heum.*, *Ammon.*, *Reich.*, *Koelln.*, *Winz.* p. 11., *Meyer.* al.) *gentilium u n i v e r s i t a t e m* interpretati sunt. Nam neque τὸ πλήρωμα *universitatem* denotat (v. not. ad v. 12.), neque P. speravit fore ut *omnes omnino* pagani Christo fidem adjicerent. Scivit apostolus non omnes homines ut Christo fidem adjungerent adduci posse, quia non omnes sint πνευματικοί, sed nonnulli ψυχικοί, qui doctrinam christianam ejusque magi-

strum, divinum spiritum, capere nequeant 1 Cor. 2, 14. Miraculo autem Deum omnes gentiles ad fidem Christo habendam aliquando compulsurum aut eos coacturum esse, ut fidem animis conciperent nullâ voce P. indicavit. Existimavit igitur, plerosque paganos suâ sponte se in Christi disciplinam tradituros esse. Verbis τοὺς πάντας v. 32. contrariam sententiam stabilire frustra coneris. Neque enim omnes omnino homines, sed omnis generis homines h. e. et Judaeos et paganos significant (cf. v. 30. et 31.). Praeterea tenendum est, prophetas quoque non omnes omnino gentiles Messiae temporibus Hierosolymas pie adituros esse censuisse, sed *plerosque* (Zach. 14, 16. — 19.). Neque recte *Gussetius*, *Wandalinus* et *Almeloveenus* apud *Wolfium*, tum *Wolfius* ipse et nuper *Michaelis* et *Olsh.* τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν *supplementum gentilium* enarrarunt: „illud, quantum quantum est, quod e gentibus desumendum destinavit Deus ad supplendum id quod deficit in oleâ mysticâ Israëlis per abscissorum ramorum rejectionem." (*Wolfius.*) Non idcirco gentiles in Dei gratiam recepti sunt, ut quum permulti Judaei a Deo defecissent piorum hominum legiones ad paucos redactae paganorum succenturiatorum, qui desertorum locum occuparent, supplemento explerentur, sed ideo Judaei a Deo obstinati redditi sunt, ut salute messianâ *gentiles* potirentur *gentiliumque exemplo Judaei* receptâ libertate postea resipiscerent (v. 11. 14. 30. — 32.). εἰςέλθῃ] De introitu in Christianorum coetum agi in propatulo est. Quare plerique εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, multi (*Chr. Fr. Schmid.*, *Rosenm.*, *Winz.* p. 12. al.) εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ (LXX. Deut. 23, 2. 3.), nonnulli (*Reich.* al.) εἰς οἶκον θεοῦ (LXX. Deut. 23, 1. 1 Tim. 3, 15.) cogitando adjecerunt. Εἰς τὴν ἐκκλησίαν τ. θ. et εἰς οἶκον θεοῦ per sententiam supplere licet, εἰς τὴν βασιλείαν τ. θ. nullo modo, quoniam formulae ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, ἡ βασ. τοῦ θεοῦ et ἡ βασ. τοῦ Χριστοῦ non *Christianorum coetum*, sed *Messiae regnum* declarant tum constituendum, quum Christus de coelo in terrarum orbem redierit (cf. not. ad Matth. p. 110. sqq.). Frustra objicitur I. Col. 1, 13. (v. *Meyer.*). Ibi enim homines christ. ex Satanae imperio vindicati et in Christi regnum translati dicuntur eatenus, quatenus per fidem peccatorum veniam adeptis civitatem in Messiae regno post Christi de coelo reditum constituendo obtinendam *sperare* licet (v. 14. Rom. 8, 24.). Sed Paulo vel εἰς τὴν ἐκκλησίαν τ. θ., vel εἰς οἶκον θεοῦ vel simile quid distincte obversatum esse mihi persuadere non possum. Credo potius apostolum Christianorum coetum locum mente concepisse, in quo ipse positus esset. Quâ cogitatione menti informatâ

Christiani tum τοὺς ἔσω (eos qui intus sunt) *sui coetus homines* et τοὺς ἔξω (eos qui foris sunt) *homines a suo coetu alienos* (1 Cor. 5, 12. 13.) sine ullâ ambiguitate se vocare censent, tum *intrare* (εἰςέρχεσθαι) eos, qui in suum coetum veniunt, *exire* (ἐξέρχεσθαι cf. 1 Joh. 2, 19., quamquam ibi est ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον) eos qui suum coetum relinquunt et Christi signa deserunt ita dicunt, ut nihil suppletum, sed hoc unum meminisse lectores velint, loqui homines *in Christi coetu* constitutos. v. 26. καὶ οὕτω] *atque ita* i. e. *et hoc facto* (i. q. et factâ gentilium catervae ad Christi sacra transitione). Cf. Hebr. 6, 15. Xenoph. Anab. 3, 5, 6. ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς, ἔφη, καίωμεν καὶ οὕτω θᾶττον παύσονται. Liv. 9, 30. Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum invitant et vino — — oneratos sopiunt: *atque ita* in plaustra somno vinctos conjiciunt ac Romam deportant. et not. ad 5, 12. (I, 298.). Non debebant hunc vocularum καὶ οὕτω usum, quo nihil certius est, addubitare *Winz.* p. 13. et *Meyerus*. Qui loci sententiam libere descripserunt pro οὕτω synonyma posuerunt τότε (*Orig.* multis locis v. c. Hom. IV. in Jer. III, 147., *Hieron.* al.) et ἔπειτα (Arm.). Non igitur haec lectionum vim habent. πᾶς Ἰσραήλ] *totus Israelitarum populus* i. e. plerique Israelitae, quibus ad Christi sacra transgressis totum Israelitarum populum resipuisse recte contendas. *Reich.*, *dW.* et *Meyerus* vocibus πᾶς Ἰσραήλ totum Israelitarum populum h. e. omnes omnino Israelitas ne uno quidem excepto dici putarunt. Verba πᾶς Ἰσραήλ hanc explicationem minime poscunt. Nam כָּל־יִשְׂרָאֵל (LXX. πᾶς Ἰσραήλ) 1 Reg. 12, 1. 2 Chron. 12, 1. et aliis l. non omnes omnino Israelitas ita ut ne unus quidem eorum exceptus sit, sed longe maximam populi isr. partem, quam non subtilissime eum vulgo loquens totum populum facere dicas complectitur. Quominus autem illis VV. doctis assentiar iis argumentis impedior, quae paullo ante posui, quum τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν non *gentilium universitatem* valere docerem. Praeterea Hebraeorum prophetae, quos P. divinitus constitutos magistros veneratus est, non omnibus omnino Judaeis, sed piis tantummodo salutem denuntiarunt neque omnes Israelitas poenitentiam acturos esse haud obscure indicarunt, v. Jes. 57, 21. 59, 20. 1, 27. sqq.. Adde quod Philo, qui spe Paullinae exspectationi simili tenetur (v. infra), non omnes omnino Judaeos poenitentiam acturos esse subindicat De exsecrationibus p. 436. infra *Mang.*. σωθήσεται] σωθήσηται Vulg., Clar., Germ., Hieron., August., Ambrosiast.. Hoc *Millio* Prol. §. 449. rectius visum est „ob praecedens aoristum εἰςέλθῃ." Is ipse Aoristus fecit, ut somnolenti librarii σωθήσηται in

codice legere sibi viderentur. Σωθήσηται suscepto hoc dicitur: ex parte populo isr. contumaciam creatam esse divinitus, *donec gentilium caterva ad Christum transierit* factaque hâc transitione totus Israelitarum populus per fidem felicitatem messianam obtinuerit, quum Judaeorum pars obstinato animo liberata et in libertatem a Deo vindicata Christi disciplinam pie susceperit. Sic v. ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰςέλθῃ primaria sunt, proxima autem vocc. καὶ οὕτω πᾶς Ἰσρ. σωθήσηται obiter adjecta sunt et mire delitescunt. At sic *post gentilium catervae ad Christi castra transitionem* totum Israelitarum populum salutem messianam per fidem consequuturum esse P. v. 26. et 27. e V. T. ostendere debuerat. Docet vero his vs. quum gentilium caterva ad Christi sacra accesserit, tum vero *toti Israelitarum populo integritatem a Deo datum iri* eandemque sententiam aliis argumentis munit v. 28. — 32.. Hinc verbis καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται primarium pondus inesse et Paulum σωθήσεται scripsisse efficitur: *partim* populus isr. a Deo obstinatus redditus est, donec gentilium caterva Christi disciplinam probaverit *atque sic totus Israelitarum populus messianam salutem* (per fidem) *adipiscetur* (v. 14.), quum Judaeorum pars contumaciâ a Deo demtâ libertatem recuperaverit et recuperatâ vivendi, ut voluerit, potestate sapienter usa Christi disciplinam pie amplexa fuerit. Uno eodemque temporis momento obstinatos Judaeos per totum orbem terrarum dispersos receptâ libertate ad Christi sacra accessuros esse P. minime putavit. Quî enim hoc fieri potuisset, nisi Deus quibus antea desipiendi necessitatem miraculo imposuisset (v. 8. — 10.), eos postea sapere portento coegisset? Enimvero obstinatos Judaeos libertatem aliquando recepturos esse et nobile gentilium exemplum homines suae potestatis factos ad imitandam paganorum fidem incitaturum esse perspicue P. indicavit (v. v. 11. cl. 31. 32.). Sed quum apostolus sollemnem Christi de coelo reditum et sempiternae vitae primordia tam prope abesse crediderit, ut Deum vitam sibi usque ad eum diem, quo Christus de coelo rediturus esset, producturum esse speraret (1 Thess. 4,17. 1 Cor. 15,50. 51. Rom. 13,11. 12.), necessario sequitur, eum *proximorum* annorum spatio et gentilium catervae et incredulorum Judaeorum ad Christi signa transitionem eventuram esse et *brevi* tempore tot paganorum et Judaeorum emendationem absolvi posse sibi persuasisse. — Quod mysterium P. ex spiritu divino audisse sibi visus est, hoc Deum jam antiquitus Jesaja interprete usum (59, 20. et 27, 9.) tecte significasse, ut tum ab homine, cui Dei consilium aliunde innotuisset, facile deprehendi posset, ex-

istimavit. *γέγραπται*] Citavit Ap. LXX. Jes. 59,20., sed paullo liberius atque ita, ut v. 27. v. *ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν* ex LXX. Jes. 27,9. adjiceret. Vide not. ad 9,33.. Jes. 59,20. de *Messia* agi P. putavit, ut LXX. et seriores Judaei. Tract. Sanhedrin f. 98,1.: R. Jochanan dixit: quando saeculum videbis, quo angustiae multae fluvii instar in Israelitas irruent, tum exspecta ipsum (Messiam), q. d. Jes. 59,19.. Sohar Num. f. 65. c. 258.: Tempore futuro Deus O. M. injuriam Israelitis illatam a gentibus repetet eosque laetitiâ Sionis exhilarabit, q. d. Jerem. 31,12.. Et tunc eveniet illud Jes. 59,20. *et Sioni veniet Goel.* Contra propheta l. c. *Jehovam eos qui resipuerint Judaeos ex exilio redemturum esse* denuntiat. Idem dicitur Jes. 27,9., ubi item de Messiae aetate exponi Ap. censuit, versu 13., ut videtur, adductus. *ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος*] Jesajas: וּבָא לְצִיּוֹן גּוֹאֵל *et venturus est Sioni liberator* (ein Retter). *Jehovah* dicitur. LXX., quos P. sequutus est: *καὶ ἥξει ἕνεκεν Σιὼν ὁ ῥυόμενος.* Retinuit Ap. v. *ὁ ῥυόμενος* (a Deo mittendus liberator, i. e. *Messias*, 1 Thess. 1,10.), sed pro *ἕνεκεν Σιὼν* (propter Sionem, h. e. ut Sionitas in libertatem vindicet) scripsit — *ἐκ Σιών*. Hanc mutationem necessariam fuisse, ut locus rem efficiendam probaret, inconsulte dixeris (*Reich.*). Nam hanc sententiam in P. causam quadrare apparet: prodibit servator *ut Sionitas liberet* et primo *paucis* (v. 26.); deinde *omnibus Sionitis* (v. 27.) integritatem comparabit. Librariorum culpâ, qui *ἐκ*, compendium vocis *ἕνεκεν* non intellexissent, h. l. *ἐκ* ex *ἕνεκεν* factum esse (*Beza*, *Estius*, *Kopp.* al.) vel propterea credi nequit, quod omnia subsidia *ἐκ* Paulo vindicant. Temere etiam in LXX. translatione Pauli auctoritate *ἐκ* scribas pro *ἕνεκεν* (*Vitringa*). Nullum enim lectionis מִצִּיּוֹן vestigium Jes. l. c. exstat. Neque *memoriae vitio* apostolum *ἐκ Σιὼν* pro *ἕνεκεν Σιὼν* scripsisse concedimus (*Chr. Fr. Schmid.*, *Meyer.* al.). Nam primo quidem minime consentaneum est, Paulum V. T. locum, quem augustum mysterium aperire credidisset, saepe lectum diligenterque examinatum vel memoriâ non tenuisse, vel si e memoriâ excessisset non evolvisse. Deinde illa suspicio magno artificio refellitur, quo P. testimonium e duobus Jesajae locis composuit (v. infra). Quin *ἕνεκεν Σιὼν* minus ei placuit propterea, quod Messiam *ut Sionitis opem ferret* venturum esse ex sequentibus v. satis appareret, quae Messiam primo nonnullis (v. 26.), deinde omnibus Sionitis (v. 27.) saluti futurum esse declararent. Itaque suo arbitratu *ἐκ Σιὼν* scripsit, ut sententiam acueret: exorietur servator *in populo israel.* (9,5. 33.) et primum *nonnullos*

Israelitas (v. 26.), postea *omnes* servabit (v. 27.). Paulum quum *ἐκ Σιών* poneret, ad Ps. 13,7. 52,7. LXX. *τίς δώσει ἐκ Σιὼν τὸ σωτήριον τοῦ Ἰσραήλ;* respexisse (*Vitringa*, *Beng.* al.) nullo argumento evincas. Poterat *ἐκ Σιὼν* exarare, vel si in fatis fuisse, ut in populo jud. Messias nasceretur (9,5. 33.) meminisset, non solum si in V. T. loca, in quibus *ἐκ Σιών* legeretur, intuitus esset. *ἐκ Σιών*] Non recte *Chr. Fr. Schmid.*, *Meyer.* al.: *e gente Davidicâ.* Nemo hanc gentem צִיּוֹן dixit, sed multi saepe *Hierosolyma* sic vocarunt. H. l. metropolis pro totâ civitate dicta est (9,33.) aut Hierosolymarii pro Judaeis memorati sunt. *καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ*] Jesajas: וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב (exorietur Sionitis liberator) *et iis quidem, qui in populo israelitico a peccato se averterint.* LXX., quorum v. Ap. retinuit: *καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ.* Eandem sententiam Targum Jonathan et versio arabica exprimunt. Itaque hos interpretes וְיָשִׁיב פֶּשַׁע מִיַּעֲקֹב pro וּלְשָׁבֵי פֶשַׁע בְּיַעֲקֹב legisse Viri dd. vulgo existimant (*Grot.* al.). Quod mihi persuadere non potui et quoniam ista lectio a vulgatâ scripturâ longius recedit et propter Jonathanis translationem. Non verisimilior est *Vitringae* opinio, qui illos interpretes vulgatam lectionem, quam sic explicuissent: et iis quidem, qui in populo isr. a peccato se averterint (np. *adjuvante Messia*) libere sic convertisse putavit: et peccata (Messias) amovebit ab Jacobitis. Imo hoc illi legisse videntur וּלְשׁוּב פֶּשַׁע בְּיַעֲקֹב, quod sic cepissent: et eo quidem fine liberator prodibit, ut recedant (et quasi se recipiant) peccata in populo isr.. Vide mihi Jonathanis versionem: וְיֵיתֵי לְצִיּוֹן פָּרִיק וּלְאָתָבָא מְרוֹדַיָּא דְבֵית יַעֲקֹב לְאוֹרַיְתָא: *et veniet Sioni liberator, nempe ut convertat rebelles Jacobitarum ad legem.* Quamquam Jonathan fortasse verbo שׁוּב activam vim subjecit (i. q. הָשִׁיב) et *peccatum* pro *peccatore* (פֶּשַׁע pro פֹּשֵׁעַ) sumsit. Utcunque est, P. non quod verba hebraica suae causae obstreperent textum hebraicum nihil curavit, sed quoniam *toto* loco alexandrinos interpretes sequi statuerat, idcirco eorum verba hic quoque descripsit. Nimirum e verbis hebr. (*καὶ τοῖς ἐπιστρέψασιν ἐξ ἀσεβείας ἐν Ἰακώβ*) *τὴν τῆς ἐκλογῆς* (v. 7.) *πίστιν καὶ σωτηρίαν* efficere non minus Paulo licuerat (exsistet Sioni servator, *h. e. iis qui in populo isr. resipuerint* = *τῷ λείμματι* v. 5. s. *τῇ ἐκλογῇ* v. 7.), quam ex LXX. verbis illam demonstravit. Vocabulis, de quibus hactenus dictum est, Ap. hanc sententiam subjecit: *prodibit* (a Deo missus in medium procedet, inepte *Rueck.* ed. 2. *de caelo revertetur!*) *ex Judaeis ortus liberator* et (per apostolorum institutionem) *avertet aliqua impie facta* (*ἀσεβείας*, non *τὰς ἀσεβείας*) *ab Jacobitis*, quum

nempe effectum reddet, ut *delecti* Jsraelitae (v. 5. 7.) doctrinâ div. auditâ et probatâ serventur. Sed Jesajam magnum illud mysterium nobis aperuisse P. non docuisset, nisi illum etiam *παντὶ Ἰσραήλ* salutem messianam portendisse (v. 25. *καὶ οὕτω πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται*) simul ostendisset; Hoc Jesajam utique fecisse Ap. versu 27. ingeniose demonstravit. — Jesajas 59, 21. וַאֲנִי זֹאת בְּרִיתִי אוֹתָם *et quod ad me attinet hoc meum est cum iis faciendum foedus.* LXX. et Paulus: *καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη. ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη*] *quod a me proficiscetur foedus.* Cf. Eurip. Alcest. 70. *κοὐθ' ἡ παρ' ἡμῶν σοὶ γενήσεται χάρις*" *δράσεις θ' ὁμοίως ταῦτ' ἀπεχθήσει δ' ἐμοί.* Arrian. Exped. Alex. 5, 18, 10. — *καὶ ἀκοῦσαι τῶν παρ' Ἀλεξάνδρου λόγων* (ubi v. *Ellendt.*). Aristoph. Thesmoph. v. 1170. *τὰ μὲν παρ' ἡμῶν ἴσθι σοι πεπεισμένα.* et not. ad Marc. p. 182.. Inepte multi (*Grot.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Boehm.*, *dW.* al.) *τὴν διαθήκην promissum* explicuerunt. Non intellexerunt, *τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ διαθήκην* Paulo judice *foedus* dictum esse *per Messiam cum Judaeis feriendum*, *τὴν καινὴν διαθήκην* 1 Cor. 11, 25. 2 Cor. 3, 6.. Ultima v. *ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν* Ap. ex LXX. Jes. 27, 9. *ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ* (*τοῦ Ἰακώβ*) *τὴν ἁμαρτίαν* depromsit, non propterea, quod cetera verba Jes. 59, 21. ad suam causam nihil facere sensisset (! *Rueck.*: cf. infra), neque per memoriae errorem (*Boehm.*, *Reich.*), sed consulto et cogitato, ut binis Jesajae locis enunciatum mysterium quantâ fieri posset orationis et perspicuitate et subtilitate conciperetur (v. infra). *Αὐτῶν* (pro *αὐτοῦ*) propter *αὐτοῖς* ponendum erat, *τὰς ἁμαρτίας* autem (pro *τὴν ἁμαρτίαν*) scriptum est, ut Pluralis *τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν* ad *ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ* acute referretur. Temere *Calvinus* versu 27. locum Jerem. 31, 31 — 34. (cf. Hebr. 8, 10. 10, 16. 17.) afferri dixit, quum v. a P. citata ibi non legantur. Enimvero vocc. *καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη* syllabatim ex Jes. 59, 21. repetita sunt, ultimorum autem verborum *ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν* sedem esse locum Jesajae 27, 9. tum inde patet, quod re partim invitante partim flagitante *τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν* positum est, tum ex eo cognoscitur, quod Jes. 27, 9. ante *ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν* haec leguntur *καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ εὐλογία αὐτοῦ*, verba cum vocabulis Jes. 59, 21. *καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη* sensu et structurâ congruentia. Superest, ut de versus 27. constructione et sententiâ disputetur. Vox *αὕτη* verbis *ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν* exponitur. Pronomen demonstrativum *οὗτος* non solum Substantivo quod sequitur accuratius constituitur (Eur. Hippol. 426. *μόνον δὲ τοῦτό*

φασ' ἁμιλλᾶσθαι βίῳ,| γνώμην δικαίαν κἀγαθήν, ὅτῳ παρῇ. 1 Joh. 2,25. καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐπαγγελία ἣν αὐτὸς ἐπηγγείλατο ἡμῖν, τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, ubi explicatio ad Pronomen relativum accommodata est, cf. Phil. 3, 18.), verum etiam integris sententiis illustratur, quae vel Accusativum cum Infinitivo habeant (Eur. Alc. 557. καὶ πρὸς κακοῖσιν ἄλλο τοῦτ' ἂν ἦν κακόν, | δόμους καλεῖσθαι τοὺς ἐμοὺς ἐχθροξένους.) vel a conjunctionibus ἵνα, ἐὰν, ὅταν, ὁπόταν ducantur. Joh. 17,3. αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωή, ἵνα γινώσκωσι σὲ, τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν —. *hic* est sempiternae vitae fons, *ut te cognoscant* —. 15,8. ἐν τούτῳ ἐδόξασθη ὁ πατήρ μου, ἵνα καρπὸν πολὺν φέρητε —. *per hoc* pater meus honorem adeptus est *ut multos fructus feratis.* 3 Joh. 4. Μειζοτέραν τούτων οὐκ ἔχω χαράν, ἵνα ἀκούω τὰ ἐμὰ τέκνα ἐν ἀληθείᾳ περιπατοῦντα. *his* nulla major mihi laetitia est, *ut audiam* etc. 1 Joh. 3,23. καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ, ἵνα πιστεύσωμεν τῷ ὀνόματι τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ —. et *hoc* ejus praeceptum est, *ut fidem adjiciamus* etc. Adde 1 Joh. 3,11. 4,17. 21. 2 Joh. 6.. Praeivit Homerus Il. 5,564. τοῦ δ' ὤτρυνεν μένος Ἄρης, | τὰ φρονέων, ἵνα χερσὶν ὑπ' Αἰνείαο δαμείη. 1 Joh. 2,3. καὶ ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτόν, ἐὰν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν. *per hoc* nos eum satis nosse intelligimus, *si ejus praecepta facessamus.* 1 Joh. 5,2. ἐν τούτῳ γινώσκομεν, ὅτι ἀγαπῶμεν τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ, ὅταν τὸν θεὸν ἀγαπῶμεν —. *per hoc* nos Dei filios diligere cognoscimus, *quando Deum diligamus.* LXX. Jes. 27,9. καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ εὐλογία αὐτοῦ, ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν. *hoc*, quod Jacobitis destinavi, beneficium est, *quando eorum peccata sustulero.* Lucian. Imag. c. 11. τὸ δ' ἐντελές, οἶμαι, κάλλος τοῦτο ἐστιν, ὁπόταν ἐς τὸ αὐτὸ συνδράμῃ ψυχῆς ἀρετὴ καὶ εὐμορφία σώματος. Nunc nostrum l. sic capiendum esse elucet: et *hoc* iis meum foedus erit, *quando eorum peccata abstulero* h. e. quando eorum peccata condonavero, *hoc*, *quod eorum delictis veniam concessero*, *iis meum foedus erit* i. q. meum foedus in commissorum peccatorum veniâ iis dandâ cernetur, delictorum condonatio foederis mei, quod cum iis pangam, fructus iis erit (v. not. ad Marc. p. 86.). Jam Jesajam verbis v. 27. *totius Israelitarum populi pietatem et salutem* ominatum esse P. putavit. Nam et foedus eum cum populo isr. Messiae interventu feriendum denuntiasse et hujus foederis fructum non *aliquorum* impie factorum (ἀσεβειῶν) veniam, sed *peccatorum quae Israelitae patrassent* (τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν)

condonationem fore dixisse. Atqui *peccata ab Israelitis commissa* tum demum condonata esse, quum *totus* Israelitarum populus delictorum veniam adeptus fuerit, ut jam nulla flagitia supersint, quorum venia Israelitis danda sit. Utique igitur Jesajam *toti* Israelitarum populo integritatem et salutem denuntiasse per Messiam aliquando obtinendam. *De Wettius*, quum v. *καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη* parenthesi, opinor, inclusa ad praecedentia vocc. *ἥξει ἐκ Σιὼν ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ* inscite rettulisset, verba *ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν* non solùm superflua, sed etiam inepta esse, quia hanc in orbe versantem (imo absurdam) sententiam praebeant: servator impie facta ab Jacobitis *avertet*, *quum eorum peccata abstulerit* (!) observavit, V. D. neque constructionem perspexit, neque quidnam Paulo hîc e V. T. demonstrandum esset vidit, neque Pauli acumina assequutus est, sed quum pro insitâ levitate hîc quoque festinaret talpâ caecior fuit. Nunc quomodo P. Jesajae loca explicuerit operae pretium est cognoscere. Totum mysterium loco Jes. 59,20. 21. LXX. contineri existimavit: v. 20. *καὶ ἥξει ἕνεκεν Σιὼν ὁ ῥυόμενος καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ εἶπε κύριος*. V. 21. *Καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη, εἶπε κύριος· τὸ πνεῦμα τὸ ἐμόν, ὅ ἐστιν ἐπὶ σοὶ καὶ τὰ ῥήματά μου, ἃ ἔδωκα εἰς τὸ στόμα σου, οὐ μὴ ἐκλίπῃ ἐκ τοῦ στόματός σου καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ σπέρματός σου καὶ ἐκ τοῦ στόματος τοῦ σπέρματος τοῦ σπέρματός σου εἶπε κύριος ἀπὸ τοῦ νῦν καὶ εἰς τὸν αἰῶνα.* Versu 20. *delectorum Israelitarum* (*τῆς ἐκλογῆς*) salutem portendi censuit. Nam *impie facta* (*ἀσεβείας*, Sünden) ab Jacobitis averti aut Jacobitarum delicta minui, si nonnulli Israelitae per fidem integritatem et peccatorum veniam consequantur. *Totius* Israelitarum populi fidem et pietatem versu 21. ab Jesaja denuntiari P. sibi persuasit. Foedus enim per Messiam cum Judaeis componendum in eo ab Jesaja poni, quod divinus spiritus aequalium suorum posteris semper affuturus sit et Jehovae praeceptorum nunquam non ii memores futuri sint. Atqui divinum spiritum iis dari, qui *fidem* animis conceperint (Act. 10,45. Gal. 3,2.) neque perpetuam divinorum praeceptorum reverentiam nisi in homines integritatem per fidem adeptos et pios cadere. Manifestum igitur esse, Jesajam v. 21. *totius* Israelitarum populi emendationem vaticinatum esse. Sed quum idem ab Jesaja alio l. 27,9. luculentioribus verbis denuntiari credidisset: *διὰ τοῦτο ἀφαιρεθήσεται ἡ ἀνομία Ἰακὼβ καὶ τοῦτό ἐστιν ἡ εὐλογία αὐτοῦ, ὅταν ἀφέλωμαι αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν* —. atque vidisset, ex utroque l. testimonium contexi posse quod suâ

perspicuitate et acumine lectorum animos percelleret, hoc faciendum sibi esse putavit. Sic igitur disseruit. Quod mysterium de *toto* Israelitarum populo per fidem non minus olim beando, quam delecti Israelitae per eam salutis spem jam consequuti sunt, vobis enuntiavi, Jesajas propheta his v. aperuit: veniet ex Israelitarum populo servator (Messias) et avertet *aliqua* peccata ab Jacobitis (his verbis *delectorum Israelitarum* v. 5. 7. fides et pietas, ut facile intelligitis, portenditur) et foedus quod a me proficiscetur per Messiam cum iis faciendum in *peccatorum, quae Jacobitae commiserint*, veniâ cernetur (his vocabulis *omnium* scelerum, quae Jacobitae fecerint, condonationem atque adeo *totius* Israelitarum populi integritatem et salutem promitti [v. 26. πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται] quotusquisque tam hebes est, quin intelligat?). — Hunc Pauli locum et insulsa Theologorum commenta peperisse et miseris Judaeis acerbissimas vexationes creasse historia docet. Has vero res alieno loco hîc persequerer. Est potius h. l. brevis studiorum, quibus interpretes ducti sunt, historia contexenda et apostoli sententia examinanda. Graeci interpretes Paulum toti Judaeorum genti salutem messianam h. l. ominari fide aliquando obtinendam intellexerunt (*Orig.*, *Chrys.*, *Theophyl.*, *Oec.*), quamquam in totius rei expositione alia ab aliis peccata commissa sunt. Sic nonnulli (v. *Theodoretum*) moti loco Matth. 17,11. Eliam ex inferis excitatum Judaeos edocturum et emendaturum esse contenderunt, quam Pauli opinionem fuisse nihil indicio est. *Origenes* commentar. in Matthaeum tom. XVII. (III, 771. sq.) πάντα Ἰσραὴλ non nisi eos Judaeos, qui perspicaces veri et ad concipiendam fidem idonei futuri essent complecti dixit. *Chrys.*, *Theophyl.*, *Oec.* quoniam Pauli oraculo eventus nondum respondisset Deum aliquando id ad effectum adducturum esse existimarunt. Usque ad sacrorum emendationem, *Chrysostomi* explicatio valuit et longe plerisque probata est. Tum vero ei in *Lutheranorum* coetu *Lutheri*, qui sub vitae finem de Judaeorum, in quibus nihil humani esse sibi persuasisset, salute desperavit, judicium *), apud Reformatos *Calvini* au-

*) *B. Lutherus* in praefatione libri Vom Schem Hamphoras Opp. Jenens. T. VIII. p. 119. (vulgo male citant p. 109. a *Calovio* ad h. l. p. 193. decepti) his v. in Judaeos invectus est: „— Also schreibe ich euch von den Jüden. Denn ein Jüde oder Jüdisch Hertz ist so stock- stein- eisen- Teufel hart, das mit keiner Weise zu bewegen ist. Wenn Mose kéme mit allen Propheten u. theten alle Wunderwerk für jren Augen, das sie sollten jren harten Sinn lassen, wie Christus u. die Apostel für jnen gethan haben, so wäre es doch umbsonst. Wenn sie auch so grewlich gestrafft würden, das die Gassen vol Bluts rönnen, das man jre Todten nicht mit hundert tausent, sondern mit zehen hundert tausent rechnen u.

auctoritas nocuit, qui πάντα Ἰσραήλ perperam ad τὸν Ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ rettulit (v. infra). Nihilominus et in Reformatorum coetu a praestantissimis interpretibus defensa est, v. c. *Beza*, *Piscatore*, *Turrettino*, et in *Lutheranorum* ecclesiâ a celeberrimis viris retenta, v. c. a *Melanthone* ad h. l. *), *Hunnio*, *G. Calixto*, *Spenero*, *Bengelio*, *Heumanno*, aliis. Recentissimi explicatores in eâ interpretatione fere consentiunt (*Chr. Fr. Schmid.*, *Kopp.*, *Flatt.*, *Morus*, *Boehm.*, *Koelln.*, *Reich.*, *Meyer*, *dW.* al.): de eo dissentiunt, utrum populi judaici ad Christianorum sacra transitus Paulo auctore nunc quoque nobis sperandus sit, an rei a P. denuntiatae spes abjicienda. Posteriorem sententiam veram esse, quandoquidem P. gentis judaicae emendationem ante Christi de coelo reditum h. e. brevi proximorum annorum intervallo futuram esse putaverit, pauci VV. DD. vel intellexerunt, vel ingenue fateri ausi sunt (*Koelln.*, *Reich.*, *dW.*). Nunc eorum commenta videamus, qui quoniam populi judaici ad sacram Christianorum societatem accessio ipsis incredibilis visa est, *Chrysostomi* interpretationem repudiarunt. *Gro-*

---

zelen müßte, wie zu Jerusalem unter Vespasian u. zu Bittor unter Adriano geschehen ist, dennoch müssen sie recht haben. Wenn sie auch uber diese 1500 jar noch 1500 jar sollten im Elende sein, dennoch muß Gott ein Lügener, sie aber warhafftig sein. Summa, es sind junge Teufel zur Hellen verdampt. Ist aber noch etwa was menschlichs in jnen, dem mag solch schreiben zu nutz u. gut komen. Vom gantzen Hauffen mag hoffen wer da wil. Ich habe da keine Hoffnung, weis auch davon kein Schrifft. Können wir doch unser Christen den grossen Hauffen nicht bekeren, müssen uns am kleinen Heufflin genügen lassen. Wie viel weniger ists müglich, diese Teufelskinder alle zu bekeren. Denn das etliche aus der Epistel zun Römern am 11. Cap. solchen Wahn scheppfen, als solten alle Jüden bekeret werden am Ende der Welt, ist nichts. S. Paulus meinet gar viel ein anderes." Non honorificentius *Lutherus* de Judaeis judicavit libro Von den Jüden und jren Lügen ibid. p. 54—117., in quo principibus ut in Judaeos saevirent suasit: p. 112. „Unser Oberherrn, so Jüden unter sich haben, wündsche ich u. bitte das sie eine scharffe Barmhertzigkeit wolten gegen diese elenden Leute uben, wie droben gesagt." p. 103. — Ich wil meinen trewen Rat geben." p. 109. Erstlich, das man jre Synagoge mit Fewer verbrenne u. werffe hiezu wer da kan Schwefel u. Pech; wer auch hellisch Fewer kündte zuwerfen, were auch gut —. p. 103. Zum andern, das man auch jre Heuser desgleichen zubreche u. zerstöre. Denn sie treiben eben dasselbige drinnen, das sie in ihren Schulen treiben. — Zum dritten, das man ihnen neme alle jre Betbüchlein u. Thalmudisten — Zum Vierden, das man jren Rabbinen bey Leib u. Leben verbiete, hinfurt zu leren." u. s. w.

*) Ab hoc quidem dubitanter: „Addit vaticinium de conversione Judaeorum, quod *fortasse* ita intelligendum est, futurum, ut subinde usque ad finem mundi aliqui ex Judaeis convertantur. *Nescio enim an hoc velit, restare adhuc aliquam conversionem magnae multitudinis circa finem mundi.* Sed quum sit mysterium, Deo committamus."

tius, *Limborch.*, *Wetsten.* al. Pauli praedictionem jam dudum eventu comprobatam esse judicarunt. Notare enim τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν magnam gentilium catervam apostolorum studiis ad Christi sacra adductam Rom. 15, 19. Col. 1, 23. et πάντα Ἰσραήλ *magnam Judaeorum turbam*, quam eversâ republicâ et exciso templo ad Christum accessisse. Nempe μυρίους ἐκ περιτομῆς imperante Trajano ad Christi fidem transiisse auctorem esse Eusebium H. E. 3, 35.. Verum enimvero τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν plerosque gentiles et πᾶς Ἰσραήλ longe maximam Judaeorum partem Paulo declarat (lege interpretationem nostram). *Theodoretus*, *Calvinus*, *Osiander*, *Dannhawerus*, nuper *Paulus* hoc ab apostolo dici opinati sunt; indurasse Deum Judaeorum partem donec gentilium caterva ad Christi sacra transiisset: tum veros Israelitas (h. e. pios homines, sive Judaei sive gentiles olim fuerint Gal. 6, 16.) omnes salutem messianam consequuturos esse. Primo hi nihil lucrati sunt. Nam factâ τοῦ πληρώματος τῶν ἐθνῶν ad Christi disciplinam transitione contumaces Judaeos animi obstinationem depósituros et Christo fidem adjecturos esse Paulum verbis πώρωσις ἀπὸ μέρους τῷ Ἰσραὴλ γέγονεν ἄχρις οὗ τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰςέλθῃ perspicue indicasse concedere debent (v. *Theodoretum* et *Calvinum*). Deinde v. πᾶς Ἰσραήλ perverse explicuerunt. Licet verorum Israelitarum h. e. piorum et qui Christo fidem habuerint hominum notionem formulis nemini ambiguis ὁ Ἰσραὴλ τοῦ θεοῦ Gal. 6, 16. et ὁ Ἰσραὴλ κατὰ πνεῦμα 1 Cor. 10, 18. efferre, unâ voce Ἰσραήλ, nisi cohaerentia vocis vim clare monstret, illam enuntiare non licet. Atqui toto capite de Jacobi posteris h. e. de populo judaico disputatur. Inepte autem illi πᾶς Ἰσραήλ de verorum Israelitarum universitate ceperunt, quum πᾶς Ἰσραήλ v. 26. τῷ Ἰσραὴλ ἀπὸ μέρους v. 25. (gentis judaicae *parti*) opponatur (v. supra). Denique, ne plura adjiciam, verba v. 26. πᾶς Ἰσραὴλ σωθήσεται Paulo valuisse *totus Judaeorum populus messianam beatitatem consequetur* e paullinâ sacrae vocis interpretatione (v. 27.) et ex vs. 28 — 32. cognoscitur, quibus argumenta exponuntur, quibus fretus recte speres fore ut *tota Judaeorum gens* per fidem beetur. *Melanthon*, *Calovius* al. futurum esse, ut subinde usque ad finem mundi aliqui ex Judaeis Christi sacra suscipiant (!) hîc dici sibi persuaserunt. Nempe hunc locum sic explicuerunt: populus israeliticus ex parte obduruit, donec gentilium caterva ad Christi sacra accesserit i. e. usque ad finem mundi (itaque usque ad hoc tempus populi judaici pars in contumaciâ perseverabit, neque nisi pauci subinde Judaei in Christi disciplinam se tradent!); quo facto omnes *probi*

et a Deo delecti Israelitae salutem consequentur (*Calov.*): tum omnes Israelitae salutis participes fieri *poterunt* (*Carpzov.*, *Semler.*, *Cramer.*).!! — Facilius quidnam effecerit, ut P. mysterium quod h. l. aperuit mente comprehenderet docueris, quam sententiae paullinae veritatem demonstraveris. Hausit eam P. ex judaicâ disciplinâ. Plerosque gentiles fide Christo habitâ beatos fore (*τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν εἰςελεύσεσθαι* v. 25.) ex iis V. T. oraculis, quae paganos Messiae temporibus Jehovam Hierosolymis adoraturos esse portenderent (v. c. Ps. 72,11. Zach. 14,16.), ei satis certum visum est. Multo minus dubitare potuit, quin populus judaicus per fidem salutem messianam aliquando consequuturus esset. Nam et diligere Deum Judaeos propter patriarchas et numen divinum, quod datam fidem fallere nequeat, Abrahami posteris messianam felicitatem pollicitum esse firme credidit (v. 28. 29. 15,8.). Fecit Jehovah foedus non solum cum Abrahamo, sed etiam cum ejus posteris iisque Palaestinam se concessurum esse pollicitus est Genes. 17,7. sq.. Israelitis Deum, quippe icti foederis memorem, propitium futurum esse, quum resipuerint et Deos pro Deo colere desierint Moses affirmat Deut. 4,29 — 31.. Item prophetae Israelitas quum a virtute majorum degeneraverint postremo ita ad bonam frugem redituros esse, ut emendati summis beneficiis a Deo cumulentur multis locis denuntiant Jerem. c. 31. Ez. 37,21. sq. 39, 25. sq. Hos. 3,5. Jes. 10,21. sq. Neque Pauli spes eo concussa est, quod perpaucos Judaeos ad id locorum resipuisse vidit v. 7.. Credidit enim, Deum optimum maximum, ut Judaeis et gentilibus pariter consuleret, sapientissime hanc rationem ingressum esse, ut gentiles beaturus multo maximam Judaeorum partem induraret (v. 7. et 11.), quae receptâ libertate salubri piorum paganorum exemplo mota et ipsa Christo fidem habitura esset v. 30 — 32.. Hoc enim Moses portendisse ei visus est Deut. 32,21. Rom. 10, 19. 11,14.. Postremo quod ipse speravit Jesajam 59,20. 27,9. denuntiasse sibi persuasit (v. 26. et 27.). Sic factum est, ut in mysteriis, quae divinus spiritus sibi aperuisset, hoc numeraret, fore ut populus judaicus tum se ad Christi sacra pie transferret, quum gentilium caterva se ad Christianorum societatem applicuisset *). Virum summum opi-

*) Simili spe, quam ei Veteris Test. disciplina fecisset, Philo Judaeus ductus est. Putavit enim (De exsecrationibus II,435. sq. Mang.) Judaeos per totum terrarum orbem dispersos subito poenitentiam acturos esse emendatosque Deum uno die non sine miraculo in patrias sedes ita restituturum esse, ut iram suam in eorum vexatores convertat.

nio fefellit. Jam dudum enim tempus exiit, quo populi judaici ad sacra christ. transitionem eventuram esse putavit. Nam proximis annis neque Christus de caelo reversus est, neque priusquam hoc fieret Judaeorum populus sapere didicit. Frustra objicitur, quamquam P. *de tempore* erraverit, tamen ejus oraculum fide dignum esse: nam tempus, quo Messias de caelo in terram rediturus esset, quemquam scire Deum noluisse. Matth. 24,36. Act. 1,7. (*Meyerus.*). Sane *dies*, quo Messiae sollemnis de caelo in orbem terrarum expeditio facienda esset, nemini innotuit Matth. 24, 36.. Sed eam *priusquam sui aequales interissent* futuram esse certo scire servator Matth. 24,34. et Paulus Rom. 13, 11. 1 Cor. 15,51. 1 Thess. 4,15. sq. sibi visi sunt. Speciose dixeris, necessarium fuisse, ut Deus Paulum de tempore errare pateretur. Cavendum enim fuisse, ne priusquam homines christiani sapere et summam felicitatem in animi pietate mentisque actuosâ immortalitate ponere didicissent intempestive eorum opinio de Messia paullo post summâ cum pompâ de caelo venturo, extremum judicium magnifice commissuro et splendidum regnum conditaro Matth. 25,31. sqq. 1 Thess. 4,15. sqq.) everteretur. Sed quod P. denuntiavit neque per se valde credibile est neque idoneis argumentis ab eo firmatum. Quum de omnibus rebus non eadem omnium hominum sententia sit, tum de rebus divinis summa semper fuit semperque erit opinionum discrepantia, ut plerosque gentiles Christi disciplinam probaturos totumque populum israeliticum Christo fidem adjecturum esse non admodum verisimile sit. Scite *Wetstenius*: „Ex hoc loco quidam probare voluerunt, magnam Judaeorum ad Christum conversionem adhuc exspectandam esse. At non magis hinc probatur, omnes Judaeos conversum iri, quam omnes gentes ex comm. 25.. Deinde neque cum naturâ hominis neque cum indole doctrinae Christi consistit, ut talem mutationem speremus. Scimus, quid hactenus argumenta pro veritate doctrinae Christi effecerint, nimirum *quosdam credidisse*, *quosdam non credidisse*. Nec nova sperare possumus." Sed fingamus, plerosque tum gentiles tum Judaeos aliquando Christo fidem habituros esse. Num idcirco consentaneum est, aut eos omnes aut saltem eorum plerosque tam firmâ, tam constante, tam piâ fide futuros esse, ut iis sempiterna felicitas recte impertiatur (cf. v. 32.)? Permagnus nunc hominum qui Christo crediderint numerus est: sed recte aut ut sana ratio poscit, firme, et pie aut ita credentium ut fidei sinceritatem vitae sanctitate probent mira paucitas est. Adde Judaeorum ingenium, qui Christianorum dogmata de trinitate, de divinâ

Christi majestate, de Messia virginis filio, de integritate per *fidem* obtinendâ semper partim ut absona riserunt, partim ut impia et blasphema detestati sunt. Exime e Christianorum Theologiâ haec dogmata: quin etiam omnibus iis placitis sublatis, quae per extraordinariam Dei institutionem in nostram notitiam venisse creduntur, doctrinam christianam ad paucissima monotheismi et disciplinae morum capita, quae humana ratio et suâ virtute eruat et eruta suis contenta viribus amplexetur, revoca; minime sic efficies, ut Judaei Mose deserto Christum magistrum sectentur. Maxima pars hominum quum alibi tum in divinis rebus mira, inusitata et horribilia suspiciunt: adstupent oraculis, portentis, mysteriis. Ita fieri non poterit, quin Judaeorum plebs tam nudam, tam inopem initiisque tam destitutam disciplinam contemnat: contra qui se doctos liberaliusque institutos esse putabunt Judaei nihil causae esse dicent, cur sua instituta deserant. Nam iisdem artificiis, quibus christiani Theologi quaecunque ipsis in mentem venissent e N. T. eruere soliti sunt, absolutum monotheismum et perfectam morum disciplinam V. T. libris contineri docti Judaei demonstrabunt. Superest, ut Pauli argumenta ponderemus. Homines Titio impense favent aliis temere neglectis, quoniam Sempronium patrem valde dilexerunt 2 Sam. 9, 7. et 10.; sanctissimum numen sempiternam felicitatem dispensaturum omnibus hominibus aeque prospiciat necesse est. Quamobrem Deum Judaeis pietatem vitamque aeternam decrevisse, *quoniam patriarcharum posteri essent* (v. 28. et 29.) difficile est ad credendum. Imo haec opinio ex judaicâ disciplinâ profluxit, quae Deum partium studio ductum Abrahamidis injuste favere, paganos inique negligere finxit Matth. 3, 9.. Inopes homines, quoniam omnibus egenis simul satisfacere nequeunt, ut alterius adversas res sublevent alterius miserias negligere coguntur. Dei non tam curta supellex est, ut maximam Judaeorum partem obdurare et ad concipiendam fidem ineptam reddere debuerit, ne gentiles ad Christi disciplinam adducendi occasio deficeret (v. 7. 8. 11. 30.). Nolo enim ea repetere quae supra ad v. 11. monui. Gentilium pietatem nullâ Judaeos curâ et sollicitudine affecisse historia docet (v. 31. 14. 10, 19.) estque res ejusmodi, ut per se parum verisimilis videri possit (v. not. ad v. 11.). Sic sententiam vs. 32. ante dictis minime fundatam esse apparet. Neque Jesajae locis 59, 20. 27, 9. argute in alienam sententiam detortis mysterium fulcitur (v. 26. et 27.). Adde quod mysterii partem codicis sacri testimonio firmare P. neglexit: populi judaici ad Christi sacra transitionem *tum*

eventuram esse, *quum gentilium caterva Christi disciplinam susceperit* v. 25. 26.. Sunt nunc interpretes, qui alicujus licet tenuis orthodoxiae famam se collecturos opinentur, si nunc quoque nobis licere per Pauli verba et disputationem gentis judaicae ad Christi disciplinam accessionem exspectare concesserint. Non reputant, Pauli sententiam *totam* nobis aut probandam aut rejiciendam esse inepteque eam in particulas discerpi, quarum alterâ divina veritas, alterâ humanus error contineatur. Quare illos Paulum sequutos non solum gentis judaicae ad Christi sacra transitum sperare, verum etiam ita existimare decuerat: *quoniam gentilium caterva nondum ad Christi disciplinam accesserit Judaeos etiamnum in divinitus iis immissâ contumaciâ persistere, ut Christo fidem habere nequeant ineptusque sit, qui antequam τὸ πλήρωμα τῶν ἐθνῶν ad Christi castra transierit eos ad doctrinam christianam adducere conetur*, quod vix dicturi, certe non credituri sunt. Quamquam ne hâc quidem opinione rei veritatique satisfeceris, quandoquidem P. plerorumque et gentilium et Judaeorum emendationem intra breve proximorum annorum spatium exspectavit (v. supra). Mea orthodoxia veri amore et professione nititur. Itaque eam sententiam, quam Pauli loco saepe lecto diligenterque excusso veram esse cognovi; ingenue exponendam putavi. In summâ re mihi cum *de Ammone* Exc. J., *Reichio* et *Koellnero* convenit.

Fulcit nunc P. mysterium suum argumentis e divinorum institutorum et consiliorum contemplatione haustis v. 28 — 32.. Non incredibilis, inquit, vobis totius populi judaici ad Christi sacra accessio v. 25 — 27. videbitur haec v. 28 — 32. reputantibus. Asyndeto in exponendo et demonstrando locum esse constat (v. Gal. 2,15. et not. ad 8, 16. p. 142.). Οὖν post μέν v. 28. (10. 31. 73.), quod *Colinaeus* et *Beza* ed. 3. 4. 5. in ordinem receperunt, ab iis invectum est, qui, ut nuper *Reich.* et *Rueck.*, Paulum v. 28 — 32. ante dicta v. 1 — 27. summatim complecti falso credidissent. Poterat inflatis (v. 18. 19.) gentilibus Judaeorum salus desperata videri propterea, quod Deo invisi essent, quippe per divinitus effectam contumaciam ab evangelio, salutis fonte, depulsi (v. 7. 8.), neque consentaneum esset Deum in eos summa ornamenta conferre quos odisset. Huic dubitationi sic P. occurrit. Odit Deus, inquit, nunc Judaeos eosque a Christi disciplinâ arcet, quoniam *vestrae* saluti providere constituit v. 11.; at diligit eos ut patriarcharum ab se delectorum posteros. (Itaque quod exprompsit odium, quum Judaeos ab se induratos ad Christi disciplinam hucusque non admitteret, idcirco in eos con-

cepit, quoniam *vobis* consulere voluit [absurde igitur Judaeos contemneretis], benevolentia autem, quam in eos ut patriarcharum posteros habet, eo valebit, ut posthac iis non minus prospiciat quam vobis prospexit,). *κατὰ τὸ εὐαγγέλιον — κατὰ τὴν ἐκλογὴν*] *quod ad evangelium, quod ad delectum attinet.* Herodot. 1,49. *κατὰ δὲ τὴν Ἀμφιάρεω τοῦ μαντηΐου ἀπόκρισιν οὐκ ἔχω εἰπεῖν ὅ,τι τοῖσι Λυδοῖσι ἔχρησε, ποιήσασι περὶ τὸ ἱρὸν τὰ νομιζόμενα.* Soph. Oed. R. 1080. *Εἴπερ ἐγὼ μάντις εἰμὶ | καὶ κατὰ γνώμην ἴδρις —.* Demosth. pro Coronâ 300,11. *Reisk. ἐν οἷς ἅπασιν, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κατά γε ὑμᾶς* (male *Reisk. ὑμῶν*) *ὀρθῶς ἐφάνησαν ἐγνωκότες.* Male *Griesb.*, *Knapp.* al. post *τὸ εὐαγγέλιον* et *τὴν ἐκλογήν* virgulâ interpunxerunt. *κατὰ μὲν τὸ εὐαγγέλιον ἐχθροὶ δι' ὑμᾶς*] Subjectum faciunt *οἱ Ἰσραηλῖται*, quorum notio Pronomini *αὐτοῖς* et *αὐτῶν* v. 27. inest. Adjectivum *ἐχθροί passivam* vim habere (5,10.) ex voce oppositâ *ἀγαπητοί* elucet. Postremo *Deum* eum esse, cui Israelitae et invisi et grati esse dicantur non solum res docet, sed etiam v. 29., ubi posterius v. 28. membrum firmatur (*κατὰ μὲν τὸ εὐαγγέλιον ἐχθροί εἰσι τ ῷ θ ε ῷ δι' ὑμᾶς, κατὰ δὲ τὴν ἐκλογὴν ἀγαπητοί εἰσι τ ο ῦ θ ε ο ῦ διὰ τοὺς πατέρας*). Jam qui hunc l. recte interpretati sunt tamen in verborum *κατὰ τὸ εὐαγγέλιον* expositione errarunt: quod ad doctrinam christ. attinet, *quam rejiciunt et oppugnant*, Deo invisi sunt propter vos (*Beza*, *Vatabl.*, *Wolf.*, *Heum.*, *Wetst.*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Kopp.*, *Jasp.*, *Meyer.* al.). Falsam esse hanc expositionem e vocabulo opposito *κατὰ τὴν ἐκλογὴν* emergit. Nam quum delectum *Deus* fecerit, verbis *κατὰ τὸ εὐαγγέλιον* res *a Deo effecta* declaretur necesse est. Accedit quod ista enarratio praegressae Pauli disputationi repugnat. Neque enim apostolus incredulos Judaeos libertate suâ male usos evangelium impie oppugnasse dixit, sed Israelitas in delectu praeteritos *Deum indurasse* gentilibus consulturum, ne priusquam paganorum caterva ad Christi signa transiisset Christo fidem tribuerent (v. 7. sq. 11. 25—27. 31. 32.). Quocirca sic enarrandum est: quod ad evangelium attinet, *a quo eos Deus per contumaciam iis inditam arcuit* (v. 7 — 10. 25. 32.), pervicaces Israelitae Deo invisi sunt (alioquin enim Deus nullâ iis contumaciâ inditâ ut traditum evangelium probarent amice passus esset) *propter vos* h. e. *ut vobis*, *paganis*, *messiana salus offerri posset* (v. 11.) ergo *quia v o s amore amplecti constituit*. *Rueckertus* II,153. hanc novam videlicet interpretationem lectoribus impense commendavit: quod ad Dei *divulgandae doctrinae christianae institutum* attinet Judaei Deo invisi sunt, ut vos messianâ salute potiremini (v. 11.). *Τὸ εὐαγ-*

γέλιον etiam *institutum hominibus doctrinâ christianâ imbuendis*, die Veranstaltung zur Verbreitung der Heilsbotschaft, significare V. D. temere finxit. κατὰ δὲ τὴν ἐκλ. ἀγαπ. δ. τ. π.] Hebraei numen divinum hominum modulo mensi sunt. Solent homines eorum causâ quos valde diligunt omnia vehementer velle et summa in eos beneficia conferre ceteris inique neglectis. Quin etiam mortuorum memores vivunt et filios honorant patrum caritate permoti 2 Sam. 9, 7. sq.. Sic Hebraei Deum patriarchas tanto amore amplexum esse putarunt, ut ei ceteri homines prae illis sorderent. Itaque Deum et ipsos patriarchas summis beneficiis cumulasse crediderunt et suam semper voluntatem in numerosam eorum subolem, quam iis promisisset, inclinatam fore sancte pollicitum esse Genes. 12, 2. sq. 15, 4. sq. 17, 7. 28, 13. sq. Deut. 10, 15.. Jam quoniam Deus non posset non promissis suis stare, eum et olim patriarcharum amore ductum dataeque fidei memorem populum israeliticum potenter et mirifice adjuvisse (Deut. 4, 37. 7, 8. 10, 15. Ps. 105, 5. sqq. Act. 13, 17. sq.) neque ei in posterum unquam defuturum esse (Levit. 26, 41. sq.) existimarunt. His opinionibus imbutus Philo Deum nobili sibique sacro Judaeorum populo semper clementem fore *propter patriarcharum virtutes* dicit (De justitiâ II, 366. *Mang.*) ipsosque patriarchas pro posteris suis apud Deum efficaciter deprecari censet (De exsecrationibus II, 436. *Mang.*). Paulus quoque h. l. ex illâ V. T. disciplinâ pependit, quum diceret: sed quod ad Dei delectum attinet (qui patriarchas eorumque posteros complectitur Genes. 17, 7. Act. 13, 17. sq.) Israelitae *a Deo diliguntur* (ἀγαπητοί scil. θεοῦ 1, 7. εἰσι) *propter patriarchas* i. e. quia patriarchas dilexit quantumque his tribuat amore suo in patriarcharum posteros verso nunc manifestare debet. (Hinc optima quaeque Israelitis a Deo speranda esse apparet.) Res sane et veritas poscunt, ut sanctissimum numen aeternam salutem omnibus pariter hominibus offerre (v. 32.), conferre non nisi in pios fideque conspicuos homines (1, 16. 4, 11. Gal. 3, 7. 8.) confiteamur. — Qui in hujus l. interpretatione peccarunt aut male voce ἐχθροί activam potestatem subjecerunt aut quum voci ἐχθροί passivam vim recte tribuissent *Paulum* eum esse, cui Israelitae *invisi* esse dicantur (v. supra), opinati sunt. *Bengelius*, quia malum homini imputandum sit, bonum a Deo proficiscatur, sic enarrat: quod ad evangelium attinet Israelitae *me oderunt* propter vos, sed quod ad delectum attinet *a Deo diliguntur* propter patriarchas. *Grotius*: occasione evangelii Judaei *mihi male volunt* propter vos h. e. *quod vos incircumcisos ad ecclesiam admitto* [sic], sed ratione electionis mihi

cari sunt propter eorum majores. *Theodoretus*: quod ad evangelium attinet *Judaeos odi propter vos* i. e. *quia vos infestant et ego vester gentilium apostolus constitutus sum* [sic], sed quod ad delectum attinet *eos diligo* propter eorum majores. *Morus*: quod ad evangelium attinet Judaei inimici sunt *evangelio* [sic] propter vos, h. e. *quoniam evangelium vobis invident* [sic], sed quod ad electionem attinet a *Deo diliguntur* propter patriarchas h. e. quoniam patriarcharum posteri sunt. *Lutherus*: Nach dem Evangelio halte ich sie für Feinde (mihi invisi sunt) um euret willen; aber nach der Wahl habe ich sie lieb um der Väter willen. (Dilexit vero P. Judaeos et plane nullum in eos odium conceperat 9, 1. sq.) Hae omnes earumque similes expositiones sententias continent a P. disputatione remotas.

V. 29. Firmatur posterior vs. 28. sententia: *quod ad delectum attineat Israelitas a Deo diligi propter patriarchas ideoque sperandum esse fore ut eos summae felicitatis participes reddat*, hâc voce: *non poenitere Deum quum donorum, quae alicui destinaverit, tum ad salutem messianam invitationis, quam alicui decreverit.* Vox ἀμεταμέλητος 2 Cor. 7, 10. a graecis scriptoribus haud raro usurpata est (Dionys. Hal. A. R. 2, 35. 11, 13. Polyb. 21, 9, 11. 24, 12, 11.). Cf. *Elsnerum* II, 53. et *Wetst.* ad h. l.. τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ] Hoc *Calvinus*, *Chr. Fr. Schmid.*, *Tholucc.* al. per ἓν διὰ δυοῖν dictum esse pro *beneficio vocationis* absurde putant. Nam obstat eorum opinioni Pluralis (ἀμεταμέλητον γὰρ τὸ χάρισμα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ θεοῦ recte sic caperetur: nam non poenitet Deum *beneficii* i. e. *vocationis* i. q. beneficii in vocatione positi: v. Exc. IV. ad Matth. p. 853. sqq.) et Pauli consilium. Quem hoc dicere voluisse apertum est: poenitere Deum neque beneficiorum, quae alicui dare secum constituerit, neque singularis beneficii, quo aliquem ornare decreverit. Obtinet igitur h. l. loquendi usus, quem ad Marc. p. 11. exposui Marc. 16, 7. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ καὶ ὁ Πέτρος. Arrian. Exp. Alex. 2, 15, 8. — κατὰ ἔχθος τῶν Περσῶν καὶ Δαρείου. Nam τὴν κλῆσιν ipsâ generali voce τὰ χαρίσματα comprehensam seorsum Ap. commemoravit, quo vehementius illam lectoribus inculcaret h. e. quo facilius lectores communem sententiam in Judaeos applicare possent: quod ad delectum attinet, Israelitae a Deo diliguntur propter patriarchas. Nam Deum non poenitet beneficiorum, quae alicui destinaverit (nempe de *decretis*, non datis, beneficiis hîc agi res docet et contexta oratio) neque (ut singulare beneficium commemorem Judaeis quia a Deo delecti sunt divinitus destinatum) ad messianam salutem invitationis, quam alicui de-

creverit. Perverse *Kopp.*, *dW.* al. τὴν κλῆσιν i. q. τὴν ἐκλογὴν h. l. notare statuerunt. Hominibus a Deo delectis, quum summis ab eo beneficiis ornandi sint, invitatio ad beatitatem messianam divinitus decreta est neque dubium est, quin in tempore ad eam invitentur. Quare *invitationis* et *decretae invitationis* notiones a *delectus* cogitatione tam differunt, quam *fontis* et *rivulorum* notiones distant. Consiliorum factorumque poenitentiam in Deum non cadere *) nemo erit, quin Paulo largiatur: illud multi non concedent, *idcirco* Deum et Israelitas nondum natos delegisse Genes. 17,7. eosque ad messianam salutem aliquando invitandos censuisse, et nunc eos singulari caritate amplecti, *quoniam patriarchas, eorum majores, efflictim amasset* (v. not. adv. 28.).

V. 30. et 31. Sententiam vs. 29. enuntiatam Ap. hoc modo corroborat: Deum invitationis ad salutem messianam Judaeis destinatae non poenitere ideoque eum Judaeos ad summam felicitatem certissime vocaturum esse (v. 29.) ex eo apparet, quod Deus *paganorum inobedientiam Judaeorum contumaciâ* sanavit (v. 30.), unde recte speres fore, ut vicissim *Judaeorum contumaciae paganorum obedientiâ* medeatur (v. 31.). Utrosque enim contumaces reddidit, ut utrosque beâret (v. 32.). — Ὥσπερ γὰρ καὶ ὑμεῖς ποτε ἠπειθήσατε — — , οὕτω καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν] Cf. de hoc graecismo *Heindorfium* ad Plat. Phaed. p. 64. c. Σκέψαι δή, — ἐὰν ἄρα καὶ σοὶ ξυνδοκῇ ἅπερ καὶ ἐμοί., *F. V. Fritzschium* ad Aristoph. Thesmoph. v. 1158. 1159., Plutarchi Eroticum c. 1. ἄγουσι γὰρ ἀγῶνα πενταετηρικὸν, ὥσπερ καὶ ταῖς Μούσαις καὶ τῷ Ἔρωτι φιλοτίμως πάνυ καὶ λαμπρῶς. et not. ad Rom. 1, 13.. Multa sane subsidia critica καί prius non habent: A. B. C. D*. E. F. G. 39. 47. 80. al. 3. Mt. d. q. Copt. Clar. Boern. Chrys. edit. savil. (etiam in Mt. 3. 8.) Damasc. Theoph. Hier. Aug. Ruf.. Quorum au-

---

*) Hom. Il. α, 526. οὐ γάρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλόν, | οὐδ' ἀτελεύτητόν γ' ὅ,τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω. | Ἠ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. Seneca de beneficiis 6, 23.: „Adjice nunc, quod non externa cogunt Deos, sed sua illis in legem aeterna voluntas est. Statuerunt quae non mutarent. Itaque non possunt videri facturi aliquid quamvis nolint, quia quidquid desinere non possunt perseverare voluerunt: nec unquam primi consilii Deos poenitet. Sine dubio stare illis et desciscere in contrarium non licet, sed non ideo, quia vis sua illos in proposito tenet, ex imbecillitate permanent, sed quia non licet ab optimis aberrare et sic ire decretum est." Vide *Elsnerum* et *Wetst.* ad h. l.. Veteres Hebraeos quum aliam hominum imbecillitatem, tum consiliorum poenitentiam Deo tribuisse constat, cf. v. c. Genes. 6, 6. 1 Sam. 15, 10..

ctoritate permoti *Mill.* Prol. §. 1287., *Griesb.*, *Reich.*, *Meyer.*, *Rueck.* al. voculam damnarunt, *Knapp.*, *Lachm.*, *Schott.* ed. 4. etiam deleverunt; vereor, ne non recte. Habet enim istud *καί* antiquissimos auctores, in his Syrum et comparet in hâc nullius pretii transpositione verborum: ὥσπερ γάρ ποτε καὶ ὑμεῖς ἠπειθήσατε τῷ θεῷ (48. 72. Vulg. Germ. Pelag. Sedul.). Deinde nemo facile *καί* adjecerit. Absurde enim *Mill.* l. c. „*καί* inseruit quispiam, inquit, *propter emphasin.*" Contra librarii ubi *καί* in comparationibus geminatum est per negligentiam alterutrum *καί* omittere solent ut supervacaneum (v. not. ad 1, 13.). Nihil igitur nisi hoc concedi potest, *καί fortasse* adulterinum esse. Unde edidi: ὥσπερ γὰρ [καὶ] ὑμεῖς ποτε ἠπ. τ. θ.. — ὑμεῖς ποτε ἠπειθήσατε τῷ θεῷ] *vos, pagani, olim Deo non paruistis*, quum nempe turpem ac libidinosam vitam ageretis et ad vestram potius quam ad sanctissimi numinis voluntatem vos conformaretis (1, 18. sqq. Eph. 2, 1. sq.). Perperam *Erasmus*, *Lutherus*, *Heum.* al. verterunt: Deum esse vobis aliquando non persuasum fuit, ihr habt einst an Gott nicht geglaubt. Nam quamquam gentiles Deos pro Deo inepte coluerunt tamen Deum statuerunt neque τὸ θεῖον tollere iis in mentem venit (1, 21.). Deinde ubi homines fide destituti ἀπειθεῖν in N. T. dicuntur eorum contumacia, ut aliquoties monui (v. etiam *Lueckium* ad Joh. 3, 36.), spectatur, quâ fidem quam Deus poposcisset habere noluerint. Ceterum gentilium contumacia et perversitas h. l. non ab ipsorum vanitate (1, 18. sqq.), sed a Dei vi et efficacitate repetitur (cf. v. 32.). νῦν δὲ ἠλεήθητε] Sane summa felicitas *fide* paratur 1, 16.. Nihilo minus Deus misericordiâ adductus et Christum ad homines legavit qui eos bearet Luc. 1, 72., et pios fideque insignes homines beatitatis messianae participes reddit Matth. 5, 7., et salutem nobis offerri jubet et muneribus christianis nos praeficit 1 Cor. 7, 25. 2 Cor. 4, 1. 1 Tim. 1, 13.. Nam haec ornamenta sibi a Deo deberi praeclare merito nemo dixerit. Expone: nunc vero, postquam Christus ad homines venit, Dei misericordiam experti estis np. eo, quod per doctrinam christ. vobiscum communicatam vobis sempiternae salutis copia facta est (v. 11. 28.). Ἐλεεῖσθαι per metonymiam *credere* et τὸ ἔλεος *fidem* declarare inanis *Grotii* opinio est. Pari jure ἐλεεῖσθαι per metonymiam i. q. καλεῖσθαι et τὸ ἔλεος i. q. τὴν πίστιν valere diceres. τῇ τούτων ἀπειθείᾳ] *per* horum (Judaeorum) contumaciam h. e. *eo*, *quod* hi contumaces fuerunt. Nempe Judaeorum contumacia fecit, ut ἡ σωτηρία ad gentiles perveniret (v. 11. 28.). Minus apte explices: *propter* horum contumaciam h. e. *quia* hi obstinati

fuerunt (v. 20.). v. 31. καὶ οὗτοι] καὶ αὐτοὶ D*. F. G. Haec lectio vulgatâ melior visa est *Rueckerto* codicum eam praebentium paucitatem aegre passo. At gravis gentilium, qui compellantur (v. 30. ὑμεῖς ποτε ἠπειθήσατε τ. ϑ. v. 31. τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει) et Judaeorum, qui voce οὗτοι declarantur (v. 30. τῇ τούτων ἀπειθείᾳ, v. 31. οὕτω καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν) oppositio vulgatam scripturam a P. profectam esse docet. *Καὶ αὐτοί* minime aptum est: sic *et ipsi* nunc non obtemperarunt. Quinam, obsecro? Judaei, opinor. At horum notio in gravi oppositione, ut v. 30., distincte enuntianda erat. Praeterea οὕτω καὶ αὐτοὶ e proximis v. ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι natum est. οὕτω καὶ οὗτοι νῦν ἠπείθησαν] scil. τῷ ϑεῷ (v. 30.) *sic hi* (Judaei) *quoque nunc* (postquam Christus ad homines missus est) *non obsequuti sunt* (Deo), np. quum fidem, quam Deus Christo haberi voluisset, Christo denegarent ab ipso Deo ad fidem concipiendam inepti redditi (v. v. 32. cl. v. 7.—10.). Peccasse Judaeos fide Christo negatâ, quam ne haberent a Deo induratos esse utique repugnat; sed non major hîc repugnantia est, quam supra, ubi Ap. Judaeos ne fidem Christo adjicerent pervicaces a Deo redditos eo quod Christo fidere noluissent *deliquisse* aut *lapsos esse* scripsit (v. v. 11. 12. 22. 20. cl. v. 7.—10.). τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι] Hîc paullo diutius subsistendum est. Primo ἵνα *consilium*, non *eventum* (*Theodoret.*, *Grot.*, *Wolf.*, *Flatt.* al.: sic Judaei quoque nunc Deo renisi sunt *hoc exitu ut* per vobis tributam misericordiam ipsis quoque misericordia tribuatur) notare manifestum est. Nam quae Deus *consilia* inierit, ut totus Judaeorum populus per Messiam postremo bearetur h. l. P. explicat v. 11.—32.. Deinde lectiones ἵνα καὶ αὐτοὶ ὕστερον ἐλεηθῶσι (5. 17.), ἵνα καὶ αὐτοὶ πάλιν ἐλεηθῶσι (Cyr.), ἵνα καὶ αὐτοὶ νῦν ἐλεηθῶσι (B. D*. 4.** Damasc.) nullius frugis sunt. Non opus erat in hoc membro temporis notatione, quum id ad *futurum* tempus spectare e v. νῦν ἠπείθησαν eluceat (Judaei *nunc* morem Deo non gesserunt, ut — ipsi quoque Dei misericordiam *experiantur*). Quin ipsa inculcatarum vocum inconstantia earumque ratio et forma variantium lectionum vanitatem evincunt. Paulus enim utrumque membrum putide exaequaturus ἵνα καὶ αὐτοί ποτε ἐλεηθῶσι posuisset. Tum vocc. ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι hanc vim habent: ut et ipsis Dei misericordia tribuatur scil. eo quod in libertatem restituti ad messianam felicitatem invitabuntur. Nimirum non poenitere Deum invitationis ad summam beatitatem Judaeis destinatae (v. 28.) apostolo vs. 30.

et 31. demonstrandum est. Frustra autem ad messianam salutem homines vocarentur, quos libertate spoliatos (v. 7. — 10.) Deus non antea in libertatem restituisset. Porro Pronomen possessivum in v. τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει potestatem habet Genitivi Objecti: per misericordiam *vobis tributam*. Cf. *Pflugk.* ad Eurip. Andromach. 62. — οἴκτῳ δὲ τῷ σῷ, Thucyd. I, 77. — τάχα ἂν τὴν εὔνοιαν, ἣν διὰ τὸ ἡμέτερον δέος εἰλήφατε, μεταβάλοιτε. 1 Cor. 11, 24. Luc. 22, 19. 1 Cor. 15, 31. Καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ h. e. quotidie animam ago, per meam de vobis, *discipulis meis* 1 Cor. 9, 2., laudem, quam de vobis in Christi castris, aut ut Christi apostolus habeo, bei meinem Pochen auf euch als meine Schüler, welches mir als Apostel des Herrn zusteht. [Perperam *Rueck.* νὴ τὴν ἡμετέραν καύχησιν suscepit, manifestum calami errorem. Nam superquam quod vox ἡμετέραν superflua est (sufficiebant verba νὴ τὴν καύχησιν, ἣν ἔχω ἐν Χρ. Ἰ.), Singularis ἀποθνήσκω et ἔχω suspicionem ei conflat. P. ἀποθνήσκομεν et ἔχομεν dixisset, cf. v. 30. ἡμεῖς κινδυνεύομεν.] Male *Win.* Gr. p. 147. huc rettulit 2 Tim. 4, 6. ἡ ἐμὴ ἀνάλυσις i. e. *mea* profectio, *meus* abitus i. q. ἡ ἀνάλυσίς μου, qui est Genitivus Subjecti. Cic. Cat. II, 2, 3. — jam pridem ego L. Catilinam non modo invidiae *meae*, verum etiam vitae periculo sustulissem. Confer etiam *Matthiaei* Ausf. gr. Gr. §. 466. 2. et *Rueckertum* ad 1 Cor. 15, 31. p. 413. not.. Postremo virgulâ post ἠπείθησαν collocatâ v. τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι arcte consocianda sunt cum *Theophylacto*. Scilicet vocabula τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ante conjunctionem ἵνα posita sunt propterea quod ut in antitheto primarium pondus in iis situm est. In gentiles, quum olim divinitus indurati Deo non obtemperassent, nunc Dei misericordia effusa est *per Judaeorum pervicaciam*: Judaeos nunc sibi reniti Deus jussit, ut (vicissim) *per misericordiam gentilibus tributam* in ipsos quoque Dei misericordia effundatur. Cf. Luciani Caucasus c. 17. ἀλλ' ὑμεῖς ὅταν μὲν ὑμῖν τὰς ἑκατόμβας προςάγωσιν οὐκ ὀκνεῖτε κτλ. Sequitur membrum oppositum Act. 19, 4. — εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ' αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσι. Eph. 3, 18. — ἐν ἀγάπῃ ἐῤῥιζωμένοι καὶ τεθεμελιωμένοι ἵνα ἐξισχύσητε καταλαβέσθαι —. (Hunc l. male explicuit *Harlessius*.) Joh. 13, 29. — ἢ τοῖς πτωχοῖς ἵνα τι δῷ. 1 Cor. 9, 15. — ἢ τὸ καύχημά μου ἵνα τις κενώσῃ. 2 Cor. 2, 4. — ἀλλὰ τὴν ἀγάπην ἵνα γνῶτε. Gal. 2, 10. — μόνον τῶν πτωχῶν ἵνα μνημονεύωμεν. 2 Thess. 2, 7. — μόνον ὁ κατέχων ἄρτι ἕως ἐκ μέσου γένηται. Cic. De Fin. 5, 9, 26. — id-

que habere propositum quasi finem et extremum (omnem naturam), *se* ut custodiat in quam optimo sui generis statu. Ibid. 4, 19, 53. Et ais, si una litera commota sit, fore, *tota ut* labet disciplina. Vide etiam not. ad 7, 21.. Verborum juncturam quam probavimus necessariam esse ei qui hunc l. paullo diligentius consideraverit perspicuum sit necesse est. Comparatur gentilium status cum Judaeorum conditione. Ratio et similis est et valde dissimilis. Similitudo in eo cernitur, quod *et gentiles et Judaeos* Deus induravit, illos *olim* (*ποτέ*), hos *nunc* (*νῦν*). Dissimilitudo in eo posita est, quod Deus paganorum contumaciam *Judaeorum contumaciâ* sanavit v. 30. (nam Judaeorum pervicacia gentilibus salutaris fuit v. 11.), Judaeorum contumaciam *gentilium obsequio et fide* sanabit v. 31.. Hanc enim spem et Paulum fovisse et h. l. enuntiasse ex 10, 19. 11, 11. 14. certum est. Putavit ap. allegoricâ loci Deut. 32, 21. interpretatione confisus contumacibus Judaeis receptâ libertate piam paganorum fidem curam et sollicitudinem injecturam eosque et ipsos ad fidem proclives facturam esse. Hinc etiam intelligas *τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει per* misericordiam vobis tributam explicandum esse (nam minus recte *propter* misericordiam vobis datam interpreteris) et eos falli, qui (v. c. *Heum.*) v. *τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐλεηθῶσι* sic enarrarunt: ut et ipsi Dei misericordiam eo experiantur, quod iis *vobis tributa misericordia* detur. Cf. *Matthiaei* Ausf. gr. Gr. §. 408. 1. not., ubi v. c. affertur Plat. Leg. 3. p. 695. D. ὁ τῇ βασιλικῇ καὶ τρυφώσῃ παιδευθεὶς παιδείᾳ Ξέρξης. Qui v. *τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει* ab *ἠπείθησαν* suspenderunt (*Syr.*, *It.*, *Vulg.*, *Erasmus*, *Calvin.*, *Zeger.*, *Estius*, *Wolfius*, *Morus*, *Bretschneid.* Lex. s. v. *ἀπειθέω*, *Lachm.* al.) non solum antitheton everterunt, sed etiam sententias partim absurdas partim a Pauli consilio alienas in hunc l. invexerunt. *Lutherus* (cf. *Syrus*, *Estius*, *Zegerus*): also auch jene haben jetzt nicht wollen glauben an die Barmherzigkeit, die euch widerfahren ist, auf daß sie auch Barmherzigkeit überkommen (!) h. e. sic etiam hi credere noluerunt vobis misericordiam tributam esse, ut et ipsis misericordia tribuatur! Sententia neque praecedenti v. 30. sententiae respondet et ipsa absurda est. Accedit quod *ἀπειθεῖν τινι* fidem alicui vel personae vel rei negare minime significat. Docent Lexicographi vocem *ἀπειθής* eum designare, cui persuaderi nequeat et *ἀπειθεῖν* talem esse, cui persuaderi non possit, *Hesychii* auctoritate freti: *ἀπειθής, ἀνυπότακτος· ἄπιστος, Σοφοκλῆς Αἰχμαλωτίσιν.* Sed ex eo minime consequitur, *ἀπειθεῖν τινι* eum esse, cui *quod ad personam aut rem attineat* (ergo *de* personâ aut

re) persuaderi nequeat i. q. ἀπιστεῖν τινι valere. *Erasmus*, *Wolf.*, *Morus*: increduli (?) fuerunt (Deo nunc renisi sunt, *Morus*) propter misericordiam, quam vos adepti estis h. e. *quia eam vobis invident*. Imo idcirco Judaei Deo non obedierunt, quia Deus eorum animos occaecavit, ut paganis messiana salus offerri posset, quorum pietate Judaei recuperatâ libertate commoti denique resipiscerent (v. 7.—11. 32. 10, 19.). *Vulg.* — ita et isti nunc non crediderunt, *in vestram misericordiam* i. e., nisi fallor, zur Erbarmung, Gnade für euch, ut vobis misericordia tribueretur (v. 11.). Neque aliter *Calvinus*: — sic et ii (hi) nunc increduli (?) facti sunt, eo quod (vos) adepti estis misericordiam —. Sed propterea Deum Judaeos indurasse, ut gentiles salute potirentur, quum jam declaratum sit v. 30. νῦν δὲ ἠλεήθητε τῇ τούτων ἀπειθείᾳ (v. 11.), per ὥσπερ — οὕτω καὶ absurde bis diceretur (v. *Erasmum*). *Bretschn.*: — sibi *persuaderi* nolunt *de* vestrâ salute (? cf. supra), gratiae divinae vos servanti fidem denegant (ut et ipsi Dei misericordiam adipiscantur). Ne haec quidem expositio aptam sensentiam praebet. Miror, nemini hanc interpretationem ceteris haud dubie tolerabiliorem in mentem venisse *): sic etiam hi nunc reluctati sunt *Deo qui vobis misericordiam tribuit* (τῷ ὑμετέρῳ ἐλέει i. q. τῷ θεῷ v. 30.). Quamquam τὸ ἔλεός τινος *eum qui alicui misericordiam tribuat* lyricus vates citius dixerit, quam Paulus. Quae quum ita sint Pauli disputatio sic decurrit: quum Deum invitationis Judaeis destinatae non poeniteat Judaei aliquando ab eo ad messianam felicitatem invitabuntur (v. 29.). Nam quemadmodum vos, pagani, olim (quum libidinum vestrarum mancipia viveretis) renisi Deo estis (ab ipso Deo indurati v. 32.), nunc vero (libertate receptâ) divinam misericordiam adepti estis *per Judaeorum contumaciam*, quae fecit, ut ad vos messiana salus perveniret (v. 11.), sic Judaei quoque nunc (divino impulsu v. 7.—10.) Deo quum Christo fidem negarent refragati sunt, ut *per misericordiam vobis tributam*, h. e. per vestram fidem, quam evangelio vobiscum benigne communicato adjecistis, et ipsi divinam benignitatem experiantur, quum Deus in libertatem restitutos ad messianam beatitatem vocabit (v. 30. et 31.). *Invitabuntur* igitur ad salutem Judaei (v. 29.). Acumen ab hoc l. alienum in v. ἐλεεῖσθαι (*misericordiam experiri*, *non factorum mercedem accipere*) *Rueckertus* post *Koppium* quaesivit Paulum hoc dixisse opinatus: Deum Judaeos ad tempus contu-

*) Vide tamen *Pelagium*: „ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam] Misericordia gentium *Christus* est."

maces reddidisse, ut postea *suâ benevolentiâ* bearentur neque justam bene faetorum mercedem reportasse viderentur: quos, si a Deo non indurati quum ad fidem primum evocarentur Deo paruissent, obsequiosos videri potuisse et suâ virtute salutem adeptos. At eo fine Deum Judaeis pervicaciam indidisse, ut per eam paganos bearet perspicue P. dixit v. 11. 28. 30.. Deinde constantiae esset, hâc interpretatione in versum 30. translatâ sic existimare: Deum etiam gentiles hâc mente occaecasse, ut *divinâ benignitate*, non suis bene factis aeternam felicitatem consequuti esse viderentur. Verum enim vero Deum contumaces gentiles *Judaeorum contumaciâ*, pervicaces Judaeos *gentilium obedientiâ* corrigere correctosque beare voluisse planis verbis apostolus v. 30.—32. docuit. Ut id fieret *utrosque* a Deo indurandos fuisse in promtu est. Neque gentiles Judaeorum contumaciâ emendari potuissent, nisi pravi aut tales exstitissent, quibus emendatione opus esset, neque Judaeorum contumacia gentilium obedientiâ sanari potuisset, nisi contumaciâ eorum animis inditâ, cui medicina adhibenda esset. Postremo P., ut judaicae stirpis Christianos, quos gentis judaicae sors sollicitos haberet, consolaretur, toto capite non hoc egit, ut Deum universum genus humanum *benevolentiâ* adductum *beaturum* esse ostenderet, sed eum Judaeos non minus quam gentiles *benevole beaturum* esse demonstravit. Itaque ἐλεεῖσθαι v. 30. et 31. *benevole* (benevolâ salutis messianae oblatione) *beari*, non *benevole* (*benevolâ et quam virtute tuâ minime expugnaris* summae salutis oblatione) *beari* denotat. — Perplexa Pauli sententia, Deum paganorum renisum *Judaeorum contumaciâ* sustulisse, Judaeorum contumaciam *paganorum obsequio* sanaturum esse, acuta primo videtur, considerata minus probatur. Quî enim sanctissimus Deus ut Titium emendet Judae animum depravet, et Judae consilia corrumpat ut Judae insaniam Titii sanitate corrigat? Aut quî optimum numen alteri summam felicitatem paret alterius exitio? Et minus impedita res esset, si P. de duobus hominibus loquens Deum ut utrumque ante mortem emendaret unius perversitatem alterius depravatione, alterius turpitudinem illius unius honestate sustulisse diceret. At gentiles et Judaei, de quibus Ap. disputat, hominum *corpora* sunt, quorum membra singulis aetatibus intereunt, ut nova quae succreverint membra intermortuorum membrorum locum occupent, sicut pleraeque arbores quoquoque vere novâ fronde vestiuntur. Jam Deum, ut eos denique emendaret emendatosque bearet, qui sub Christi de caelo in orbem terrarum reditum paganorum et Judaeorum corpo-

pora effecturi essent, tot hominum aetates corrupisse corruptasque ante quam interirent non correxisse, ut multo pluribus hominibus aeternam salutem adimeret, quam impertiret, minime consentaneum est. Est enim Deus sanctissimus, sapientissimus, optimus. Alioqui moroso hortulano similis videretur, qui ut cerasus decimo anno fronderet per novem annos folia decerperet.

V. 32. Munitur praecedens sententia h. r.: quemadmodum Deus olim contumaciam gentilibus injectam Judaeorum contumaciâ sanavit, *sic pervicaciam in Judaeis nunc effectam per benevolentiam quam gentilibus praestitit sanabit* (v. 30. 31.). *Nam* utrosque Deus in contumaciam conjecit, ut erga utrosque benevolentiam conferret (v. 32.). Hausit P. hanc sententiam tum ex Deut. 32, 21. (cf. 10, 19. 11, 11.) tum ex iis V. T. locis, ubi Deus omnibus iis bene cupere dicitur, quos procreaverit (Ps. 145, 9.). *συνέκλεισε γ. ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν*] *nam conclusit Deus Judaeos et paganos in contumaciam* h. e. *conjecit eos in contumaciam* (*Boehm.*, *Rueck.*, *Koelln.*, *Reich.*, *Meyer.*, *dW.*). Hanc interpretationem et verba poscunt et Pauli disputatio flagitat. *Συγκλείειν τινὰ εἴς τινα* et *εἴς τι concludere aliquem in hominis, rei, potestatem* per metaphoram notat *aliquem in hominis, rei, potestatem redigere, facere ut aliquem homo aut res constrictum quocunque modo regat.* Conclusos enim spatium cohibet et gubernat, in quo conclusi sunt. 1 Sam. 24, 19. סִגְּרַנִי יְהוָֹה בְּיָדְךָ *concluserat me Jehovah in tuâ manu*, fecerat, ut in tuâ potestate essem. Ps. 31, 9. LXX. *καὶ οὐ συνέκλεισάς με εἰς χεῖρας* (in manus, potestatem) *ἐχθροῦ*. Ps. 78, 48. וַיַּסְגֵּר לַבָּרָד בְּעִירָם *eorum pecus conclusum tradidit grandini* (Polyb. II, 2, 10. *ἐπεὶ δὲ πάσας ἀφελομένη τὰς εἰς τὸ μέλλον ἐλπίδας ἡ τύχη συνέκλεισε πρὸς τὸν ἔσχατον καιρὸν* —. postquam fortuna omni in posterum spe abscissâ Hasdrubalem *ultimo certamini conclusum tradidit*): cf. ibid. v. 50., ubi LXX. *καὶ τὰ κτήνη αὐτῶν εἰς θάνατον συνέκλεισε.* Diod. Sic. 19, 19. *εἰς τοιαύτην δ' ἀμηχανίαν συγκλεισθεὶς Ἀντίγονος μετεμέλετο* —. Polyb. 3, 63, 3. *εἰς παραπλήσιον γὰρ αὐτοὺς ἀγῶνα καὶ καιρὸν τὴν τύχην συγκεκλεικέναι* — nam fortunam eos in similem dimicationem (in quam iis descendendum esset) et necessitatem conclusisse (cf. 1, 58, 1.) 15, 20, 7. — *συγκλεισθέντες εἰς φόρους* conclusi in tributa, quae solutionem flagitarent i. q. tributa pensitare coacti (cf. 21, 9, 9. 24, 1, 2.). H. l. *συνέκλεισεν ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν* Deus Judaeos et ethnicos in contumaciam, quae iis imperaret, conclusit h. e. contumaciam iis inseminavit. Terent. Andr. 2, 3, 12. ut ab illâ excludar, *huc concludar*

h. e. in Philumenae nuptias conjiciar. Gal. 3, 22. (cf. v. 23.) συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν literae s. omnes sub peccati potestatem concluserunt (die h. Schrift hat Alles unter das Schloß und den Riegel der Sünde gethan), omnes peccati mancipia fecit np. eo quod omnes peccasse declaravit Rom. 3, 9. 19.. Συγκλεισθῆναί τινι Xen. Hell. 5, 2, 19. valet re, in quâ conclusus fueris, teneri. Συγκλείειν τινά h. l., ut saepe alias, non aliquem *simul cum aliis* concludere significat (*Olsh.*, *Meyerus* al.), sed verbum *includere* ita declarat, ut praepositio verbi simplicis vim augeat. Cf. etiam *con*cludere. *Usterius* ad Gal. 3, 22. ab illâ opinione profectus in vanas argutias delapsus est. Putavit enim verbo κλείειν hominum *imbecillitatem*, praepositione *parem omnium conditionem* indicari. Nunc ea videamus, quae interpretes, ne P. quae a Dei majestate abhorrere viderentur, diceret excogitarunt. *Turrett.*, *Heum.*, *Kopp.*, *Flätt.*, *Morus*, *Jasp.* al. verbum ad Dei *permissum* rettulerunt: nam *permisit* Deus, ut omnes ad contumaciam delaberentur, ut omnes misereretur (*Heum.*, *Morus* al. *hoc eventu, ut* [!] omnes miseretur). Neque verbi natura hanc explicationem admittit (nam ὁ συγκλείων vim infert, ὁ συγκλειόμενος vim patitur), neque Pauli disputatio. Nempe toto capite ap. *consilia* explicuit ab omnium rerum moderatore idcirco inita, ut Judaeos non minus quam gentiles denique bearet. *Chrys.*, *Theodoret.*, *Theophyl.*, *Oec.*, *Zegerus*, *Wetst.*, *Wolf.*, *Carpz.*, *Chr. Fr. Schmid.* al. exposuerunt: in contumaciam conclusit np. eo, quod eos contumaces esse *demonstravit* (Gal. 3, 22.). *Chrys.* συνέκλεισε, τοῦτ' ἔστιν ἤλεγξεν, ἀπέδειξεν ἀπειθοῦντας. *Phot.* ap. *Oec.* τὸ συνέκλεισεν ὁ θεὸς τοὺς πάντας εἰς ἀπείθειαν δύο δύναται δηλοῦν, ἢ ὅτι ἀπειθεῖς ἐποίησεν, ὅπερ οὐκ ἔχει χώραν [sic], ἢ ὅτι ἀπειθεῖς ἀπέδειξεν, ὅπερ ἐστὶ καὶ ἀληθές [sic]. Id si *Wetstenium* sequutus sic explicueris: „Deus *per scripturam et praedicationem evangelii* demonstravit omnes reos esse" sententiam invexeris a P. disputatione remotam (Deum enim Judaeos ad tempus *contumaces reddidisse* ap. plane dixit et perspicue v. 7. — 11. 25.); sin ita enarraveris: Deus omnes reos esse eo demonstravit, *quod peccandi auctor iis exstitit*, nihil lucri feceris. Nam sic quoque Deum contumaciae effectorem fuisse elucet. τοὺς πάντας] i. e. *omnes eos*, *de quibus disputavi Judaeos pariter atque gentiles*, non *omnes omnino gentiles et Judaeos* (*Meyerus*: cf. 2 Thess. 1, 9. 3, 2. et not. ad v. 25. et 26.). τοὺς πάντας] D. E. τὰ πάντα | πάντα F. G. Iren. adv. haer. 1, 10, 3. | *omnia* Iren. l. c. 3, 20, 2. It. Vulg. Hieron. alii lat.. Τὰ πάντα non vehementius est, quam τοὺς πάντας

(*Erasmus*), sed ab hoc plane non differt (*Beza*), cf. 1 Cor. 1, 27. Col. 1, 20. Xen. Anab. 7, 3, 11. *καὶ τὰ μὲν φεύγοντα καὶ ἀποδιδράσκοντα ἡμεῖς ἱκανοὶ ἐσόμεθα διώκειν καὶ μαστεύειν· ἢν δέ τις ἀνθίστηται σὺν ὑμῖν πειρασόμεθα χειροῦσθαι.* Arrian. Exp. Alex. 5, 22, 1. — *ἐξαγγέλλεται Ἀλεξάνδρῳ, τῶν αὐτονόμων Ἰνδῶν — τοὺς καλουμένους Καθαίους αὐτούς τε παρασκευάζεσθαι ὡς πρὸς μάχην — καὶ ὅσα ὅμορα σφίσιν αὐτόνομα καὶ ταῦτα παρακαλεῖν ἐς τὸ ἔργον.* et *Wineri* Gr. p. 165.. *Τὰ πάντα* nemo probavit *Millio* Prol. §. 449. excepto, qui *τοὺς πάντας* respuit ut glossema. Quum in eadem sententiâ Neutrum et Masculinum saepe conjuncta repperiantur (1 Cor. 1, 27. Thucyd. 3, 11.), alici potuisse *συνέκλεισεν ὁ θεὸς τὰ πάντα εἰς ἀπείθειαν, ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ* concedo. Quamquam hâc lectione susceptâ loci acumen valde imminui quivis sentiat. Hinc enim subtilitas nascitur, ut iidem homines bis eadem ejusdem vocabuli formâ appellentur. Jam quum varians lectio *πάντα*, quae quoniam articulo opus est ferri nequit, scripturae *τὰ πάντα* suspicionem conflet, plerisque criticis assensus receptam lectionem tueor neque correctores variationis *τὰ πάντα* — *τοὺς πάντας* impatientes *τοὺς πάντας* pro *τὰ πάντα* posuisse credo (cf. 1 Cor. 1, 27. varr. lectt.). Vulgo *τὰ πάντα* ex Gal. 3, 22. irrepsisse putant (*Reich.*, *Rueck.*, *Meyer.* al.). Quod quamquam praefracte negare nolo, qui quot corruptelas similium locorum comparatio pepererit probe sciam, tamen fieri potest, ut quoniam *τὰ πάντα* a *τοὺς πάντας* non differt aliqui librarii per negligentiam *τὰ πάντα* pro *τοὺς πάντας* exararent. Cf. Joh. 12, 32. varr. lectt.. *ἵνα τοὺς πάντας ἐλεήσῃ*] *eo consilio* Deus utrumque quod dixi hominum genus sibi refragari jussit, *ut* utrumque miseraretur. Nam quemadmodum paganis injectam contumaciam Judaeorum contumaciâ sanavit, sic vicissim Judaeorum contumaciae paganorum obsequio medebitur (v. 30. et 31.).

Nunc quaeritur, quidnam de totâ Pauli disputatione c. 9, 1. — 11, 32. judicandum sit. Tres sententias Ap. proposuit, quibus judaicae stirpis lectorum de tot Judaeorum, qui Christo fidem negassent, salute sollicitorum tristitiam mitigaret. Primo Deum pro arbitrio iis Israelitis summam felicitatem destinasse, quibus bene cupivisset, ceteros indurasse, ne per fidem salutem messianam consequerentur, docuit 9, 1. — 29.. Deinde populum israeliticum idcirco messianam felicitatem non adeptum esse, quod quam fidem Christo adjicere *potuisset* habere *noluisset* ostendit 9, 30. — 10, 21.. Denique hoc mysterium lectoribus aperuit, Deum, ut Judaeis et gentilibus pariter consuleret, maximam Ju-

daeorum partem *ad tempus* contumacem reddidisse. Nempe animi obstinationem Deum Judaeis indidisse, ut eorum contumaciâ ethnicorum pervicaciam sanaret, quâ prorsus sublatâ, h. e. quum paganorum caterva ad Christi sacra pie transiisset, eum paganorum obsequio Judaeorum contumaciam sanaturum esse 11, 1. — 32.. Hoc l. Paulum non modo non cohaerentia inter se dixisse, sed etiam maxime contraria certum est. Nam secunda sententia primae repugnat; tertia primam et secundam tollit. Si Judaei benigne a Deo delecti beantur, maligne ab eo praeteriti sempiterno miseri redduntur 9, 1. — 29., his exitium peperit Dei malignitas, non ipsorum perversitas 9, 30. — 10, 21.. Nam ne in delectu praeteriti rem a Deo negatam consequantur libertas iis adimenda et malitia inseminanda est (9, 18.), libertate autem spoliati pie vivere et Christo fidem habere nequeunt. Tertiam sententiam cum secundâ pugnare non minus elucet. Si Deus populum judaicum ad certum tempus contumacem esse jussit 11, 1. — 32., non prius Christo obsequi potuit, quam quum dies venisset, quo eum Deus contumaciâ liberasset. Non igitur Judaei quo tempore gentilium caterva ad Christi sacra nondum accessisset eo culpam contraxerunt, quod Christo fidem denegarunt (v. 9, 30. — 10, 21. cl. 11, 25. 26.). Neque magis cum primâ sententiâ tertia concordat. Immutabile enim et aeternum Dei de beatitate non nisi delectis Israelitis dandâ decretum esse P. dixit 9, 6. sq. cf. v. 3., contra omnes promiscue Israelitas sempiternam felicitatem aliquando consequuturos esse 11, 11. 25. — 32. affirmavit. Reformati iis, quae P. 9, 30. — 11, 32. disputavit, vel neglectis vel perverse explicatis, ex 8, 29. 30. et 9, 1. — 23. hoc dogma repetierunt: Deum homines pro arbitrio delectos, in quibus ornandis suae benignitatis opulentiam manifestet, et emendare et beare, ceteros, in quibus justitiae suae acerbitatem demonstret, in turpitudinis sordibus relinquere, ut sempiterno miseri reddantur (conf. Gall. art. 11. conf. Belg. art. 16.). At Dei sanctitati hominumque libertati tota N. T. disciplina innititur. *Lutherani* iis neglectis, quae P. c. 9, 1. — 29. dixit, ex c. 10. et 11. hoc dogma duxerunt: omnes homines et ad salutem a Deo benigne invitari et posse eam, quoniam in libertate sint, per fidem consequi: praedestinationem autem seu aeternam Dei electionem tantum ad bonos et dilectos filios Dei pertinere eamque in hoc cerni, quod Deus eorum pietatem, qui libertate sua bene usi Christo obtemperaverint, adjuvare homines que qui in pietatis studio perseveraverint sempiterne beare secum decreverit (Form. Conc. p. 617. sqq. et 808. sq.). Ut pia haec sen-

tentia sit, non tamen eorum, quae ap. c. 9. — 11. disputavit, summam continet. Ita tantummodo ex c. 9. — 11. dogma eruere tibi licet, si omnia, quae a Paulo dicta, complexus disciplinam condere potueris, quae tota sibi constet et ex omni parte secum ipsa consentiat. (Particulam enim tequam probes delibare ceteris Pauli sententiis neglectis concedi nequit.) Verum enim vero neque tres illas a Paulo dictas sententias non inter se pugnare facile effeceris et ultimo loco expositam sententiam (11, 25. — 32.), quae plane Pauli mentem vehementer perculit (11, 33. — 36.), nullis difficultatibus premi difficulter demonstraveris (v. not. ad 11, 11. 25. — 27. 30. — 32.). Fortasse Paulum tam pugnantes sententias idcirco defendisse aliquis dixerit, quod ei Deum omnia potentissime gubernare suaeque voluntatis necessitate devincire et liberos tamen homines esse docenti secum constituisset. Neminem enim nescire, quomodo hominum libertas divinâ necessitate non tollatur humanae intelligentiae notionem fugere. Minime vero Paulus et omnipotentem Deum omnibus necessitatem imponere et homines voluntatis libertate frui h. l. ostendere voluit, sed judaicae stirpis lectores, qui tot incredulorum Judaeorum vicem dolerent, his sententiis consolari constituit: Deum, cujus consilia pium hominem revereri oporteat, nonnullis Judaeis, non toti Israelitarum populo, salutem messianam pro arbitrio destinasse 9, 1. — 29., et Judaeos, quum quum fidem Christo adjungere potuissent, ei adhibere noluissent, suâ *culpâ* Dei gratiam effudisse et salutis messianae jacturam fecisse (9, 30. — 10, 21.). Cf. II, 237. Praeterea qui hominum libertatem cum sempiternâ causarum serie, quam Deus gubernat, consistere demonstrare voluerit, eum sic disputare oportet, ut utramque salvam esse appareat. At P. quibus locis divinam necessitatem defendit hominum libertatem sustulit (9, 6. 16. 18. 21. 11, 7. sq. 25. 30. — 32.) quibus Judaeis voluntatis libertatem tribuit divinam necessitatem amovit 10, 3. 21. Male vero dogma de divinâ necessitate et hominum libertate ex hâc Pauli disputatione eruitur. Maxime tenendum est quae P. h. l. exposuit *paraenetico* consilio ductum dixisse (v. II, 236. sqq.). Cujus si memores fueris, paullinorum argumentorum pondus et subtilitatem nunquam admiraberis. Impendentem tot incredulis Judaeis miseriam judaicae stirpis Romani aegerrime patiebantur. Itaque ut horum dolorem leniret primo Deum *nonnullis*, non omnibus, Judaeis salutem messianam decrevisse disputavit 9, 1. — 29. Hoc argumentum lectoribus ponderosum videri debebat. Tolerabilia enim pii hominis vel acerbissima mala recte judicant, quum ea sibi a sapientissimo et optimo

numine immissa esse secum reputaverint. Accedit, quod Ap. etiam aliam ob causam sapienter hoc argumento usus est. Aptum enim erat, quod erroris judaici, qui summam felicitatem Abrahamidis, quia Abrahami nepotes essent, a Deo deberi statueret, scintillam, si qua in judaicae originis Romanis rellicta esset, exstingueret. Inanis Judaeorum de Abrahamo proavo gloriantium superbia est, si nonnullis, non omnibus, Abrahamidis salutem Deus pro arbitrio destinavit, ceteris per inditam contumaciam exitium paravit. Ceterum in quantas salebras ab illo initio profectus incidisset, ipse sensit ap.; itaque se ex iis expedivit, ut potuit 9, 14. sq. 19. sq.. Deinde incredulos Judaeos in foveam incidisse, quam sibi ipsi fodissent, P. monuit: *noluisse* enim eos Deo obsequi et Christo fidem habere, quum id facere *potuissent* (9, 30. — 10, 21.). Hoc quoque argumentum lectores vehementer movere debebat. Minus enim eorum infortunio angimur, qui temeritate aut impietate ipsi sibi pestem machinati fuerint, quam eorum miseriâ, quos cautos et innocentes caecus casus et fortunae volubilitas oppresserit. Denique ad tempus Deum Judaeos indurasse, non ut nobilem gentem pessumdaret, sed ut totum genus humanum aliquando favore amplecteretur Ap. demonstravit (11, 1.—32.). Haec vero ratio et judaicae stirpis Romanis omnem dolorem abstergere et omnes lectores eâ laetitiâ et admiratione afficere debebat, quâ scriptor gravi sententiâ expositâ affectus est (11, 33.—36.). *Exsultemus gaudio! Salva est enim natio judaica, salvum totum genus humanum! O copiosam Dei opulentiam! o abditam ejus sapientiam! Semper Deus pie celebretur!* At magnam tamen, inquies, rerum repugnantiam suâ disputatione apostolus induxit, vir tantus tamque subtilis. Concedendum hoc iis est, qui integro ac libero animo judicare voluerint (lege nostram totius l. interpretationem). Sed hae tamen Paullinae inconstantiae excusationes apud aequos homines valebunt, ardor animi, disputationis contentio, disciplina judaica. Multis saepe accidit, ut amicum fortunae fulmine percussum erecturi studio consolandi argumentis cupide uterentur neque ab omni parte firmis et quorum unum cum altero parum consisteret. Et melius sibi Paulus consensisset, si Aristotelis, non Gamalielis alumnus fuisset. Constat enim, locum de divinâ necessitate et hominum libertate in V. T., unde P. totus pependit, pinguius quam subtilius tractatum esse (cf. v. c. *Hitzigium* ad Jes. 63, 2.).

Quae P. v. 25.—32. disputavit ei summae Dei opulentiae et sapientiae memoriam vehementer commoverunt. Itaque quum quantopere Deus opibus abundaret, qui tot

homines beatos reddere posset, et quantum Dei ingenium esset et consilium, qui ut omnes denique nationes per Christum bearentur sapientissimis institutis effecturus esset ap. secum reputasset, pietatis sensu perfusus sibi temperare non potuit, quin inexhaustas Dei opes summamque ejus scientiam et sapientiam celebraret v. 33.—36.. His cogitationibus quoniam pia Pauli mens incaluerat, factum est, ut verborum majestate Dei laudes comprehenderet.

V. 33. Interpretes de eo inter se dissident, utrum genitivi πλούτου, σοφίας et γνώσεως pariter a voce βάθος suspensi sint, an voces σοφίας et γνώσεως a verbis βάθος πλούτου regantur. Illâ ratione initâ, quae *Chrysostomo*, *Theodoreto*, *Theophylacto*, *Grotio*, *Bengelio*, *Wetstenio*, *Chr. Fr. Schmidio*, *Koellnero*, *Meyero* et aliis probata est, hoc dicitur: *o profunditatem* (magnam abundantiam) *opulentiae*, (exsuperantiam) *sapientiae et scientiae divinae*, hâc sententiâ susceptâ, in qua *Lutherus*, *Calv.*, *Beza*, *Wolf.*, *Turrett.*, *Heum.*, *Boehm.*, *Kopp.*, *Reich.* aliique fuerunt, hic sensus oritur: *o copiosissimas divitias tum sapientiae tum scientiae divinae.* Priorem interpretationem veram esse quum de singulis v. dixero ostendam. βάθος πλούτου] *opulentiae profunditas* i. e. opulentiae amplitudo i. q. copiosissima opulentia. Rei profunditas metaphorice amplitudinem rei et magnitudinem notat. Aesch. Pers. 465. κακῶν βάθος. Divitiarum amplitudo copiâ aestimatur et affluentiâ. Saepe autem Graeci per metaphoram *profundas* divitias vocarunt *valde copiosas et in magnum cumulum coacervatas.* Cf. *Lobeckium* ad Soph. Aj. 130. — ἢ χειρὶ βρίθεις ἢ μακροῦ πλούτου βάθει. ed. 2. Ael. V. H. 3, 18. τοὺς μὲν οὖν εὐσεβεῖς ἐν εἰρήνῃ τε διάγειν καὶ πλούτῳ βαθεῖ. *D'Orvillium* ad Charit. p. 232. ed. Lips. et *Wetstenium* ad h. l.. Βάθος πλούτου a πλοῦτος βαθὺς non differt, nisi quod illud fortius est (v. not. ad 6, 4.). Sapientiae et scientiae profunditas ex reconditâ cognitione et abditâ, quam non quivis assequatur, sollertiâ judicatur. Cf. Plato Theaet. c. 101. — καί μοι ἐφάνη (Parmenides) βάθος τι ἔχειν παντάπασι γενναῖον. Φοβοῦμαι οὖν, μὴ οὔτε τὰ λεγόμενα ξυνίωμεν, τί τε διανοούμενος εἶπε πολὺ πλέον λειπώμεθα —. *Lennep.* ad Phalar. ep. 2. — ὥστε με τρισόλβιον ἡγήσασθαι τὸν διδάξαντα, τρισολβίους δὲ καὶ τὰς παρὰ φύσιν ἐπὶ τοσοῦτον βάθος καὶ παιδείαν διδαχθείσας. Philo De virtutibus II, 551. *Mang.* Ὁ γὰρ Τιβέριος φρονήσει βαθείᾳ χρώμενος καὶ τῶν καθ' αὐτὸν ἁπάντων δεινότατος ὢν ἀφανὲς ἀνθρώπου βούλημα συνιδεῖν καὶ ἐπὶ τοσοῦτον συνέσει διενεγκὼν ἐφ' ὅσον καὶ εὐτυχίᾳ —. et *Wetst.* ad h. l.. Quare si πλούτου, σοφίας et γνώσεως pariter a voce βάθος

suspenderis haec sententia nascitur: *o copiosam Dei opulentiam et abditam ejus sapientiam ac scientiam!* *Meyerus* explicuit: *o Dei opulentiam, quam non pervestiges,* quia res divinas hominum captum superare proximis v. ὡς ἀνεξερεύνητα — αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ graviter P. dicat. At superquam quod βάθος πλούτου *copiosam opulentiam*, non *opulentiam quam pervestigare nequeas* significat (v. supra), proximis verbis ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ — — — ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; vocabula ὦ βάθος σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ explicari, voces autem ὦ βάθος πλούτου versu 35. exponi et perspicuum est et ab ipso *Meyero* concessum. Τὴν σοφίαν et τὴν γνῶσιν ita P. distinguit, ut haec ei *rerum scientia* sit, illa *consilium* denotet, quo usus rationes ineas rebus accommodatas, quas efficere volueris. Nimirum 1 Cor. 13, 2. (vide etiam Col. 2, 3. cl. v. 2.) ei γνῶσιν tribuit, qui *mysteria* nota habeat. (Adjuvat igitur perspicientia veri (ἡ γνῶσις) *sapientiam* (τὴν σοφίαν) aut *mentis sollertiam*, quae cognitâ intellectaque veritate utatur, ut res efficiendas efficiat.) Hîc P. primo reconditam Dei scientiam celebrat (nempe homines multa praetereunt, v. c. beatitas omnibus nationibus a Deo decreta, nihil contra est quod omnia moderans Deus nesciat), deinde etiam abditam ejus sapientiam. Hujus enim illustre specimen Deus eo dabit, quod sollertissimo consilio, quod homunculus ne suspicatus quidem fuerit, gentiles Judaeorum contumaciâ, Judaeos gentilium obedientiâ correctos beabit v. 30. — 32.. Etiam 1 Cor. 1, 17. — 25. ἡ σοφία *mentis sollertiam* (i. q. ἡ σύνεσις v. 19.) significat eique *dementia* (ἡ μωρία) opponitur. Idem valet de l. 1 Cor. 12, 8.. Nunc mihi explicatio, quam paullo ante probavi, firmanda est. Loquutio πλοῦτος θεοῦ neque insolens est, Phil. 4, 19. [Eph. 3, 8.], neque h. l. perplexa videri potest. Nam *magnas* Dei *opes* dici, quibus distribuendis Deus *dites* homines faciat et *beatos* ex orationis contextu intelligitur (v. v. 29. — 32. cl. 10, 12.). Deinde sententia proxime praecedens v. 32. ejusmodi est, ut hanc cogitationem Paulo facile moverit, ditem Deum esse necessarium esse, cui totum genus humanum pretiosissimis opibus opulentare non negatum sit. Τοῦ πλούτου vocabulum nude positum nulloque apposito genitivo definitum (2, 4. Eph. 1, 7.) neque claram virtutis Deo attributae notionem exprimere neque divitias voce declaratas recte cum Dei scientiâ et sapientiâ componi mire *Reichius* obtendit. Credideram enim *Dei* divitias aeternâ Dei omnipotentiâ contineri, qui mihi ita persuasissem, inexhaustas Dei opes, quibus homines locupletet, idcirco esse, quia et sempiternus Deus sit et omnipotens. Cur au-

autem simul copiosissimam Dei opulentiam, simul penitus abstrusam Dei sapientiam et scientiam laudare Paulo non licuerit prorsus non intelligo. Tum id ipsum h. l. Paulum fecisse e proximorum versuum v. 33.—35. argumento discimus. Nam versu 33. (ὡς ἀνεξερεύνητα κτλ.) et 34. abstrusa Dei sapientia et scientia (ὦ βάθος σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ), versu 35. copiosissima Dei opulentia (ὦ βάθος πλούτου θεοῦ) exaggeratur (v. *Theodoretum*, *Bengelium*, *Wetstenium* et *Meyerum*). Frustra *Rueckertus* objecit, versu 35. non Dei opulentiam illustrari, sed hoc dici, homines nullâ virtute Deo commendatos esse. Nam Deum, quippe omnium rerum auctorem et dominum, a neminé beneficiis provocatum in homines benignum esse vs. 35. et 36. exponitur, idque propterea, ut inde ampla Dei opulentia (ὦ βάθος πλούτου θεοῦ v. 33.) patescat. Neque καί ante σοφίας nostrae interpretationi obstare, quoniam aut ὦ βάθος καὶ πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ, aut ὦ βάθος πλούτου, σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ Paulo scribendum fuerit, *Reichius* rècte contendit. Constat enim Graecos in trium compositione duobus postremis copulam praeponere solere. Rom. 2, 7. δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν, 12, 2. τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. Luc. 5, 17. — τῆς Γαλιλαίας καὶ Ἰουδαίας καὶ Ἱερουσαλήμ. Matth. 4, 25. Apoc. 5, 12. Rom. 11, 36. Plut. Pericles c. 12. — — τῶν πλεόντων καὶ φρουρούντων καὶ στρατευομένων —. Lucian. Nigr. c. 17. — συκοφάντας καὶ προςαγορεύσεις καὶ δεῖπνα κτλ.. Explicationi a nobis rejectae tum haec argumenta obstant, tum illud obest, quod Dei sapientia et scientia gravius quam par erat distinguuntur (o magnas divitias *tum* sapientiae *tum* scientiae divinae!). Quamquam enim σοφία et γνῶσις differunt (cf. supra), tamen vicinitate conjunctae sunt. Itaque καί ante σοφίας nonnulli omiserunt (E. 32. Aeth. Vulg. Clar. Germ. et nonnulli PP. eccles.), quibus ista interpretatio placuisset, nisi forte vox casu intercidit. ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ] *quam non possumus Dei decreta perscrutari!* (τὰ κρίματα αὐτοῦ, מִשְׁפְּטֵי יְהוָה, *Dei sententiae*, *decreta*, Ps. 19, 20. 119, 75. 137.). His verbis vocc. ὦ βάθος γνώσεως θεοῦ exponuntur. Penitus abditam scientiam is teneat necesse est, cujus decreta nemo perscrutari possit. καὶ (ὡς) ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ] *et quam non possumus vias*, *quas Deus init*, h. e. instituta quae capit, *investigare!* His verbis vocc. ὦ βάθος σοφίας θεοῦ illustrantur. Recondita Dei sapientia est. Hinc ejus consilia hominum captum excedunt v. c. illud institutum, quod cepit, ut omnes nationes postremo bearet v. 30.—32.. *Αἱ ὁδοί τινος viae*, *quas ali-*

quis ingreditur, per metaphoram *alicujus instituta* valent, cf. Deut. 32, 4. כָּל־דְּרָכָיו מִשְׁפָּט, Act. 13, 10. Apoc. 15, 3.. Propriae, quâ vocabulum pollet, *viae* potestati ap. Adjectivum (*ἀνεξιχνίαστος*) adaptavit *).

V. 34. Confirmantur v. v. 33. *ὡς ἀνεξερεύνητα κτλ.*. Prius membrum vocc. v. 33. *ὡς ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα αὐτοῦ* corroborat, posterius verba *ὡς ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ* h. m.: Dei decreta perscrutari ejusque instituta investigare nemini concessum est (v. 33.). Nam quisnam Dei mentem perspexit? (i. q. *nemo* Dei mentem perspexit, v. 9, 19., recondita igitur Dei scientia, *γνῶσις*, est v. 33.), aut quisnam Dei consiliarius fuit? (i. q. *nemo* Deo consilium dedit: summum igitur in ipso Deo consilium est et summa sapientia v. 33.). Bene Theodoretus ad v. 34. et 35.: *τὰ τρία ταῦτα πρὸς τὰ τρία τέθεικε, τὸν πλοῦτον καὶ τὴν σοφίαν καὶ τὴν γνῶσιν· τὸ μὲν τίς ἔγνω νοῦν κυρίου πρὸς τὴν γνῶσιν, τὸ δὲ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο πρὸς τὴν σοφίαν, τὸ δὲ τίς προέδωκεν αὐτῷ καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ πρὸς τὸν πλοῦτον.* Ceterum P. quae pie sensit sacrâ Jesajae 40, 13. voce h. l. emuntiavit. Jes. 40, 13. LXX. *τίς ἔγνω νοῦν κυρίου καὶ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο, ὃς συμβιβάσει αὐτόν;* Hunc l. P. 1 Cor. 2, 16. denuo in suos usus convertit. Similes sententiae leguntur Sap. 9, 17. Sir. 18, 2. sqq. Hesiod. *ἔργ.* 481..

V. 35. Nunc P. *βάθος πλούτου* probat, quod Deo v. 33. tribuit. Libere autem vertit Job. 41, 3. מִי הִקְדִּימַנִי וַאֲשַׁלֵּם *ecquis mihi* (Deo) *antevertit* (benefaciendo) *eique rependam?* quae v. LXX. non assequuti sunt. Minime P. ex Job. 35, 7. hausit, loco dissimili, aut ex LXX. Jes. 40, 14.. Nam codex alexandrinus LXX. Jes. 40, 14. ex hoc Pauli l. interpolatus est. Jam P. posterius membrum prioris membri re-

*) Quod P. Dei instituta a quoquam investigari negavit, id non eo valet, ut omnia Dei consilia intelligentiae nostrae vim fugere putemus, ut quoniam Dei consilia a nobis perspici nequeant pie nobis credenda sint quaecunque Dei consiliis contineri nobis aliquis asseveraverit, in quam sententiam *Augustini* vox De civit. Dei 2, 23. fin.: — *cujus* (Dei) *plene judicia nemo comprehendit*, *juste nemo reprehendit* intellecta est. Alioquin insulsas fanaticorum hominum de Dei institutis opiniones argumentis temere impugnaremus. Imo divinum animal, plenum rationis et consilii divinaeque virtutis particeps, quem vocamus hominem, hâc lege a Deo generatum est, ut, quoniam in Deo summam rationem et virtutem esse necesse est, ne consilia Deo tribuat, quae rationi repugnare aut virtuti inimica esse cognoverit. Imo hanc vim Pauli sententia habet, ut quae Deum, ut Deus sit, administrare oportet, v. c. tueri mundum conditum et singulis hominibus sapienter et benevole prospicere, ab eo administrari pie fateamur, etiamsi rationem quâ haec fiant assequi nequeamus. Vide *de Ammonem* et *Reichium*.

gimine liberatum (ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ καὶ τίνι ἔπειτα ἀνταποδοθήσεται ὑπ᾽ αὐτοῦ;) sui juris esse voluit (ἢ τίς προέδωκεν αὐτῷ καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; aut quis prior Deo munera dedit *eique* a Deo rependetur?) de notissimo Graecorum et Romanorum usu, v. *Kuehneri* Ausf. Gr. T. II. §. 799. et e N. T. v. c. 1 Cor. 8, 6. — ὁ πατήρ, ἐξ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν· — Χριστὸς, δι᾽ οὗ τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς δι᾽ αὐτοῦ. Licuerat etiam Paulo sic loqui ἢ τίνι προδόντι ἑαυτῷ ἀνταποδώσει; Xen. Anab. 7, 7, 25. ἀναμνήσθητι δὲ καὶ σὺ, τί προτελέσας ἡμῖν συμμάχους ἡμᾶς ἔλαβες; Nemo Deum beneficiis ad liberalitatem provocavit, ut munera hominibus divinitus data ἀντίδωρα videri possint, quibus Deus remuneretur quae acceperit. Imo Deus omnibus προδίδωσι, nemini ἀνταποδίδωσι. Hinc apparet, quam copiosa Dei opulentia (βάθος πλούτου) sit, cujus opes quum a nemine augeantur non tamen sempiternâ innumerabilium beneficiorum dispensatione exhauriantur!

V. 36. Ostenditur cur nemo Deum beneficiis ad liberalitatem provocasse credendus sit et cur ineptum sit statuere Deum officia ab hominibus sibi praestita praemiis remunerari (v. 35.). Nempe omnia Deus procreavit et omnia ab eo pendent (v. 36.). Quamobrem homunciones Deo, cujus peculium rerum universitas sit, dona dare nequeunt. Differre praeverbia ἐκ, διά et εἰς et acute ea Paulum distinxisse nunc ab omnibus conceditur. V. Dissert. in 2 ep. ad Cor. II, 148. sqq.. Sed in hujusmodi l. videndum est, ne spinosa discrimina pariamus et ut sententias eruamus aptas in res quummaxime demonstrandas. Sic h. l. non vera est interpretatio, nisi quae sententiam fundat, quâ versu 35. dicta confirmentur. ἐξ αὐτοῦ τὰ πάντα] *ex eo tanquam ex fonte omnia manarunt.* Quum praeter Deum nihil usquam inveniretur postquam Deus rerum universitatem esse jussit ea ex Dei voluntate, sicut scaturigo ex fonte, emicuit. δι᾽ αὐτοῦ τὰ πάντα] *per eum omnia nata sunt.* Nam absque Deo nihil esset. At mundum Deus condidit Christo administro usus Col. 1, 16. 1 Cor. 8, 6.. Scilicet Paulo Deus ultimus mundi auctor est, Christus proximus aut mundi opifex, quem Deus opus ab se designatum exsequi jussit. *Win.* Gr. p. 395., *Meyerus* al. τὰ πάντα δι᾽ αὐτοῦ sic explanant: *omnia per Deum sunt*, *quatenus ab eo conservantur*; at haec sententia ultimis v. continetur εἰς αὐτὸν τὰ πάντα. Praeterea tenendum est Christum Paulo judice et procreasse mundum et eum tueri Dei nomine ac mandatu Col. 1, 16. 17.. εἰς αὐτὸν] Syr., Arr., Aeth., Vulg. et nonnulli PP. eccl. ἐν αὐτῷ. Nempe εἰς et ἐν sexcenties a librariis confusa sunt. Hoc l. εἰς αὐτόν res ipsa defen-

dit, quum perspicuum sit, Paulum *εἰς αὐτόν* ad *ἐξ αὐτοῦ* acute rettulisse; cf. 1 Cor. 8,6.. *εἰς αὐτὸν τὰ πάντα*] *Reich.*, *Meyer.* al. *omnia Deo consecrata sunt* (Alles ist für ihn) h. e. omnia Dei consiliis inserviunt. Nemo *ἐστί τι εἴς τινα* hoc sensu posuerit: est aliquid alicui destinatum s. consecratum. Clemens Alex. in l.. Quis dives salvetur c. 27., ubi ad hunc Pauli locum haud dubie allusit, sic exposuit: — *αὐτοῦ τοῦ θεοῦ, πατρὸς ἡμῶν, δι' οὗ καὶ γέγονε* [*ἐξ οὗ*] *καὶ ἔστι τὰ πάντα* [*δι' οὗ*, quod de mundi conservatione cepit], *καὶ εἰς ὃν τὰ σωζόμενα πάλιν ἐπανέρχεται.* At v. *τὰ πάντα rerum universitatem*, non homines qui beantur significant. Mihi sic videtur: vocc. *εἰς αὐτὸν τὰ πάντα* valent *ad eum omnia conversa sunt* np. quatenus ab eo pendent et conservantur i. q. omnia ab eo suspensa sunt. *) 1 Cor. 8,6. — *ἐξ οὗ* (*τοῦ θεοῦ*) *τὰ πάντα καὶ ἡμεῖς εἰς αὐτόν ex* quo omnia nata sunt et nos *ad* eum conversi sumus i. e. et nos ab eo pendemus, aus dem das Weltall hervorgegangen ist u. dem wir (als dem Lenker aller Dinge) zugekehrt sind. Dispar est conditio loci Col. 1,16. *τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται* rerum universitas per Christum condita est et in eum tanquam fundamentum innititur, das Weltall ist durch ihn u. auf ihn gegründet worden. Scilicet vs. 17. verbis *καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων* vocabula *τὰ πάντα δι' αὐτοῦ*, vocabulis autem *καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε* verba *τὰ πάντα εἰς αὐτὸν ἔκτισται* illustrantur. Solent profundi qui nunc sunt interpretes obsoletas veterum Theologorum nugas imperite revocare. Itaque quum olim minuti Theologi his ternis membris *ἐξ αὐτοῦ, δι' αὐτοῦ* et *εἰς αὐτόν* Trinitatis mysterium oblique indicari putassent, *Olshausenus* nuper *ἐξ αὐτοῦ* ad Deum patrem, *δι' αὐτοῦ* ad Deum filium et *εἰς αὐτόν* ad spiritum s. rettulit. Quae opinio non minus absurda est, quam veterum Theologorum commentum, qui

---

*) M. Antoninus de rebus suis l. IV. §. 23. — *πᾶν μοι καρπὸς, ὃ φέρουσιν αἱ σαὶ ὧραι, ὦ φύσις· ἐκ σοῦ πάντα, ἐν σοὶ πάντα, εἰς σὲ πάντα* (ad te omnia remeant, v. ibi *Th. Gatakerus* p. 146. sq.). Oppianus de piscatu l. I. v. 409. ed. *Rittershus.* *Ζεῦ μάκαρ, ἐς δέ σε πάντα καὶ ἐκ σέθεν ἐῤῥίζωνται* —. Aristoteles De mundo c. 6. *ἀρχαῖος μὲν οὖν τις λόγος καὶ πάτριός ἐστι πᾶσιν ἀνθρώποις, ὡς ἐκ θεοῦ πάντα καὶ διὰ θεοῦ ἡμῖν συνέστηκεν, οὐδεμία δὲ φύσις αὐτὴ καθ' ἑαυτήν ἐστιν αὐτάρκης, ἐρημωθεῖσα τῆς ἐκ τούτου σωτηρίας.* Metaph. I, c. 3. *Τῶν δὴ πρώτων φιλοσοφησάντων οἱ πλεῖστοι τὰς ἐν ὕλης εἴδει μόνας ᾠήθησαν ἀρχὰς εἶναι πάντων· ἐξ οὗ γάρ ἐστιν ἅπαντα τὰ ὄντα καὶ ἐξ οὗ γίγνεται πρώτου καὶ εἰς ὃ φθείρεται τελευταῖον, τῆς μὲν οὐσίας ὑπομενούσης, τοῖς δὲ πάθεσι μεταβαλλούσης, τοῦτο στοιχεῖον καὶ ταύτην ἀρχήν φασιν εἶναι τῶν ὄντων* —. Sed omnibus fere his l. major verborum quam sententiae cum paullino loco cognatio est.

Jes. 6, 3. ter posito קָדוֹשׁ Trinitatem quasi per transennam monstrari sibi persuaserunt. Recte *Olshauseni* nugas risit *Meyerus*. Toto loco de Deo patre (τῷ Θεῷ) agitur v. 1. 8. 21. 22. 23. 29. 32. sqq. ἡ δόξα] *honor debitus*.

EXCURSUS.

De verbis *νύσσω*, *νύξις*, *νυγμός*, *νύγμα*, *κατανύσσω* et *κατάνυξις*.

(Vide not. ad l. Rom. 11, 8.).

Operae pretium est paullo accuratius de vocabulo *τῆς κατανύξεως* disputare, quum ne graeci quidem interpretes, qui id recte a verbo *κατανύσσω* derivassent, vocabuli rationem perspexerint (v. infra), recentiores autem explicatores neque vocis originem, paucissimis quidem exceptis, intellexerint et eius potestatem e vocabulo hebraico תַּרְדֵּמָה, quod LXX. Jes. 29, 10. *κατάνυξιν* vertissent, et Pauli disputatione potius conjecerint, quam ex linguae legibus loquendique usu perspicue ostenderint. Qui quum תַּרְדֵּמָה *soporem*, *veternum* notare meminissent, hanc vim *τῇ κατανύξει* tribuere non dubitaverunt, quum praesertim eam notionem Pauli disputatio admittere videretur. Quare *τὴν κατάνυξιν* aut a *κατανυστάζω*, *obdormiscere* (*Wahl.* in Cl.), aut a *νύω* (i. q. *νεύω*) *capite nutare dormitantem* (*Grot.*, *Reich.*, *Olsh.*) duxerunt. Qui neutrum recte dici vidissent, aut *Hellenistis νύσσειν* idem quod *νυστάζειν* et *τὴν κατάνυξιν* i. q. *τὸν νυσταγμόν* valuisse (*Lud. Cappellus*), quia hi *νύσσειν* et *τὴν κατάνυξιν* male a *νύω*, *νύζω*, *νυστάζω* repetiissent (*Kopp.*, *Schleusn.* Lex. N. T. I, 1215.) finxerunt, aut alexandrinos quoque interpretes *τὴν κατάνυξιν* a *κατανύσσω* derivasse confessi, quomodo e *punctionis acutique doloris* notione *stuporis*, *soporis* et *vesaniae* cogitationes ab LXX. *τῇ κατανύξει* haud dubie ut putabant subjectae nasci potuissent docere conati sunt (*Bengel.*, *Bretschn.* Lex. I, 644.). A *νυστάζω* formatur ὁ *νυσταγμός* et *τὸ νύσταγμα*, non *ἡ νύξις* neque *τὴν κατάνυξιν* a *κατανυστάζω* repetere alexandrinis interpretibus, hominibus *graece doctis*, (accuratâ eos *hebraicae* linguae notitiâ destitutos fuisse constat) in mentem venire potuit. A *νύω*, si unquam in usu fuisset, *νύσις* (cf. *λύω λύσις*, *νεύω νεῦσις*) oriretur, non *νύξις*. At verbum *νύω*, quod vel idem quod *νεύω* vel i. q. *νύσσω* declararet, Graecis ignotum fuit. In *Hesychio* *νύσσαι*, *ἐκ χειρὸς πατάξαι* jam dudum correctum est *νύξαι*, *ἐκ χ. πατάξαι*. Cf. *Hesych.* *νύξεν*, *ἐκ χειρὸς ἔτρωσεν* et *Suidam* s. v. *νύξαι* — — *οὐτάσαι δὲ καὶ νύξαι καὶ τύψαι τὸ ἐκ χειρὸς τρῶσαι*. *Νύζω*, si Graecis notum fuisset, ex se funderet *νύσιν* (cf. *νομίζω νόμισις*, *θερίζω θέρισις*) vel *νυσμόν* (cf. *θερίζω θερισμός*, *τρίζω τρισμός*, *λακτίζω λακτισμός*), non *νύξιν*. Verum enim vero *νύζω*, quod eandem quam *νύσσω* vim habuerit, frustra in graecis scriptoribus quaeras: *νύζω* autem, quod noctuae cantum expresserit, ad hanc disputationem nihil pertinet, quamquam

id ipsum in Polluce 5,89. 90. — *γλαῦκας νύζειν Kuehnii* conjecturâ nititur. Cdd. praebent — *γλαῦκας ὑΐζειν*. Alii conjecerunt *ὑΐζειν*. Eo minus autem illis *τὴν κατάνυξιν* a *νύω*, *νύζω* et *νυστάζω* ducere licebat, quod alexandrinos interpretes verbum *κατανύσσεσθαι* ita saepe posuisse, ut *τῆς κατανύξεως* vim exprimeret, in promptu erat (cf. infra). Ceterum infirma seu nulla potius ita argumentantium ratio est: *τὴν κατάνυξιν* alexandrinis interpretibus idem quod תַּרְדֵּמָה valuisse ex eo elucet, quod illi תַּרְדֵּמָה aliquando *τῆς κατανύξεως* voce converterunt. Tralatitium est enim, quantâ illi libertate in suâ explicatione usi sint. Imo quidnam Graecis vocabula *νύσσω*, *ἡ νύξις*, *ὁ νυγμός*, *τὸ νύγμα*, *κατανύσσω* et *ἡ κατάνυξις* declaraverint quaerendum est, deinde videndum, utrum alexandrini interpretes Graecorum usum retinuerint an quadamtenus mutaverint. Voc. *Ἡ νύξις* (Aretaeus de causis et signis acutorum morborum l. II, c. 9. p. 56. ed. *Kuehn.* — *καὶ ἐξαπίνης ἐκθορνύμενοι ὡς ὑπὸ νύξιος, εἶτα ὑποφέρονται ἐς κῶμα ὡς ὑπὸ καμάτου*) natum est ex *νύσσω* et *ἡ κατάνυξις* ex *κατανύσσω* (cf. v. c. *ῥήσσω ἡ ῥῆξις*, *πλήσσω ἡ πλῆξις*, *καταπλήσσω ἡ κατάπληξις*, *τάσσω ἡ τάξις*, *πράσσω ἡ πρᾶξις*, *ταράσσω ἡ τάραξις*). *Νύσσω* proprie valet *pungere*, *fodicare* (Luc. As. c. 30. — *Καὶ πάντα μοι τὰ ὄπισθε νύττουσαι [αἱ ἄκανθαι] ἐτίτρωσκον*), tum *punctim caedere*, *vulnerare* (Hom. Il. *μ*. 395. Joh. 19, 34.), postremo *pulsare*, *percutere*. Sic *νύττειν* (Hom. Od. *ξ*, 485.) et *διανύττειν τινὰ τῷ ἀγκῶνι* (Aristaenet. ep. 1, 19., ubi vid. *Abresch.*) de admonentibus usurpatur. Dionys. Hal. A. R. 4, 63. — *γῦπες ἀθρόοι προσπετασθέντες τὴν νεοττιὰν διέφθειραν — καὶ τοὺς ἀετοὺς προσιόντας ἀπὸ τῆς νομῆς νύττοντές τε καὶ παίοντες τοῖς ταρσοῖς ἀπὸ τοῦ φοίνικος ἀπήλασαν. Hesych. νύσσει, παίζει* (recte *Wakefieldus* in silvâ crit. II, 106. *παίει*), *ῥήσσει*. Metaphorice *νύσσειν τι aliquid confodere*, *pessum dare* (Aristoph. Nub. 321. *γνωμιδίῳ γνώμην νύττειν*, *refutare*) et *νύσσειν τινά aliquem pungere* i. e. *vehementius commovere* designat. Hoc et *aliquem incitare*, *instigare* et *dolorem alicui facere* valere potest. Nam incitatus libidineque inflammatus animus non minus pungitur, quam in tristitiam conjectus. Illuc refer Simplicii comment. in enchiridion Epicteti Praef. p. 2. (ed. L. B. 1640. 4.) *Πολὺ δὲ τὸ δραστήριον καὶ κινητικὸν ἔχουσιν οἱ λόγοι, ὡς τοὺς μὴ πάνυ νενεκρωμένους νύττεσθαι ἐξ αὐτῶν καὶ συναισθάνεσθαι τῶν οἰκείων παθῶν καὶ πρὸς διόρθωσιν αὐτῶν ἐπεγείρεσθαι.* Chariton 6, 5. — *καὶ νύττε* (ad amorem irrita), *ὅπως ἀρέσῃς μᾶλλον αὐτῷ* —. De *voluptatis* punctionibus Athenaeus l. XII. c. 67. de Epicuri placitis loquens vocabulum *νύγματα* ponit (— *καὶ τοὺς γαργαλισμοὺς καὶ τὰ νύγματα* —.). Hûc talia l. pertinent: Lucian. Hermot. c. 71. *καὶ δὴ καὶ σέ, ὦ ἑταῖρε, πολλὰ καὶ θαυμαστὰ ὀνειροπολοῦντα νύξας* (quum pupugisset, momordisset) *ὁ λόγος ἀπὸ τοῦ ὕπνου ἐκθορεῖν ἐποίησεν*. Porphyr. de abstinentiâ 1, §. 49. *Rhoer. τὸ δὲ λοιπὸν ὅσον εἰς πολυτέλειαν πέπτωκεν οὐκ ἀναγκαίαν ἔχειν φασὶ τὴν ὄρεξιν οὐδ᾽ ἀπ᾽ ἀλγοῦντός τινος ἀναγκαίως γιγνομένην, ἀλλὰ τὴν μὲν ἀπὸ τοῦ ἢ λυποῦντος ἢ νύττοντος μόνον ἐν τῷ μὴ παρεῖναι, τὴν δὲ ὅλως ἀπὸ τοῦ χαίροντος.* Diod. Sic. 13, 58. — *αἱ γυναῖκες* — — — *οἱονεὶ νυγμοὺς* (doloris morsus) *εἰς τὴν ψυχὴν λαμβάνουσαι* —. Verbum compositum *κατανύσσω confodere*, *compungere* proprio significatu raro legitur. Hesych. *κατανενυγμένα*, *ἀμυχὰς ἔχοντα*. Verbum decompositum *προκατανύσσω prius confodere*, *sauciare* Dio Cassius sic usurpavit 51, 14. — *οἱ δὲ* (*λέγουσιν*), *ὅτι βελόνην, ἢ τὰς τρίχας ἀνεῖρεν* (Cleopatra), *ἰῷ τινι* — — *χρίσασα, τέως μὲν αὐτὴν ἐν τῇ κεφαλῇ ἐφόρει, ὥσπερ εἰώθει, τότε δὲ προκατανύξασά τι τὸν βραχίονα ἐς τὸ αἷμα ἐνέβαλεν.*

Tanto magis *κατανύσσω* translato significatu (*aliquem percellere*, *vehementer commovere*) ab LXX. aliisque serioribus scriptoribus frequentatur. Sic *κατανύσσω* passim ad *amorem* et *misericordiam* refertur (*κατανύσσεσθαι amore incendi*, *misericordiâ corripi*). Historia Sus. v. 10. *καὶ ἦσαν ἀμφότεροι κατανενυγμένοι περὶ αὐτῆς* (*eâ commoti* Cic. D. N. D. 3, 22., *ejus amore et desiderio inflammati*) *καὶ οὐκ ἀνήγγειλαν ἀλλήλοις τὴν ὀδύνην ἑαυτῶν*. Joannes Malalas Chronogr. l. 18. ed. *Bonn*. p. 460. — *ἐν οἷς πρῶτος κατανυχθεὶς* (misericordiâ commotus) *ὁ πατριάρχης σὺν τοῖς κληρικοῖς καὶ τοῖς ἄρχουσιν ἐξ οἰκείας προαιρέσεως μετέδωκαν*. Saepissime *κατανύσσω τινά* et Medium *κατανύσσομαι dolore*, *aegritudine*, *tristitiâ aliquem afficere* declarat. M. Annaeus Seneca controversiarum libro III. controv. 19.: Hybreas in hâc controversiâ dixit (np. caecae matris causam agens): *τέκνον, κἄν με φεύγῃς κατανύξομαί σ' ἐπαιτοῦσα* h. e. fili, etiamsi (ad patris redemtionem profectus) me fugias (neque me alas) dolorem tibi faciam stipem colligens. (Nihil ergo agas, quum me deseras). Absurde vulgo vertitur *fili dolebo*, *quamvis ne fugias te repetens*, probante *Kypkio* ad Act. 2, 37. Genes. 34, 7. וַיִּתְעַצְּבוּ הָאֲנָשִׁים וַיִּחַר לָהֶם מְאֹד LXX. *κατενύχθησαν* (dolore correpti sunt) *οἱ ἄνδρες καὶ λυπηρὸν ἦν αὐτοῖς σφόδρα*. Nam quum הִתְעַצֵּב et חָרָה male ad *animi tristitiam* rettulissent ex irâ, quâ Jacobi filii incensi erant, *luctum* fecerunt. Genes. 27, 38. *κατανυχθέντος Ἰσαὰκ quum tristitia Isaacum perculisset*, Act. 2, 37. *ἀκούσαντες δὲ κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ* (intimus dolor eorum animos perculit). Ps. 30, 13. לְמַעַן יְזַמֶּרְךָ כָבוֹד וְלֹא יִדֹּם (luctum meum in laetitiam convertisti: v. 12.) ut te celebraret laus neque tacerem. LXX. — *ὅπως ἂν ψάλλῃ σοι ἡ δόξα* (*μου*) *καὶ οὐ μὴ κατανυγῶ ut* (mea) *te laus laudaret neque essem morosus*. Silentium pro morositatis, quae impedimento esset, quo minus Dei laudes canerentur, signo poëtam posuisse putarunt. Ps. 35, 15. קָרְעוּ וְלֹא־דָמּוּ *maledixerunt* (adversarii) *neque tacuerunt*. LXX. verbis hebraicis non perceptis verterunt *διεσχίσθησαν καὶ οὐ κατενύγησαν* i. e. vel *vestes sibi disciderunt neque intus dolore correpti sunt aut poenitentiam egerunt* vel *rupta sunt flagella neque tristitiâ affecti sunt*. Nam in v. proxime praecedentibus pro נֵכִים expresserunt נְגָעִים *συνήχθησαν ἐπ' ἐμὲ μάστιγες*. Ps. 109, 16. *καὶ κατεδίωξεν ἄνθρωπον πένητα καὶ πτωχὸν καὶ κατανενυγμένον τῇ καρδίᾳ* (*animo fractum et in tristitiam conjectum*, נִכְאֵה לֵבָב) *τοῦ θανατῶσαι*. Ps. 4, 5. רִגְזוּ וְאַל־תֶּחֱטָאוּ אִמְרוּ בִלְבַבְכֶם עַל מִשְׁכַּבְכֶם וְדֹמּוּ *contremiscite* (Jehovae reverentiâ moti v. 4.), *neque peccate*: *reputate vobiscum in vestris stratis* (np. Jehovam meas preces auditurum esse v. 4.) *et tacete* (h. e. nolite contumeliosa dicta in me postea jacere v. 3.) LXX. *ὀργίζεσθε καὶ μὴ ἁμαρτάνετε ἃ λέγετε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν ἐπὶ ταῖς κοίταις ὑμῶν καὶ κατανύγητε*. *estote irati* (non enim vos mihi succensere prohibeo) *neque quae in cubilibus vestris peccata excogitatis committite et dolorem sentite* (np. maledictionis poenitentiâ tacti). Male v. רָגַז interpretati sunt, deinde pro אִמְרוּ reddiderunt אֲמַרוּ et vocc. אִמְרוּ בִלְבַבְכֶם עַל מִשְׁכַּבְכֶם cum v. וְאַל תֶּחֱטָאוּ arctius consociarunt, postremo *silentium* pro *poenitentiae* signo ceperunt. Aquila דֹּמּוּ vertit *ἡσυχάσατε*. Hinc Hesychius in hunc l. intuitus hanc enarrationem cum alterâ composuit, tanquam *κατανύσσεσθαι* tum *λυπεῖσθαι* tum *ἡσυχάζειν* valeret: *κατανύγητε, ἡσυχάσατε, λυπήθητε*. Ex hujusmodi glossâ qui *κατανύσσεσθαι* utique notare *ἡσυχάζειν* docere conati sunt parum se eruditos esse ostenderunt.

Jes.

Jes. 47, 5. שְׁבִי דוּמָם *sede tacita.* LXX. κάθισον κατανενυγμένη *sede tristis.* Nam *taciturnitatem* pro *tristitiae* documento sumserunt. Contrarium v. 8. verbis ἡ πεποιθυῖα enuntiarunt. 3 Reg. 21, 29. ἑώρακας ὡς κατενύγη (quanto dolore correptus fuerit) Ἀχαὰβ ἀπὸ προσώπου μου; scilicet ita Ahabus poenitentiam egerat, ut magnum luctum prae se ferret, cf. v. 27.. Sirac. 14, 1. Μακάριος ἀνὴρ ὃς οὐκ ὠλίσθησεν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ καὶ οὐ κατενύγη ἐν λύπῃ ἁμαρτιῶν (— neque eo dolore, quem peccata afferunt, commotus est). 20, 21. Ἔστι κωλυόμενος ἁμαρτάνειν ἀπὸ ἐνδείας, καὶ ἐν τῇ ἀναπαύσει αὐτοῦ οὐ κατανυγήσεται. Est, *quem inopia non sinat peccare neque* (en paupertatis fructum!) *in quiete doloris morsu ob admissa peccata pungetur.* 47, 20. ἔδωκας (Salomo compellatur) μῶμον ἐν τῇ δόξῃ σου καὶ ἐβεβήλωσας τὸ σπέρμα σου, ἐπαγαγεῖν ὀργὴν ἐπὶ τὰ τέκνα σου καὶ κατανυγῆναι (sp. αὐτά, i. e. τὰ τέκνα σου) ἐπὶ τῇ ἀφροσύνῃ σου —. (— ita ut posteri tui dolore propter tuam temeritatem afficerentur, sp. quum eam luere cogerentur). Adde 12, 12. et Joannem Malalam l. c. p. 480.. Porro *metu* territi κατανενυγμένοι vocantur. Jes. 6, 5. אוֹי־לִי כִּי־נִדְמֵיתִי vae mihi! nam pereo scil. quoniam ego, cujus impurum os sit, Jehovam conspexi. LXX. ὦ τάλας ἐγώ, ὅτι κατανένυγμαι ὅτι κτλ. nam *metu perterritus sum*, quia etc.. Exposuerunt נִדְמָה *silere* (i. q. דָּמַם Jer. 14, 17.), silentium autem pro *terroris* indicio acceperunt. Dan. 10, 9. וַאֲנִי הָיִיתִי נִרְדָּם עַל־פָּנַי וּפָנַי אָרְצָה *et ego* (quum eius, qui mecum colloquebatur verba audirem) *metu perculsus* (cf. v. 7. 12. 18.) *in faciem prolapsus sum et erat mea facies in solum versa.* LXX. καὶ ἐν τῷ ἀκοῦσαί με φωνὴν ῥημάτων αὐτοῦ ἤμην κατανενυγμένος (*et — eram pavore attonitus*) καὶ τὸ πρόσωπόν μου ἐπὶ τὴν γῆν. Aut non legerunt עַל־פָּנַי aut neglexerunt. Itaque נִרְדָּם *sopore opprimi* de sopore ceperunt, quem injectus *metus* tibi gignat. Ibid. v. 15. נָתַתִּי פָנַי אַרְצָה וְנֶאֱלָמְתִּי *oculos meos in terram dejeci et conticui.* LXX. ἔδωκα τὸ πρόσωπόν μου ἐπὶ τὴν γῆν καὶ κατενύγην (— *et contremui* cf. v. 18.). Rursus silentium pro *pavoris* indicio commemorari putarunt. Postremo κατανύσσεσθαι *mente turbari, consternari* denotat, ita ut rem exprimat, quam vehementior animi commotio afferat. Levit. 10, 3. וַיִּדֹּם אַהֲרֹן *et tacuit Aharon.* LXX. καὶ κατενύχθη Ἀαρὼν *et rigebat, torpebat Aharonis* (qui tam atrocia vidisset v. 1. 2.) *animus.* Explicuerunt דָּמַם *obrigescere*, cf. Exod. 15, 16. et v. שָׁמֵם. Valde igitur errarunt, qui ex eo, quod LXX. v. hebraica, quae *tacere* notant, voce κατανύσσεσθαι converterunt, iis κατανύσσεσθαι i. q. σιωπᾶν et ἡσυχάζειν declarasse collegerunt, ut *Suidas* s. v. κατανυγῶ. Restat Substantivum ἡ κατάνυξις. Quod quamquam *animi incitationem, misericordiam, tristitiam, pavorem* et *torporem* designare posset, tamen perpaucis quibus legitur locis nihil nisi *torporem* notat. Ps. 60, 5. הִשְׁקִיתָנוּ יַיִן תַּרְעֵלָה *praebuisti nobis vinum vacillationis* h. e. *quo epoto vacillaremus.* LXX. paullo liberius verterunt ἐπότισας ἡμᾶς οἶνον κατανύξεως hauriendum nobis dedisti *vinum torporis* h. e. quod torpidos nos faceret, ut neque mente saperemus neque oculis et auribus quidquam perciperemus. Jes. 29, 10. כִּי נָסַךְ עֲלֵיכֶם יְהוָה רוּחַ תַּרְדֵּמָה *nam effudit in vos Jehovah spiritum, qui soporem afferret.* LXX. ὅτι πεπότικεν ὑμᾶς κύριος πνεύματι κατανύξεως *bibendum vobis dominus dedit spiritus, qui* **torpidos** *vos faceret, haustum.* Itaque *rem cum sopore conjunctam* expresserunt. Sunt enim quos sopor oppressit sensibus alienati. Neque aliter P. Rom. 11, 8. ἔδωκεν

αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως intellectum voluit (dedit iis Deus spiritum, qui faceret ut eorum animi obtorpescerent). Ostendit enim, eos, de quibus loquitur, quum suum Deus numen interposuisset, occalluisse (*ὅτι ἐπωρώθησαν* v. 7.) Jam quum argumentum, quod *τοὺς λοιποὺς πωρωθῆναι* v. 7. demonstret, in verbis *ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως* situm sit, in promtu est Paulo *κατανύσσεσθαι* i. q. *πωροῦσθαι* et *τὴν κατάνυξιν* i. q. *τὴν πώρωσιν* i. e. h. l. *torporem* declarasse. Nempe proxima verba *ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν* praecedentia vocabula *πνεῦμα κατανύξεως* exponunt. Scilicet qui occalluerunt aut obtorpuerunt sensibus alienati sunt i. e. oculis et auribus nihil percipiunt, mente nihil intelligunt. *Clarii* interpretatio: *dedit iis* spiritum doloris i. e. qui iis *dolorem de alienâ felicitate* commoveret non magis ab Ap. disputatione remota est, quam haec enarratio: dedit iis spiritum *indignationis* h. e. ejusmodi spiritum, qui evangelii odio eorum animos exasperaret (v. *Lutherum, Melanthonem* et *Calvinum.*). Adjice quod nullum equidem locum novi, ubi *κατανύσσεσθαι ἰρᾶ commoveri* declaret. *De Wettii* observatiuncula, fieri posse, ut alexandrinis interpretibus *ἡ κατάνυξις animum exacerbatum* valuerit, tum quoniam *ἡ κατάνυξις vehementem dolorem* significet, tum quia LXX. Genes. 34, 7. ‏הִתְעַצְּבוּ‎ verbo *κατανύσσεσθαι* reddiderint nullius pretii est. Nam *ἡ κατάνυξις* iis quibus invenitur locis non animi dolorem aut tristitiam denotat, sed torporem, in Genesi autem 34, 7. LXX. in indignationis locum tristitiam substituerunt, ut saepe (v. supra). Ultimum est, ut ne graecos quidem interpretes vocabulum *τῆς κατανύξεως* recte explicuisse demonstrem. *Chrys.* ad Rom. 11, 8. *κατάνυξιν δὲ ἐνταῦθα τὴν περὶ τὸ χεῖρον ἕξιν τῆς ψυχῆς φησι, τὴν ἀνιάτως ἔχουσαν καὶ ἀμεταθέτως· ἐπεὶ καὶ ἀλλαχοῦ φησιν ὁ Δαυΐδ, ὅπως ἂν ψάλλῃ σοι ἡ δόξα μου καὶ οὐ μὴ κατανυγῶ, τοῦτ' ἔστιν οὐ μὴ μεταστῶ, οὐ μὴ μεταβληθῶ· ὥσπερ γὰρ ὁ ἐν εὐλαβείᾳ κατανενυγμένος οὐκ ἂν εὐκόλως μετασταίη, οὕτω καὶ ὁ ἐν πονηρίᾳ κατανυγεὶς πάλιν οὐκ ἂν ῥᾳδίως μεταβάλοιτο· κατανυγῆναι γὰρ οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν ἢ τὸ ἐμπαγῆναί που καὶ προσηλῶσθαι· τὸ τοίνυν ἀνίατον τῆς γνώμης αὐτῶν καὶ δυσμετάθετον δηλῶν πνεῦμα κατανύξεως εἶπεν. Chrysostomum* sequuti sunt *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, schol. Matth. et *Suidas* s. v. *κατανυγῶ*, ubi *Chrysostomum* expilavit. *Theodoretus*: — *πνεῦμα δὲ κατανύξεως τὴν ἀμετάβλητον ἐκάλεσε γνώμην· ὥσπερ γὰρ ὁ τὴν ἐπαινουμένην ἔχων κατάνυξιν τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον τροπὴν οὐκ εἰσδέχεται, οὕτως ὁ παντελῶς ἑαυτὸν ἐκδοὺς τῇ πονηρίᾳ τὴν ἐπὶ τὸ κρεῖττον οὐχ αἱρεῖται μεταβολήν. Theophylactus*: — *κατάνυξιν δὲ τὴν πρὸς κακὰ ἐπίμονον καὶ ἀμετάθετον ἕξιν τῆς ψυχῆς λέγει· κατανύσσεσθαι γάρ ἐστι τὸ ἐμπήγνυσθαί που καὶ προσηλοῦσθαι· τὸ τοίνυν ἀνίατον τῆς γνώμης αὐτῶν καὶ ἀμετάθετον κατάνυξιν ὠνόμασεν. Oecumenius*: *κατάνυξιν*] *τὴν περὶ τὸ χεῖρον νῦν ἕξιν καὶ προσοχὴν τῆς ψυχῆς κατάνυξιν καλεῖ· κατανυγῆναι γάρ ἐστι τὸ ἐμπαγῆναί που καὶ προσηλωθῆναι, καὶ ἐν καλῷ καὶ ἐν κακῷ· νῦν μέντοι τὸ ἀμετάθετον αὐτῶν πρὸς τὸ κακὸν κατάνυξιν ἐκάλεσεν.* Schol. Matth.: — *πνεῦμα δὲ κατανύξεώς ἐστιν ἡ ἐπὶ τὸ χεῖρον ἕξις· κατανυγῆναι γάρ ἐστι τὸ εἴς τι προσηλωθῆναι. Chrysostomus* igitur et qui ejus auctoritate freti sunt *κατανυγῆναι ἔν τινι* et *εἴς τι in re fixum esse, rei tanquam clavo trabali affixum esse* designare sibi persuaserunt. Hinc verbum omnino *firmum*, *stabilem*, *immutabilem esse* valere crediderunt. Quia autem tum in virtute, tum in vitio firmi esse possemus, eo substan-

tivum ἡ *κατάνυξις* si in bonam partem diceretur *virtutis constantiam*, sin in malam *insanabilem malitiam et perversitatem* declarare opinati sunt. Nemo *κατανύσσεσθαι ἔν τινι* usurpavit hoc graece dicturus *fixum esse in re*, *rei inhaerere* neque nisi perversâ Ps. 30, 13. interpretatione suum commentum *Chrysostomus* firmavit (v. supra). Commentitiae igitur etiam eae potestates sunt, quas suo commento nixus Substantivo ἡ *κατάνυξις* tribuit, quamquam earum vanitatem vel Ps. 60, 5. evincit. Melius in aperiendis verborum *κατανύσσειν* et ἡ *κατάνυξις* rationibus *Isidorus Pelusiota* l. IV. ep. 101. versatus est: „*τὸ δὲ πνεῦμα τῆς κατανύξεως*, *καταπλήξεως καὶ κατατρώσεως· τὸ γὰρ νύττειν τιτρώσκειν ἐστὶ καὶ πλήττειν κατὰ τό· ἔνυξαν τὴν πλευρὰν τοῦ Χριστοῦ τῇ λόγχῃ* [Joh. 19, 34.]· *ἐπεὶ οὖν πλῆξαί ἐστι τὸ νύξαι*, *τὸ κατατρωθῆναι καὶ κατανυγῆναι εἰκότως εἴρηται. Εἶτα ἑρμηνεύων αὐτὸς* [*ὁ Παῦλος*] *τὸ κατένυξεν ὅτι κατέπληξέν ἐστιν· ἔφη ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν. Τοῦτο γὰρ συμβαίνειν εἴωθε τοῖς καταπληττομένοις· ἅτε γὰρ τοῦ νοῦ ταραχθέντος αἱ αἰσθήσεις τὰς οἰκείας ἐνεργείας ἀρνοῦνται. Ὅτι δὲ τοῦτο μηνύει ἄκουε τῆς γραφῆς λεγούσης* [Sirac 14, 1.]· *μακάριος ὃς οὐ κατενύγη ἐν λύπῃ ἁμαρτίας. Καὶ μὴν ἡ κατὰ θεὸν λύπη μετάνοιαν εἰς σωτηρίαν ἀμεταμέλητον κατεργάζεται* [2 Cor. 7, 10.]. *Τί οὖν ἐστιν ὅ φησιν;* — — *εἰ* — *φαίημεν ὅτι μακαρίζει οὐ τὸν λυπηθέντα, ἀλλὰ τὸν μὴ καταπληγέντα ὑπὸ τῆς λύπης καὶ προδεδωκότα τὴν οἰκείαν σωτηρίαν, οἷον ἔπαθεν Ἰούδας ἀγχόνῃ ἑαυτὸν ἀνελὼν* — — —, *τάχα πως τῆς ἀληθείας ἁψόμεθα τοῦ ῥητοῦ. Εἰ δὲ καὶ ἐπὶ καλοῦ γίνεται ἡ κατάνυξις θαυμαζέτω μηδείς· κἀκεῖ γὰρ τὸ τρωθῆναι τοῖς καλοῖς ἑρμηνεύει, ὡς καὶ ἡ τὸν θεῖον ἔρωτα ἐρῶσα ψυχὴ ἐβόα· ὅτι τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ* [Cant. 2, 5.]. *Χρὴ δὲ εἰδέναι, ὅτι οὐ πάντως τὰ αὐτὰ ὀνόματα ἢ ῥήματα τὸ αὐτὸ παρίστησι νόημα, ἐπειδὴ ὁ Δαυὶδ ἔλεγεν* [Ps. 30, 13.]· *ὅπως ἂν ψάλλῃ σοι ἡ δόξα μου καὶ οὐ μὴ κατανυγῶ, οὐδὲ μεταστῶ εἰς τὸ μηκέτι ὑμνεῖν· ἐπήγαγε γάρ· κύριος ὁ θεός μου, εἰς τὸν αἰῶνα ἐξομολογήσομαί σοι. Καὶ οἱ περὶ Συμεῶνα δὲ καὶ Λευὶ μετὰ τὸ ὑβρισθῆναι εἰς αὐτὴν τὴν σωφροσύνην τὴν ἀδελφὴν κατενύγησαν* [Genes. 34, 7.], *τοῦτ' ἔστι κατεπλήγησαν καὶ κατετρώθησαν ὑπὸ ζήλου καὶ οὕτως εἰς ἀμετάθετον ἐξέπεσαν ὀργήν, ὡς καὶ δόλῳ οὐ μόνον τὸν ὑβριστὴν ἀλλὰ καὶ πᾶσαν αὐτοῦ τὴν πόλιν ἡβηδὸν κατασφάξαι.* *Torporem* τὴν *κατάνυξιν* valere et *κατανύσσεσθαι obtorpescere* recte vidit *Isidorus* neque non bene haec vocabula cum verbis *καταπλήσσεσθαι* et ἡ *κατάπληξις* comparavit, quae et ipsa *metaphorice* ponantur, ita ut *καταπλήσσεσθαι admiratione defigi*, *pavore et tristitiâ percelli* et ἡ *κατάπληξις admirationem*, *stuporem*, *metum*, *torporem* designet. In eo peccavit, quod diversas verborum *κατανύσσεσθαι* et ἡ *κατάνυξις* potestates e *vulnerandi* significatu, a quo profectus esset, philosophando eruere conatus est. Imo *pungendi* significatui disputationem superstruere debuerat et metaphorice usu verbi simplicis *νύσσω* et vocabulorum ex eo derivatorum exposito verborum compositorum *κατανύσσω* et ἡ *κατάνυξις* rationes patefacere. Ceterum nonnulla loca (Sirac. 14, 1. Genes. 34, 7.) parum recte Isidorus explanavit (v. supra).

HALAE,
TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.